


LIBRARY
UNIVERSITY OF CALIFORNIA
LET THERE BE LIGHT
UNIVERSITY OF CALIFORNIA
ORGANIZED 1868
JANE K. SATHER
LIBRARY FUND.
Accession
Class

# IUSTINI

## HISTORIAE PHILIPPICAE

EX RECENSIONE

## ABRAHAMI GRONOVII

ET

CUM DIVERSITATE LECTIONIS GRAEVIANAE

ACCURATE EDIDIT

DOCTORUM HOMINUM COMMENTARIOS
VARIAS LECTIONES LIBROR. NONDUM ADHIBITORUM
SUASQUE ADNOTATIONES ATQUE INDICES

ADIECIT

*CAROLUS HENRICUS FROTSCHER*

PRAEMITTITUR NOTITIA LITTERARIA ET A. H. L.
HEERENII COMMENTATIO DE TROGI POMPEII FONTIBUS ET AUCTORITATE

VOL. II.

LIPSIAE 1828.

SUMPTUS FECIT ET VENUMDAT KUEHNIANA LIBRARIA

# DOCTORUM HOMINUM

IAC. BONGARSII. FRANC. MODII. MATTH. BERNECCERI. M. ZUERII BOXHORNII. IS. VOSSII. IO. FRID. GRONOVII. IO. GEORG. GRAEVII. TANAQ. FABRI. IO. VORSTII. IO. SCHEFFERI. ABR. GRONOVII ALIORUMQUE

# COMMENTARII

IN

# IUSTINI HISTORIAS PHILIPPICAS

---

POST

ABR. GRONOVIUM

DENUO DISPOSUIT

ET

CUM CASP. SAGITTARII EXERCITATIONIBUS. SIGISM. FRID. DRESIGII. THOMAE WOPKENSII. IO. MICH. HEUSINGERI. CAR. FERD. NAGELII. IO. IAC. HOTTINGERI ALIORUMQUE ANIMADVERSIONIBUS

ACCURATE EDIDIT

***CAROLUS HENRICUS FROTSCHER.***

---

## PARS I.

DOCTORUM HOMINUM PRAEFATIONES

(IN HIS ETIAM P. BURMANNI ET I. F. FISCHERI)

ET

IN LIBB. DUODECIM PRIORES COMMENTAR.

---

LIPSIAE 1828.

SUMPTUS FECIT ET VENUMDAT KUEHNIANA LIBRARIA

# PROOEMIUM

De his, quos iam in publicum exire iubeo, DOCTORUM HOMINUM COMMENTARIIS IN IUSTINI HISTORIAS PHILIPPICAS nihil admodum habeo quod multis verbis exponam. Neque enim ulla mihi huiusmodi operis paranda excusatio est, neque qua ratione in tali negotio versari consueverim, obscurum esse cuiquam potest, quicunque et me et magnum in has litteras amorem meum, sincerumque de bonis scriptoribus promerendi studium, accuratius quam vulgares inertesque paedagogi possunt, cognoscere voluerit. Accedit quod Gronovianae editionis tam multae tamque *eximiae* virtutes sunt, ut qui Iustinum non diligenter modo, sed familiariter nosse proposuerint, eo libro carere non queant. Quem quidem quum cupide studioseque emerent, si qui accuratam doctrinam sectarentur, tanta eius pariter atque Graevianae editionis facta est raritas, ut iam plerique eorum, qui in Gymnasiis nostris Lyceisque antiquas litteras docent, in Iustini quidem interpretandis historiis aut omni prope instrumento se profiteantur destitutos esse, aut ad Wetzelianas *Notas* non dubitent confugere. Quam ob rem in ea sum sententia, ut laborem laude dignis-

simum suscepturus operaeque pretium facturus fuisse mihi videar, si ea tantum, quae in Gronovii editione legerentur, accurate repetere voluissem. Sed non hoc solum putavi faciundum esse. Immo quaecunque ad Iustinum vel emendandum vel illustrandum idonea praesidia iudicarem, iis ut librum meum ornarem atque instruerem, studiose diligenterque curavi. Quo factum est, ut non *Dresigii* modo, *Heusingeri*, *Hottingeri* eruditissimique *Wopkensii* animadversiones, de quibus nemini cuiquam in incerto esse potest iudicium, superiorum commentariis interpretum adiungerem, sed vel ad *Schmidelium*, *Schoettgenium* aliosque descendens, ex eorum observationibus si quid dignum memoria videretur, denuo publicarem. Praeterea mihi propositum erat *Ruperti* quoque, Professoris quondam Altorphini, observationes excutere, sed has diu multumque quaerenti nondum parare contigit; quas si quis forte doctorum virorum possideat, ut ne invidere mihi, sed aut commodare ad brevem usuram aut etiam vendere velit, hoc est quod vehementer peto. *Sagittarii* exercitationes, tam orationis elegantia quam doctrinae exquisitae copia aliisque virtutibus perquam commendabiles, ut integras possem neque in viliore quam ipse auctor exhibuit, quasi patella apponere, insignis fecit erga me amicitia *Gersdorfii* mei: qui nisi ex Bibliotheca Reg. Dresd. liberaliter ad me transmisisset, omnis fiducia in *Goebelio* solo reponenda erat. Quae res vereor ut satis probata fuisse omnibus videretur. Nam qui Sagittarii

exercitatt. in Iustini lib. I. edidit, *Io. Guil. Goebelius* (in Herm. Conring. Opp. tom. V.) parum diligenter quam susceperat provinciam administravit. Hoc vero quum aliis exemplis facile demonstrari queat, tum ex eo apparet, quod ille quaecunque minus intelligeret, ad suum arbitrium immutans plus semel contorqueret. Sic quod pag. nostr. 125. vs. 10. debebat edere, *guttur prolixius, quam gruum esse solet, optav.* ille ita sibi visus est bene restituisse: *guttur prolixius, quam congruum esse solet, optav.* Quae pag. 127. vs. 1. sqq. leguntur, *quod capite huic mori . . . . distinguebantur, quo de* etc. nescio cur in hunc modum mutaverit: *quod capite huic mori dicato in commentario de calceis veterum,* ἐὰν Θεὸς θελήσῃ [de hoc verbo non disputo] *ostendam, et a reliquis distinguebantur, quo de* etc. Pag. 131. vs. 1. omittuntur verba *et Minervias.* Pag. 133. vs. 26. pro Στωϊκίζει lepide scriptum στοβάζει. Pag. 141. vs. 3. haec repraesentantur: *ut Dempsteri Paralipom. ad Rosin. Sat. VI. vs.* 482. *taceam.* ex quibus verba *Sat. VI. vs.* 482. infra vs. 14. reponi oportuit. Scilicet omiserat ea Sagittarius, sed postea in Addendis restituerat: ubi quum per errorem typothetae pro *duodecimo* versu eius paginae, in qua collocarentur, indicatus *primus* esset, hoc non animadvertens editor Io. Rosinum satirarum scriptorem fecit. Pag. 166. vs. 14. scripsit: *nec hodie id defecisse* etc. ibidemque vs. 17. *de hoc supplicio* quoque *notarunt* etc. praestabilius existimans, in eumdem ille errorem incidit, in quem etiam nunc multi eorum,

qui tamquam excellentes quidam Latine scribendi artifices celebrantur, saepissime solent incidere. Plura talia in promptu sunt; sed alio properare tempus monet.

Iam igitur huiusce prooemii finem faciam, ubi honestissimum typographum, qui hos commentarios typis descripsit, *Car. Phil. Melzerum*, meritis laudibus praedicavero. Huius enim viri tam praeclaram ego iuxta cum aliis cognovi diligentiam, artis utilissimae peritiam, humanitatem, modestiam, hunc ut facere non possim quin studiosissime commendem omnibus, qui sibi cum typographis nostris commercium habendum decreverint.

Scr. Lipsiae d. 25. m. Maii A. 1828.

C. H. Frotscher.

---

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI AC
ILLUSTRI PRINCIPI

# D. DIETHELMO PLARER A WARTENSEE

INCLYTI MONASTERII D. GALLI IN HELVETIIS
ABBATI DIGNISSIMO

OMNIBUS PLURIMUM COLENDO

GLAREANUS

S. P. D.

Inter ultima opera meorum laborum per L plus annos perpessorum, quibus perpetuo D. Deus per misericordiam suam me aliis praelegere dignatus est, hoc praesens opus, Integerrime Praesul, tibi dedicare nobis placuit. Sed non ut aetas nostra posterior, ita et haec lucubratio gravior, propter authorem quidem ipsum, qui non sua, sed alterius scriptoris, nempe Trogi monumenta, nobis non visa, breviora fecit: idque qua fide, dicere non possumus, quando ea hodie non extent. Et haud scio, utrum isti abbreviatores, ut ita loquar, magnorum authorum plus criminis committant, an plus erroris. Multi in ea sunt opinione, Livii operibus multum obfuisse L. Flori racemationes, et Trogo hunc Iustinum. Ut ut res est, certe hic author nunc ita susceptus est, ac in id authoritatis venit, ut credatur cum utilitate legi: comprehendit enim Graecam ac Romanam, item multarum barbararum gentium historiam, per multos extentam annos, nempe bis mille a Nino Beli filio ad Augusti Caesaris usque tempora. Latinitas utcunque constat, ita tamen, ut non parvo intervallo Suetonium, ac reliquos eiusdem classis et elegantiae authores sequatur. Tuae vero benignitati, Illustris Princeps, tuo in me merito hosce, ut dixi, labores dedicare volui, ut qui de demigrando ex hoc misero seculo iam pridem mecum cogito, relinquam in tuo Monasterio aliquam mei memoriam: simul ut mundus cogno-

scat, Reverendam tuam Paternitatem mihi charam, ac suspiciendam fuisse: simul ut tui ex fratribus nepotes Ioan. Iacobus, et Iac. Christophorus, qui aliquamdiu in palaestra nostra lucubratoria strenue nobiscum militarunt, intelligant, quanti semper fecerim familiam vestram. Deus Opt. Max. te nobis, ac domui tuae diutissime incolumem ad sui nominis gloriam conservare dignetur. Friburgi Brisgoae, Anno salutis M. D. LXI. Nono Calend. Septembris.

---

# IACOBI BONGARSII
# PRAEFATIONES

## ILLUSTRI AC GENEROSO DOMINO
## CHRISTOPHORO MARCHIONI ALEGRAEO
## S.

Aeacidae, apud Ennium, Christophore Marchio,

*Bellipotentes sunt mage, quam sapientipotentes.*

Duabus autem artibus, quum et constituantur, et longe late propagata conserventur imperia, in bello audacia, domi militiaeque prudentia: neque magnum esse, neque diuturnum illorum potuit imperium: armis et virtuti non aderat illa fortunae magistra sapientia: quae certe in administratione Reip. primas tenet:

*Sapientia gubernator navem torquet, non valentia.*

Virtutis utriusque laude veteres iam olim floruisse Gallos, testis gravissimus M. Cato, cuius facile auctoritatem defugiat nemo. *Pleraque*, inquit, *Gallia, duas res industriosissime persequitur, rem militarem et argute loqui.* Fortitudinis illud, hoc prudentiae. Longo post tempore, quum vetustiscente imperio Rom. in Galliam irrupissent Franci, et

*paribus se legibus ambae*
*Invictae gentes*

sociassent: incredibile dictu, quam multi et bellipotentes exstiterint et sapientipotentes principes, quorum consilio atque

virtute, regnum hoc patrum nostrorum memoria longe amplissimum, conditum est, et solidis MCC annis divinitus conservatum. Fuere de horum numero maiores tui, generose Marchio, quod difficile est inprimis et arduum, praelio strenui, boni consilio; toga et armis illustres. Itaque florente imperio, summas dignitates obtinuerunt; urbi amplissimae praefuerunt; maximos exercitus rexerunt. Unum commemorabo Yvonem, cuius in consiliis prudentiam, in bello virtutem, saepe hominibus nostris saluti, Italis hostibus terrori atque exitio fuisse, ipsi Italorum historici memoriae prodiderunt. Is ad Ravennam magna hostium edita strage, pro patria

*prognariter armis*
*Certando, prudens animam de corpore misit,*

quum neque suorum cladi superesse, et pientissimi filii ulcisci mortem vellet. Sed

*Qui per virtutem peritat, non interit.*

Vivit apud nos fortissimi viri virtus, vivetque, invidia maior. Egregia laus est, ab hoste laudari: sed ab Italo hominem Transalpinum laudari, ea demum laus est unica et singularis: sunt enim illi in suorum rebus gestis extollendis, ne quid dicam gravius, nimii; aliorum iniqui virtutibus. Attamen Guicciardinus, bonus auctor inprimis, cum Yvonis illius fortitudinem atque sapientiam saepius commendasset, hoc illi tandem epitaphium reddit: *Itali*, inquit, *Vascones pedites, summa cum laude reppulissent, nisi cum equitum ala, impetum in eos Alegraeus, virtute maiore quam fortuna, fecisset: quippe cum repente Vivarroeum filium, in conspectu suo interfectum vidisset, tanto inpar dolori, neque filio esse cupiens superstes, equo in confertissimos immisso, strenue, ut fortissimum decebat ducem, dimicans; multis hostium caesis, haud inultus, occubuit.* Nimirum illa vis veritatis atque acritas; ille virtutis splendor, qui olim Romanum hominem inpulit, ut veteres Gallos Romano inimicissimos nomini, veris ornaret laudibus: nuper ab homine Florentino, verissimum hoc avi tui extorsit elogium. Sed prudentissimos et fortissimos maiores tuos, quorum claritudine Alegraeum fulget nomen, hoc loco recensere, non est instituti mei. Hoc volo, floruisse illos, florente Rep. nostra, quam cum aetas patrum nostrorum, sicuti picturam, accepisset egregiam, nunc vetustate evanescentem videmus.

A *

*Cedo, qui vestram Remp. tantam amisistis tam cito?* Sic percunctanti respondeo: Erant olim ingenuae Francis virtutes, religio, fides, concordia, quarum nomine nos Graecus commendat auctor, Agathias: nunc in earum locum subierunt inquilinae, impietas, perfidia, et pestis Rerump. discordia. Illis hoc stetit imperium; his ruere necesse est. Quod tu, quum prudens intelligeres, procul a Rep. aetatem egisti, non iudicio animi tui, sed temporum vitiis. Ambitionem, quam sicuti agrestem et furiosum dominum semper fugisti, videbas virtuti antecedere; venalia haberi omnia; Deum negligi; plerosque homines divitiis et sumptibus, alios furtim et per latrocinia, neminem virtute aut bonis artibus, honores et magistratus adipisci. Cum his tamquam fluctibus Resp. agitaretur nostra, tu in tranquillum te e saevis transtulisti tempestatibus, et portum tempori occupasti. Et ne quis otio tuo ignaviae nomen imponeret, litterarum atque eruditionis studium bellicae maiorum tuorum gloriae adstruxisti. Memini audire me de Guil. Bancyneto docto adolescente, magnique et singularis iudicii, tantam te historiarum et antiquitatis etiam Romanae cognitionem assecutum, ut non solum principibus viris doctrinae laude praeferri, verum etiam cum doctissimis conferri merito tuo posses. Amici et docti hominis iudicio steti lubens: et te exinde colere, atque etiam admirari coepi. Meae in te observantiae, tuique in litteras studii, monumentum Iustinus sit, emendatus a me et illustratus. Tu, si nos in clientelam tuam receperis, securitatem praestiteris utrique: illi ab his, qui mutilati illum, imo confecti Trogi accusant; mihi ab his, quibus aut parum necessarius, aut omnino inutilis, meus videbitur labos: ut quod ego ingenio assequi meo non possum, id tu genio tuo, meritissimo consequare. Vale vir illustris et generose. Lutetia, a. d. VI. Id. Ian. CIƆIƆLXXXI.

## L E C T O R I S.

Teium quendam Apellicontem, Lector benevole, hominem φιλόβιβλον magis, quam φιλόσοφον, Aristotelis libros, quos lacunis plenos magna pecunia paraverat, et emendandos susceperat, foedis mendis refertos edidisse refert Strabo; quum temere et imperite suppleret quae passim deerant. Neque hic

stetisse eorum depravationem. Nam et bibliopolas nobis, negligenter a librariis transcriptos libros, reliquisse. Haec quasi tabes ita processit, ut scriptis Aristotelicis tantum non exitium adferret. Qui a summi Philosophi libris manus impuras non abstinuerant, quid non auderent in ceteris? Omnes sane qui lucri causa exscribuntur libri,

*Sirempse lege iussit esse Iuppiter.*

Sed ne omnia correctorum audaci ignorantiae aut foedae librariorum negligentiae tribuamus; *vetustas non pauca depravat, multa tollit.* Huic morbo medicinam ut faciamus, in his saltem auctoribus, quorum necdum desperata est salus, conquirendi sunt meliori et prudentiori saeculo scripti libri; et in his conferendis et exprimendis non religentes solum, sed et religiosi esse debemus, ut id sequamur, quod exemplariorum multitudo in fidem trahit, ut praecipit Eusebius: sicubi haereas, prudentiores consulendi. Iam in imprimendo adhibenda exacta et extrema diligentia, ne emendationem, quam titulus profitetur, opus ipsum redarguat. Haec in edendo Iustino secutus certe sum; an assecutus, tuum, Lector, iudicium esto. Usus sum primum Codice Olivarii Aligretii Charantonaei, nobilis adolescentis et eruditi, et quod hoc saeculo perrarum est, pii: quem nuper impio scelerati latronis facinore interemptum, prout ac debeo, doleo: moveor adolescentia ipsius; moveor necessitate, quae mihi cum ipso intercedebat maxima: obversantur oculis cassi labores et infructuosi, iuvenis optimi, et ad summa nati; quae profecto consecuturus erat, si virtutes eius maturuissent. Accedit lacrimis meis, genus ipsum mortis: quamvis, si bene calculum ponas, parum intersit, morbo an ferro, an vero mala aetate pereas; attamen amico grave est, hominem amicum primo aetatis flore, non in acie virtute hostis, sed insidiis, fraude latronis et sicarii perire. His moribus, his temporibus nati sumus, ut vitam viri boni latronibus debeamus. *Ite nunc mortales, et magnis cogitationibus pectora implete.* Quidquid tot annis, tot laboribus cumulaveris, id horulae unius momentum destruet: *Id quoque, quod tenetur, per manus exit.* Ignosce, Lector, *sapiens et bonum ferre potest modice, et malum fortiter et leniter.* Hominis tamen est, etiam non insipientis, hominis amicissimi, *indigna morte perempti,* desiderio commoveri. *Τὸ κεφάλαιον τῶν λόγων,* ut est apud antiquum

poëtam, ἄνθρωπός εἰμι. *Homo sum; humana humanitus fero* Non potui in illius mentione non affici dolore; quem levi hoc scripto testatum relinquo, ut qui me amasse illum vivum sciunt, mortui apud me gratam esse et sanctam memoriam intelligant. Spero lacrimis meis apud te paratam veniam. Igitur cum veteris illius exemplaris beneficio multa emendassem; neque tamen videretur huic auctori perpurgando sufficere, duos etiam manu descriptos libros accepi a P. Daniele populari meo; duos deinde a Fr. Pithoeo: tum duos alios a Cl. V. Iac. Cuiacio doctore meo: octavus optimae notae est Cl. Puteani viri clarissimi et regii in Senatu Parisiensi Senatoris. His nonus accessit, et tandem etiam decimus P. Pithoei beneficio. Tres item impressi ad vetera exemplaria collati, unus Petri, alter Francisci Pithoeorum fratrum, tertius Io. Pelerini, doctoris regii. Horum summorum et doctissimorum virorum, non libri tantum, verum et iudicium et doctrina, multis locis errantem docuerunt, haesitantem confirmarunt. Non est huius loci, Lector, eorum tibi minime obscuram dignitatem, eruditionem, humanitatem praedicare: sed haec te scire volui, ut intelligeres, quibus viris huius auctoris emendatio debeatur. *Est enim benignum, et plenum ingenui pudoris, fateri per quos profeceris.* Ergo decem illos veteres codices, et tribus impressis adscriptas lectiones cum vulgatis editionibus ita studiose et diligenter contuli; ut ceteris, qui in hoc auctore conabuntur aliquid, nihil fere praeter coniecturas reliqui sit. Iam in ipso auctoris contextu ita religiose versatus sum, ut ubique veterum librorum scripturam bona fide exhibuerim; nullas omnino coniecturas admiserim; lectiones vulgo editas, contra libros non receperim, nisi si quando in veteribus sententia non constabat; tum enim antiquam scripturam inter varias lectiones retuli, ut liberum esset suum cuique iudicium. Quaedam in uno tantum manuscripto reperta, eoque non ita probo, inclusi hac nota [ ]. Ex meis et aliorum paucissimis

[ ] Hac nota in editione Amplissimi Bongarsii inclusi sunt hi loci:

I. 4. 12. ut pastorem uxor ultro rogaret, [quo suum partum pro illo exponeret] permitteret [que] sibi, sive fortunae ipsius, sive spei suae puerum nutrire.

coniecturis confeci notas, additis ex Graecis Latinisque auctoribus, observationibus, quibus quae diversi auctores prodiderunt, breviter sub nominibus ipsorum trado. Quae passim a me ex vett. exemplariorum fide restituta sunt et emendata, ea si omnia in notas coniicere voluissem, quod plerique nunc factitant, exigui laboris inani ostentatione immane opus confi-

---

II. 9. 17. nec prius dimisit, quam [manum] amitteret.

II. 10. 2. natura ipsa gentibus [dedit.]

IV. 1. 15. *et* 16. donec per spiramenta [terrae diffusus, nutrimenta] ignis incendat. Iam ipsa Italiae, Siciliaeque vicinitas, [iam] promontoriorum altitudo.

IV. 4. 7. Ab his mittitur Gylippus solus, sed [in] quo instar omnium auxiliorum erat.

VI. 3. 9. Eadem [militum] et omnium regum cura erat.

VIII. 6. 1. Alios in extremis [regni terminis] statuit.

IX. 7. 3. *et* 4. Alexandrum quoque, regni aemulum fratrem [ex noverca susceptum timuisse; eoque . . . Olympias certe fugienti percussori, equos quoque praeparatos habuit.] Ipsa deinde audita regis nece.

XVII. 3. 3. amisso per absentiam [Troianis temporibus] paterno regno.

XX. 5. 14. quem paulo ante non Sicilia, [non Italia] capiebat.

XXII. 1. 11. *et* 12. Primo bello adversus Aetnaeos magna experimenta [sui Syracusanis dedit. Sequenti Campanorum, tantam de se spem omnibus fecit, ut in locum] demortui ducis Damasconis sufficeretur.

*XXIV.* 6. 6. Templum autem Apollinis Delphis positum est in *monte Parnaso*, in rupe [undique impendente: ibi civitatem frequentia hominum facit: qui ad affirmationem maiestatis] undique concurrentes, in eo saxo consedere.

XXXI. 8. 1. mutua gratulatio [Iliensium ac Romanorum fuit:] Iliensibus *etc.*

XXXIV. 4. 1. *et* 2. quos ex noverca susceperat, [et Romae habebat. Sed res adolescenti ab his qui facinus susceperant,] proditur.

XXXVII. 4. 1. Hieme deinde imminente, non in convivio, sed in campo; non in advocationibus, [sed in exercitationibus:] nec inter sodales.

XXXVIII. 9. 8. cui Arsacides [Parthorum rex, magno et regio animo misso] in Hyrcaniam non cultum tantum regium praestitit.

XLI. 1. 12. quippe cum montes [nix,] et campus aestus infestat.

*Prolog. lib.* XXXVIII. ut Demetrius captus sit a Parthis [bellumque] intulerit.

*Prolog. lib.* XLIII. origines [Priscorum] Latinorum.

*Ibid.* Origines [deinde] Liguriae.

ciendum fuisset, et iustus Commentarius scribendus, imo iusto maior: quo cum hic auctor non indigeret, neque te neque typographum onerare volui; neque in eo conficiendo abuti otio meo. Vale.

---

# FRANCISCI MODII
# EPISTOLA DEDICATORIA
## AD ILLUSTRISSIMUM PRINCIPEM
## FRIDERICUM
## COMITEM PALATINUM RHENI DUCEM BAVARIAE
## ACADEMIAE HEIDELBERGENSIS RECTOREM MAGNIFICUM

IUSTINUM Trogi Pompeii abbreviatorem quinquennium est, et quod excurrit, Illustrissime Princeps, cum obiter a me recognitum vulgo vulgavi: non quod curatius illum tractare aut nollem, aut non possem; sed quod, cum tunc Illustrissimi Principis mei, propinqui tui, Comitis Caroli Egmondani nomine cum legatione in terram Belgicam proficisci necesse haberem, eam curam in aliud tempus, quo plusculum otii mihi concederetur, reiiciendam existimarem: contentus interea gravissima quaedam menda in eodem auctore eluisse. Nam ut alius eundem eodem tempore laborem caperet, ne per somnium quidem mihi umquam in mentem venit: donec tandem ex Gallia allatus est is, qui emendatore Bongarsio, viro sane doctissimo et maxime industrio, Parisiis prodiit: quo ego viso cum operae meae parcere in hoc scriptore posse deinceps, imo debere etiam, ne actum agerem, iudicarem, et omnem de eo cogitationem abiecissem, incidit forte, ut Fuldam nobilissimae quae ibidem est Bibliothecae inspiciundae causa proficiscerer, ubi cum inter alia vetustissimae antiquitatis monumenta duo eiusdem Iustini exemplaria reperissem mire bona; ad priorem

meam editionem illa comparare coepi, non quo iterato eum edere in animo haberem, sed ut probitatem optimae in speciem notae librorum explorarem; qua non multo post comperta, ne cogitabam quidem de illa librorum collatione; cum ecce his mensibus mihi significat vir industrius et typographicae suae artis peritissimus Ioan. Wechelus, sibi in animo esse editum olim Parisiis Iustinum forma minore excudere. Quo ego audito pro meo in rem literariam amore faciundum mihi existimavi, ut etiam inter maxime ardua negotia et occupationes meas in quo alius auctore messem fecisset, spicas legerem. Sed incredibile dictu quanta diligentia omnia fere a Bongarsio praecepta et occupata repererim, ubi egregie me venditare cogitabam: nisi quod ubi illam mihi viam interclusam vidi, a verbis ad res transii, et aliquam multa loca pro ratione temporis et otii, quod mihi concedebatur, notare et illustrare conatus sum: maxime in gratiam, Illustrissime Princeps, tuam, cui ego lectionem historicam, qua nihil tui ordinis proceribus utilius, imo nihil necessarium est magis, ab hoc potissimum, scriptore auspicandam censeo; qua causa etiam editum a nobis summa quod potuit cura ad Illustrissimam Celsitudinem tuam eum mitto; et cum eo una me quoque totum eidem tuae Celsitudini commendo consecroque. Datum Francofurdi ad Moenum ipsis Kal. VIIbrib. MDLXXXVII. Devotus nomini Celsitudinique tuae

Fr. Modius Brug.

# MATTHIAE BERNECCERI
# PRAEFATIO

AD VIROS NOBILISSIMOS, AMPLISSIMOS ATQUE PRUDENTISSIMOS

DN. IACOBUM STURM A STURMECK
PRAETORIUM

DN. IOHANNEM HELLERUM
CONSULAREM

DN. FRANCISCUM RUDOLPHUM INGOLD
XIIIVIRUM

CURATORES UNIVERSITATIS ARGENTORATENSIS

---

Multa sunt, quod nemo nescit, ac varia scribendi genera, Magnificentissimi Viri, Patriae Patres, in quibus eorum occupari solet industria, qui pro virili quisque sua pomoerium Doctrinae studiorumque promovere ac dilatare conantur. Ea vero, tria haec ad capita non incommode quis reduxerit. Alii quippe vel nova prorsus inveniunt, vel vetera novis inventa cumulant, posteritatique tradunt: alii rursum, ab aliis iam ante tradita, meliore via, et ad discendum accommodatiore proponunt: alii denique, scriptores veteres ipsos omnis generis aut obscuros illustrant, aut iniuria temporum depravatos, qua ingenio, qua manuscriptorum codicum auctoritate freti, pristino atque nativo splendori restituunt. Etsi vero priora illa duo scribendi genera, digniora ut plurimum, et ad famam nominis uberiora iudicantur: haud scio tamen, an non tertium hoc multo publice sit utilius, multoque fructuosius existimandum. Illud quidem certe nemo negaverit, hoc genus, in hac litterarum aetate, et librorum ea, qua laboramus propemodum infinita mole, solum esse necessarium. Nam reliquis in rebus scriptione supersederi saepe poterat, cum omnia politissimi veteres, et invenerint, quam ii qui nunc sunt homines, acutius, et disseruerint ornatius. Atqui veteres illi vel sapientis-

sine scripti libri neque usui esse possunt, nisi a doctioribus explicati intelligantur: nec vel a doctissimis intelligi, si mendis scateant. Unde sapienti maiorum instituto, doctores Academicos in hoc potissimum genere partim explicandorum ac declarandorum, partim restituendorum emendandorumque priscorum auctorum elaborare cernimus. Vestrae quidem, Amplissimi Domini, legibus atque statutis Academiae, docentibus in ea, non nisi veteres optimi commatis, ac auctoritatis praeiudicatae scriptores, studiosae iuventuti, quae uberioris ingenii culturae gratia ad nos sese recipit, interpretandi committuntur. In quo munere cum meas quoque partes aliquas esse volueritis, in id operam hactenus ac studium omne, pro eo ac debeo, contuli, ut Spartam concreditam, si non ornare, quod vix a tenuitate mearum virium impetrare possim, at saltem non prodere, vel dehonestare viderer: eoque fine vetustis historiarum e conditoribus quos commodum videbatur, aliquot ab annis publice privatimque tradendos explicandosque mihi sumpsi. Quamvis autem illorum plerique iam ante doctissimorum virorum egregiis commentationibus ita sunt explanati, omnis ut ulterior opera supervacua censeri queat: certum tamen est, nondum ab illis omnia sic esse praecepta et occupata, ut non saltem stipulas aliquot ab sua messe reliquas aliis fecerint: et post uberrimam suam vindemiam, haud omnino poenitendae sub pampinis adhuc latitanti racemationi producendae locum reliquerint. Ne res exemplo careat, IUSTINUM, non illum quidem maiorum gentium et quasi patriciae dignitatis auctorem; nec tamen ex infimis unum; utilem quidem certe, et, ex quo Trogum, (etsi est, qui huncce se in Italia, per quietem, credo, vidisse scribit) frustra requirimus, historiae necessarium, ante plusculos annos IACOBUS BONGARSIUS, dignationis dum viveret amplissimae et rarissimae Vir eruditionis, cum e decem ipsis optimae notae manuscriptis codicibus integritati nitorique suo reddidit: tum etiam Notis ad invidiam usque politis, et cum applausu principum quoque in republica litteraria virorum exceptis, illustravit, nihil ut ipsis amplius aliorum industria videretur adstrui posse: et adstruxit tamen V. Cl. FR. MODIUS, Auctore et ad Fuldensium membranarum fidem ulterius emaculato, et non aspernando dato Notarum Spicilegio. Quod si cui praeterea libeat excutere monumenta

doctissimorum hominum, qui vel Antiquarum aut Variarum Lectionum, Electorum, Coniectaneorum, Miscellaneorum, Praemessorum, Quaestionum Epistolicarum, Epiphyllidum, Verisimilium, Suspicionum, Animadversionum, et huius notae titulis aliis praefixis, plurium simul auctorum curam profitentur; vel unum aliquem ex professo tractantes, interim aliis quoque, tanquam aliud agentes, medelam saepe salutarem conferunt: nae ille haud pauca, quae Bongarsii, quae Modii perspicaciam fugerint, inveniet. Idem de aliis verum est: et experimentum ipse superiore proximo biennio cepi, quo toto, et eo amplius, quantum per occupationes alias concedebatur, huc omnem laborem retuli, curae huic omnia temporum succisiva donavi, ut ex id genus scriptoribus philologicis insigniores emendationes aut enarrationes undequaque colligerem, collectas ad auctorem quasque suum referrem, atque ita conficerem ad plusculos Historicos haud exiguam Notarum quasi sylvam, quae commentariis selectioribus, in illos auctores iam ante vulgatis, quos e manibus studiosorum excutere velle, scelus fuerit insignite magnum, auctarii vice forte non inutiliter adiungi queant. Ut autem ignobilis et obscurus iste colligendi labor molestia quam ingenio maiore constitit: ita seligendi et expendendi singula rationem, haud paullo plus iudicii simul et eruditionis exigere, nemo negaverit: quibus quam parum ego valeam, non ita Suffenus, nec ita mei sum ipsius ignarus, ut non pervideam. Quando tamen impositum a Vobis, Amplissimi Viri, munus hoc a me requirit, ut operantem bonis litteris, bonae menti iuventutem in hoc genere studiorum erudiam, quanto minus istis quae dixi praesidiis possum, subsidio mihi diligentiam comparabo, quo partes hasce meas implere qualitercunque possim. Ac primum quidem, quod videtis, periculum, idque timide satis, ac valde metuens iudiciorum publicorum, in Iustino feci: cuius paucas, quod post Bongarsium et Modium, viros maxime industrios et felices, est necesse, maculas abstersi: Notulas quoque nonnullas, ipsorum Notis immiscui, semper ingenue professus, a quo quaeque mutuatus fuerim: ut ne quos rem furtivam ex Atinia lege vindicaturos metuere necesse haberem. Ipsum denique contextum, repetitis tot editionibus mirifice corruptum, a mendis typographicis, quoad per morositatem operarum id licuit, incorruptum praestare

sum conatus. Quod haec editio praecipuum ac novum habet, id maxime vereor, ne multorum reprehensioni, si non et risui, sit obnoxium. Ea est tmematum sive capitum hactenus usitatorum in tmematia divisio, quos vulgo versiculos appellant. Rem dicent minutae cuiusdam ac prope putidae diligentiae, et quae delicati lectoris ignaviae subscribat. Verumtamen cum id inventum industrios quoque temporisque parcos plurimum iuvet; et ad exemplarium, quae una discentibus adolescentulis in manu sunt, conformitatem, novis a Didacticis non absque ratione magnopere commendatam, proxime accedat; et vero cumprimis hoc praestet, ne repetitis editionibus, ob mutatos paginarum linearumque numeros, errores adeo foedi possint irrepere: est quod sperem, idem usu ac tempore non improbatum iri.

Ceterum opellam hanc qualemcunque meam Iustino ac studiosae iuventuti praestitam, Vobis, Eminentissimi Domini Scholarchae, ceu quibus otii mei rationem unice reddere teneor, ut debitam, ita pridem devotam atque promissam, nunc demum exhibeo. Cum adversa subinde valetudo, tum occupationes Academicae, curaeque domesticae, festinanti tragulam iniecerunt. Et facile quidem perspicio, hac interposita longiore mora, promissi mei gratiam expectatione consumptam. Attamen in secundis habeo, non fefellisse: speroque, qualemcunque hunc librum, magnae gratitudinis argumentum exiguum, ac laborum tenue specimen, Vos aequi bonique consulturos, et vel hoc nomine non ingratum habituros, quod memoriam Vobis revocabit illius Iacobi Bongarsii, viri bonis ac doctis omnibus laudatissimi, et tamen nunquam satis laudati: de hac quidem certe Republica, cum Henrici Magni missu Legatum quondam ad eam ageret, quod ipsi non ignoratis, eximie meriti. Cuius elogiorum summam dignus tanto viro amicus, Ianus Gruterus, hisce complexus est, eius imagini subiectis:

*A quo candorem poterat sibi sumere Candor,*
*Fidem Fides, modestiam Modestia:*
*Quoque minus fuerat Pietas pia, Gratia grata:*
*Quo Comitas minus comis, minus Lepos:*
*Quaelibet a quo gaudebat Doctrina doceri:*
*Tali videndus ore erat Bongarsius.*

Deus Opt. Max. faxit, ut sub Vestris, Amplissimi Viri,

auspiciis, et publica pax atque tranquillitas patriae secura conquiescat, et huic inclyto Vestro Lyceo omnia ex voto contingant. PP. Argentorati, d. 6, Septembris, anno reparatae Salutis M. DC. XXXI.

Vestrae Nob.ti et Amp.ni
devotiss. cliens
MATTHIAS BERNECCERUS.

---

## MARCI ZUERII BOXHORNII

# PRAEFATIO

Sicut unicum institutum erat optime, quantum licebat, de Iustino mereri, ita paucissima nobis relicta deprehendimus. De quo et auctori et tibi et nobis gratulamur: illi, quia priores eius editiones corruptissimae circumferebantur; tibi, quia vix restat quod inter legendum posset offendere; nobis, quia aliorum labores fecere, ut minus nobis fuerit laborandum. Amplissimi Bongarsii accuratam diligentiam potissimum commendamus. Accessit nuper clarissimi viri Berneggeri elegans atque erudita manus, quae, in partem curarum veniente Freinshemio (cuius politissimum et ad magna quaevis natum ingenium pariter etiam laudamus) nitidissimum auctoris exemplar in vulgus emisit: quod, ne aut industriae aliorum aliquid detraxisse, aut plusculum nobis tribuisse videremur, in ipso statim limine voluimus profiteri. Si quid tamen bene a nobis heic factum, ut bene interpreteris; si quid perperam, ut corrigas ipse ac excuses, ea, qua par est, modestia rogamus. Vale.

# ILLUSTRI THURONI BIELKE

DOMINO DE ÅKEROÖ, ERVALA ETC.

## IS. VOSSIUS

S. P. D.

Saepe equidem miratus sum, tam diversa esse hominum iudicia, ut, quod hi maxime sectentur, uniceque sibi imitandum proponant; illi fugiant, contemnantque tanquam nullius pretii; vel quod nihil ad se quicquam pertinere arbitrentur; vel quod verius, ignorent. Solemne id quidem omni aevo malum: nunquam tamen ita in animis hominum inolevit, quam hoc tempore, postquam iudicandi libertas, etiam illis, qui nihil sciant, concessa est. Aegre paucos invenias eiusdem mentis homines, quibus idem scopus et laboris meta proponatur. Alii delicias et amoenitates studiorum captant, non ut docti, sed ne indocti habeantur: alii id, quod quam citissime victum largiatur: pauci vero qui studia illa cohiungant: tanquam parum, aut potius nihil, unum alteri conferret; nescientes prorsus, quam indissolubili vinculo omnes scientiae humanae contineantur, vixque unam sine altera constare et perfici: sed quemadmodum in horologiis una rotula aliam propellit, ita quoque studia se mutuo iuvare et promovere. Hinc est, ut vix millesimus quisque ad aliquam summam perveniat, dum tritam omnes viam insistunt. Et ferendum sane hoc foret, si id sine livore et contemptu aliorum fieret. Ἔρδοι τίς ἣν ἕκαστος εἰδείη τέχνην. Illud vero minime tolerandum erat, homines istos ita scientiam suam commendare, ut non sine detractione summorum virorum id fiat. Sed condonandum hoc seculi moribus. Licuit certe ridere nuper eorundem legenti orationes et historias: agnovisses hominum genus vel ex nudis verbis: illa siquidem erant, ἱπποβάμονα καὶ ἐλεφαντικά, ὀφρῦς ἔχοντα καὶ λόφους, δεῖν᾽ ἄττα μορμορωπά. Potuissem et ego tam horrificis vocabulis terreri, nisi ὄνον ἐν τῇ λεοντείῃ ex ruditu agnovissem. Hanc illi non dubitant pro vera eloquentia venditare, et in ea sibi quoque aliquam palmam tribuere. Quid de aliis recte iudicent, qui de se ipsis tam perverse? Miror, cum video,

ipsos illos homines gloriari, sibi solis incumbere literas, metuendamque adeo literarum ruinam, ni ipsi sint, qui sustineant ac fulciant. Ne ipsi eam aliquando inducant. Quid facias cum eiuscemodi mortalibus? Iubeas miseros esse libenter. Ablegandi Anticyram, ὅπου βέλτιστα ἐλλεβορίζονται. Malim ego cum gallis κῶ κῶ canere, aut cum ranis βρεκκεκὲξ coaxare, quam istis placere. Neque enim illis placere possum, quin Tibi, et bonis, displiceam, Iuvenum Nobilissime. Novi enim animum tuum ab iis tantum abhorrere, quantum illi a sana mente. Non possum dicere, quantum amorem tui haec res in me excitarit. Et iam diu constitueram illum aliquo cultus mei testimonio palam facere, cum ecce sese obtulit Iustinus, quem nunc lubens meritoque Tibi inscriptum eo. Quamquam non fuerat animus post luculentissimam M. Berneggeri, viri in omnibus versatissimi, editionem, quicquam tentare. Instantibus tamen typographis, vel quo merx vendibilior foret, vel quod nudum prodire puderet, amiculum inieci, non quidem illud purpureum, aut byssinum, quali eum veste ornarunt viri summi Bongarsius et Berneggerus; sed ex decidivis panni frustulis consarcinatum; quod tamen ipsum forsan non inutile iudicabis. Vale, Generosissime Bielke.

---

## TANAQUILLI FABRI

# PRAEFATIO

Novam Iustini editionem hoc uno consilio suscepi, ut Incliti Delphini studiis aliquando posset esse utilis. Id autem cum in animo unice haberem, ea fuit a me adhibita diligentia, ut liquido possim deierare, hunc scriptorem nunquam antehac emendatiorem prodiisse; idque tibi quam verum sit, re ipsa licet experiri, Lector: neque vero est, quod dubites; fieri aliter non poterat, cum Delphinum, id est, amores et delicias, id est, alteram illam Galliae nostrae spem, tamdiu ante oculos habuerim, quamdiu in hoc labore versatus sum. Vale, Lector, et huic editioni fave, dum Terentium cum Notulis

meis tibi adorno; et iam parata res est: et iam Typographi manus exercet. Caeterum hoc te, Lector, monendum arbitror, hanc editionem vere meam esse; alteram illam, de qua inaudivi aliquid, nec meam esse, neque a me procuratam; sin decipi voles, ridebit monitor non exauditus. Scis quid sequatur. Iterum vale.

---

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO

D. FRIDERICO

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

D. FRIDERICI WILHELMI

*Marchionis Brandenburgensis; S. Rom. Imp. Archicamerarii et Electoris; Supremi Ducis Borussiae; nec non et Magdeburgi, Iuliaci, Cliviae, Montium, Stetini, Pomeraniae, Cassubiorum et Vandalorum, itemque in Silesia, Crosnae, et Carnoviae Ducis; Burggravii Noribergensis; Halberstadii, Mindae et Camini Principis; Marcae et Ravenspergae Comitis; Ravensteinii, itemque terrarum Lavenburgi, et Butovii Domini*

FILIO DILECTISSIMO

*DOMINO MEO CLEMENTISSIMO*

OMNEM SALUTEM PROSPERITATEMQUE PRECOR

IOHANNES VORSTIUS

Cum non ita pridem Serenissimo Principi Carolo Aemilio, Fratri tuo Dilectissimo, Domino meo Clementissimo, Valerium Maximum infinitis locis integritati suae restitutum Notisque illustratum nuncupassem, significabam Vobis, recipiebamque, Iustinum item Notis quibusdam meis illustratum exiturum, Tibique, Serenissime Princeps Friderice, Domine Clementissime, pari modo oblatum atque nuncupatum iri. Hisce igitur humillimis promissis ecce fides nunc adest; proditque non modo ipse Iustinus, quibusdam locis a me emendatus, aliorumque auctorum locis parallelis, ac brevibus summariis, suble-

vandae memoriae causa in margine adiectis, vestitus; sed et Notae separatim subiunctae, quibus emendationum, vel iam factarum, vel probabilibus de causis adhuc faciendarum, rationem reddidi, variaque ad historiam et ad Latinitatem pertinentia notavi; et Index denique in hunc Auctorem, non rerum tantum sed et verborum, isque altero tanto locupletior, quam antehac fuit; cuius beneficio quicquid in Iustino lectum aut observatum semel fuerit, nullo negotio, et fine taedio rursus evolvi ac recognosci possit. Atque ipsos illos labores meos Tibi, Serenissime Princeps Friderice, quem hisce studiis iam delectari sensi, humillime offero nuncupoque; nihil dubitans, quin quo vultu ac animo superiora mea suscepisti, eodem et haec quae nunc offero, suscepturus, meque gratia principali porro dignaturus sis. Quod autem superest, Deum ter Opt. Max. iterum iterumque veneror, ut Te cum Serenissimo ac Potentissimo Domino Parente, Domino meo Clementissimo, cumque universa Serenissima Domo Electorali, servet, omnique felicitate augeat ac beet.

---

## IOANNIS SCHEFFERI
# PRAEFATIO

De Iustino scriptore omnibus notissimo non duco necessarium prolixe praefari. Fecerunt iam alii, qui eum edidere hactenus non pauci: post quorum nuperrimas etiam virorum summorum, Graevii Vorstiique curas, mirum fors videri queat, quod et ego sustinuerim eum publicare. Ac profecto plurima dedisse, quibus scriptor hic illustrior est factus, nemo, nisi vel harumce litterarum imperitus, vel tam luculentis virorum optimorum meritis ingratus diffitebitur. Si quis tamen accurate volet cuncta perlustrare, deprehendet, nobis quoque relictum esse spicilegium, quin imo et post nos superfore, in quibus ingenia decora industriam exercere suam queant. Saltem conferant, qui volent, nostra cum iam dictis aliorum, et nos verum dicere intelligent. Facient porro cuncti hoc liben-

tius, quoniam quae ab aliis ante nos notata sunt, non longe veniunt quaerenda, verum nostris adiuncta legi possunt; non illa quidem integra (hoc enim longum nimis fuisset) verum breviter et verbo repetita.

Brevitate namque dare operam voluimus, inque ea istoc solum efficere, ut quae superesse vel non satis integra, vel non satis explicata videbantur, ea lumen aliquod ab interpretatione nostra vel medicinam ab emendatione consequerentur. Reliqua omnia, quae vel ad Historiam vel ad prudentiam civilem pertinentia poterant adiungi, studio praetermisimus, partim quod nonnulla horum iam sint tradita ab aliis; partim quod id genus commentationis magis aptum sit Historiis perfectis absolutisque, non huiusmodi compendiis, in quibus pleraque, quae consociata sunt negotiis et prudentiae instruendae serviunt praecipue, omittuntur. Atque isthoc quidem fuit institutum nostrum in Notis, in quibus si quando a sententia digressi sumus aliorum, fecimus id neque sine ratione, ut putamus, neque sine decenti modestia, ut propterea nemini futuri videamur graves, nisi qui sic sua amat, ut ab omnibus citra examen ullum velit adprobari. Textum dedimus, qualem a Vorstio accepimus, quod in eo videremus revocata ex editionibus vetustioribus haud pauca, quae Bongarsii intempestivum emendandi studium inconsulte, aliquando et in peius immutaverat, retinueratque Berneggerus, qui Bongarsiana vestigia *religiose* sibi proposuerat sequenda. In Prologis occurrebat nihil, quod non iam ab aliis esset praeceptum. Chronologiam quoque omittendam censuimus, quippe alias iam editam non semel, et nec certam satis in omnibus. Indicem licet a Cl. Vorstio post Freinshemium locupletatum adhuc copiosiorem dare, fuerat in animo. Verum paucis additis ab incepto me deterruit et brevitas temporis, et haec bellorum calamitas, qua efficitur, ut nihil ex voto, omnia ex occasione proferre cogamur. Haec sunt, quae nunc indicanda videbantur. De cetero si quid bene a me est prolatum, indulgentiae Divinae tribuendum, mente agnosco gratissima; si quid male, meum esse fateor, cui tamen sic quoque dabit veniam, spero, quisquis labi et errare, humanum esse meminerit. Vale.

---

# EDITORIS OXONIENSIS
# PRAEFATIO

## PRAEFIXA EDITIONI A. MDCLXXXIV.

Illa diu in sententia fui, scriptores veteres, si quid a temporis hominumve iniuria passi fuerint, non pro re nata coniecturis, aut dictatoria licentia, sed fori lege et consignatis tabulis in integrum restituendos; nec aliter illorum iura, quam suis ipsorum arbitriis honeste decidi posse. Cum itaque de iisdem ad MSS. fidem exigendis consilia inter amicos miscerem, et experimento aliquo opus esse animadverterem, quo constaret, operam in exemplarium collatione positam, in irritum minime cessuram: statui Authorem aliquem deligere, qui in omnium manibus versaretur, idemque saepissime editus, et plurimorum curis recognitus fuisset. Quibus nominibus, nemo Iustino magis opportunus mihi videbatur; in quo recensendo tota fere criticorum natio, quique unus plurimorum ad instar fuerit, Eruditissimus Vossius, diligentissime se exercuere: id pro certo colligens, si post vindemiam adeo acriter habitam, racemationi etiamnum sit locus; intactae, leviterque delibatae messis lautiora multo fore praemia. Accincto igitur operi ex Bibliothecis Bodleiana, Westmonasteriensi, Collegii Novi, et Corporis Christi, Codicum MSS. copia mihi facta est; quibus mantissae loco accesserant variantes lectiones ex Cantabrigiensi MS. ab Eruditissimo viro D. Tho. Gale humaniter communicatae. Quis indaginis nostrae successus fuerit, penes lectorem iudicium esto. Certe Editorum, qui praeivere, coniecturas saepe exinde confirmatas, errores aliquando detectos, quin et Authoris ipsius salebras, et deplorata tesqua non raro expedita habere visus sum, quae omnia legentium oculis candide subiicio. Si qua ratione id adsecutus fuerim, ut castior prodeat Author noster, id mihi totum in lucro reponendum; quippe in scopum longe alium et ad rem litterariam, nisi me fallit coniectura, magis utilem collineaveram. Interim boni consulant studiosi Lectores, nec vitio vertant, quod utramque paginae faciem, commentariis onustam minime viderint: neque enim ingentia Grammaticorum adversaria, sed modicam Iustini

Epitomen typis demandare meditabar; id potissimum spectans, ut de genuina Authoris lectione verbis quam paucissimis constaret: dein ut pari brevitate res gestas strictim hic enarratas (citatis ubique scriptoribus, tam Graecis quam Latinis, qui illas fusius pertractarunt) facili pariter et fideli commentario illustratas exhiberem. Porro id liceat subiicere, si modo conatus nostros in hac arena philologica supervacuos non fuisse constiterit; ad alia quatenus per otium licet, exequenda addetur animus. Rectiora istis si quis suggerat; diligenter curabitur, ut monitori nec pretium operae, nec indicii gratiae periisse videantur. Sciat porro Lector, in hac secunda editione temporum intervalla ad marginem notata; ab aera Christiana (quae merito apud nos celebratissima habetur) numerari; et ad Usserianos calculos plerumque constitui; porro Prologos Trogi Pompeii hic esse additos, qui in priore editione desiderabantur.

---

## IOANNIS GEORGII GRAEVII

# P R A E F A T I O

*Nihil minus* cogitavi nunc quam de Iustino edendo. Cum Typographus mecum quod ceperat consilium de hac re communicasset, rogassetque ut conferrem si quid haberem ad hanc editionem, quam moliretur, ornandam, fidem dedi me excussurum meas schedas et in contextu scriptoris emendando nonnullas horas impensurum. Nihil notarum subtexere decreveram. Deprehendi vero post, me nonnulla loca insigniora ex Florentina Iuntarum editione, quae prodiit anno CIↃIↃXXV. cum C. Nepote, et Velleio Paterculo, correxisse. Hinc impetum cepi eam totam a capite ad calcem componendi cum vulgatis libris. Tuli pretium operae. Non pauca loca ibi emendata leguntur, quae in omnibus, quae circumferuntur editionibus aliis, quae in manus quidem meas et Bongarsii inciderunt, sunt foede contaminata; sive Iuntae vetustum expresserint codicem aliquem ex Magni Etruriae Ducis illustrissima Biblio-

theca, (aliquot enim huius scriptoris veterrimas membranas ibi servari ex Viris doctis accepi) sive Aldum Manutium sint secuti, quod mihi confirmarunt amici; ipse enim Aldinum librum adhuc inspicere non potui. Quicquid sit, optimae huic Florentinae editioni, quam nuperi editores, quod mihi multis constat rebus, non viderunt, quamque cum multa alia commendant, tum quod pleraeque probatae lectiones, quae in illa reperiuntur, manu exaratorum librorum, quibus Bongarsius et Modius usi sunt, auctoritate confirmentur, maximam partem debetur, quod ista editio nostra aliis melior et emendatior prodeat. Ut vero ratio constaret eorum quae mutavi, paucas quasdam adieci notas, quibus breviter mutationis causas reddidi, et fontes aperui.

Haec praefixeram editioni, quam anno huius seculi LXVIII. publicaram Traiecti nostrae. Post hoc tempus certatim clari doctique homines varias apud gentes multum studii posuerunt in illustrando Iustino. In Gallia vir elegantia ingenii et doctrinae copia insignis, mihique, cum superesset, amicus, et summe carus, Tanaquillus Faber, inprimis egregiam ei navavit operam in editione Salmuriensi, quam anno LXXI. adornavit, multa labe detersa, et obscurioribus locis multa luce perfusis. In Germania Ioannes Vorstius, variis eruditis ingenii monumentis celebris, anno LXXIII. Iustinum ornatiorem Lipsiae iussit in publicum exire. In quo desideres, quod meliores lectiones, quas ex Iuntina non solum attuleram, sed et asserueram, et in contextum editionis meae deleta maculosa scriptura, receperam, laudat quidem a me prolatas, sed sibi vindicat, perinde ac si a nemine fuissent ante probatae, crebro in iis adstruendis usus meis exemplis et rationibus. Sed viri, qui dudum e vivis excessit, aliis meritis haec levicula donentur. Nec cum superstite quidem de his contendere velim, nec cum quoquam alio. Triennio post Ioannes Schefferus, vir celeberrimus, decus Germaniae, quae edidit, et Sueciae, quae fovit, qui et ipse vivus mihi fuit coniunctissimus, post tot alias pulcherrimas lucubrationes, quibus rem litterariam sibi devinxit, Iustinum quoque sua cura dignatus est, quem Hamburgi animadversionibus instructum anno LXXVIII. vulgavit. Meam editionem non videtur ὁ μακαρίτης vidisse, sed aut solas notas, quas Daniel Elzevirius

editioni Amsterodamensi praeposuerat, cum Iustinum, ut ante hac circumferebatur, non ut a me fuerat emendatior Traiecti emissus, typis descripsisset, aut ut a Vorstio sunt laudatae. Denique post hos omnes doctus Anglus, qui nobis nomen suum invidit, bellam et nitidam editionem Iustini publici iuris fecit Oxoniae, usus quatuor vetustis codicibus Anglicanis, quorum subsidio multa corrupta sanavit egregie, quae et mihi et Scheffero in curis secundis, quas visis his Anglicis animadversionibus elucubravit, plurimum profuerunt. Fabri, Vorstii, Schefferi notas integras, et illibatas hic invenies, nec non, qui olim Iustino studuerunt, Illustris Iacobi Bongarsii, Francisci Modii, Matthiae Bernecceri, et magni Isaaci Vossii. Iosephus Cantel, qui in usum Serenissimi Delphini Iustinum Parisiis anno LXXVII. edidit, cum non tam emendandi, quam historicis et geographicis annotationibus explicandi partes sibi imposuit, nostro instituto non servit. Ceteris debemus multum. Tibi, lector, possum adiurare liquido, sine fuco, sine fallaciis et ostentatione, a qua semper fui alienissimus, meliorem editionem adhuc visam non esse hac Leidensi. Vale.

---

## SIGISM. FRIDER. DRESIGII

# E P I S T O L A

AD

## IACOBUM HENRICUM BORNIUM

## L I P S I E N S E M

---

VIR CLARISSIME

Quo maiore animi inductione eruditionem Tuam, Vir Clarissime, a publicis praeconibus dilaudatam adhuc prosequutus sum, eo iucundior mihi nuntius ille accidit, qui me de summis honoribus in Philosophia abs Te proxime capessendis praeter spem omnem fecit certiorem. Equidem non sum nescius, sapientiam, Cicerone iudice, non aliunde pendere, nec extrinsecus vivendi suspensas habere rationes, sed conscientia

recte factorum conquiescere. Cum vero summam, quam amplissimus Philosophorum ordo distribuit, dignitatem sapientissimo consilio maiores litteris ab humanitate dictis propriam esse voluerunt, tum Te, doctissime Borni, et humanitatis scientissimum et scientia humanissimum his non affici honoribus, eo ferebam aegrius, quod hanc rem communem optimarum artium despicatum interpretabar. Cum primum igitur ad me delatum est, Te lauro iamdudum promerita proxime coronatum iri, nihil gratius mihi et antiquius putavi, quam hac Tua dignitate publico, ut ita dicam, nomine gaudere, quae quidem ratio cum unicuique, licet nullis Tibi nominibus obstricto, tum mihi maxime satis esse poterat ad summos, quos capessis, in Philosophia honores Tibi gratulandos, ne amplam mihi et voluptatis viderer et honoris materiam praecidisse. At vero quum accedat Illustris Tui Parentis, Patroni ac Maecenatis mei Excellentissimi, inaudita gratia, quam et votis expertus sum et meritis maiorem meis, quod humanitatis tantum videbatur, religionis iam esse intelligo hoc minus negligendae, quo testatior est Tuae in me benevolentiae, nostraeque amicitiae a multis iam annis significatio. Quemadmodum igitur humanissima Tua, Vir Clarissime, doctrina, quam eruditorum tabulae quasi publicae maiorem in modum praedicant atque extollunt, facile caret praeconiis meis, sic et singulari Tuo in me amori, et meo item officio mihi videbar fecisse satis, laetitiam, quam ex collata Tibi dignitate capio, scriptione quadam publice testatus. Cuius mei officii partes agere Iustinum iussi quibusdam locis a me emendatum, quem ne moleste feras, communis iure humanitatis, cuius et se non plane nullam iudicat portionem, postulat.

[*Iam ipsae sequuntur observationes, quas nos in reliquorum commentariis suo quamque loco reposuimus.* Fr.]

Sed redeat oratio, unde exorsa est. Ego vero illos, qui a Sapientibus urbis nostrae Tibi, Vir Clarissime, conferuntur, honores quemadmodum certissima eruditionis Tuae egregiae puto praemia, sic felices Tibi esse volo, Deum precatus immortalem, ut non minus his, quam reliquis, quibus abundas, bonis perpetuitatem addat, et omnia Tibi evenire iubeat, quibus veram et felicitatem et laudem vera sapientia metitur. Vale. Scr. Lipsiae a. d. IX. Kalend. Mart. A. C. CIƆIƆCCXXXVIII.

THOMAS WOPKENS

# LECTORI ERUDITO

S.

Si quid dictu dignum in Iustino praestiterit industria mea, huius laudis in partem veniat oportet summorum virorum *Tiberii Hemsterhusii* ac *Iacobi Philippi Dorvillii* singularis erga me humanitas; quorum ille iam plures ante annos, ex duobus Franequeranis alterum praestantiorem venerandaeque vetustatis codicem, hic nuperrime tres suos (*primum* et *tertium* quos vocavi, satis antiquos, *secundum* vero recentiorem) in usus contulit nostros. Quibus suppetiis adiutas has lucubrationes tu, lector, benevole accipe, ac vale.

Harlingae, ex Museo nostro, Idibus Maiis. A. MDCCL.

---

ILLUSTRISSIMIS GENEROSISSIMISQUE

ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE

CURATORIBUS

## D. GULIELMO COMITI DE BENTINCK

*Rhoonae et Pendrechtae Toparchae, ordinis equestris Hollandiae membro, eiusdemque nomine in consessu delegatorum Hollandiae ordinum principem locum tenenti, viis, aquis atque aggeribus Rhenolandiae curandis septemviro* etc. etc. etc.

## D. CORNELIO DE WITT, IC.

*Civitatis Dordracenae Senatori et Consuli* etc. etc. *cognato suo honoratissimo*

## D. PETRO STEYN, IC.

*Hollandiae ordinum consiliario et supremo Syndico, magni sigilli custodi, supremae curiae feudalis praesidi eiusque tabularii praefecto, viis, aquis atque aggeribus Rhenolandiae curandis septemviro* etc. etc.

EORUMQUE COLLEGIS
AMPLISSIMIS GRAVISSIMISQUE
CIVITATIS LUGDUNO-BATAVAE
CONSULIBUS

D. NICOLAO DE BYE, IC.
*Consulum praesidi, et aerarii academici praefecto*

D. NICOLAO VAN DE VELDE, IC.

D. IOANNI VAN DER MARCK, IC.
*Societatis Indiae occidentalis moderatori, cognato suo plurimum honorando*

D. NICOL. WILHELMO VAN LEEUWEN, IC.

VARIIS IN RE PUBLICA MUNERIBUS SUMMA CUM LAUDE
OBITIS ILLUSTRIBUS

NEC NON

SPECTATISSIMO CONSULTISSIMOQUE
VIRO

D. IOANNI VAN ROYEN, IC.
*Civitatis Lugduno-Batavae Syndico, et Illustrissimis Academiae Curatoribus, eorumque collegis, Amplissimis Civitatis Lugduno-Batavae Consulibus, ab actis et secretis*

D. D. D.
ABRAHAMUS GRONOVIUS

## *ILLUSTRISSIMI AMPLISSIMIQUE*

# P R O C E R E S

Quum inter ingenuas artes praecipuum locum teneat Historia, fidelissima memoriae rerum ante actarum conservatrix, res pacis et belli, quibus humana constant, tempore gestas, Imperatorum, eorumque, quibus vicem suam in hac terrarum orbis civitate demandavit Supremum Numen, virtutes et vitia, insuper ortus, et occasus regnorum, rerumque publicarum, velut in speculo conspiciendos praebens; ideoque a facundiae Romanae principe *testis temporum*, *lux veritatis*, *vita memoriae*, *magistra vitae*, *nuntia vetustatis* appellata: hanc summa industria excolere studuerunt praecipua omnium populorum, qui feris moribus non utebantur, ingenia, maxime vero Graecorum atque Romanorum, quibus iure meritoque adcensendus est Pompeius Trogus, Plinio (at quanto viro!) laudatus severissimus Auctor. Hic ingenti animo Historiam adgressus, pulcherrimo ordine, et terso atque eleganti stilo, quatuor et quadraginta voluminibus mundi fata a Deo intra sex ferme seculorum aetates peracta, talemque eventum sortita, qualem diu ante praedixerant sanctissimi divinae voluntatis internuntii Prophetae, litteris mandavit, antiquiorum etiam temporum ratione habita in enarrandis variarum gentium originibus, et, quod notandum, istius, quam Aegyptiaca servitute liberatam sibi vindicaverat, divinisque Legibus instruxerat, qui universa quaecumque sunt, verbo iubet, ratione dispensat, et virtute consummat, omnipotens Deus. In istius autem populi incunabulis atque incrementis describendis quo oscitantius hallucinatus fuit Trogus, eo evidentius apparet, coelesti eiusdem gentis Liberatori, et Legislatori placuisse, ut certa originum Iudaicarum notitia, quemadmodum etiam vera mundi et humani generis parentum creationis historia, quam rationi quidem humanae obviis, sed incertis, et mirum quantum inter se variantibus argumentis indagare olim studuerunt illi, qui omnium bonarum artium consulti, in veritatis contemplationem alacriter incubuerunt, non aliunde, quam ex unice vero sacrae paginae contextu foret haurienda. At quemadmodum in historia Israëlita-

rum conscribenda erravit Trogus, Graecos Scriptores sequutus, ita reliqua rerum pace ac bello gestarum momenta ex eorumdem scriptis, quorum aliquot aetatem non tulerunt, fideli ac veluti ad veritatis libellam exacta narratione exsequitur. Istud autem eximium Trogi opus, omissis, quae nec cognoscendi voluptate iucunda, nec exemplo erant necessaria, in compendium redegit Iustinus, quem primarii Ecclesiae veteris Antistites in eruditissimis scriptis, quibus vel Divina Eloquia illustrarunt, vel Sanctissimam in Servatorem mundi Fidem adseruerunt, et ad posteros propagarunt, non solum laudare, verum etiam illius veluti gravissimi Scriptoris verba iisdem inserere non dubitarunt. Persuasum enim habebant eximia illa orbis Christiani decora, in hoc florum corpusculo a Iustino commemorari memorabilem istam temporis periodum, et ista seculorum fata, quae, antequam evenirent, Israëlitico populo in vaticiniis suis ante praedixerant veri mentis Divinae interpretes Prophetae. Ab his Cyrus nominatim, Darius Codomanus figurate Aries, et qui illum debellaturus foret, Alexander Hircus cornutus appellatur. Hic enim, dignissima Herculis atque Achillis suboles, aequi bonique peritia atque omni liberali disciplina ab inclyto, et studiis atque doctrina praestantissimo philosopho Aristotele imbutus, post obitum patris Philippi, qui humile istud atque sordidum Macedoniae regnum virtute sua atque sollertia adeo illustre reddiderat, ut illum Thessali et Illyrii Victorem, Graeci nullius externi dominium passi, Ducem salutarint, cum exigua copiarum manu, triginta millibus peditum, equitum quinque, Hellespontum transfretavit, et, postquam Darium Codomannum totius Orientis viribus succinctum tribus praeliis superaverat, in Indiam usque penetravit. Hic proxima quaque victoria velut instrumento sequentis usus, cum nullo hoste congressus fuit, quem non vicerit; in victos adeo clemens, ut eorum aliis regna, quibus iure belli exciderant, aliis meliorem, quam habebant, fortunam reddiderit: aliorum de praefectorum, a quibus durius fuerant tractati, obstinatione atque insolentia querentes legatos non solum benigne admiserit; verum etiam eosdem in conspectu legatorum trucidari iusserit: feras quoque et immanes nationes in mores ritumque humaniorem formarit. Hic igitur nomine quidem Magnus, verum rebus gestis et virtutibus Maximus, divinae pro-

videntiae nutu fuit electus ad phalangem Macedonicam una cum lingua Graeca, quae minoris Asiae terminos nondum erat egressa, transferendam in Asiam atque Aegyptum, ita ab eo subactas, ut earum incolae post mortem ipsius Graecis regibus paruerint, et Graeca lingua fuerint usi. Ista enim lingua, praestituto a Deo tempore, conscribendum erat coeleste illud et adorandum, atque uni tantum genti revelatum divinae gratiae erga humanos renovandae mysterium, quadripartito consignandum libro, plenam omni perfectionis genere doctrinam complexuro, cuius primarium caput atque fundamentum eloqueretur ipse titulus *ΕΥΑΓΓΕΛΙΟΝ*, ad quam exquisitissimam vocem suppeditandam sola lingua Graeca foret idonea, palam quippe declaraturam BONUM NUNTIUM DE NATIVITATE UNIGENITI FILII DEI.

Verum antequam humano generi salutaris contingeret haec felicitas, primum inter Magni Alexandri successores, quorum omnes, praeterquam rex Aegypti Ptolemaeus, violenta morte fuerunt exstincti; deinde inter illorum filios, nepotes et posteros, quorum aliquot, velut fortunae ludibria, ideo tantum regna tenuerunt, ut iisdem exciderent, patranda erant sanguinolenta atque inexpiabilia bella. Romanam aquilam venerari debebant Macedonia, Syria et Aegyptus: Romanis quoque fascibus subiicienda erat regio Iudae sceptro olim illustris. Horum igitur potentissimorum regnorum fata, non casu sed divina providentia patrata, et a Prophetis dudum praedicta, recte atque ordine in hisce Historiarum Philippicarum libris enarrat Iustinus, cuius hanc novam editionem ope tam manu quam typis exaratorum Codicum in variis Europae Bibliothecis, maxime vero in Bibliotheca Batava adservatorum, aliquanto quam antea meliorem a me redditam ut Illustrissimis Amplissimisque Nominibus Vestris inscriberem, me impulit singularis Vestra erga me benevolentia, tum etiam Vestrum adsiduum bonas litteras atque artes propagandi studium: eamque, velut mei erga Vos obsequii pignus, ut accipiatis, Vos etiam atque etiam rogo; nihil umquam antiquius habiturus, quam ut Vestra iussa et mandata lubens ac laetus exsequar.

Interim de insignis Marchandinae Bibliothecae accessione ad Bibliothecam Batavam, cuius cura ex decreto Vestro mihi incumbit, Vobis, Nobilissimi Gravissimique Viri, ex animo

gratulor, et quidem eo impensius, quo magis persuasum habeam, Vestram divinarum humanarumque litterarum studia promovendi, et Bibliothecam publicam exornandi atque amplificandi, bonam voluntatem dudum in illustri loco positam effecisse, ut Clarissimus et Eruditissimus Vir, Prosper Marchandus, ultimae voluntatis suae tabulis Bibliothecam suam, velut existimationis suae erga Vestra in rem litterariam merita tesseram, tutelae Vestrae bono publico plurimum quantum profuturae commiserit, et hac pia liberalitate sua in Apollinis adyto, quod Herculis virtute et Musarum concentu, hoc est Vestra auctoritate, sartum tectumque conservatur, omni aere perennius monumentum memoriae suae consecrarit.

Quantum autem splendoris hac eximia Politissimi Viri munificentia Bibliothecae publicae accesserit, Catalogi pars, quae artium omnium optimam artem complectitur, Vobis a me oblata, quo limatissimum sapientissimumque iudicium Vestrum de incomparabilis librorum Thesauri Marchandini praestantia, meaque opera, exquirerem, declaravit; idemque testabuntur reliquae eiusdem partes, quibus variae eaeque elegantissimae comprehenduntur scientiae, quarum alia iusti atque iniusti notitiam praecipit: alia mores emendat, virtutem indagat, in Veri et Dei cognitionem inquirit, naturae abdita et secreta rimatur, aliasque artes utilitatis et delectationis plenas tractat: alia regionum, insularum, fluviorum, civitatium situs ostendit: alia regnorum et rerum publicarum, quotquot in hoc terrarum orbe sunt vel fuerunt, incrementa atque administrationem declarat: tum etiam quae omnes scientias illustrat, Philologia: denique quae omnium fere totius Europae Academiarum Societatumque litterariarum instituta, mores et privilegia recenset, ac cunctos Scriptores, qui in laudatis artibus et scientiis propagandis diligentem operam posuerunt, enumerat, et quidquid manu exaratum est, quod posteritati non inviderit temporis iniuria, vel typis excusum, prolixe enarrat, Historia Litteraria. Huc accedit quoque non spernendus numerus Codicum MSS. exhibentium Commercium Litterarium, quod cum Eruditissimis Viris exercuit Cl. Marchandus, tum etiam varia singularis ingenii atque diligentiae τοῦ μακαρίτου, aliorumque virtute et doctrina praestantissimorum Virorum Specimina: inter quae splendent Epistolae a Nobilissimis variaque eruditione or-

natissimis Viris datae ad Celeberrimum Othonem Heurnium, in hac Academia olim Medicinae Professorem ordinarium.

Tali igitur tantoque ornatu instructam atque locupletatam Bibliothecam publicam ut in partem sanctissimae curae Vestrae, qua libertatem, securitatem et tranquillitatem rei publicae Batavae constabilitis, et decus Academiae conservatis atque amplificatis, porro admitterre, meque gratia et favore Vestro amplecti dignemini, Vos, Illustrissimi Amplissimique Viri, enixe rogo. Ceterum Deum O. M. supplex veneror, ut Vos, salutaria rei publicae Batavae sidera, quam diutissime salvos atque incolumes praestet.

Lugduni Batavorum
A. D. X. Kal. April.
MDCCLX.

---

## ABR. GRONOVIUS
## LECTORI S.

Triennium ferme exactum est, ex quo de recudendo Iustino mecum agere coepit Bibliopola, cui deesse hac in parte nolui, quum ipsius rogationibus accederent exhortationes Paternae: sed prelum nondum ardere inceperat, quin triste fatum domui nostrae imminens fervorem meum lacrimis exstingueret. Primum enim necopina amantissimae Sororis mors me percellebat, cuius acerbissimi doloris cumulum mox intendebat luctuosissimus Parentis obitus, qui infandam aegritudinem mihi inflixit. Posteaquam vero dolor paulatim remiserat, et ad aliquem modum operae processerant, subito iterum cessavit inceptus cursus: nam quum inprimis maiorum vestigia premenda esse proposui, nihil mihi conducibilius fore existimavi, quam itinere aliquo cognitionem meam instruere. Hic fervor me in Britanniam detulit, quae regio non tantum exspectationem meam implevit prolixa benignitate et comitate incolarum, verum etiam, quum ultra vota refertissimarum Bibliothecarum ianuae mihi facillime aperirentur, et scriptorum librorum penetralia pate-

rent, diutius quam decreveram, detinuit. Quoniam vero tot benevolentiae officia undique in me collata agnosco, gratissimo infixa animo ea conservare, et uberiore stylo in opportuniorem commemorandi locum reiicere praestabit. Itaque nunc ad Iustinum revertar. Habes igitur, Benevole Lector, Iustini contextui adiunctos integros commentarios Virorum Doctorum, qui duobus praeteritis seculis diligentem operam in Iustinum contulerunt, quorum ordinem ducunt Iacobus Bongarsius, Franciscus Modius, et Matthias Bernecoerus, cuius notas, quibus alteram suam editionem auxerat, in hanc editionem conieci. Hisce accedunt Isaci Vossii, et Avi mei notae, quas libro, quo usus fuit, adscriptas singulas excerpsi; etsi plurimas emendationes Observationum libris non tantum inseruerat, sed et cum laudatissimis Viris, Graevio, Fabro, Vorstio, et Scheffero per epistolas, aliave ratione, communicaverat, quorum omnium notae una cum excerptis adnotationibus I. Loriti Glareani, atque Editoris Oxoniensis, a Graevio et Scheffero in curis secundis saepius laudati, contextui quoque subiunctae sunt. Tum etiam ad calcem huius editionis M. Z. Boxhornii breves notas addidi. Isti igitur tantorum Virorum labores suffecissent ad huius editionis ornamentum, nisi et me ipsum ad symbolam conferendam, et quanto opere me hactenus occupasset Iustinus, publice testandum innatus erga litteras amor incitavisset. Quare nihil antiquius duxi, quam ut mentem ad MSS. codices conferendos adiicerem, quorum copiam ex Bibliotheca Lugduno-Batava mihi praebuit humanitas Celeberrimi Viri, Wolferdi Senguerdii, eiusdem Bibliothecae Praefecti. Primo igitur quatuor MSS. ex eadem Bibliotheca evolvi, quorum duos Avo utendos olim dederat Cl. Vossius. Hi omnes, atque etiam quintus, quem Parens consuluit, membranacei erant. Praeter hos etiam chartaceo codice, quem Cl. Perizonius eidem Bibliothecae legaverat, usus sum. Tum quoque Londini codicem, qui Bibliothecae Regiae erat, et Oxoniae alterum ex Bibliotheca Collegii Novi, Cantabrigiae vero Excerpta quaedam Iustini excussi. Trium insuper scriptorum librorum collationem pro summo in me studio exhibuit Vir undecunque Doctissimus, Laurentius Theodorus Gronovius, Patruus, cui omnia pietatis officia post parentes debeo: duo priores ex Bibliothecae Mediceae scriniis depromti erant; tertius vero e Bibliotheca Illu-

stris Viri, nec minus humanitate quam summa eruditione conspicui, Antonii Magliabequii, cuius insignem favorem Parens Patruusque abunde experti fuerunt. Praeter haec institutum meum iuvit collatio Paterna codicis Thuanaei *). Porro etiam duas easque tantum non principes editiones, hanc ab Nicolao Ienson typis mandatam anno MCCCCLXX. illam a Conrado Sweynheym et Arnoldo Pannartz Romae editam anno MCCCCLXXII. consului, quas ex instructissima sua Bibliotheca Londini mecum communicavit Vir Nobilissimus, Richardus Mead, cuius beneficio Iuntinam editionem quoque nactus fui.

Prologis librorum Trogi Pompeii subieci Virorum Doctorum notas integras, inter quas excellunt emendationes Reverendissimi Abbatis de Longuerue, quas Eruditissimus Vir, incomparabilis antiquitatum ac rei litterariae arbiter, Rev. D. Bernardus Montefalconius Diario Italico inseruerat, easque plurimum decoris huic editioni adlaturas credidi: ut autem earum ratio, codicumque MSS. quibus usus est, recensio unicuique clarius appareat, optime me facturum puto, si ipsa Rev. Montefalconii verba, quae tum in fronte notarum, tum in praefatione exstant, ex Diario ipsius Italico huc revocarem. Sic igitur ille: „*Per Romanum otium hortante frequentibus epistolis amicissimo Viro, ac litterarum omnis generis peritia „cum primis Europae numerando D. Abbate de Longuerue, in „Codicibus Iustini Prologos Historiarum Philippicarum Trogi „Pompeii conquisivi: in Vaticana duos Iustini Codices Prologis instructos deprehendi; in Bibliotheca Illustrissimi Marchionis de Maximis***) *tertium reperi: cum iis vero contuli „Prologos, ut in editis exstant, scilicet mire vitiati, ut vix „sanum quidpiam occurrat. Lectiones varias transmisi laudato viro, qui reduci mihi easdem eruditis notis additis, hic „inserendas restituit; ut horum opera Prologos iam expurgatos edere in promtu sit. Ipsi autem Prologi, utpote ad „Trogi Pompeii libros, cum adhuc superstites essent, concin-*

*) Quem MS. optimae notae fuisse testantur notae Paternae ad Arrianum lib. II. cap. 2. de Exped. Alex.

**) Cap. 18. pag. 255. „*Ex MSS. Codicibus eiusdem nobilissimi „viri varias Prologorum Trogi Pompeii lectiones eruimus suo loco „publicandas.*"

„*nati, plerumque gesta memorant, quae in Iustino non com-„parent. Alium Prologorum Codicem vidi Venetiis in aedi-„bus Trevisanis, quem non licuit per tempus explorare. Co-„dices porro Vaticani, quorum hic lectiones adferimus, sunt „his numeris insigniti* 1825. *et* 1826. *Iis adiungimus item va-„rias lectiones duorum Colbertinorum Codicum, qui sic notan-„tur* 1566. *et* 1578." Et in praefatione: „*Emendationes Prolo-„gorum Trogi Pompeii ab eruditissimo, et amicissimo Viro, Ab-„bate de Longuerue, ex variis lectionibus Codicum trium Ro-„manorum, quas ipsi ex Italia transmisimus, nec non duorum „Colbertinorum concinnatas, ad calcem Diarii reposuimus. „Usus ipse est editione Tanaquilli Fabri mire foedata et con-„spurcata, ut vix uspiam quid sanum occurrat; et castigatis „erroribus propemodum infinitis, ad sanam emaculatamque „Prologorum editionem adornandam viam paravit. Iam diu „Prologis Trogi castigandis incubuerat Bongarsius, qui pri-„mus eosdem in lucem protulit anno MDLXXXI. ut habet „ipse in Epistola ad Franciscum Rosaeum ibidem cusa.* Re-„liqui erant *etc. Ad calcem etiam editi, eiusdem Bongarsii „atque Francisci Modii notae quaedam exstant, queis Prolo-„gorum pauca loca coniecturis resarciuntur, et sane quaedam „sat feliciter; alia inauspicato, ita tamen ut multo plura „quasi deplorata, intacta praetermittantur; sicque erudito Viro „totum restaurandi provincia devoluta: quod is naviter ex-„sequutus est. Observatum porro velim nos in Bongarsianis „notis ad Prologum libri VII. coniecturae eiusdem suffragari, „qua* Illyriorum et Poeonum *vult legi, ubi MSS. quidam* Poe-„num, *alii* Poenorum *habebant; et ad Prologum libri VIII. e „re pro* electo Aryba, *coniectatur legendum* eiecto." Hactenus Montefalconius. Ad haec mihimet ipsi quosdam Prologorum Trogi Pompeii scriptos codices videre contigit, tres quidem Anglicanos, et quatuor Leidenses Iustini libris adnexos, et praeter hos quintum, qui separatim compactus erat. Inter hos praecipuus erat chartaceus codex, qui Cl. Perizonii olim fuit: plures vero horum Prologorum, nec non Iustini codices tum in Diario Italico, tum per litteras mihi indicavit Rev. D. Bernardus Montefalconius, quos si unquam inspicere, atque adyta Musarum, in quibus adservantur, adire fortuna mihi dederit, in iisdem excutiendis me diligentem fore in praesenti promitto.

Denique Indicem Freinshemianum multis partibus auctum huic editioni adiunxi. Ceterum Te, Benevole Lector, rogo, ut postquam hanc editionem exegeris, aequum de me iudicium feras, et quanto opere Paternum Avitumque morem in indagandis doctrinae arcanis et nunc imitari, et postea confirmato animi robore adsequi velle, ex hoc otii specimine statuas.

Ita fere olim praefabar, quum Iustinum publicarem una cum specimine variantium lectionum tam Codicum MSS. quam Editionum, quibus fueram usus: illas autem uberiores ex iisdem exemplaribus tam manu quam typis exaratis, quae subinde in manus meas pervenerunt, in hac editione repraesentavi. Istorum igitur brevem notitiam Tibi, Benevole Lector, hic exhibeo.

Sex Codices Iustini mihi suppeditavit Bibliotheca publica Leidensis: quorum duo priores inter Codices MSS. Latinos Bibliothecae, tres inter Codices MSS. Vossianos adservantur: sextus est Legati Perizoniani.

Illorum numerum antea quidem in adnotationum specimine digesseram iuxta scripturae vetustatem, quam praeferebant: nunc vero iuxta ordinem, secundum quem in ipsa Bibliotheca sunt repositi, exhibui.

Primus in folio membranaceus ante quadringentos circiter annos exaratus, atque hactenus optime conservatus, comprehendit *Orosii libros VII de Ormesta Mundi*, *Prologos librorum Trogi Pompeii*, *et Iustinum*. Prologi et priores Iustini libri numeris et rubricis destituuntur. Prima rubrica demum apparet ad calcem libri XXVIII. eaque huiusmodi est: *Pompeii Trogi epitome historiarum liber vigesimus octavus explicit. Incipit liber XX*⁹ *nonus.* In rubrica, quae libro XLII. submittitur, duo numeri barbari qui vulgo cifrae dicuntur, occurrunt, nempe 2 et 3. *Pompeii Trogi quadragesimus* 2⁹ *liber explicit. Incipit quadragesimus* 3⁹. Fine libri XLIV. post *redegit* additur: ET CETERA.

*Pompeii Trogi epitome historiarum liber*
*Quadragesimus quartus Explicit.*

In fine adduntur hi versus:

*Quando bonum facis, et corde malum meditaris,*
*Oscula quae Iudas Christo dedit, haec mihi tu das.*

Hic codex olim fuit Ioannis et Nicolai Parmentariorum,

ac deinde Viri Nobilissimi, Ioannis Panhusii, qui eumdem Parisiis sibi comparavit. Evulgavit ex eodem aliquot lectiones Cl. Boxhornius, quarum aliae Codicis scripturae respondent, aliae ab ea discrepant, ut III. 2. 10. *Parcimoniam omnibus suasit.* ubi notat: „Codex Leidensis, *item suasit.*" at solum *item* exstat in hoc Codice, atque ita in aliis, qui pro *suasit* dant *item.*

III. 5. 3. *Conspiratius.* „MS. Leidensis *concinitius.*" immo prius est in MS.

IV. 4. 7. *Ab his mittitur Gylippus solus, sed in quo instar omnium auxiliorum erat.* „MS. habet, *Ab his mittitur Gylippus classem Lacedemoniorum solus, sed in quo* etc. Supra *τὸ solus* scriptum est a librario, VACAT." Codicis scri-
VA
ptura haec est: *Ab his mittitur Gilippus classem Lacedemoni-*
CAT
*cam auxiliis y solus, sed quo. Tò vacat* addidit librarius, ut ostenderet, *τὰ classem Laced. auxiliis y* abundare, et ne scripturam litura inquinaret. Induxerat eum in errorem repetitio nominis proprii, *Gylippus*, quod paullo post sequitur: *Gylippus classem Lacedaemone cum* etc.

V. 6. 8. *Tanta virtus animorum erat, ut, cum paullo ante salutem desperaverint, nunc non desperent victoriam.* Ad hunc locum scribit Boxhornius: „Non tentarem hunc locum, „nisi in optimae notae codice Leidensi longe aliter haec exa„rata invenirem: nempe hoc modo: *Tanta virtus animorum* „*erat, ut paullo ante salutem, post speraverint victoriam.* „Venusto et recto sensu. Primo de salute, mox de victoria „certavere." Paullo ante dixerat Iustinus: *Iterum tamen fortunam maris experiendam decernunt.* Ex hisce omnibus solum in MS. legitur: *Iterum paulo ante salutem, post speraverint victoriam.*

XXI. 2. 1. *Non solem, non pulverem. Pulverem* quoque servat MS. non *fulgurem*, ut scribit Vir Clarissimus.

XXXVIII. 5. 1. *Rapienda incrementa virium.* Pro *incrementa* in MS. *marnica* legi observat: verum in eodem exstat *marinca.*

Hunc Codicem quoque excussit Cl. Haverkampus, quum Orosii editionem adornaret, eumque tertium Lugduno-Batavum appellavit.

Secundus membranaceus per columnas scriptus est. Initio libri I. additur haec rubrica: *Defloratio Iustini. Liber primus.* Quae ad calcem libri XLIV. leguntur, produnt aetatem Codicis, illumque, cuius manu exaratus est: *Peregi ego Pucciarellus hoc opus die vigesima Aug.* 1357. *Indict. nona*, de quo Sospitatis auctori gratiae referuntur. Dein recentiore manu additur: *Hunc librum emi Romae pretio ducati unius cum dimidio. Blondelet.*

Initio huius Codicis exstat nominum ad rem militarem spectantium recensio, scripta recentiore manu, et excerpta ex Isidoro lib. IX. Originum cap. 3. Ea quidem mendose est scripta; et pleraque emendatiora exhibet editio Iac. Gothofredi; quattuor tamen in locis scripturam vulgata praestantiorem suppeditat.

„*Succenturiati* sunt, non qui in prima, sed in secunda „centuria sunt, quasi sub prima centuria: tamen stricti etiam „ipsi et in speculis positi in bello sunt; ut, si prima defecerit, „isti, *quos sub se diximus*, laborantibus primis subveniant: „unde et ad insidiandum ponitur *succenturiatus*."

MS. *Subcenturiati*, et *subcenturiatus*, ac *quos sub secunda diximus*, eamque scripturam firmat optimus Isidori codex Vossianus, cuius margini secunda manus temere adscripsit, *quos subsequi diximus*. Variis modis hic locus a librariis fuit corruptus. Valturius enim lib. VIII. de re milit. ex suo codice profert, *quos subesse diximus*.

„In acie autem istae fere formae sunt, exercitus, classis, „nodus, cuneus, ala, cornua, agmen: *quae formas et nomina* „ab ipsis rebus, de quibus translata sunt, *imitantur*."

MS. *quae formae et nomina*, atque cum codice Vossiano, *mutuantur*.

„Nodus autem dictus pro difficultate, quod vix possit „resolvi."

MS. *Nodum autem dicunt propter difficultatem, quod vix possit dissolvi.*

„Nam agmen dicitur, quod *in longitudine* directum est."

MS. et codex Voss. *in longitudinem*.

Tertius quoque in membrana et per columnas scriptus, seculo fere vetustior praecedenti, et bonae notae, sed male habitus et pluribus foliis truncatus, comprehendit Orosii libros VII,

librorum Trogi Pompeii Prologos, et Iustinum. Orosii librum I. praecedunt testimonium Gennadii de Orosio, et Carmen quinquaginta circiter versuum, quorum tredecim tantum legi possunt, novem nempe priores, et quattuor postremi:

*Orbis terrarum metasque situsque locorum:*
*Computat hic sancti codex luculenter Orosii*
*Mundum post factum, formatum post protoplastum,*
*Eius et excidium tangit pro crimine factum*
*Terram diluvio super omnem vindice fuso,*
*Arca servatis divino munere paucis.*
*Hinc mala, bella, neces, conflictus, praelia, lites,*
*Probra, simultates, incestus, iurgia, fraudes,*
*Errorum sectae, patricidia, furta, rapinae,*
* * * * * * * * * * * *
*Cerneret hic oculis, quo possit uterque doceri.*
*Quod tibi transmisi, non ut mea discere possis*
*Dogmata: sed fieret verax ut iudice temet.*
*Aemula namque manus sic rodere desinet illud.*

Ad calcem libri VII. Orosii additur:

*Presbyteri hic finit Orosii.*
*In Trogi sequitur Iustini epitoma libellus.*

et fine Prologorum: *Explicat Epythoma. Incipit Praefatio Iustini in libris Trogi Pompeii.* atque ad calcem Praefationis: *Explicat Praefatio. Historiarum Philippicarum et totius mundi originum et terrae situs ex historiis Trogi Pompeii liber primus* INCIPIT. In fine hanc formulam addidit Scriba: *Benedictus es Domine Deus, qui adiuvisti me, et consolatus es me.*

Hic Codex olim fuit Bibliothecae Abbatiae S. Ioannis Colchestriensis in Anglia, et deinde Viri Nobilissimi atque in litteris summi Nicolai Heinsii: eodemque in editione Orosii adornanda usus fuit Cl. Haverkampus, a quo primus Lugduno-Batavus appellatur.

Quartus formae quadratae, seculo undecimo exaratus in membrana Prologos librorum Trogi Pompeii et Iustinum complectitur. Prologis praefigitur haec rubrica: *Liber historiarum Philippicarum et totius mundi origines et terrae situs.* et fine Prologi ultimi: EXPLICIT PROLOGUS LIBRI XLIIII. INCIPIT PRAEFATIO. ac Praefationis: EXPLICIT PRAEFATIO. INCIPIT LIBER PRIMUS. et ad calcem eiusdem libri: *Pompei Trogi Epithoma hi-*

*storiarum Liber I. explicit.* Incipit Liber II. et fine libri XLIV. *Pompei Trogi Epithoma historiarum liber* xLiiii. *explicit Feliciter.*

Initio Codicis exstat Prosa ad S. Benedictum:

*Pater insignis Confessor Benedicte, meritisque clare, cum Christo regnans,*

*Preces nostras in aula regis aeterni sublevа, et protege utrumque ordinem,*

*Cuius egregius extitisti doctor in orbe: ubi incessanter pro nobis supplica Deum,*

*Ut felices tecum mereamur perfrui gloria Paradisi.*

Hic Codex olim adservatus fuit in Bibliotheca Abbatiae S. Benedicti Floriacensis, quae est in Ducatu Aurelianensi.

Quintus eiusdem ferè aetatis et formae est cum praecedente, atque etiam in membrana exaratus. Priora et posteriora folia lacera sunt atque a tineis exesa, quod eo magis dolendum, quia ad calcem Codicis exstat vetus Inscriptio, cuius aliquot litterae evanuerunt. Ante praefationem rubrica huiusmodi est: pompei trogi praefatio. et initio libri I. incipit pompei trogi epitoma. Liber primus. et fine eiusdem libri: pompei trogi epitoma historiarum finit Liber I. incipit Liber secundus. ac libri XLIV. pompei trogi Lib. xLiiii. expL. felicit. am. i. e. explicit feliciter. Amen.

Deinde sequitur haec inscriptio:

. . *P. C. Vespasianus. Pontifex. maximus. tribuniciae. po*

. . . *tatis. imp. VII. pater. patriae. constituit. destinavit. facien*

. . . *curavit. Q. Fabio, Q. F. Gal. Blando. tribuno. milit*

. . *gionis. IIII. Macedonicae. et legionis. X. gemin. Iulia*

. . . . . . . . . . *ris. uxor. ex. pecunia. quae. ei. legata. est. ad*

. . . . . . . . . . . . . *ndum. communem. sibi. et. viro. suo*

Sextus in folio chartaceus quidem et recentior, atque sub artis typographicae incunabulis exaratus, verum ex vetustissimo Codice transcriptus, Trogi Pompeii librorum Prologos et Iustini libros XLIIII continet. Initio Codicis alia manu adscriptum est testimonium Martini Poloni de Iustino: *Tempore Antonii* (lege *Antonini*) *Pii, qui imperium cepit CXL. floruit Pompeius Trogus, natione Hispanus, qui totius* etc. Subscriptio

Prologorum, rubricae Praefationis et libri I. concipiuntur hoc modo: *Explicunt Rubricae. Prologus Incipit*, et *Epithoma Pompei Trogi. Liber primus incipit.* Ad calcem libri XLIV. haec variis scripturae compendiis adspersa leguntur: *Explicit feliciter liber quadragesimus quartus, quem scribi feci et exemplari ex antiquissimo et fidissimo . . . . originali ego Ranerius Demasthis de Arimino Iuris Doctor: me existente secunda vice Vicario Ducali Ianuae, D. Petro de Campofrego**) *tunc Ianuae ducante, anno MCCCCLVII*°. *de mense Iunii.*

In sequenti pagina exstat *Epistola***) *Plutarchi Philosophi congratulatoria Traiano discipulo suo ad imperium sublimato.*

*Plutarchus Traiano salutem.*

*Modestiam tuam noveram non appetere principatum, quem tamen semper morum elegantia mereri studuisti, quo quidem tanto dignior iudicaris, quanto a crimine ambitionis videris esse remotior. Tuae igitur virtuti congratulor et fortunae meae, si tu recte gesseris, quem probe meruisti. Alioquin te periculis, et me detrahentium linguis subiectum iri non dubito, cum et ignaviam Imperatorum Roma non ferat, et sermo publicus delicta discipulorum refundere soleat in praeceptores. Sic Seneca Neronis sui merito detrahentium carpitur linguis, adolescentium* etc.

Hanc epistolam excipiunt tres vetustae Inscriptiones, quarum prima eiusdem scripturae est, qua Prologi et contextus Iustini fuerunt exarati: secunda et tertia additae sunt ab illo, qui initio Codicis testimonium Martini Poloni de Iustino adscripsit:

„In antiquissimo marmore Nepis leguntur.“

***) *Imp. Caesari. L. Septimio. Severo. Pertinaci. Aug. Pont Maxim. Trib. Pot. II. Imp. III. Cons. II.*

---

*) Hic Genuae dux ab Uberto Folieta lib. X. et XI. Hist. Genuens. *Petrus Fulgosius*, ab aliis *Fregosus* appellatur.

**) Haec epistola exstat apud Ioannem Saresberiensem lib. V. Policrat. cap. 1.

***) IMP. CAES. Apianus pag. 177.
PONT. MAX. Idem. PONTIF. MAXIM. Gruterus pag. 263. 3.
IMP. IIII. iidem, et recte.
COS. II. iidem.

*p. p*

*Neperini. optimo. fortissimoque. principi. suo. devoti*

„In antiquissimo lapide Ausimi.“

*D. M.* *)

*Oppiae. G. F. Verae. Claudius. Severus.*

*maritus*

*Coniugi. Sanctissime. Caste. Incomparabili.*

*cum. qua. vixit*

*annis. XVII. menses. VII. dies XVIII. Ipsa*

*autem. vixit. annis. XXXII. menses. duos*

„In uno ex centum lapidibus, qui designabant distantiam mi-„liarium ab urbe, qui nunc est Columna porticus Maximi civis „Romani in via Papae apud Campum Florae, legitur.“

II. **)

*Imp. Caesar. Vespasianus. Aug. Pontif. Max.*

*Trib. Potest. VII.*

*Imper. XVIII. P. P. Censor. Cons. VII. designat.*

*VIII.*

---

*) Hoc sepulchrale monumentum Auximo Mediolanum translatum fuisse videtur in aedes magnifici Domini Triulcii, ubi istud repertum fuisse testatur Apianus pag. 48.

D. M. *Diis Manibus*. Haec nescit Apianus.

C. F. Apianus.

CON. SANCTISSIME. CASTAE Apianus, ex quo in Inscript. Grut. pag. 813. 8. male editum CONS. SANTISS. CASTAE.

ANN. XVIII. MENS. VII. DIES. XXVI. Apianus.

ANNIS XXXI. D. II. Apianus.

**) In apographo eadem manu additur: *id est secundus lapis.* quemadmodum in praecedenti inscriptione D. M. reponitur *Diis Manibus*.

Huius columnae miliariae inscriptionem apud Campum Florae quoque repertam publicavit Apianus pag. 196. omisso tamen lapidis numero.

PON. MAX. Apianus. Idem TRIB. POT. XII. qui numerus vehementer peccat. Contra apographo reddenda est scriptura, quam repraesentat Apianus, IMP. XVII. P. P. CENSOR. COS. VII. DESIGN. Paullo post idem, IMP. NERVA. et PONT. MAX. TRIB. POT.

Duae similes inscriptiones columnarum miliariarum, quas in via Appia statuit Imp. Vespasianus, et refecit Imp. Nerva, addito numero lapidum, primi nempe et septimi, exstant inter Inscriptiones Gruteri pag. 154. 1. et Fabretti cap. V. pag. 414. ac Muratorii pag. 446. 7. 4.

*Imper. Nerva. Caesar. Aug. Pontif. Max. Tribu- Potest. Consul. III. Pater. Patriae refecit*

Hisce Codicibus accedunt quinque Anglicani, omnes in membrana exarati, quorum primus Bibliothecae Regiae, formae minoris in 4°. titulum concipit hoc modo: *M. Iuniani Iustini Epitome Historiarum Philippicarum Trogi Pompeii.*

Secundus in 4°. maioris formae Bibliothecae Bodleianae, ex legato Reverendissimi atque Illustrissimi Viri, Guilielmi Laudi, Archiepiscopi Cantuariensis, atque Academiae Oxoniensis Cancellarii, recentior quidem, verum melioris notae codex. Inscriptio eiusdem similis fere praecedenti: *M. Iuniani Iustini Epitome Historiarum Trogi Pompei XLIV. libris.* Ad calcem libri ultimi addita erat haec subscriptio: *Pompeii Trogi Epitoma Historiarum liber XLIIII. explicit.*

Tertius eiusdem formae, Bibliothecae Collegii Novi, quod Oxonii est, inscriptionem praefationis a reliquis MSS. discedentem exhibet: *Trogus Pompeius de gestis Romanorum.* et in ipsa praefatione: *Vir priscae eloquentiae ego Trogus Pompeius Graecas et totius orbis historias Latino sermone composui.* ac paullo post: *ea omnia Pompeius divisa temporibus, et serie rerum digesta composui.* Genuina tamen est subscriptio, quae praefationi submittitur: *Explicit Praefatio Iustini.* et dein: *Incipit Prologus*, nempe libri I. Reliquorum enim librorum Prologi in hoc codice desiderantur. Huius fine additur: *Explicit Prologus. Incipit liber primus.* et ad calcem libri XLIV. *Pompei Trogi Epitome Historiarum liber quadragesimus quartus explicit.* Iustinum autem excipit Tractatus hoc titulo insignis: *Bonum universale de Proprietatibus Apum.*

Quartus etiam Oxoniensis, Bibliothecae Collegii Corporis Christi, formae eiusdem, Prologos librorum Trogi Pompeii continebat et Iustinum. Prologo ultimo subscriptum erat: *Explicit Epithoma. Incipit Praefatio Iustini Trogi Pompei.*

Quintus Bibliothecae Academicae Cantabrigiensis, in folio, comprehendebat, praeter Prologos librorum Trogi Pompeii et Iustinum, Epistolam Alexandri M. ad Aristotelem, sed mutilam, Gregorii Nazianzeni Apologeticum, atque Homilias de Natali Domini, de Sanctis Epiphaniis, de Spiritu Sancto, de semet ipso de agro reverso, de reconciliatione Monachi, de grandinis vastitate; Passionem S. Margaretae, Homilias Euse-

bii Episcopi Caesariensis ad Monachos, Solinum de Mirabilibus mundi, et Hugonis de S. Victore varios tractatus, Expositionem litteralem librorum Geneseos, Exodi, Levitici, et libri Iudicum, atque Apuleium de Deo Socratis. Initio Prologorum adscriptus erat idem inficetus versus, qui exstat in tertio codice Leidensi:

*In Trogi sequitur Iustini epitoma libellus.*

atque alia manu: *Incipiunt contenta Iustini in abbreviationem Trogi.* et ad calcem Prologorum: *Explicit Epithoma. Incipit Praefatio Iustini in libros Trogi Pompeii.* et fine Praefationis: *Explicit. Praefatio. Liber primus incipit Historiarum Philippicarum et totius mundi originum, et terrae situs ex historia Trogi Pompei.*

Primus Mediceae Bibliothecae octuplicatae formae longioris, in membrana exaratus, atque optimae notae Codex. Praefationi subiuncta est haec rubrica: EXPLICIT PROLOGUS. POMPEII TROGI LIBER I. INCIPIT. Tres postremi libri et ultima verba libri XLI. desiderantur.

Secundus*) quoque eiusdem Bibliothecae, membranaceus, charactere Longobardico exaratus, atque omnium, qui hactenus a Viris doctis fuerunt excussi, vetustissimus est, atque optimis lectionibus refertus: at, quod dolendum, quindecim prioribus libris destituitur. Initio libri XVI. adscripta erat haec rubrica: *M. Iuniani Iustini Epithoma historiarum lib. XIIII. exp. Incipit Liber XV.* ubi in numerorum notis pingendis peccavit librarius: at fine libri XVI. recte ab eodem scriptum: M. IUNIANI IUSTINI EPITOMA HISTORIARUM LIBER XVI. EXP. INCIPIT LIBER XVII. FELICITER. Hic codex quoque in fine mutilus est, et desinit in haec verba capitis quarti libri XLIIII. *et post dies ad corpus expositi requirendum misisset.*

Magliabequianus recentioribus codicibus adnumerandus hu-

---

*) Hunc Codicem etiam memorat Gerardus Ioannes Vossius lib. I. de Hist. Lat. cap. 22. „In Antonii Arnoldi libro nominabatur *Iusti-„nus Frontinus*, et in Codice Bibliothecae Mediceae dicitur *M. Iu-„nianus Iustinus.*" In Bodleiano quoque codice et Regio iisdem nominibus insignitur auctor, atque etiam in Vaticano, teste Iacobo Sirmondo ad Ennodium lib. I. epist. 1. init. Adde Dempsterum ad Rosinum lib. II. Antiq. Rom. cap. 2. et lib. I. de Etruria Regali cap. 4. pag. 13.

iusmodi rubricam praefationi praefixam exhibet: PROLOGUS IN LIBRO QUI DICITUR EPITHOMA SIVE ABBREVIATIO HISTORIARUM EX TROGO POMPEIO SECUNDUM IUSTINUM EIUS DISCIPULUM ET PHILOSOPHUM CELEBERRIMUM INCIPIT FELICITER. initio libri I. POMPEI TROGI EPITHOMA HISTORIARUM LIBRI PRIMI INCIPIT DE NINO REGE. et libri II. POMPEI TROGI EPITHOMA HISTORIARUM SECUNDUM IUSTINUM LIBRI SECUNDI INCIPIT DE ORIGINE ET ANTIQUITATE SCYTHARUM. ac libri III. POMPEI TROGI EPITHOMA HISTORIARUM SECUNDUM IUSTINUM LIBRI TERTII INCIPIT. QUALITER ARTAXERSES PATRIS NECEM ULCTUS ARTABANUM ET FILIOS EIUS OCCIDIT. Libro quarto praefigitur brevior rubrica: POMPEI TROGI EPITHOMA HISTORIARUM SECUNDUM IUSTINUM LIBRI QUARTI INCIPIT. Huic similem quoque praeferunt sequentes libri. Ceterum ad calcem libri XLIV. exstat huiusmodi rubrica: EXPLICIT LIBER QUI DICITUR EPITHOMA SIVE ABBREVIATIO HISTORIARUM EX TROGO POMPEIO SECUNDUM IUSTINUM EIUS DISCIPULUM ET PHILOSOPHUM FELICITER. DEO GRATIAS. AMEN. Deinde adscriptum: *Iste liber est mei Marii Mafeii Volaterrani, et est satis correctus. Sis felix quicunque leges, et ne ipsum macules.*

Editionum, quarum in notis a me facta est mentio, prima Venetiis excusa fuit a Nicolao Ienson anno 1470. in folio.*) In ea titulus libri I. ita concipitur: *Iustini Historici in Pompei Trogi Historias liber primus incipit.* ad finem libri *XLIV. Iustini Historici clarissimi in Trogi Pompei Historias liber XLIIII. feliciter explicit. MCCCCLXX.*

*Historicos veteres peregrinaque gesta revolvo*
*Iustinus. lege me. sum Trogus ipse brevis.*
*Me Gallus Veneta Ienson Nicolaus in urbe*
*Formavit Mauro principe Christophoro.* **)

Secunda eiusdem formae, Romae impressa fuit a Conrado Sweynheym et Arnoldo Pannartz, hoc titulo: *Iustini historici*

*) Vid. Indicem Edd. Vol. I. (ed. nostr.) pag. XI. sqq. ubi nonnulla legas, quae etiam hic dicuntur a Gronovio, cuius praefationem truncare noluimus. FR.

**) Prius δίστιχον quoque exhibuit Antonius Zarothus ad calcem editionis Iustini Mediolani impressae in folio A. MCCCCLXXIIII. addito sequenti:

*Quem manus Antoni Zarotho sanguine creti*
*Impressit solers, Insubribusque dedit.*

*politissimi Epitoma in Trogi Pompei historias prohemium incipit.* initio libri I. *Ex primo volumine.* et libri II. *Ex secundo volumine Trogi Pom.* Ad calcem libri XLIV. exstant haec disticha:

*Aspicis illustris lector quicunque libellos*
*Si cupis artificum nomina nosse: lege.*
*Aspera ridebis cognomina Teutona: forsan*
*Mitiget ars Musis inscia verba virûm.*
*Conradus Sweynheym, Arnoldus Pannartzque magistri*
*Rome impresserunt talia multa simul.*

M. CCCC. LXXII. die XXVI. Septembris.*)

Tertia octuplicatae formae, adcurante Bechario, loci quidem indicio et typographi nomine destituta est: illam vero Florentiae excusam fuisse, prodit Lilium rubrum, quod Scriptorum hoc volumine comprehensorum subiicitur recensioni: eaque huiusmodi est: *Iustini Historia ex Trogo Pompeio quatuor et triginta* (leg. *quadraginta) epithomatis collecta.*

*Lucii Flori Epithomata quatuor quam cultissima in decem Titi Livii decadas.*

*Sexti Ruffi Consularis viri ad Valentinianum Augustum de Historia Romana opus dignissimum.*

*Nerva Cocceius ex Dione Graeco per Georgium Merulam Alexandrinum. Traianus Nerva ex Dione per eundem Merulam. Adrianus ex Dione Graeco.*

---

*) Cl. Maittaire tom. I. Annal. Typograph. pag. 96. de hac editione scribit: „*Iustini Epitome Trogi et Florus per Conradum* „*Sweynheym et Arnoldum Pannartz fol.* etc." Istud quidem persuadere videtur τὸ *libellos*, quae vox exstat in primo versu, nempe ut Floro Iustinum iunxerint hi typographi: verùm in duobus exemplaribus, quorum unum olim manibus oculisque versavi in Bibliotheca Amplissimi Meadi, alterum adservatur in Bibliotheca Lugduno-Batava, desideratur Florus. His addo et tertium exemplar, quod recensetur in Catalogo Librorum rarissimorum ab Artis Typographicae inventoribus, aliisque eiusdem Artis principibus ante annum millesimum quingentesimum excusorum. Hunc stupendum vetustarum editionum thesaurum, qui CCXLVIII voluminibus constat, sibi comparaverat Vir Illustris Samuel Smith, Magnae Britanniae nomine apud Venetos Consul. Primum autem, qui Florum Iustino comitem dedit, addito anni et loci indicio, fuisse suspicor Philippum Pincium Mantuanum, in cuius typographia Iustinus et Florus una fuerunt excusi Venetiis A. MCCCCXCIII.

*Conflagratio Vesaevi montis ex Dione per supradictum Merulam.*

*P. Victoris de Regionibus urbis Romae libellus unicus.*

Sequitur Lilium rubrum, ex quo manifeste apparet, hanc editionem excusam fuisse Florentiae in typographia Philippi Iuntae. Praefationem huic editioni praemisit Augustinus Becharius Mortariensis Sacerdos, eamque inscripsit Scaramutiae Trivultio, Comensi Episcopo. Titulus autem praefationis Iustini huiusmodi est: *Iustini Historici Clarissimi in Trogi Pompeii Historias Exordium.* et libri I. *Iustini Historici in Pompeii Trogi Historias Liber primus incipit.* Ad calcem libri XLIV. additur: *Iustini Hystorici Clarissimi in Trogi Pompeii Hystorias Liber XLIIII. et ultimus Feliciter Explicit.* et fine libelli P. Victoris: *Impressum fuit hoc opus Anno Domini MCCCC. decimo nono Kalen. Augusti.* In hac editione suppletur lacuna, quae plerisque praecedentibus editionibus inhaeserat I. 8. 11. *num cadenti sibi scutum laborum gloriaeque socium exosculatus est;* omissis post vocem *scutum* hisce verbis: *ademisset hostis: quod ut servatum audivit, allatum velut.*

Quarta Veneta fol. hoc titulo: *Iustini ex Trogo Pompeio Historiae cum multis memorabilibus in margine. Addito insuper indice: quo facilius notatu clariora reperiri possint: nuper emendatae.* Inscriptio praefationis: *Iustini Historici clarissimi in Trogi Pompei Historias Exordium.* libri I. *Liber primus Iustini Historici in Pompei Trogi Historias:* et libri II. *Iustini Historici liber secundus.* Fine libri XLIV. *Iustini historici viri clarissimi epithomatum in Trogi Pompeii historias liber XLIIII. et ultimus feliciter finit.* Dein sequitur Philippi Beroaldi, Bononiensis, Epistola ad magnificum Comitem Petrum Mariam Rubeum, Parmensem, libris IV Flori praefixa. Horum ultimo subiunguntur quatuor disticha:

*Aurea Iustini Lucique epithomata Flori*
*Aere tibi modico candide lector eme.*
*Contrahit iste Titi numerosa volumina Livi.*
*Pompeii historias colligit iste Trogi.*
*Quam bene coniuncti: namque hic ubi desinit, ille*
*Incipit: atque unum pene videtur opus.*
*Rite recognovit quos Iustinianus ad unguem*
*Romanus. Felix lector amice vale.*

Hanc excipit Epistola Sabellici ad Contarenum: *Marcus Antonius Sabellicus Io. Matthaeo Contareno viro patritio salutem. Recognovi his paucis diebus* etc.*)

Hanc epistolam scripsit Sabellicus die VII. Novembris MCCCCXCVII. quo anno in lucem prodiit Venetiis prima illius editio Iustini, typis ad Gothicum characterem accedentibus excusa, neglecto typographi nomine; eamque excepit altera: in qua typographi nomen, et loci atque anni indicium omittuntur.**) Utriusque titulus idem est: *Iustinus Historicus* inter lineas rubras. In his, quemadmodum et in mea, quae tertia Sabellicana est, Iustino iungitur Florus, et paginarum margines lemmatibus, quibus accedunt Sabellici quaedam adnotationes, instruuntur. Harum forma quoque est eadem. Index autem, quem, ut ex titulo apparet, tertiae editioni addere proposuerat eximius editor, in ea non reperitur. Unde non levis oritur suspicio, hanc editionem, vivente quidem Sabellico, prelum subiisse, post mortem vero ipsius demum ad finem fuisse perductam: siquidem anno MDVI. animam Deo reddidit illustre illud Italiae litteratae ornamentum.

Eadem autem Sabellici Epistola quoque exstat in tribus Parisinis editionibus in 4^to^. quarum paginae paginis respondent, et Iustini libri foliis XCIII comprehenduntur, ac Florus et Sextus Rufus Iustino iunguntur. Harum tituli iidem sunt, eodemque sphalmate inquinati:

*Iustini Historia ex Trogo Pompeio quattuor et triginta epithomatis collecta.*

*Lucii Flori Epithomata quatuor quam cultissima in decem Titi Livii decadas.*

---

*) Vid. Indicem Edd. Vol. I. pag. XVI. sq. Fr.

**) Harum editionum exemplaria adservantur in Bibliotheca publica, prioris quidem inter impressos eiusdem Bibliothecae libros, posterioris vero in Legato Perizoniano num. XXI. Catal. pag. 492. B. ubi male editum: *Iustini Historiae, Venet.* 1494. *Item Strabo de situ Orbis, ibidem* 1494. Lege: *Iustini Historiae, absque anni ac loci indicio, et typographi nomine.*

*Strabo de situ Orbis Latine, cum praefatione Guarini Veronensis atque indice Antonii Mancinelli. Venetiis, apud Ioannem Vercellensem* 1494. *die XXIIII. Aprilis.*

*Sexti Ruffi consularis viri ad* Valentinum *Augustum de Historia Romana opus dignissimum.*

Hic titulus idem est cum parte tituli editionis Becharianae, in qua tamen recte editum est, *Valentinianum.* Operarum autem et interpunctionum menda in hisce innumera sunt. Illarum una typis excusa fuit a Francisco Regnault, altera a Iohanne Barbier, tertia a Iohanne Petit, sive Parvo, de cuius editione Flori Cl. Dukerus*) aequum sane iudicium tulit. Illarum contextus plurimum quantum differt a Sabellicano, et plerumque cum Bechariano conspirant. Quatuor autem δίστιχα, quae exstant non solum in hac Veneta, sed duabus etiam praecedentibus Sabellici editionibus, repetita sunt ex editione ante primam Sabellicanam publicata, in qua Florus ex recensione Beroaldi etiam iungitur Iustino. Ista typis nitidissimis excusa est, sed loci et anni indicium, et typographi nomen in ea desiderantur: typi autem prorsus similes sunt iis, quibus Suetonium excudit una cum Historiae Augustae Scriptoribus, Eutropio atque Paulo Diacono, Ioannes Rubeus de Vercellis, Venetiis a. 1490. die XV. Iulii. Ad calcem Epistolae Sabellici in hac nostra editione additur: *Impressum Venetiam* (leg. *Venetiae) per magistrum Ioannem* Tacuinum *de Tridino MCCCCVII. die XVII. Maii.*

Quinta Florentiae excusa fuit typis Philippi Iuntae A. MDX. in 8°. curante Mariano Tuccio, cuius ad Andream Marsuppinum praefatio accedit. Titulus huiusmodi est: *Iustinus una cum Floro castigatus.* et ad calcem libri XLIV. legitur: *Iustini Hispani Historici Viri Clarissimi Epitomatum in Trogi Pompei Historias liber XLIIII. et ultimus feliciter finit.* et fine libri IV. Flori: *Impressum Florentiae opera atque impensa Philippi di Giunta Florentini, anno a Christi nativitate M. D. X. tertio Galeodas* (leg. *Calendas) Februarii, Petro Sederino perpetuo Vexillifero existente.* Hanc editionem

*) In praefatione Annaeo Floro praefixa pag. 19. „Comparaveram mihi insuper, praeter Editiones recentiores non paucas, illam, „quam veterem et vetustissimam, et interdum principem, vocat Gruterus, et Parisiensem Ioannis Petiti, sive Parvi. Ex his prior in „folio etc. Posterior in 4. sine nota anni tot glossis, vitiis scri„pturae et distinctionum scatet, ut vix inter mediocres haberi possit.“

ex sua Bibliotheca optimis rarissimisque libris instructa mecum communicavit Vir Clarissimus, Petrus van Damme.

Sexta Mediolanensis in folio cum hac inscriptione: *Trogi Pompeii Historia per Iustinum in compendium redacta proxime quam emendatissime edita.* Iustinum comitantur Florus et Rufus, cuius fine additur: *Habes Candide Lector in hoc volumine non minus utilia quam lepida Iustini in Trogum, et Flori in Livium: insuper Sexti Ruffi viri consularis Epithomas nuper castigatissime Mediolani impressas apud Leonardum Vegium M. D. X. Nonis Maiis.*

Septima Parisiensis eiusdem formae hoc titulo fulget: *Iustini Historici Clarissimi Epitome in Trogi Pompeii Historias, Lucii Flori de Rebus Romanis Epitome. Sexti Ruffi Viri Consularis Libellus. Haec omnia, candide Lector, ad vetus exemplar reposuit Petrus Danesius. Veneunt in aedibus Ioannis Parvi in via ad divum Iacobum sub signo aurei Lilii.* Inscriptio praefationis Iustini est huiusmodi: *Iustini Historici Clarissimi in Trogi Pompeii Historias Praefatio ad Antoninum Imperatorem:* et ad calcem libri XLIV. additur: *Iustini Epitomata in Trogum Pompeium a P. Danesio feliciter restituta Impressit Antonius Aussurdus ad Idus Maias M. D. XIX.* Ad calcem Rufi repetitur eadem formula, quae exstat in editione Mediolanensi, praeterquam quod desinat in haec verba, *Epithomata nuper castigatissime impressa.* In margine adduntur lemmata, inter quae occurrunt aliquot variantes praecedentium editionum lectiones, quas una cum Variantibus Lectionibus Bongarsii a me locupletatis indicio editionum, ex quibus ab eodem amplissimo Viro fuerunt depromtae, praeter quinquaginta admodum ex editionibus a me nondum visis excerptas, in hoc volumen lubens contulissem, nisi istud in nimiam molem excrevisset. Ceterum inter variantes lectiones, quas margini addidit Danesius, quattuor occurrunt prolatae e Codice Lexoviensi, qui antiquum exemplar ab eo appellatur: ut XXXII. 2. 6. „*Quae res Demetrio non gratiam legationis,* „*sed odium obtrectationis comparavit. Nam apud fratrem* „*Perseum aemulatio illi invidiam contraxit, et apud patrem* „*nota absolutionis causa, offensa fuit.* In antiquo exemplari „legitur: *Quae res Demetrio non gratia legationis, sed odium* „*obtrectationis causa offensae fuit.*" *XXXVI.* 2. 3. „*Post Da-*

„*mascum Azelus*, *mox Adores*, *et Habraam et Israhel reges* „*fuere.* Ita ex antiquo haec nomina, quae in caeteris exem„plaribus secus leguntur, reposuimus.“ Antea legebatur: *Post Damascum Abraham*, *Moses*, *Israhel reges fuere:* atque ita edere maluit Georgius Maior, quam Aldinam vel Iuntinam sequi, in quibus exstat: *Post Damascum Azelus*, *mox Adores*, *Habraam*, *Israhel reges fuere.* Editio Romana quoque hunc locum ita repraesentat: *Post Damascum Azelus*, *mox Adores et Habraamus et Israhel reges fuerunt.* XXXVIII. 7. 8. „*Exactio publicanorum.* Antiquum exemplar pro *exactio*, *se*„*ctio* habet.“ Vocem *sectio* quoque ex MSS. Iustino reddidit Ampl. Bongarsius, iisdemque adstipulatur editio Romana. XXXVIII. 10. 3. „*Caligas auro fingerent:* antiquum exem„plar habet *facerent*, ubi cetera *fingerent.*“ Ita quoque in MSS. atque editione Romana legi monui. In aversa primi folii parte exstat Epistola Petri Danesii ad Antonium Aussurdum. Floro quoque praefigitur eiusdem Epistola nuncupatoria ad Reverendum in Christo Patrem D. Franciscum Hamonem, Nannetensem Episcopum.

Octava Veneta in 8°. Aldinis typis excusa, omnibus praecedentibus editionibus longe castigatior, egregie supplet lacunam, quae iisdem, praeterquam Romanae, inhaeserat XVII. 2. 15. *Ob haec Pyrrhus*, *filia Ptolemaei in matrimonium accepta*, *vindicem eum regni reliquit. Sed quoniam* etc. Becchariana, et tres Parisinae, quarum antea a me facta fuit mentio, pro *eum* dant *eam*, ut hoc pronomen ad vocem *filiam* referretur: at longe nitidius est, atque historicae veritati convenientius, quod in Aldina et Romana legitur: *Ob haec Pyrrhus* . . . . *reliquit*, *pacificatus cum omnibus finitimis*, *ne abducta in Italiam* (Rom. *in Italia*) *iuventute praedae hostibus regnum relinqueret. Sed q.* Titulus huiusmodi est: *Trogi Pompei Externae Historiae in compendium a Iustino redactae. Externorum Imperatorum vitae authore Aemylio Probo.* Huic editioni praefuit Franciscus Asulanus, cuius Epistola ad Ioannem Cornelium Georgii filium praefationi Iustini praefigitur. Ad calcem Aemylii Probi sive Cornelii Nepotis legitur: *Venetiis in aedibus Aldi et Andreae Asulani soceri*, *mense Ian. M. D. XXII.*

Nona Florentina typis Iuntinis impressa eiusdem formae est cum praecedente, a cuius contextu paucis in locis discrepat:

eumdem quoque titulum praefert. Iunguntur autem Iustino in hac editione Cornelius Nepos et Velleius Paterculus, qui hoc titulo insigniuntur: *Aemylii Probi de Vita Excellentium Imperatorum Liber. C. Vellei Paterculi historiae Romanae ad M. Vinicium Cos.* Ad calcem Velleii pag. 261. exstat Beati Rhenani praefatio, eamque excipit haec subscriptio: *Florentiae per haeredes Philippi Iuntae Anno Domini M. D. XXV.*

Porro ad memoratos Codices MSS. librorum Trogi Pompeii accedit codex Bibliothecae publicae separato volumine comprehensus, in membrana ante sexcentos annos exaratus in 4[to]. Hic olim fuit Bibliothecae Schobingiae, et quartus Leidensis in notis ad Prologos appellatur: primus autem, qui in primo; secundus, qui in tertio; tertius, qui in quarto Iustini codice Leidensi exstat. Numeri autem Prologorum in hoc codice ad calcem contextus eorumdem erant adscripti, et fine ultimi Prologi legitur: EXPL. PROL. LIBRI XLIIII. eamque subscriptionem excipiunt hi versus:

*Narrat Athanasius, quoniam Noë Patriarcha*
*Filiolos genuit, binos egressus ab arca,*
*Ex quibus Hionitus tunc erat astrologus.*

Prologorum interpretationem Italicam olim editam, quae ne uno quidem loco discedebat a librorum suorum scriptura, vidisse se, refert Amplissimus Bongarsius. Istam autem Iustini interpretationi Italicae iunctam fuisse prorsus verisimile est: siquidem in illo Italice reddendo adeo diligentem operam certatim posuerunt eruditi Itali, ut praeter illas, quae in publicis Italiae Bibliothecis manu exaratae reperiuntur, tres Iustini versiones Italicae typis mandatae fuerint, antequam salutarem manum Iustino admoveret idem Vir Illustris. Primae auctor fuit Hieronymus Squarzaficus, secundae anonymus, tertiae celeberrimus ille optimorum Scriptorum qua Graecorum qua Latinorum Interpres Thomas Porcacchi. Istarum tituli concipiuntur hoc modo:

*Giustino Historico volgarizato giustamente da Giloramo Squarzafico: impresso alle spese de Gio. di Colonia, e di Gio. Gherretze compagno in Vinegia* 1477. 1. *Septembre.* fol.

*Iustino Historico Clarissimo, nelle Historie di Trogo Pompeo, nuovamente in lingua Toscana tradotto, et con somma diligentia et cura stampato in Vinegia* 1542. et ad calcem libri XLIV. *Finisse il Libro di Iustino Historico abreviatore di*

*Trogo Pompeo posto diligentemente in materna lingua, et stampato in Vinegia per Bernardino de Bindoni Milanese. MDXLII.* in 8°.

*Giustino Istorico nelle Istorie di Trogo Pompeo, tradotto per Tommaso Porcacchi, al Magnifico e Valoroso Signor Girolamo Magnocavallo, in Vinegia presso il Giolito* 1561. quart. Harum primae vel tertiae exemplar, in quo Prologi librorum Trogi Pompeii una cum Iustino exstabant, oculis usurpasse Iustini sospitatorem necesse est. Prologorum enim translatio, quam editio Anonymi repraesentat, mirum quantum discedit a MSS. codicibus, quibus usus fuit Vir Amplissimus: quare etiam eiusdem specimina quaedam in adnotationibus ad Prologos exhibui. In ea autem singulos Prologos excipiunt singuli libri Iustini: eodemque ordine eosdem fuisse digestos in codice MS. P. Pithoei, observavit *ὁ πάνυ.* *)

Praeter hasce tres editionem Iustini Italice redditi memorat Cl. Maittaire tom. II. Annal. Typograph. pag. 826. hoc titulo: *Giustino Historico nuovamente in Lingua Toscana tradotto. Stampato per Pietro de Nicolini di Sabio, del mese d'Ottobrio in Vinegia* 1535. 8°. Verum ista esse videtur prima editio interpretationis, quae deinde Venetiis prodiit anno 1542. Ceterum Reverendissimi atque Eruditissimi Abbatis Ludovici du Four de Longuerue notas in Prologos, quas in priore editione ex Itinerario Italico D. Bernardi Montefalconii exhibueram, nunc ex editione Parisina A. MDCCXXXIV. repraesentavi. Haec igitur, Benevole Lector, boni consule, et vale.

*) In fine Var. Lect. „Hoc solum monebo, praeponi eos (Pro„logos) Iustino in omnibus libris nostris, praeterquam in uno Pithoei, „in quo sub titulo Argumentorum singulis libris Iustini singuli Pro„logi praefiguntur."

## IO. IAC. HOTTINGERI
# P R A E F A T I O
## AD
## SPICILEGIUM OBSERVATT. CRITT.
## IN
## IUSTINI HISTORIAS

A multis hinc annis, cum nobis esset brevi aliqua e genere grammatico disputatione novi cursus auspiciis praeludendum, eam constanter fere legem tenuimus, ut pensi postremo quoque cursu cum discipulis profligati aliquam velut particulam exponeremus, unde, quo modo in scriptoribus cum exponendis, tum illustrandis, atque etiam, sicubi res ferat, emendandis versari soleamus, certis rerum indiciis iudicari posset. Idque cum nuper in Virgilio, antehac in Platone aliisque fecimus, tum hoc tempore in Iustini historiis faciemus, cuius, superiori anno, cum ad historicas lectiones velut initiandi discipuli essent, plures deinceps libros cursim perlustravimus. In quibus, quantum per magnam, qua nobis fungendum erat, festinationem licuit, loca nonnulla notavimus, vel corrupta, et ab interpretibus neglecta, vel sana, ab iisdemque temere tentata, *aut non satis* intellecta: de quibus, quae tum breviter monere visum fuit, nunc paullo adcuratius disseremus.

---

# L E C T O R I
## A E Q U O E T B E N E V O L O
## S. P. D.
## PETRUS BURMANNUS

Plus nocuisse doctrinarum studiis, quam profuisse artem, quae libros veterum, olim manibus describendos, typis exprimere docuit, saepe querentes audivi et legi. Laborem quoque et industriam ab eo tempore multum imminuta fuisse, et facilio-

rem apparatum et instrumenta eruditionis magis obvia et parabilia desidiae maioris caussam dedisse; et minorem, ob facilitatem, interioribus literis eruditorum proventum post multiplicata antiquorum voluminum exemplaria fuisse, multi existimaverunt. Cum enim felici fato barbaries politioris doctrinae ope depulsa esset, et literae per aliquot secula contemtae, in Italia et reliquis deinde Europae partibus recolerentur, artis typographicae beneficio omnibus ad eas aditus factus fuit, et Historicorum, Oratorum et Poëtarum, quae Bibliothecae olim monasteriorum et templorum claustris suis occultabant, opera vulgata et communia esse inceperunt. Ita ut, quae olim paucis seposita esset eruditionis laus et gloria, cum omnibus communicata videretur. Sed crescente eorum quotidie, qui eruditionis laudem affectabant, numero, desiderari etiam librorum, ab antiquis proditorum, maior multitudo coepta est, et avide ab omnibus minori, quam solebat, pretio comparatis, qui edebantur typis, voluminibus, bibliothecas unusquisque sibi instituere coepit. Et cum primi officinarum librariarum institutores exigium modo codicum numerum producentes vix explere studiosorum vota possent, alias ex aliis editiones iterari gloriae simul et lucri cupido suadebat. Cum etiam Scholae et Gymnasia, quibus aetas prima ad humanitatem informari solet, maiori discentium frequentia celebrarentur, et nugaces monachorum libelli eiecti locum fecissent optimi et antiqui aevi scriptoribus, multiplicata quoque minoris formae et molis volumina in eum modum fuerunt, ut nullius fere ex Auctorum priscorum numero, quos superstites nobis fecerat communis rei literariae calamitas, copia desideraretur. Cum vero primae editiones, non ad alia, quam manuscriptorum codicum exemplaria excudi possent, infinitis mendis deturpatae prodibant, et sensum auctoris monstruosis depravatae lectionis vitiis vix indagandum et explicandum exhibebant. Quare Criticorum opera desiderari coepta; et undique conquisitis antiqui aevi exemplaribus emendatiores in vulgus edere codices instituerunt Aldi, Frobenii, Gryphii, Stephani; et in eorum industriae laudes succedentes alii typographi, per omnes Europae politioris partes, officinas aperuerunt. Sed ut omnia recte et egregie a principio instituta, ita quoque in literarum incrementum et salutem excogitatam artem, sequentium avaritia et quaestus cupido cor-

rupit. Cum enim principes illi in typographica arte viri nullas fere proderent, nisi ex doctissimorum consilio, et eorum opera emendatas editiones, (qua laude plurimae Aldorum et omnes fere Stephanorum editiones sunt insignes). ceteri in paratam hanc et expositam gloriam involaverunt, et ad verbum priores editiones exprimentes et mendarum numerum multiplicantes, eas sordes nobilissimae huic arti induxerunt, ut eruditis iterum, ad eas eluendas, ad manu exaratos codices fuerit recurrendum, et ita laboris ingrati, quem videbatur priorum industria sustulisse, conferendi codices antiquos pariter et recentiores, non modo non gratia facta, sed necessitas multo maior sit imposita. Hinc cum dispersi per totum orbem exiguo olim numero codices, sub artis utilissimae initiis editi, cura ingenti et studio conquiri ab eruditis inciperent, tantum illis accessit pretium, ut hodie fere melius manu exarati, quam primis typis descripti libri comparari possint: et cum pecunia et divitiis raro ita abundare soleant eruditi, ut tam insanum, quo hodie venduntur, pretium efficere queant, iam nihil magis ad eorum studia et desideria accommodatum esse potest, quam ut novae editiones, si quae instituantur, ea exhibeant, quibus antiquae illae censeri merito possint. Et cum unica priores illas consulendi et evolvendi caussa sit eruditis, ut videant, quid a posterioribus novatum et immutatum fuerit, hinc certe gratissimae illae editiones esse debent, quae omnium fere, quae aliquo in pretio habentur, varietates et discrepantes lectiones oculo simul exponant. Quare cum novam minoris formae editionem Iustini desiderari, et in iuventutis studiosae commodum se id operis suscipere velle, mihi diligentissimus ostenderet Luchtmannus, et simul consilium de ratione, qua id administrare optime posset, expeteret, auctor illi fui, ut nova etiam dote hanc, si posset, exornatam editionem lectoribus commendaret. Et cum nuda modo, sine notis aut commentariis, verba scriptoris, exiguo modo, ut facile circumferri ab eruditis, et simul puerorum et iuvenum usibus aptari posset, vellet exhibere, ostendi rationem, qua et scholasticae utilitati satisfacere, et simul ab eruditis gratiam non exiguam inire posset. Institutum ergo doctissimorum virorum, qui variantium lectionum libellos adiecerunt editionibus suis, laudavi, et simul Anglorum exempla esse imitanda dixi, qui plurimas, easque nitidissimas, non

alio nisi variarum lectionum ornamento commendatas, nobis veterum scriptorum editiones prodiderunt, et a calce libri retractas singulis paginis subiectas codicum scriptorum et editorum dissensiones ostenderunt. Si enim vera rem ipsam ratione velimus expendere, nihil utilius et ad studia omnium minimo sumptu et labore profliganda accommodatius excogitari potest. Cum enim nec unicuique contingere possit, magno codicum numero pluteos implere, aut per omnem Europam thesauros publicarum et privatarum bibliothecarum excutere; nec etiam temporis et laboris in conferendis libris iacturam facere multis lubeat; quod gratius, aut fructuosius dari munus potest, quam quod pecuniae et laboris immensi lucrum et compendium adferat? Praeterea non alia magis parte peccare curatores quotidianarum editionum videmus, quam quod sine ullo usu veterum membranarum, aut olim editorum codicum, quaslibet pro libidine et avaritia Typographorum iterare et renovare sustineant. Desideretur modo in officinis eorum hic vel ille Scriptor, statim ad manum est nescio quis paedagogus vel semidoctus, qui, ut a prioribus nova aliquid differat editio, ex Thesauris, Lexicis, et infelicium ingeniorum adminiculis, notas quasdam corradit, easque non ex usu studiorum, sed ex typographi rudissimi, et tantum lucrum venantis, praescripto, aut etiam ex cuiuscunque, in quem incidit, consilio et iudicio concinnat, vitia priorum editionum geminat, et ineptis notis margines onerat. Hinc obrutos fere et gementes sub onere notarum veteres querimur Scriptores, nec tam Scaligerorum, Casaubonorum, Gronoviorum, Graeviorum et similium commentariis (quales nunquam nimis multi eruditis, qui otio literato et studiis sese totos consecrarunt, dari possunt,) illustratos, sed obscurissimorum hominum Farnabiorum, Minellorum, et qui horum vestigia etiam aperte hodie in Germania et alibi premere se fateri non erubescunt, nugis et quisquiliis commaculatos quotidie immenso numero prodire videmus. Neque tamen insanam hanc et obscuram hominum nullius frugis diligentiam adhuc satisfacere illis, qui a studiis scholasticis remotam vitam agunt, et vel in rerum publicarum, vel bellicarum administratione versantur, vel etiam in ignobili otio consenescunt, audimus; qui quotidie eruditis occentant, requiri adhuc commentarios et notas (turpiter enim se dedisse, qui in usum Del-

plini tot chartas conspurcarunt, tandem fateri coguntur) quae tam facilem veterum lectionem omnibus, etiam occupatissimis et levissime literarum studio imbutis, faciant, ut aeque aperta Latini scriptoris verba appareant, ac si vernacula legerentur. Quo postulato nihil absurdius, et magis ad evertenda, si quae supersunt, omnia antiquitatis studia, excogitari posse puto. Hoc enim mihi dandum esse iure postulo, ut linguae et sermonis, quo auctor usus sit, peritus sit lector, et aliqua doctrinae parte tinctus; neque ille ab editore expetat, aut exspectet, ut quotiescumque nova veteris auctoris editio prodeat, obvios verborum et locutionum significatus, et qui in omnibus Lexicis reperiri possunt, ad fastidium repetat: aut ut Minelliana et puerili ambitione verba etiam tyronibus intellecta, aliis idem significantibus, sed vim et elegantiam minorem habentibus, explanet: aut Gouralliana stultitia ad geminandam inutili pondere molem libri, paraphrases verbis auctorum opponat. In quem enim usum, quaeso, tot nova Lexica et Vocabularia, quorum etiam numero et pondere obruimur et premimur, simul expetunt politi illi homines, si ex illis iterum iterumque eadem ad singulorum scriptorum verba adscribi iubeant. Quid iniquius, quid stultius, quam ab eruditis exposcere omnium scriptorum editiones, novis commentariis exornatas, quae nihil tricarum criticarum, nihil molestae eruditionis, nullos certe ob vicinitatem verborum et rerum excursus contineant, sed qui Antiquitatis, Historiae, Geographiae, Chronologiae, et ceterarum eruditionis partium capita ita plene et plane exponant, ut quicumque, etiam rudior et indoctior, quemcumque in manus sumit auctorem, tam facile intelligat, ac si prima vernaculae linguae elementa legat: et simul etiam magnis clamoribus flagitare Lexica vulgatis pleniora, quae nobis omnes antiquos ritus, leges, instituta et mores, omnium regnorum successiones et fata, situs et nomina locorum, notos et scrupulos chronologicos, et reliqua omnia planissime exhibeant. Rogatos huius sententiae viros vellem, an, si improbi huius voti compotes essent facti, et talem sibi Lexicorum et Thesaurorum congeriem parassent, hoc subsidio instructi petere a nobis desinerent omnium Auctorum editiones, commentariis, quales desiderant, ex eorum praescripto exornatas; an vero contenti nudis scriptorum verbis ad eorum lectionem et intelligentiam planam sibi iam viam

esse factam crederent. An non fugientes laborem in tantae molis libris quaerendi ea, quae legentes morari possent, adhuc contendere perseverarent, ut nos, quibus scilicet otii et temporis satis superesse solet, ex illis Lexicis corraderemus et auctorum verbis subiiceremus notas, ex his thesauris depromtas, quae desidiae eorum et laboris fugae satisfacerent? Easdem, puto, querelas de difficili scriptorum veterum intellectu adhuc audiremus, neque Lexica, neque commentarii morosa illa explerent ingenia? nec maiores in antiquitatis cognitione profectus nos visuros confido. Si enim vera fateri, et se noscere vellent, non aliunde hunc eruditissimorum et in re literaria principum, qui non alieno arbitrio notas et commentarios elaborarunt, contemtum et vituperationem sibi nasci sentirent, quam quod in iuventute omnem studiorum ordinem perverterint, et ipsa fundamenta, quibus omnium, quaecumque sunt, scientiarum consummatio innititur, iacere neglexerint, et vel parentum avaritia, aut ambitione eas doctrinae partes praetervecti sint, quae aditum et viam facilem ad reconditiora et graviora studia aperuissent; iam vero viri facti, et muneribus publicis admoti, se cum pudore et ignominia nudos earum rerum esse videant, quibus etiam pueri et tyrones, qui severa lege proficiunt, instructi conspiciuntur. Cum tamen necessariam et honorificam etiam qualemcumque esse eruditionem sentiant, sero iam ad principia humanitatis et doctrinae clam et sine magistro regredi, et ad carceres stadii, quod olim decurrere debuerant, redire vellent. Hinc tractare et resumere quosdam auctores, quos olim abiecerunt, cum incipiunt, pudore secreto confunduntur, quod destituti omni doctrinae apparatu, nullam Latinae etiam linguae usum, cuius ne maiorem quidem nunc in tanta literarum luce intelligentiam, quam olim in spississima barbarie monachi habere solent, sibi adesse experiuntur. Et tamen veteris memoriae antiquitates, rerum gestarum, regnorum civitatiumque fata et ordinem, ritus et cerimonias sacras, civiles et militares, sibi subito infundi desiderant, et tam faciles sibi scriptores priscos in manus dari a nobis postulant, ut videri possint, omnes eruditionis partes cum cura olim pertractasse. Accedit his omnibus pervagata hodie totam Europam insania et morbus, quo instructissimas domi suae bibliothecas parare instituerunt primarii, et honoribus et dignitate

illustres viri, qui cum splendore et magnificentia Reges et Principes aequare, vastissimas substructionum moles excitare, et amplissimarum aedium membra ornamentis regalibus illustrare dum cupiunt, nullam satis domum bene instructam esse putant, nisi ingens et infinita libraria supellex spectatores in ingenii et elegantiae admirationem rapiat. Cum interim fatui et rudes domini inter tot millia librorum oscitantes desideant, et vix codicum inauratorum et delicatis fulgentium titulis indices enarrare queant. Conquirunt ergo sibi domesticos paedagogos, et, ut labentibus olim Romae severioris doctrinae studiis, in desidiam simul et luxeriem resoluti civitatis principes, Graeculos contubernales sibi adsciscebant, sic nostri Gallulis suis, multum amatis propter ingenii elegantiam, et adulandi exquisitum artificium, ordinandi bibliothecas, et ingenium acuendi provinciam imponunt, qui ad omnia prompti et parati, plura eos docere semper possunt, quam ipsi umquam didicerunt. Hi omnem studiis nostris scabritiem et asperitatem dementes, nihil nisi politae et perfectae humanitatis politicis et militaribus viris apponunt, et tanta eruditionis mundae et elegantis opinione reges suos, quos sectantur et colunt, implent, ut facile nostratium opera carere, et morosam popularium contumaciam spernere possint. Hi omnem, qui hic in Scholis et Academiis impenditur iuventuti poliendae, laborem, non inutilem modo viris, qui in luce reipublicae versari debent, sed noxium, et ingenii et aciei mentis exstinguendae natum esse facile persuadent. Nos vero, ad plebis tantum, quae ab elegantia illa morum et studiorum longius adhuc remota est, filios corrumpendos, et ad Gymnasia publica, in quibus moribus et legibus antiquis elementa prima magno sumtuum et temporis dispendio, per ambages plurimas traduntur, depravanda relictos, Sisypheos labores iterare, et infelices esse iubent. Antiquos vero scriptores criticis et inutili eruditione refertis commentariis oneratos in bibliothecarum quidem ornamenta esse coëmendos suadent, sed ad usum Minellianas illas notas, paraphrases Gorallianas, et Regias in usum Delphini editiones ingeniis magnis poliendis, et eruditioni non umbraticae, sed facillimae acquirendae unice facere iactantes, infamare omnes doctorum virorum labores conantur. Sed relinquamus hos irato studiis Genio, et vitiosam hanc adulantium canum progeniem palatiis

non invideamus. Nos antiqui generis reliquias, si quae supersint, colamus, et prementes, licet non adsequamur, vestigia decessorum nostrorum in edendis veterum scriptis sectam integram Literatissimorum Virorum sequamur, et in maxima felicitatis parte ponamus, quod nemini obnoxii, nostris auspiciis vitam agere, nec indoctorum arbitrio studia et labores nostros ordinare cogamur. Tyronibus, et qui severa lege proficere volunt, nihil magis posse nocere, et eorum studia corrumpere, quam si prima elementa literarum, ex editionibus illis, de quibus modo egimus, addiscere cogantur, nuper in Praefatione ad fabellas Phaedri, minori forma editas, ostendimus; nec umquam verae eruditionis gustum habituros, qui insipientium horum magistrorum chartis adhaeserint, persuasissimum nobis esse etiam nunc profitemur. Quare vero hanc taedii plenam, nec laudis magnae capacem operam Iustino dederimus, breviter exponendum est.

Historici studii fundamenta et initia, recepta a longo tempore consuetudine, ex Iustini lectione repetenda esse constat satis inter omnes. Quare nec negari potest interesse publice, ut huius scriptoris editiones nitore simul, et emendato verborum contextu, commendatae manibus tyronum versentur. Quos, dum nuda, nullis scholiis aut glossis comitata verba, praeeunte perito magistro, explicare adsuefiunt, veram viam ad facillimum, non huius modo, sed et cuiuscumque scriptoris intellectum ingressos esse per se deprehensuros existimo. Deinde vero, ubi maiores sibi vires accessisse intellexerint, et plenioris eruditionis se capaces esse, editiones illas, notis et commentariis doctorum virorum ornatas, summo cum fructu et voluptate adhibere poterunt; ex quibus cum varia rerum et elegantiarum copia pectus impleverint, postea puerilia illa subsidia desideraturos numquam, promitto et spondeo. Tentent modo hanc discendi rationem, quicumque quotidie nobis obstrepunt, et eam linguarum eruditarum, Historiae veteris, morum, legum, et rituum sibi a praeceptoribus egregiis indui patiantur notitiam, quae ad reliquarum doctrinarum adyta viam aperiat, neque aegre ferant longioris temporis in principiis addiscendis moram; omnia prona et facilia deinde fore recipere audeo, neque umquam, ubi firmata aetas et usus fuere, querelas de obscuritate scriptorum, aut penuria subsidiorum ex illorum ore me

venditurum esse, mihi persuasum est. Non haesuros ad obvia quaeque et exposita eruditis, sed felicissime se expedituros ex omnibus salebris et obscurissimis antiquitatum recessibus confido. Ad hoc iam consequendum primam esse viam arbitror, tales editiones curare, et in manus tyronibus dare, quae vera scriptorum verba, non a librariis supposita et depravata, nec a typographis inquinata pudendis vitiis, exhibent. Frustra enim Iustinum, aut quemcumque, intelligere se credet, qui alterius, non ipsius auctoris verba legere consuevit. Cum vero nec tyronibus facilis sit emendandi ratio, et ingratissimus etiam et molestiae plenus (certe insuetis et imperitis) conferendi exemplaria, et singula verba et apices excutiendi labor, quantum non mercedis, quantum non gratiae promereri deberet, qui in hoc ergastulum se concludi, et inamoeno illo labore se exerceri et defatigari patienter velit. Quam non temporis iacturam, quod non taedium, (expertus loquor) quot non molestias, plurimorum codicum versatio et variantium lectionum recensus exhibet? Quantum curae et solicitudinis ipsa editionis, quae etiam sine ullis notis, diversas modo scripturas in unum collatas exhibet, procuratio adferat, pauci norunt. Quam ingens vero inde utilitas et fructus ad eruditionis verae amatores redundet, soli, qui polito et limato iudicio interioribus operantur literis, intelligunt. Licet enim delicatuli illi et elegantis eruditionis iactatores, criticen omnem cane peius et angue oderint et detestentur, secum tamen saepe eius necessitatem fateri, et erubescere coguntur, ubi illa se destitutos animadvertunt; neque tam facilis, ut multis, qui in haec sacra non initiati irrumpunt, videtur, emendandi scriptores veteres ratio est, quasi sola corporis contentione, et conferendi innumeros codices labore Critici nomen et laudem reportare quis posset. Immo vero acerrimam mentis aciem, et ingenii perspicacissimi vim requiri manifestum est; neque sola codices antiquos versandi consuetudo, aut scripturae et variantium per omne aevum manuum diversitatis peritia Criticum faciet: nisi enim ipsa naturae felicitas, et facillima veri perspicientia et sollertia, ad magnum antiquitatis et scriptorum usum accesserit, non melior ex summa contentione animi et corporis Criticus, quam ex duro et laboriosissimo rustico urbanitatis limatae, et politiae colore tinctus Civis emerget. Quod ipsa veri experientia constat: cum

enim nihil incertius saepe accidat, quam certam et veram lectionem invenire et adserere, neque magis inter eruditos saepe de huius vel illius loci sincera scriptura, quam inter sapientis palati et eruditae gulae epulones, de ciborum delicata praestantia convenire soleat, ille quoque optime Criticen exercebit, qui acerrima diiudicandi vi, et ratione discernendi valet. Ut enim gustatu ciborum suavitas, ita mentis vi, et in omni iudicio elegantia, integritas dictionis et sermonis proprietas discernitur, et ut neque rusticus fatui et insulsi palati voluptatem ullam ex regalibus deliciis sentiet, ita nec mentis depravatae et infelicis genii eruditus ex lautitiis his ullam iucunditatem gustabit, sed ipsam insipientiam rusticitate sua prodet.

Accedit aliud et ingens critici studii emolumentum, quod, qui ab ipsis studiorum initiis non temeraria vecordia, sed prudenti moderatione in illud se dederunt, quotidie experiuntur: nihil, scilicet, magis viam ad indagandos abditos verborum sensus, et eruendas veterum scriptorum sententias, aperire, quam varias librariorum aberrationes diligenter considerare: et plus saepe profligari in humaniorum artium studiis, si quis inter legendum quotidie ante oculos habeat et verset variantes, quotquot sunt, locorum lectiones, quam si quis saepe se vastissimis eruditorum commentariis penitus immergat. Ego certe ab ipsis humanioris doctrinae initiis, omnium fere, quos legebam, Auctorum marginibus adlinere consuevi, quidquid ex notis doctorum variarum lectionum corradere poteram, et hinc in omne tempus uberrimi saepe commentarii vicem mihi praestiterunt hae codicum discrepantiae, et in veterum locis salebrosis et obscuris facem lucidissimam praetulerunt. Hanc vero veteres scriptores legendi et tractandi rationem, neque vulgo notam, neque a multis, ut facile eorum opera infelicia produnt, recte institutam, pluribus dehinc placituram facile confido, ubi sine labore et sumtu suo tales editiones quotidie versare licuerit, quae oculis et menti simul vulgata Auctorum verba, et codicum diversas lectiones, una et eadem pagina exhibebunt. Praeterea cum, et olim et hodie, infelicissime saepe multi Deae Criticae operentur, ita ut, quamprimum aqua illis haereat, nec se expedire possint, urendo, laniando, secando scriptores veteres vexent etiam tales, qui nullum veterum codicum usum habent; nihil utilius fieri posse puto, quam ut omnes

omnino scriptores, hac dote ornati, edantur, ut temerariis his corruptoribus copia fiat aestimandi, et veras lectiones discernendi. Quare spero, et rogo simul et obtestor omnes, qui novis editionibus manus sunt admoturi, et quibus copia exaratorum manu codicum vel priscarum editionum suppetit, ut hunc laborem in publicum commodum suscipiant; et ex scriptis, quos nemo unus per totum orbem dispersos lustrare potest, et ex editionibus primis, quarum hodie pretium ita excrevit, ut eruditis, quos raro Dea Pecunia benignis oculis respicit, omni earum possessione interdicatur, colligere velint variantes, quotquot haberi possint, scripturas. Quo enim plures, exigua hac forma, et ratione curati libelli exeunt, eo maiores eruditis subministrari copias, et ingens operae et laboris compendium fieri existimo, cum domi et in museo locupletissimas Italiae, Galliae, Angliae et aliarum regionum Bibliothecarum opes in usum suum reclusas se possidere cernant. Utinam mihi vero et otii plus fuisset, et copia maior codicum utriusque generis, et ita absoluta haec editio prodiisset, ut nihil in ea eruditi desiderare possent! sed et muneris laboriosissimi cura, et labores, aliis scriptoribus maioris molis et momenti debiti, vix tantum subsecivi temporis reliquerunt, ut ex Bongarsianis, Modianis, Graevianis, et aliorum notis et variarum lectionum libellis, haec, quae vides lector, excerperem. Adhibui etiam Anglicam Hearnii, viri seduli admodum et laboriosi, editionem, et alias, *olim et* nuper curatas, quaecumque modo aliquid mihi conferre posse *viderentur*. Non aliud vero praeter codicum scriptorum et *typis* editorum varietates exhibemus, nullas vero doctorum, licet verosimiles aut etiam certas, coniecturas immiscuimus. Hae enim, nisi rationibus et exemplis firmentur, lubricae et vanae saepe deprehenduntur, ideoque de his existimandi nulla est copia, nisi ad editiones maiores recurratur.

Hic finem praefationis, longae iam satis, facerem, nisi unico exemplo lectorem monendum esse crederem, quam facile viri docti, qui corrigendi saepe intempestiva libidine laborant, peccent, et Criticae vim inferant. In libello variarum lectionum Bongarsii ad lib. IV. 5. ad haec verba: *reparatum bellum; et animi a prioris fortunae procella ad spem certaminis revocantur.* notatum erat: *I. et MSS. duo. et a nimia.* Schefferus vocabulum illud *duo* credens esse ex codice MS. depromtam va-

rietatem, hoc ab iis, qui non intelligebant, compendium scripturae repudiatum esse scribit; sed se inde efficere legendum esse: *reparatum igitur navale bellum denuo, et animi* etc. Quid est turpiter errare, si hoc non est, et non videre Bongarsium voluisse, duos codices MSS. pro *et animi* habere, *et a nimia?* id quod eo magis est stupendum, quod in illo ipso libello saepius Bongarsius notet, in uno, duobus, vel pluribus MSS. hoc vel illud legi. Nam hoc in ipso libro cap. I. idem Bongarsius habet: *I. et MSS. duo. visentibus;* et ita alibi. Miror vero diligentissimum Hearnium hunc tam crassum Schefferi errorem etiam notulis suis inseruisse, qui praeterea in eo saepe peccat, quod non distinxerit inter notas, quibus Bongarsius codices suos designavit. Cum enim MS. ponat, unum semper, cum MSS., plures codices demonstrat, quod discrimen ab Hearnio saepe neglectum nos observare conati sumus. Sic ad lib. IV. 1. notat Cl. Hearnius tres manuscriptos Bongarsii codices habere *urbem*, alios *urbes*. Sed neque in notis, nec in libello variarum lectionum aliud notavit Bongarsius, nisi unum MS. habere *urbem*. Sed Schefferus, nescio unde, scribit: *MSS. tres, quos vidit Bongarsius, habent, urbem.* ex quo Hearnius descripsit. Plura essent in promptu, sed desino, veniam et dans viris diligentissimis, utpote probe gnarus, quam facilis in his sit lapsus, et simul eamdem a lectoribus petens, si quid aberratum a me quoque deprehenderint. Vale. Leidae Kal. Aug. CIϽIϽCCXXII.

---

# LECTORI BENIVOLO
## S.
## IOH. FRIDER. FISCHERUS

Quibus hoc munus, hae partes datae sunt, ut forment iuventutem atque litteris erudiant, quo habeat respublica, quorum sapientia, consilioque, et virtute, iuvetur: eorum opera non debet profecto se tam angustis terminis cancellisque circumscribere, ut viam tantummodo, quod ipsum tamen iam maius est, quam putet vulgus, ad intellegentiam illorum librorum

aperiendam familiaribus, muniendamque, arbitrentur, unde, tanquam ex illimi uberrimoque fonte, omnis scientia rerum humanarum divinarumque haurienda sit, hoc est, ad cognitionem iustam linguarum veterum, in primis Latinae et Graecae; quod facile intellegitur fieri diligenter assidueque interpretandis scriptis auctorum Latinorum et Graecorum, qui quidem in classicis numerentur, non proletariorum, omnis generis: sed cura talium magistrorum atque diligentia eo etiam procedere debet, ut animi integri, et vitiorum illecebris nondum irretiti, virtutis omnis amore devinciantur, atque imbuantur; ut mature assuescant videre, quid reiiciendum sit et fugiendum, quid sequendum et amplectendum; ut cognoscant, quid salutem hominum cum singulorum, tum universorum, tueatur et sustineat, quid oppugnet eandem, quid debilitet, et perdat; ut, vanitate rerum humanarum et fragilitate cognita planeque perspecta, eas contemnere discant, neque iis unquam moveantur; ut quam nulla usquam ratio habenda sit famae popularis, stultorum improborumque, adde etiam mulierculárum, consensu excitatae, quam unice omnibus in rebus bonorum, quamvis paucorum, sapientiumque, iudició standum, quam longe recte factorum conscientia sit vel victoriis omnibus triumphisque anteferenda, intellegant: quae omnia, et innumera id genus alia, quomodo possint melius, quomodo, ut ita dicam, efficacius, doceri, quam enarrandis libris historicis, hoc est iis, in quibus ut civitatum, ita privatorum hominum, facta non minus et fata, quam caussae eorundem et initia, demonstrentur et explicentur; virtus insigni praemiorum commodorumque infinitorum choro stipata ostentetur et laudetur; vitia deformi poenarum caterva incommodorumque multiplicum cincta vituperentur et obiurgentur: ego sane non video. Sed in hoc tamen genere librorum, quis dubitet, quin praestent maxime et excellant ii, in quibus quid in toto terrarum orbe, saltem in maxima illius parte, omnibus saeculis gestum sit, diligenter copioseque expositum legatur? Nam et rerum varietas maior ibi offenditur, quae iam ipsa magis oblectat, allicit, tenet: et docilitas indagandique cupido tironum latiorem quasi uberioremque campum, ampliores regiones, nanciscitur, in quibus venetur, quaerat, investiget, deprehendat ea, quae ostendi, omnino omnia. Quod institutum quam multas haberet, quam magnas, quam incredibiles, utilitates,

quae ad omne genus hominum omnis aetatis pertinerent, quae vim suam veluti per omne vitae spatium diffunderent, quum sapientes inter Graecos et inter Romanos viderent: exorti sunt in utraque civitate, qui sibi potissimum hoc in genere elaborandum, doctrinamque et ingenium consumendum, existimarent. Sed quia de Romanis instituimus dicere, Graecos iam non attingemus.

Atque primum quidem, qui Latino sermone res gestas omnium totius orbis populorum, maxime tamen Graecorum, libris quatuor et quadraginta complecteretur, Trogum Pompeium fuisse accepimus: quibus eius libris paullo longioribus, ut sunt homines fere remissi parumque patientes, non multi tunc quidem lectores videntur contigisse. Quae ipsa res, ut opinor, Iustinum, quem Vossius, et alii, saeculo imperatoris Antonini Pii vixisse volunt, impulit, ut e Trogi Opere, quomodo ipse ait, breve florum corpusculum faceret, si forte brevitate plures ad legendum invitarentur: an recte et prudenter satis, iam non est quaerendi locus. Ego quidem si id agerem, sperarem me facile vel nostrorum hominum sive imperitiae, sive neglegentiae et inertiae, exemplo docturum confirmaturumque, Iustinum non omni culpa vacare, quod eruditissimo cuique ipsorum Trogi librorum iactura et veluti naufragium tantopere dolendum esset. Neque vero ipsa oratio, dicendique genus, quo usus est in conficienda hac Epitoma Iustinus, videtur eiusmodi esse, ut committi recte iis possit, qui linguae Latinae naturam et nativam pulcritudinem noscere velint. Nam non solum in verbis singulis, formulisque loquendi, non pauca sunt, quae peritos offendant, et a consuetudine dicendi eorum, quorum libri pro quodam quasi canone et regula Latini sermonis habeantur, abhorreant, et quae nemo adeo, qui quidem cupiat eleganter scribere, imitari possit: verum in tota quoque orationis forma, et in ipsis sententiis, nimis multa, nimisque expressa laudis ingenii cuiusdam singularis affectationis, communis fere omnium scriptorum posterioris aetatis vitii, vestigia extant, quae ut omnino nusquam probatur, ubique offendit, ita turgidam et frigidam maximeque ingratam efficit orationem: a quo orationis tumore, et nimis quaesita diligentia, eloquentiae verae studiosos diligenter avocari ab ineunte aetate oportere, quis non intellegit? Sed quia Iustinus in suo genere unicus est,

cuius libri ab iis, qui res totius orbis simul, et ea mente, cognoscere velint, ut quomodo suam, et aliorum aliquando, vitam gubernare et moderari debeant, exemplis quam plurimis admoniti videant, non sine summa utilitate, et vero etiam voluptate, legi possint: non modo olim saepissime et manu, et stanneis formulis, adiumento machinarum, descripti sunt, sed etiam nunc a multis scholarum magistris legendi tironibus historiae Catholicae, sapienti mehercule consilio, proponuntur.

Etsi enim neminem facile tam iniquum, neque tam cupidum ieiunumque futurum confido, qui neget, populares nostros ipsius quidem litterarum scientiae doctrinaeque laude et fama semper in primis floruisse, et aut aequiparasse illa exteros, aut etiam vicisse: tamen fateri nos contra et dare oportet, studio auctorum veterum utriusque linguae e libris manu scriptis edendorum, horumque inter se comparandorum, nostros homines ab exteris paene omnibus, ut Italis, Francogallis, Britanis, Batavis denique, longissime esse superatos. Cuius rei caussa profecto non tam in neglegentia et inertia Germanorum, certe non omnium, esse enim, qui bonis suis vel nolint desides uti, vel non possint rudes, non negaverim, quaerenda debet videri, quam potius in penuria librorum scriptorum, quibus eae, quas laudavi, civitates etiam abundant. Quod ut de aliis scriptoribus antiquis, ita et de Iustino est omnino dicendum, cuius libros sane non ita emendatos haberemus, nisi exterorum bibliothecae tantam tamque largam bonorum exemplarium copiam, quorum ope a Viris doctis labes delerentur, prava corrigerentur, liberales suppeditassent: de quibus Codicibus quae nobis in notitiam venerunt, ea nunc, age, breviter referamus: reliqua alias, Deo volente, daturi. non enim una hebdomas omnia docet, neque trium mensium spatio comparare inter se tot libros veteres homini multis aliis laboribus districto licet, neque bibliothecae Lipsienses Iani aediculae sunt, quas Mars reseret, Pax cludat.

Atque primas quidem Iustini editiones, de quibus postea dicetur, adornatas fuisse e libris scriptis aut singulis singulas, aut etiam pluribus, res ipsa loquitur. Eas vero omnes quum sibi Italorum industria et diligentia vindicarit: dubitari non potest, quin et scripti illi libri in Italia fuerint reperti. Quae ipsa Italia tres alios etiam Codices, cum e nobili illa biblio-

theca Medicea, tum e Magliabequiana, praebuit, quorum varietate lectionis, beneficio Patrui sui, usum se fuisse testatur Gronovius nepos: et Montefalconius se duos in Vaticana, unum in Maximiana, bibliotheca reperisse, praeter alios*), cum in Diario Italico**) ait, tum per litteras eidem Gronovio significavit. Aeque benigna et liberalis, etiam hoc in genere, in Iustinum fuit Francia. Quum enim magnus ille Bongarsius consilium de illo emendando cepisset: contigit, ut humanitate civium suorum, nominatim Iac. Cuiacii, Pe. Danielis, Pithoeorum fratrum, Claudii Puteani, et Olivarii Aligreti, adiutus, praeter varietatem lectionis ad marginem trium editionum veterum e Codicibus nescio quibus enotatae, consulere et comparare decem libros scriptos posset: et Iac. Gronovium novimus Codicem Thuaneum cum libris editis contendisse; qui labor ne esset frustra a parente susceptus, filii virtute effectum constat. Sed iam ante Bongarsium et Gronovium in recognoscendo Iustino Codice Gymnasii Lexoviensis membraneo, saeculo circiter duodecimo scripto, usus erat Pe. Danesius, Professor artium Parisiensis: cuius libri litteras propemodum exesas fuisse, in epistola ad Antonium Aussurdum ait: de quo deinde dicetur. Britania Franciae ut nunc, ita semper aemula, nec hac in re voluit haberi inferior. Etenim non solum Britani ipsi Iustinum cum quatuor libris scriptis suarum bibliothecarum, ut Bodleianae, Vestmonasteriensis, Collegii Novi, Corporisque Christi, Oxoniensis, diligenter collatum edidere, sed Gronovius etiam, quem ante laudavi, se et Cantabrigiae Excerpta Iustini quaedam inspexisse, et Londini in ipsa bibliotheca Regia Codicem integrum excussisse, ostendit. Quid porro de Batavis dicam? quorum bibliothecas libris auctorum veterum scriptis refertissimas esse, quis nescit? In Iustino quidem recensendo eidem illi Gronovio adire licuit, tam liberales, tam faciles, tam dissimiles Quindecimvirorum, esse in ea civitate bibliothecis praefecti solent! ad quinque Codices, Perizonianum chartaceum unum, duos Vossianos, iam ab avo consultos et deinde in bibliothecam Leidensem una cum eo, cuius dominus Perizonius fuerat, illatos, aliosque praeterea

*) Vid. Diar. Ital. pag. 67. 374. et 375.

**) pag. 452.

duo, membraneos omnes. A quibus an diversus fuerit ille, quem Boxhornius commemorat in suis ad Iustinum animadversionibus, ignoro: cur, mox dicetur. Neque tamen Germania Iustinum omnino destituit inornatumque reliquit, sed e Fuldensi bibliotheca Francisco Modio, illi Curtii sospitatori, tradidit libros scriptos duo, quorum auxilio locis Iustini corruptis mederetur. quod ille an diligenter satis, et fideliter ubique, fecerit, viderint, quibus librorum illorum copia est. Mihi quidem, Britanis exceptis, non Modius tantum, sed et reliqui, quos in Iustino edendo Codices adhibuisse demonstravimus, parum videntur consuluisse posteris, saltem non satisfecisse multorum, in quibus et ego nomen profiteor meum, cognoscendi omnia aviditati. Bongarsius probavit ille quidem incredibilem diligentiam, et admirabilem prorsus laboris patientiam, quam si molli et ignava et luxuriosa nostrorum hominum, praesertim leguleiorum imberbium, vita metiare, vix credas cadere potuisse in talis sortis et fortunae hominem. Contulit enim decem illos, de quibus dixi, Codices, non ex parte et in locis tantum dubiis et depravatis, suorum temporum more, sed totos: non ignorans, quam saepe etiam in verbis librariorum inscitia corruptis verae lectionis vestigia laterent, facile a peritis sagacibusque deprehendenda et odoranda. At primo non docet, Codices illi membranei fuerint, an chartacei: antiquis, an recentioribus temporibus scripti: de quo etsi certiores facere posteros debuisset, tamen quum de ipsa librorum bonitate, prolatis eorum lectionibus, iudicandi facultatem dederit, neque antiquitas eorundem semper spectanda sit, non ita valde reprehendendum videtur. Deinde si profert lectionem aliquam aut ex uno, aut e pluribus Codicibus, se eam fere simpliciter dicit invenisse in libris scriptis, non addito nomine possessoris, ita ut si nosse cupias, quae sit, verbi caussa, Cuiaciani Codicis lectio, quae Puteanei; fuerintne ex aliis ducti, an caeteri ex iis: eos denuo comparare, et de antiquitate illorum quaerere, necesse sit. Ex quo quam parum, etiam summa sua diligentia, laborem posterorum sublevarit summus Bongarsius, quam parum iis consuluerit, quis non videt? Modius, et, quod mirari satis non possum, etiam Gronovius nepos, non solum fere eadem peccata admisere, sed cumulaverunt etiam aliis. Ille quidem non raro provocat ad auctoritatem Codicis Fulden-

sis alterius: sed quia nusquam notam ostendit, qua alter dignosci ab altero et discerni queat; utrumque enim membraneum memorat fuisse, nihil praeterea: nonne incertus eris semper et haerebis, utrum significarit? Gronovius quoque non semel se hanc vel illam lectionem in libris scriptis, in duobus pluribusve Codicibus, reperisse ait*): sed in quibus, non addit. Uterque libros suos non totos, quod de Bongarsio praedicavimus, comparavere, sed ad eos in locis tantum corruptis, de quorum lectione vera vel ipsi dubitarent, vel alios dubitare viderent, adierunt: unde nec mirum debet videri, Gronovium nusquam docere, libri sui diversine fuerint omnes, an unus eorum ex altero, veluti e fonte rivus, manarit. Sic vero eum, et Modium, nemo facile dixerit, opera sua posteris omnino multum profuisse**). Sed de libris scriptis Iustini hactenus. veniamus ad editos, de quibus ita dicere conabimur, ut unde quisque ductus sit, quantum adeo cuique tribuendum, appareat.

Omnium autem, ut opinor***), editionum Iustini primis duabus, quarum altera Venetiis fuit anno septuagesimo saeculi à C. N. quinti decimi a Nic. Iensono, altera duobus annis post a Cunr. Suenhemio et Arnoldo Panartio Romae, adornata, usus est, sed ita ut nec usus videri possit Gronovius nepos. namque ut libros manu scriptos, ita et editiones scriptorum veterum principes, hoc est, e libris scriptis ductas, quarum nec copia semper et ubivis locorum detur, aut prorsus non, aut ita diligenter, censeo, et quis non idem censeat? conferendas totas esse, ut futuri auctorum editores hoc labore supersedere possint. At vero Gronovius in consulendis illis Iustini exemplaribus tam neglegens fuit, ut ne formam quidem foliorum, quibus descripta sunt, usquam indicarit. Profecta autem illa esse e Codicibus diversis, etiam ex paucis eorum

*) Vid. v. c. XV. 2. 1. XVIII. 1. 6. et 7. 1.

**) De Gronovio vide quae diximus in Notit. Litterar. Vol. I. ed. nostr. pag. XXXVI. Fr.

***) Fieri potest, ut Iensonianam antiquitate superet Romana, quae cura Udalrici Galli, s. Hanii, sine anni indicio forma maiore, prodiit. nam huius Viri officina iam duodeseptuagesimo anno saeculi quinti decimi celebris fieri Romae coepit. Metarius tamen, cui eius notitiam debeo, eam postposuit Iensonianae: quo ductus argumento, nescio.

lectionibus, quas illi afferre visum est, satis patet. Proxime ab his editionibus, quantum indagare potui*), exiit illa, quam anno eiusdem saeculi sexto et septuagesimo Kalendis Iuniis Mediolani absolvit Christophorus Valdarferus, Ratisbonensis, expressa et ipsa e libro scripto bonae notae, sed diverso ab iis, e quibus duae superiores fluxerant, nec manus emendatrices passo. Hoc quidem eo manifestum planumque arbitror fieri, quod loca multa, quamvis aperte depravata, quae proclive cuivis fuerit corrigere, tamen non correcta ibi legantur**): ut nihil de ratione scribendi dicam***), quae ipsa mihi id, quod ostendi, satis videtur arguere. De ipsa autem Codicis bonitate, quem expressit Valdarferus, iudicari facile ex eo potest, quod lectiones illius fere cum lectionibus optimorum librorum, Bongarsii in primis et Britanorum, conveniant†). Diversum denique eundem a reliquis fuisse, comparatio lectionum eius cum lectionibus priorum editionum, a Gronovio prolatis, ita docet, ut dubitari non possit. Caeterum constat haec Mediolanensis editio, etiam titulo seu indice destituta, plagulis formae, quam

*) Cognovi quidem ex eodem Metario, iam anno huius saeculi quarto et septuagesimo Iustinum tertium descriptum formulis fuisse ab Antonio Zaroto Mediolani. Sed vereor, ne haec editio ducta fuerit e Iensoniana. In utraque certe leguntur duo versus hi: *Historias veteres peregrinaque gesta revolvo Iustinus. Lege me: sum Trogus ipse brevis.* Unde eam in editionibus principibus non numerandam censui, donec eius cum Iensoniana comparandae copia data fuisset.

**) Vid. v. c. IV. 5. 6. V. 1. 3. VI. 7. 5. VII. 1. 11. et 2. 14. XIII. 2. 7. et 3. 7. XIV. 9. 11. XVI. 3. 3. 7. XVII. 1. 3. et 4. 7. coll. 1. 4. XVIII. 3. 8. et 4. 9. et 5. 15. et 6. 4. et 7. 13. 14. XX. 3. 5. XXI. 1. 2. et 2. 10. XXV. 2. 8. XXVI. 1. 10. et 2. 3. XXVIII. 3. 14. XXXV. 1. 7. XL. 1. 2. etc.

***) Scribitur ibi v. c. *tcaeteri*, *scruptator*, *sapnium*, *diadaema*, *vaendere*, *cybus*, *praecaedere*, *mercennarius*, *desyderium*, *praeces*, *amicicia*, *taelum*, *sagipta*, *haerba*, *efestion* (Hephaestion), *praemere*, *dissaeminare* etc. Sed huc non debet referri τὸ *execandas* pro *exaequandas* [V. 2. 12.]: in quo veteris potius emendataeque orthographiae vestigium apparet. Sic *condam* in MS. Bong. III. 2. 3. et in Ald. ubique scriptum legitur *cotidianus*, *cotidie* etc.

†) Vid. v. c. XIV. 4. 16. XVI. 4. 2. XVII. 3. 10. XVIII. 1. 4. et 2. 11. XXIV. 2. 2. et 4. 6. XXV. 2. 11. et 4. 8. XXVI. 1. 2. et 2. 3. 5. XXXI. 8. 8. et 2. 3. et 5. 5. XXXII. 3. 4. XXXIV. 3. 8. XXXV. 1. 1. XLI. 5. 10. XLII. 3. 6. etc.

folium minus vulgo appellamus, quatuor et quinquaginta: quae ut nullis numeris signatae sunt, ita custodes nulli, nulla divisionis signa in extremis versibus, nulla commata usquam, neque semicola, sed eorum loco ubique duo puncta, apparent. Plures editiones Iustini principes, quae quidem e singulis libris scriptis, hoc saeculo, fluxissent, neque videre nobis contigit, neque ab aliis Viris doctis consultas esse scimus. Nam quatuor illae Venetae *), quae a Metario commemorantur, an sint principibus annumerandae, definiri prius non poterit, quam fuerint cum prioribus diligenter comparatae. id quod et de Mediolanensi tertia tenendum est, quae anno secundo saeculi sexti decimi maiore forma prodiit.

Sed saeculo hoc ineunte, aut etiam superiori iam extremo, extiterunt, qui Iustinum ad plures libros recensendum, et lectiones optimas, iudicio adhibito, delegendas e quoque, censerent. Primus, quod sciam, facere illud instituit Marcus Antonius Sabellicus, magni illius Pomponii Laeti discipulus: cuius tamen editio ubi primum, et quando, exierit, certo quidem non scio; nunquam enim vidi; sed coniicio, eam Venetiis ab Antonio Moreto, Augustinum Becharium nominat Fabricius, curatam esse. Huius certe Moreti diligentiam summo opere laudat ipse Sabellicus in epistola ad Ioh. Matthaeum Contarenum, Virum patricium, cui hanc suam Iustini editionem inscripsit. Ea epistola praefixa legitur Iustino, Parisiis a Ioh. Parvo octonis, sed satis neglegenter, curato: ex qua tamen editione, quum tota ad Sabellicanam expressa sit, universe iudicari posse videtur, quid praestiterit doctrina Sabellici. Deprehendi autem huius Parisiensis editionis lectionem convenire saepe cum Mediolanensi exemplo **), interdum etiam cum libris scriptis ***), ita ut in eam opinionem veniam, ut Sabellicum putem, praeter Codices manu scriptos, superiores quoque editiones consuluisse, nonnunquam tamen ab iis recessisse †). Parisiensem duobus an-

*) A. CIƆCCCCLXXVIII. A. CIƆCCCCLXXIX. apud Philip. Condam. A. CIƆCCCCLXXXIV. et A. CIƆCCCCLXXXXVII.

**) Vid. XIV. 1. 2. 4. 7. et 6. 3. XV. 1. 2. et 3. 3. 8. XVI. 2. 9. et 3. 7. XVII. 1. 3. XXXXIV. 3. 8. etc.

***) Vid. XXIII. 3. 2. XXIV. 2. 8. XXVI. 1. 9. et 3. 3. etc.

†) Sic discrepat haec Parisiensis editio non solum a Mediola-

nis post excepit Veneta, a Ioh. Tacuino descripta: quam ipsam credo factam esse ad plures libros: quis vero recensuerit, nusquam docetur. Exhibet saepe lectiones et librorum scriptorum *), et priorum editionum, maxime Mediolanensis **), sed et multas proprias ***) habet apprime bonas, sed temere a reliquis editoribus mutatas et relictas, ut peritum doctumque Virum ei praefuisse, ipsamque e bonis libris adornatam esse necesse sit: quamvis, quod ad orthographiam attinet, non summa ubique diligentia adhibita fuit †). Editionem Viennensem, quae a Berneccero et aliis Camertis quoque editio vocatur ††), ipse non vidi, sed eam anno septimo decimo sexti decimi saeculi quaternis emissam esse, Metarius me docuit, atque e lectionibus, quas nonnulli Iustini interpretes inde protulerunt, facile licet coniici, eam non tam e scriptis libris, quam ex editis reliquis †††), manasse. Petrum Danesium autem, a quo libri Iustini

---

nensi: vid. II. 10. 18. IV. 2. 5. et 3. 1. 4. V. 4. 6. XVI. 4. 12. et 5. 3. XVII. 2. 1. 4. 6. XVII. 2. 12. XXIV. 6. 7. XXXI. 8. 6. etc.; sed et a Becharians, qua Vorstius usus est: vid. V. 4. 1. XXIII. 4. 9. Unde aut diversa est Sabellicana a Bechariana, aut Parisiensis non expressit fideliter ubique Sabellicanam.

*) Vid. XIII. 8. 7. XIV. 1. 7. XXXIII. 1. 2. XXXXI. 1. 9. et 4. 3. XXXXII. 1. 5. et 2. 9. XXXXIV. 3. 5. etc.

**) Vid. XIII. 7. 8. et 8. 1. XVII. 1. 5. et 2. 1. et 3. 6. 9. 10. XVIII. 2. 12. et 3. 11. XXIII. 3. 8. XXVIII. 3. 14. et 4. 7. XXXII. 2. 1. 3. 7. 8. etc.

***) Vid. III. 5. 4. 7. et 7. 6. V. 2. 1. 12. et 3. 8. VI. 2. 4. et 9. 4. 7. VIII. 3. 6. et 4. 4. 7. XX. 1. 13. XXVII. 1. 4. etc. In primis pertinent huc, quae bene tenenda sunt, loca duo, quae Graevius putabat se primum e Iuntina restituisse, sed quae iam in Veneta hac nostra reperisset restituta, si eam vidisset. XIII. 7. 2. *Therae insulae*, pro vulg. *Theramenis ins.* XXXXIII. 3. 10. *proci essent*, pro vulg. *processissent.*

†) *Sociorum*, pro *sauciorum*, XXIV. 8. 12. Codicis antiqui scripturam arguit. Caeterum Index eius hic est: *Iustini ex Trogo Pompeio historiae cum multis memorabilibus in margine. Addito insuper indice; quo facilius notatu clariora reperiri possint: nuper emendatae.* Ad calcem leguntur ista: *Impressum Venetiis per Ioannem Tachuinum De Tridino M. CCCCC. XII. die vigesimo tertio Septembris.* fol. Est in bibliotheca Senatus Lipsiensis amplissimi.

††) Vid. Bernecceras ad VIII. 4. 12.

†††) V. c. XII. 6. 6. cum Veneta exhibet *iracundum*, pro vulg. *iracunde.*

anno undevicesimo dicti saeculi recogniti fuerunt, in ea recognitione vetustissimo potissimum Codice adiutum esse supra significavimus, et ipse in epistola ad Antonium Aussurdum, hic enim hoc exemplum, Ioh. Parvi sumtu, Lutetiae formulis descripsit, praedicat, se tam diligenter versatum in eo negotio fuisse, ut quum illos mancos antea et mutilos circumtulissent, sua tandem opera integritati restituti essent*). Tantam diligentiam, tantam laboris patientiam, tantum bonas litteras iuvandi studium, suspicere poterat ea aetas in suis Graecarum litterarum Professoribus! Paullo post, anno secundo et vicesimo, eundem laborem Franciscus Asulanus suscepit, qui, ut ipse ait, Iustinum diligentissime castigatum emisit octonis. Ea diligentia fuit in eo posita, ut contenderet libros vel scriptos, vel editos antea, ex iisque, quae optima ipsi lectio visa esset, eam reciperet, quaedam etiam e coniectura corrigeret. nam vidi, lectiones huius editionis, cuius usum nobis insignis humanitas Ioecheri nostri, Viri summe reverendi, quod gratus agnosco, concessit, multis in locis non discrepare a lectionibus Codicum scriptorum, quae in aliis editionibus non habeantur**). unde quis dubitet, quin Asulanus usus sit libris scriptis? Sed quum multas etiam lectiones sequutus fuerit, quae iam in exemplum editionis Venetae***), aliarumve, receptae inveniantur: nonne veri simile videatur, eum, ut hanc, ita et alias fortasse editiones antiquio-

---

*) Titulus est: *Iustini Epitome* (cum Floro et S. Rufo) *impressit Chalcographus fidelissimus Antonius Aussurdus impensis Ioh. Parvi.* Lutet. Paris. CIϽIϽXIX. fol. Epistolam Danesii ad Aussurdum totam inseruit Annalibus Typographicis [To. II. P. I. pag. 85.] Metarius. Ignorant hanc editionem editores Iustini recentiores omnes. De Bongarsio tamen non ita expedita res est.

**) Vid. XI. 4. 5. et 14. 2. et 15. 7. XII. 2. 12. et 5. 5. XIV. 6. 3. XV. 2. 1. et 3. 8. 15. XVI. 2. 1. et 3. 7. et 4. 8. XVII. 2. 9. 15. XVIII. 1. 1. et 2. 6. et 5. 15. et 6. 5. et 7. 1. 2. XX. 2. 4. et 5. 13. XXIV. 6. 6. et 8. 16. XXVII. 1. 2. XXVIII. 3. 3. 8. XXXI. 4. 8. XXXV. 2. 1. XXXVI. 3. 6. XXXVII. 3. 4. et 5. XXXVIII. 2. 8. et 5. 5. 7. XXXIX. 1. 3. XXXXII. 5. 1. XXXXIV. 3. 5. et 4. 2. etc.

***) Vid. II. 15. 2. 9. III. 3. 4. et 6. 5. IV. 2. 4. et 5. V. 1. 3. et 2. 3. 13. XI. 5. 3. 6. et 6. 8. 9. XVIII. 4. 9. et 5. 7. XXXVIII. 9. 9. et 10. 2. XXXIX. 3. 7. et 5. 4. XXXXI. 5. 2. XXXXII. 2. 9. et 4. 2. XXXXIII. 1. 13. etc.

res, adiisse? Quod autem lectio huius editionis nonnunquam a lectione omnium librorum cum scriptorum, tum editorum, recedit, sed proxime tamen ad eam accedit*), propterea suspicari licebit, Asulanum nonnulla sponte atque ex ingenio emendasse suo, dum reperti fuerint libri, in quibus eaedem lectiones extent, et qui ab illo, tanquam quaedam Apollinis oracula, de perplexis et obscuris interrogati videantur. Ex hac Asulani editione suam derivarunt propemodum totam Iuntae triennio post, locis tamen aliquot exceptis**), ubi reliquerunt Aldinam, ita ut eos aut aliis libris usos esse, aut coniecturam sequutos, oporteat. Certe laudes, quibus Graevius etiam cumulat, nec immerito, Iuntinam, saepe Aldinae debentur: quod quidem mirandum est eo minus, quia Aldinam non viderat Vir summus, uti nobis Iuntinam non contigit inspicere. Sed e lectionibus nonnullis, quas Gronovius nepos attulit, quas Graevius non commemorat***), quis non suspicetur, eam ab illo non totam cum libris aliis comparatam esse, neque semper laudatam tum, ubi lectionem vulgata deteriorem exhiberet? Georgius Maior, qui proximus a Iuntis Iustinum ita edidit, ut lectionis rationem haberet; de Ioh. Sichardi enim labore, quem Modius et Berneccerus valde laudant†), mihi nil constat; nullos ille quidem libros scriptos consuluit. nam Codices et exemplaria, quibus se dicit usum esse, libri editi fuerunt: quos ita adhibuit, ut collectas e singulis optimas lectiones reciperet, reliquas in margine poneret cum quibusdam, sed perpaucis, coniecturis propriis. Quam operam a Maiore in re-

---

*) Ita v. c. XX. 5. 12. in MSS. *proditionis eius damnatur.* nullo sensu. Sed in Ald. legitur *proditionis* reus *damnatur.*

**) Vid. I. 3. 6. et 4. 12. et 6. 10. et 7. 15. II. 4. 10. 23. et 6. 9. et 8. 1. et 9. 13. et 10. 1. IV. 1. 16. V. 3. 6. VI. 6. 3. et 8. 5. et 9. 4. VIII. 1. 14. IX. 1. 7. et 2. 6. et 6. 3. XI. 4. 5. XII. 8. 9. XIII. 1. 8. et 6. 3. et 7. 10. XV. 1. 6. XVII. 2. 1. XVIII. 7. 18. XX. 4. 5. XXII. 6. 9. XXIV. 6. 6. et 8. 2. XXVI. 1. 5. 9. etc.

***) Vid. v. c. XII. 8. 15. XVIII. 1. 1. etc.

†) V. c. ad V. 9. 10. Prodiit Iustinus cum Sichardi Maiorisque notis Basil. apud Barthol. Vesthemerum A. CIƆIƆXXXXIII. octonis. Quae Sichardi notae an diversae sint a Commentariolo, quo instructus eadem in urbe A. CIƆIƆXXXIX. ex officina Insingrinia quaternis exierat, nescio.

cognoscendo repurgandoque Iustino positam ipse Philippus Melanthon, at quantus Vir! in epistola ad Christophorum Stalbergium vehementer praedicat*). O! si vel hoc Maioris exempli omnes Theologi moverentur, ut Criticae arti, verae interpretationis ut omnium librorum, ita et divinorum, primo unicoque propemodum praesidio, plus studii tribuere inciperent, neque eam et ipsi contemnerent, et alios vel avocare, ut fit, et dehortari ab eius studio conarentur, vel ob illius scientiam impietatis accusare impotentes insolentesque sustinerent: sed quis, quaeso, aestimet magni ea, quae ipse non teneat? quis non abominetur artem, quam ipse discere diffidat? in primis si sit a quaesticulis segregata, neque famam popularem, magnum hercle inscitiae solatium, excitet? quam multos doctores, Melanthonis et Maioris similes, populares nostri essent nacturi, qui sacras litteras non ex suo ingenio nugisque philosophicis, sed e legibus Grammatices linguarumque indole, interpretarentur: qui non de veritatibus caelestibus et magnis, quae nullae sunt, quas Grammatici et Critici, impii scilicet homines, aeternoque, quod Deus prohibeat! exitio digni, ignorant, inepti somniarent, sed de dogmatis decretisque sectae Christianae, quae sola norunt miselli Grammatici, cogitarent, et dissererent eleganter scriberentque polite, et ita, ut ab omnibus, non tantum a suis simiis et psittacis, intellegerentur facile, et libenter legerentur**)! Sed ohe! iam satis est querelarum! Illuc revertor. Non solum Maioris, sed omnium omnino superiorum editorum Iustini, diligentiam longe superavit Iac. Bongarsius, ita ut cum Fabro***) vere dici primus Iustini servator, et cum

---

*) Legitur illa in editionibus Iustini, quae cum notis Ge. Maioris prodiere Hagenoae A. CIϽIϽXXVI. et A. CIϽIϽXXXIII. quaternis: e quibus expressa fuit Coloniensis A. CIϽIϽXXXXIX. octonis, qua nos usi sumus.

**) Cic. Tusc. I. 3. de suae aetatis philosophis: *Fieri potest, ut recte quis sentiat, et id quod sentit, polite eloqui non possit. Sed mandare quenquam litteris cogitationes suas, qui eas nec disponere, nec illustrare possit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis est intemperanter abutentis et otio et litteris. Itaque suos libros ipsi legunt cum suis, nec quisquam attingit, praeter eos, qui eandem licentiam scribendi sibi permitti volunt.*

***) Vid. ad XXVII. 3. 12. extr.

Bernecero*) unicus ejusdem sospitator possit. Hic non modo libros scriptos decem, editosque tres cum scriptis collatos, ut supra demonstravimus, consuluit, et ad eos ipsum verborum contextum recensuit, diversitatemque lectionis reliquam in peculiarem libellum coniecit, in quo quid reprehendendum videretur, ante ostendimus: sed animadversiones quoque adiecit, in quibus coniecturas multas egregias protulit. Quae quidem omnia formulis tam accurate sunt, tam eleganter, descripta, ut nihil accuratius hoc in genere, nihil elegantius, viderim. Cavit vero, qua erat sapientia, diligenter Bongarsius, ne reciperet quidquam, quod non confirmari vidisset librorum veterum auctoritate, ita ut etiam ea, quae in uno tantum libro, neque eo optimo, reperisset, uncinis coërceri iuberet. Caeterum editionum illarum, de quibus exposuimus, fere nullam, neque Mediolanensem, neque Parisiensem, neque Aldinam**), certum est ab eo consultam fuisse. multae enim, et in his perquam bonae, lectiones ibi extant, quae ille non attigit: quod, si eas inspexisset, quis credat eum in hac summa sua diligentia commissurum fuisse? Haec igitur Bongarsiana editio ita omnibus, summo suo merito, probata est, ut qui Iustinum postea vellent denuo edere, eam fere sequendam censerent: quorum quidem principes, age, commemoremus. Primus autem fuit Franciscus Modius. Hic enim non ita multo post***), eodem saeculo, Francofurti a Ioh. Vechelo recudi duodenis curavit exemplum editionis Bongarsianae totum, ita tamen, ut locis quibusdam †) lectionem paullo aliter consti-

*) Vid. ad verba praefat. *ad te non tam* etc.

**) Vid. v. c. XXIV. 2. 2. et 8. 16. XXV. 1. 5. et 2. 8. XXIX. 1. 10. et 11. XXXI. 5. 6. 9. et 6. 6. XXXII. 1. 5. XXXVII. 2. 7. XXXVIII. 9. 7. et 10. 2. XXXIX. 3. 1. 4. XXXXI. 1. 6. et 5. 10. XXXXIII. 2. 10. Sed usus est Veneta, aut alia ex ea expressa: vid. XXXVIII. 8. 2. 3. et 9. 9. XXXXI. 1. 9. XXXXII. 3. 6. et 5. 1. XXXXIII. 2. 8. et 3. 5. 9. et 4. 6. et 5. 11. XXXXIV. 1. 7. et 4. 9.: et praeter eam aliis, a nostris diversis: vid. XXII. 2. 11. et 6. 12. XXV. 2. 5. et 4. 5. XXVI. 2. 4. XXVII. 2. 3. XXVIII. 3. 10. 16. XXXXII. 4. 2. etc.

***) Nos usi sumus edit. A. CIↃIↃLXXXXI. Edit. Bongarsiana ipsa prodiit Paris. A. CIↃIↃLXXXI. octonis.

†) V. c. I. 10. 1. *principum:* ibid. 6. *Hystapsis:* ibid. 15.

tueret, propriasque animadversiones adderet, in quibus lectiones in primis librorum Fuldensium laudat, coniecturasque quasdam non contemnendas proponit. De Elia Vineto, Victorino Strigelio, Dan. Pareo, Theophilo Cangisero, qui decem libros priores notis illustravit, non est quod hic multis dicamus, quia, expresso Bongarsii exemplo, non tam Critices, quam historiae, rationem habendam censuere. Sed Matthias Bernecccerus quamquam et ipse Bongarsii textum fere servavit, tamen cum e sui, tum e Freinshemii, ingenii thesauris multa depromsit, quae ad diiudicandam multorum locorum lectionem genuinam facerent. Adiecit etiam verborum formularumque indicem copiosum, a Freinshemio confectum, et libros singulos in capita, haecque in sectiones minores, descripsit: quae descriptio multis posteriorum editorum Iustini, ut Graevio, Vorstio, Scheffero, Gronovio, tam utilis lectoribus, et tam opportuna, visa est, ut eam retinendam putarent. Post Bernecccerum, cuius editio aliquoties superiori saeculo Argentorati repetita fuit, de Iustino bene meriti sunt Boxhornius *) et magnus ille Isaacus Vossius. Illius notae, vix quartam unius plagulae partem complentes, continent coniecturas varias, lectionesque libri scripti Leidensis, de quo supra memoravimus. Vossius autem in suis annotamentis, paullo uberioribus illis, multa in primis loca restituit, egregieque illustravit, ubi de populis antiquis, urbibus, aliisque id genus rebus, exponitur. Uterque, quod ad ipsum textum Iustini attinet, Bongarsianum exemplum sequutus est, ut deinde Thysius quoque et Schrevelius. Graevius vero, in cuius editionibus Breviaria capitum primum reperi, non modo Iustinum luculento Commentario instructum emisit, sed, praeeunte in primis editione Iuntina, cui, ut vidimus, plurimum tribuit, reliquit saepe Bongarsium: nusquam tamen temere et sine caussa. Commentarius eius separatim prodiit ter **): verum anno primo huius saeculi etiam adiunctis reliquorum interpre-

---

*Zopyrus:* II. 1. 20. *tot saeculorum:* ibid. *nihilominus coli, nisi — non posse videri — ultimam — sive ex aggerationibus* etc.

*) Eius editio prima exiit Amstel. A. CIϽIϽCXXXVIII. duodenis: altera A. CIϽIϽCXXXXIV. Vossiana Lugd. B. A. CIϽIϽCXXXX. duodenis, ex officina Elseviriana.

**) A. CIϽIϽCLXVIII. A. CIϽIϽCLXXXIII. A. CIϽIϽCXCIV.

tum notis. In his neque Faber, neque Vorstius, accessit ad recensendum Iustinum Codicibus scriptis adiutus, neque editiones antiquas principes ipsi consuluisse videntur. Sed uterque tamen, quod non est negandum, multis obscuris locis plurimum lucis attulit, nisi quod Faber nonnunquam, de more suo *), nimis audax in coniectando fuisse videri possit; laudandus tamen in eo, quod de coniecturis illis fere nullam receperit. Vorstius praeterea indicem quoque verborum, quem a Freinshemio compositum memoravimus, altero propemodum tanto pleniorem redditum suae editioni subiecit. Sed audacia libidineque emendandi et corrigendi, quae prava et vitiosa non essent, omnes facile vicit Ioh. Schefferus, Vir caeteroquin longe doctissimus, sed in coniecturis faciundis parum felix. voluit enim Iustinum ita cogitare et scribere, ut se: quomodo hodie multi divinos scriptores vocabulis eas notiones subiecisse putant, quas iis subiicere didicerint e Lexicis diebolaribus, aut etiam e Compendiis philosophicis, et Systematis Theologicis. Facilis sane, sed etiam perquam periculosa et incerta, ratio emendandi et interpretandi scriptores veteres, quae saepius cogat retractare dicta, quae peritis ut stomachum faciat semper, ita et cachinnum moveat interdum. Caeterum et index vocabulorum huic ipsi Scheffero magnam incrementorum suorum partem debet. Sed post Bongarsium Modiumque et Graevium, quid enim de Canteliis, Iunquerisque, et eorum similibus, dicam? optime omnium mihi quidem videntur de Iustino meriti esse Britani, nominatim Oxonienses **), apud quos Tho. Hearnius eius libros denuo ad Codices scriptos quatuor diligentissime, ut ex addita varietate lectionum patet, recognovit: quam tamen editionem mihi videre non contigit. Post Oxonienses maxime laudabilem operam in recensendo Iustino Gronovius nepos posuit: qui quibus instructus copiis negotium

*) Vid. Perizonius ad Aelian. V. H. XIII. 13. et Burmanus ad Phaedri Fabb. pag. 228. ed. mai. Editio Fabri ipsa exiit Salmurii A. CIϽIϽCLXXI. duodenis: Vorstiana Lipsiae A. CIϽIϽCLXXIII. octonis: Schefferiana A. CIϽIϽCLXXVIII. octonis.

**) A. CIϽIϽCLXXIV. et A. CIϽIϽCCV. octonis. Gronoviana prodiit Lugd. Bat. A. CIϽIϽCCXIX. Recedere eam interdum a Graeviana, apparebit e XII. 8. 11. XVII. 2. 15. et 3. 17. et 4. 1. XVIII. 1. 1. et 4. 3.

illud aggressus sit, iam supra commemoravimus. Sequutus est Graevianum exemplum, ita tamen ut non solum indicem verborum collocupletarit multum, sed etiam, praeter suas, avi sui notas addiderit, Graeviique lectionem paucis in locis deseruerit. Tandem Pe. Burmannus, Vir summus, Luchtmani librarii rogatu, minorem editionem Iustini duodenis, anno huius saeculi secundo et vicesimo, adornavit: in qua textu Graevii fere*) servato, adiecit lectionis varietatem e libris cum scriptis, tum editis, quibus priores Iustini interpretes usi erant: de cuius instituti utilitate pluribus in praefatione aureola exposuit. Sed multa ibi, operarum maxime culpa, errata irrepsisse**), nemo, nisi qui nunquam se in eiusmodi labore exercuerit, mirabitur. Atque haec etiam de Editionibus Iustini dicenda nobis visa sunt hoc tempore; quem multi praeterea Viri docti alii in suis libris aliud agentes, veluti Acidalius, Glareanus, Gronovius avus, Peyraredus, Salmasius, Sebisius, et reliqui, emendare atque illustrare conati sunt. Restat igitur, ut breviter de nostra hac editione dicamus, si ante quaedam de Prologis historiarum Philippicarum Trogi exposuerimus.

Ii autem sicuti non in omnibus libris Iustini scriptis reperiuntur, ita eos nec in editionibus omnibus e Codicibus eiusmodi ductis extare, per se intellegitur. Ante Bongarsium quidem a nemine editi erant. cui quum contigisset, ut illos in omnibus suis Codicibus inveniret, ita quidem ut in uno singuli libris singulis Iustini, argumenti loco, praemissi essent; in reliquis Iustino ipsi praepositi universi: edidit eos inde, sed, ut ipse fatetur, ita depravatos et vulneratos, ut ullam iis medicinam adhiberi posse, paene desperaret. At non modo tamen Bongarsius ipse, et deinde Modius, porro Freinshemius, mox Vossius et Vorstius, atque etiam Abr. Gronovius, vulneribus eorum mederi aggressi sunt; sed omnia omnium conata superavit hic quidem, sine ulla controversia, opera Longeruaei, Ab-

*) Nonnunquam vidimus illum ab eo relictum esse: ut XXII. 4. 1. 5. et 5. 1. XXIX. 2. 6. XXXXI. 2. 8. XXXXIV. 4. 8. etc.

**) V. c. II. 8. 1. *deserti* pro *diserti*: II. 10. 3. *asserebat* pro *afferebat*: XI. 12. 5. *tum centum* pro *centum*: XVIII. 5. 15. *bubuli* pro *bubali*: XVII. 6. 12. lectio *scelerum* pertinet ad τὸ *scelere*, non ad τὸ *sacrorum*: XXXI. 2. 3. *servatus* pro *observatus*: XXXVIII. 5. 10. *ultioni* pro *ultimi* etc.

basis, adiuti a Montefalconio, tum in Italia commorante, trium Codicum, duorum Vaticanorum, unius Maximiani, lectionibus. Eius Viri notas idem Montefalconius, quem et quartum Codicem Venetiis in aedibus Trevisanis vidisse, sed non contendere cum vulgatis, aliis tunc negotiis impeditum, potuisse novimus, primo Diario Italico ad calcem inseruit: unde transtulit deinde eas in suam editionem Gronovius nepos. Etiam Britannos e suis libris lectionis diversitatem ad Prologos, ante Gronovium, qui et ipse tribus Codicibus Anglicanis, quatuorque Leidensibus, in his maxime Perizoniano, usus est, edidisse cognovimus: qui si genuini sunt, de quo vix dubitari posse videtur, facile apparet, quam multa a Iustino, epitomatore, omissa fuerint. Iam sequitur, ut de nobis, nostraque opera qualicunque, dicamus.

Vendiderant inde ab initiis huius saeculi usque adhuc, magno cum fructu emolumentoque suo, in ea taberna, in qua haec nostra iam editio, utinam pari successu! venit, exemplaria eius, quam Iunquerus notis puerilibus, Minellii exemplo, commaculatam deformatamque emiserat. Ego vero quum facile praeviderem, eae quisquiliae, ut summus Burmanus verissime appellat, et nugae si recoquerentur denuoque apponerentur, quanto dedecori litteris, quantae ignominiae Germaniae, forent, quantum essent ipsius librariae existimationem apud peritos omnes imminuturae; quum divenditis exemplaribus Iunquerianae editionis rogabar, ut adornarem, et nomine quidem edito, novam: ostendebam, quam periculosum illud mihi omni ex parte videretur; sed et mihi, et librariae affirmabam fore in primis honorificum, si, oppressis et reiectis Iunqueri notis, earum loco adderentur aliae, non meae, qui nil in promtu haberem, quo lucis aliquid Iustino affunderetur, praesertim post tantos Viros, qui ante me in eo etiam perpoliendo elaborassent, verum profectae a Viro, cuius doctrinae tribuerent, tribuissentque semper plurimum eruditi omnes, et quibus ad Criticen, omninoque ad veram rectamque interpretandi scriptores antiquos rationem, linguae Latinae tirones mature, veluti manu, ducerentur. Quae quum is, qui tabernae librariae praeest, audivisset, statim arripuit consilium, neque se tantam quaesticulorum rationem habere solere, ut existimationem neglegeret,

confirmabat. Sentiebat enim aliter, ac nuper ille, qui, oblata Euripidis Hecuba, vociferabatur, se animum inducere non posse, illam formulis describi, suo sumtu, curare, quod liber nimis doctus esset, qui a perpaucis hac quidem aetate legeretur, legive ita posset, ut intellegeretur. volebat nempe homo fabulas Aesopias, spiritualesque Odas et Theologicas Bibliothecas, sit venia verbis, redimere, quae etiam a mulierculis, earumque similibus, et ab iis, qui pristinam vellent barbariem in scholas reducere, avide iustoque maiori pretio emerentur. Ego igitur quum semper censuissem; qua in re mihi confido assensuros esse omnes intellegentes; Graevium fuisse Camerarii mei Gesnerique et Ernestii simillimum, hoc est, eum, cui in senatu nostrae civitatis sententiam dicere licuisset, non pedarium, qui omnes boni interpretis numeros, etiam in Iustino enarrando, implesset, id est, qui, constituta e legibus Critices lectione vera, obscura illustrasset, impedita expedivisset: eius animadversiones verborum contextui subiiciendas statui, ita tamen ut iis adiicerem, tanquam auctarium haud contemnendum, Ioh. Frid. Gronovii notas quamvis paucas, tamen summi huius Critici divina doctrina dignissimas. Unde intellegebam necesse esse, ut verba Iustini ipsa recenserentur ad exemplum Graevianum: sed quia Iunquerus, cuius editionis exemplum mihi traditum fuerat a librario, exprimi iusserat textum Bongarsii, quod ego non animadverteram statim; factum est partim mea, partim eius etiam culpa, cui mandaveram primo hoc negotium, ut in prioribus maxime plagulis lectiones Bongarsiani exempli multae remanerent: quae loca tamen ad calcem libri invenies, lector, fideliter annotata. Caeterum scito me recensuisse Iustinum ad Graevianam editionem postremam, qua, ipso Graevio auctore, nulla melior est; collatis tamen etiam reliquis. Ut autem nostra haec editio haberet, quo a superioribus editionibus discerneretur, Prologis non minus adiungere visum est lectionis diversitatem, coniecturasque Virorum doctorum, quam libellum, quo variae ipsius Iustini librorum lectiones continerentur. Et in hunc quidem libellum non modo conferre placuit lectiones Codicum Bongarsii, Gronovii, Britanorumque ex editione Burmaniana, sed locupletavi illum etiam lectionibus Editionum veterum, de quibus supra expositum est, ut Mediola-

nensis*), Parisiensis, Venetae, Aldinae, Coloniensis seu Maioris, et Bongarsianae: quos libros omnes totos inter se comparavi, opera quorundam amicorum eo in negotio adiutus: e quibus cum paternae in me liberalitatis, tum familiaritatis veteris caussa laudandus mihi est doctissimus Iuvenis, Ioh. Christianus Schmidius, Lipsiensis, non modo Iurisprudentiae, sed et humanitatis litterarum, raro hodie exemplo, studiosissimus: et Segifredus Ad. Gotlo. Bergerus, Cremensis, humanissimus Iuvenis, qui et ipse cum studio Theologiae politiorem humanitatem laudabiliter coniungit. Id vero ut faceremus, impulerunt me ea, quae Burmanus de utilitate talis instituti praeclare et intellegenter disputavit in sua Praefatione: qua, maxime minutiarum istiusmodi contemtorum eruditorumque opificum caussa, editionem nostram ornandam esse censui. Deinde ut et eo cupiditati studiosorum harum litterarum satisfacerem, laboremque eorum meo sublevarem, coniecturas Virorum doctorum, quas reperire potui, collegi, longe plures earum indagaturus, nisi operae ob mercatum instantem nimis festinassent. Ante Indicem denique verborum, quem e Graeviana editione eo transtuli, Dresigii epistolam super locis aliquot Iustineis invenies, lector; quam ideo duxi non omittendam, ne, quod satis constat commune et triste fatum omnium einsmodi libellorum esse, interiret, si ea forte futurorum Iustini editorum aliquis uti vellet. Ego quidem laborem hunc omnem, molestiorem certe, quam putent imperiti, magnos mihi fructus tulisse existimabo, si cognovero, tibi, lector, conata mea tironum studia iuvandi, eosque ad veram solidamque doctrinam, non ad popularem illam et superficiariam, mature adducendi, placere. Vale. Scripsi Lipsiae in Schola Thomana prid. Nonas Apriles a C. N. CIƆIƆCCLVII.

*) Haec ed. est in bibliotheca Senatus Lipsiensis. Primus eius dominus fuit Iohannes Camerarius de Dalburg, Episcopus Vormatiensis.

# TANAQUILLI FABRI EPISTOLA AD ELIAM BORELLUM

Epistolam hodie ad Graevium scripsi, mea Suavitas, in qua satis multa erant quae ad Iustini emendationem pertinerent; idque a me ideo factum est, (nam, ut nosti, alia poteram scribere) quod ipse Graevius vir doctissimus, et mei amantissimus, nuperam Iustini editionem a se procuratam, et feliciter emendatam, ad me per amicum miserat. Ex iis autem locis, (nam bene multi erant,) en tibi unum ex lib. XLII. cap. 2. in fine. Loquitur ibi Iustinus de Iasone, qui Colchidem, postquam in Thessaliam reversus fuerat, repetiit. Comite *Medea uxore, quam repudiatam, miseratione exilii rursum receperat, et Medio privigno, ab Aegeo rege Atheniensium genito, Colchos repetivit, socerumque* etiam *regno pulsum restituit.*

Quid autem, inquies, an est ibi quod reprehendas, quod emendari postules? Est vero, o Noster; et brevi una mecum senties. Sed prius audi carmen, si me amas, quod ipse paene aliud agens, sed de te cogitans, tamen, ad Divam Criticen cecini, cum de huius loci emendatione mihi gratularer ludibundus, nugabundus, et requiem animo quaerens, ut meus est mos scilicet.

## AD DIVAM CRITICEN.

*O Dea, quae, tacitis residens sub rupibus, olim*
*Ringeris, aeternum obrodens sub corde laborem;*
*Huc ades, o Critice mater; te quattuor arae*
*Hic, o Diva, manent, rusco urticaque revinctae;*
*Carduus hic, spinisque frequens paliurus acutis;*
*Apsinthique latex acri confusus aceto,*
*Et quae sopitos valeant pervellere sensus;*
*At pro malobathri foliis, et thure Sabaeo,*
*Iuniperus mordax plena tibi fumat acerra.*
*Huc ades, o Regina, tuo si Numine dignum est*

*Carmenque et sacrum, tibi quod mea Musa paravit.*
*Sed tamen est aliud, quod et ipsa fatebere maius,*
*Et quod te invitet nigrantia linquere tesqua;*
*Scilicet ex imo redivivum sistimus Orco,*
*Ante fores templi, regem, quem Colchica tellus*
*Phasidos ad ripas herbosaque pascua quondam*
*Auriferas vidit late regnare per oras.*

Uno verbo, mi Borelle, pro *etiam*, apud Iustinum, legendum omnino est, *Aeëtam*, qui Medeae pater, Iasonis autem socer, invitus licet, fuit tamen. Vale. Vides me de Iustino cogitare; neque aliter res est, et iam aliquid orsus sum; huius autem principis nomen est lib. XXXII. cap. 3. *Istrorum gentem fama est originem a Colchis ducere, missis ab Aeëta rege ad Argonautas raptoresque filiae persequendos.*

---

## FRANCISCO ROSAEO
### AMBIANO
## IACOBUS BONGARSIUS
### S. P. D.

Recte indicas, Francisce, eum

*Qui mores hominum multorum vidit et urbes,*

ad indicandum sapientiorem, et ad agendum paratiorem fore. Vidisse autem non is solum putandus est, qui oculatus testis regiones longinquas, et ultimas peragravit; sed et is, qui et mores hominum, et regionum situs, et rerumpublicarum conversiones animo tenet. Sedentibus nobis, id praestant historicorum libri. *Unde enim*, ut est apud M. Tullium, *facilius quam ex annalium monumentis, aut bellicae res, aut omnis reipublicae disciplina cognoscitur?* Itaque, dum tu Italiae, discendi et cognoscendi causa, inhaeres; et doctorum, qui illic sunt hominum, doctis colloquiis frueris: ego historicos Graecos et Latinos magnam partem percucurri. Hi mihi Iustinum emendanti, et quamplurimis locis caecutienti, facem praetulerunt. Reliqui erant IN POMPEII HISTORIAS PROLOGI, Latine, ar-

bitror, numquam editi; e quibus stercoris plus exhausi, quam olim ex Augiae cloacis, Hercules ipse. Sed ita contaminata erant omnia, et foede conspurcata, ut ceteris historicis, tamquam auxiliaribus copiis, inter medios hostes destitutus, coactus tandem sim, victus, manum dare. Tu nobis isthic alterum Herculem quaerito. Eos interim tibi, amicissime Francisce, amicitiae nostrae testificandae lub. mer. do dico. Gozio et Puchotio multam a me salutem. Vale.

---

*) VIRO
NOBILISSIMO ET AMPLISSIMO
# HENRICO PICCARD
DYNASTAE SCHLOCHTERENSIS, COLHAMENSIS ET HARCSTEDANI AGRI. TRIUM CATARRACTARUM DELFSYLENSIUM PRAEFECTO HEREDITARIO
OMLANDIAE SYNDICO. ACADEMIAE GROENINGANAE CURATORI
S. P. D.
## IOANNES GEORGIUS GRAEVIUS

Omnis liberalioris doctrinae studia tam utilitatis, quae ex iis capitur, ubertate, quam suavitatis fructu, multos invitant homines, ut iis excolendis se devoveant. Pro diversitate ingeniorum, diversas sectantur studendi vias. Alius ad aliam harum artium applicat animum, et in ea pervestiganda consumit operam et aetatem. Sed nullum est eruditionis genus, quo omnis ordinis, aetatis et sexus genus aeque capiatur, quam historiarum cognitio. Hac videmus teneri pueros, qui plerique omnes a litteris abhorrent, et propter radices illarum amaras, et ignorantia dulcedinis fructuum, quos ferunt, lepidis tamen

*) Dedicationem hanc Graevianam quod hic demum exhibemus, id speramus fore ut ignoscant lectores benevoli. Omiserat illam Gronovius: quod quum sero animadvertissemus, extremo loco reponendam curavimus. Fr.

narrationibus sic deliniuntur, ut relictis nucibus et arundine longa satiari audiendi voluptate non possint. Senes, quos rerum omnium satias cepit ac fastidium, ut se ipsi vix pati possint, aetatis malae ac morosae taedia levari nulla re magis et testantur quam rerum gestarum commemoratione, ut cum omnes amoenitates corporis et animi exaruerint, audiendi tamen historias oblectatione non careant. Mulierculae vel illae frugi, quae in coli et rerum domesticarum cura, vel illae damnosae, quae in comendo et poliendo corpore totae sunt, ut ab omnium aliarum rerum studio sint alienissimae, historiarum tamen, aut fabularum, quae similes historiis sunt, lectione et expositione mirifice capiuntur. Viri graves et aetatis confirmatae, cum nunquam non inveniant in historiis, quod ipsos prudentiores et consideratiores reddit sive in republica tractanda, sive in vita sapienter instituenda, ne in illos impingant scopulos, ad quos cognorunt multos fortunarum, famae ac vitae naufragium fecisse, ac cum ex iis, quae saepius apud alios évenisse didicerunt, exemplis historicorum moniti, ubi, quae vel apud se vel apud alios geruntur iis esse similia vident, qui cursus, qui exitus rerum futurus sit diu ante se prospicere intelligunt, et tanquam inspiratos vates praedicere posse, praestantiores historicos vix unquam e manibus deponunt. Cordatiores vero homines in annalium memoriis, praecipue divinorum consiliorum arcanas leges et rationes in regnis et rebus publicis ex minimis et sordidis initiis ad invidendam magnitudinem et potentiam extollendis et in aliis ad summum gloriae et potentiae fastigium evectis, ut nulla vi humana illorum opes viderentur posse convelli, evertendis, observant et tanquam tabellario divino praefectos, qui supremi Numinis acta litteris mandant, historiarum conditores admirantur. Quod etiam praestitit egregie Trogus Pompeius, qui omnium, quae olim prae reliquis floruerunt, regnorum et liberarum civitatum ortus, incrementa, interitum ad Romanae reipublicae incunabula memoriae prodidit. Ex Trogi hoc opere compendium excerpsit Iustinus studiosae iuventuti perquam utile, cum aliorum non sit copia, quamvis non careat suis naevis. Nam nullus ex veteribus Graecis et Latinis, si qui ex his praeter Trogum alii fuerunt, qui in hoc argumento politiorum omnium gentium res litteris consignandi versati sunt, plures autem fuerunt, superest integer, praeter

hunc Iustinum. Eum denuo recensui, et nonnulla in meis animadversionibus correxi, easque quibusdam novis accessionibus auxi. Recognitum ad Te, Vir Nobilissime, mitto, praedem meae perpetuae in Te observantiae, et testem gratae voluntatis.

Nam et tot Tibi me devinxisti beneficiis, quae in me nullo merito Tibi cognitum contulisti, ut, nisi hac gratae memoriae testificatione publice declararem, quantum Tibi debeam, foedae oblivionis Tuorum meritorum notam nunquam ego possem abstergere, Tu vero posses iure queri, Te male collocasse, quae mihi tulisti expense, quamvis Tua tam prolixa et benefica sit natura, ut nolis Tibi quicquam a me referri acceptum, sola benigne faciendi conscientia et voluptate contentus. A quo tempore vero Tuas singulares virtutes, quas dudum ante fama mihi commendarat, propius nosse coepi, coepi etiam Te colere et observare summo studio, ut neminem in Te colendo me paterer anteire. Nam suspiciebam Tuum in religione defaecata tuenda et propaganda animi ardorem, quem ubique prae Te fers; Tuam in reipublicae dignitate et salute conservanda et augenda sollicitudinem, ac pro iis omnium laborum, periculorum et invidiae, contemtionem; Tuam de optimarum disciplinarum studiis ornandis et illorum decore amplificando singularem curam, quae mihi primum aditum ad Te colendum patefecit, cum ante complures annos et deinde saepius mecum ageres de viris, qui Vestrae Academiae dignitatem possent illustrare. Nihil dicam de vitae Tuae elegantia in omni genere, multisque aliis ingenii suavitatibus, quibus hominum non modo, quibus uteris, voluntates allicis, sed et magnos Tibi Reges et Principes reip. viros conciliasti, ut eis sis in deliciis, et Tua opera in arduis negotiis domi forisque utantur, Tuaque in iis expediendis dexteritate. Qui haec in Te sita esse cognovit et Te non amavit, nae is quid amabile sit ignorat, nec dignus, qui a quoquam ametur. Ego sane hanc mei in Te studii et amoris omnibus probandi occasionem nolui amittere. Quod si et Tibi illum probaro, maiorem eius fructum me non capere potuisse, quamvis magnum iam ante perceperim, existimabo. Vale Vir Amplissime, ac me quoque, quod facis, amare perge. Traiecti Batavicae prid. Nonas Novembris CIƆIƆCC.

# DOCTORUM HOMINUM COMMENTARII IN IUSTINI HISTORIAS PHILIPPICAS

# COMMENTAR. IN PRAEFAT.

1. MULTI EX ROMANIS, ETIAM CONSULARIS DIGNITATIS VIRI. A. Postumium Albinum cos. anno ab U. C. DCIII. Cicero in Bruto refert historiam de rebus Romanis Graece scripsisse. Idem de eodem ait Gellius lib. XI. cap. 8. Florus in Livii epitome lib. LIII. C. Iulium Senatorem, Dionysius Halicarnasseus in praefatione Historiae suae Fabium Pictorem, et L. Cincium res Romanas Graeco sermone scripsisse commemorant. GLAREAN.

MULTI EX ROMANIS. Ut A. Albinus, referente A. Gellio Noct. Att. XI. 8. Vide Macrob. init. Saturn. et Cic. Brut. cap. 21. Hunc locum opportune suggessit eruditiss. Ioh. Freinshemius: cuius acri politoque iudicio plurimum hasce notas debere, statim initio profiteri libet. Sic Lucullus Marsicum bellum Graece scripsit. Plut. Luc. cap. 2. C. Iulius Senator Graece res Romanas scripsit. Liv. Epit. LIII. f. Annales Acilianos Graece scriptos, et Latine versos refert Livius XXV. 39. 14. Etiam Cicero commentaria Consulatus sui Graece composuit lib. I. ad Att. Ep. penult. BERNECCER.

POMPEIUS. Eius de genere Iustinus inf. XLIII. 5. 13. 14. 15. IDEM. — Mentionem huius et infra facit XXXVIII. 3. 11. et XLIII. 5. 13. et priore quidem loco, quid Trogus in Livio ac Sallustio desiderarit; posteriore vero, quibusnam parentibus prognatus ille sit, exponit. Aliorum de eodem testimonia, aut iudicia, supra ipsi huic epitomae praemissa videas. *Trogi* nomen habuere et alii. Varro quidem lib. V. de L. L. *T. Quinctium Trogum* nominat. VORST. — Is sub Augusti seculo vixit. Avus e Vocontiis, Galliae Narbonensis populo, Sertoriano bello civitate a Cn. Pompeio donatus; a quo et nomen accepisse videtur. Pater eius sub Iulio Caesare militabat. De his vide inf. lib. XLIII. cap. 5. Scripsit etiam de animalibus, quo nomine saepius a Plinio et Charisio laudatur. Eius etiam meminere Servius, D. Hieronymus, Augustinus, Orosius, Priscianus, aliique. OXON. ED.

TR. POMPEIUS GRAECAS ET TOTIUS ORBIS HISTORIAS LATINO SERMONE COMPOSUIT. Codex Franequeranus cum Dorvilliano secundo in hunc ordinem haec habent: *Gr. et totius historias orbis.* Nec invenusta ista vocis *historias* transpositio; qualem merito quoque approbabat praestantissimus I. F. Gronovius in his Taciti Ann. III. 73. *non alias magis sua populique* contumelia *Romani indoluisse.* Et pluribus illam a me adsertam memini ad Cicer. Tusculan. V. 5.

Auctor. de C. Corr. Eloq. cap. IX. Minuciumque Felicem Oct. cap. XXXIV. adde quae ad Iustin. XXXII. 1. Wopkens.

Corporis. Hoc de σωματοποιΐᾳ accipe, non de robore corporis, ut Hispanicus interpres. Bernec.

Rem magni et animi et corporis adgressus. Scribe, *animi et operis. Res* enim *magni operis* est quae vario et multo labore constat. vox haec ab architectura sive vulgari, sive militari petita est: nam et *opera* sunt, quae struuntur, ut apud Sueton. in Iul. 28. *operibus exornare urbes.* et apud eundem in Octav. 29. *Publica opera plurima exstruxit.* et Tib. 47. *Princeps neque opera ulla magnifica fecit.* et munitiones in oppidis oppugnandis, ut *opere instituto* apud Caes. VII. de Bell. Gall. 70. et Suet. in Iulio 35. *Maximis obsessum operibus.* et prout structura multiplex est, *magni* vel *parvi operis* res vel munitio vocatur. Senec. Epist. 55. *Speluncae duae magni operis.* et Liv. XXII. 57. *oppidum magno opere munitum.* et XXVI. 3. *quum iam parvi operis munitio esset.* Hinc igitur transfertur ad alias molitiones. Plin. XXXV. Nat. Hist. 10. *Corpora enim pingere, et media rerum, est quidem magni operis.* Curt. VII. 13. *magni operis videbatur tam vastam voraginem explere.* Gronov. — Nihil facit corpus ad meditationes eruditorum. Pygmaeus sit, an Polyphemus, qui ad scribendum se applicat, est perinde, modo valeat animo et ingenio; laboribusque ferendis par sit. Qui *corpus* hic accipiunt pro libro, iis Latinae linguae genius adversatur. Non enim dixeris: *Rem magni corporis* seu *libri aggredi.* MS. Marquardi Gudii, et Iuntarum editio praestantissima, quam Bongarsius et alii editores non viderunt: *Rem magni et animi et operis aggressus est.* Haec Iustini est scriptura. Imitatur Livium, qui in Praefat. *Res est praeterea immensi operis, ut quae supra quingentesimum annum repetatur.* Quintil. Institut. I. 4. *Quae vel sola* (ars) *omni studiorum genere plus habet operis, quam ostentationis.* Ovid. IV. ex Ponto:

*Quodque aliis opus est, hoc tibi ludus erit.*

Sic et Graeci ἔργον pro labore. Aristot. VI. de Hist. Animal. ἔργον μὴ συνήθει ὄντι καταμαθεῖν ταῦτα. *Res magni operis est rerum istarum insolenti eas perdiscere.* Contra οὐδὲν ἔργον notat *non est difficile.* Philippus apud Stobaeum in Olynthia: Πύκτῃ τ' ἐπιτιμᾶν οὐδὲν ἔργον μαχομένῳ. hoc est, *reprehendere pugilem pugnantem non est difficile.* Hunc locum H. Grotius ὁ πάνυ in Florilegio prava distinctione laborantem male interpretatus est: *Et castigare pugilem cum a pugna vaces.* coniungens οὐδὲν ἔργον μαχομένῳ. Sed Graecis haec loquendi ratio est ignota. Quin et hunc locum Iustini ex coniectura sic dudum restituit Gronovius. Firmatur etiam auctoritate vetusti codicis Anglicani, testante id editore Iustini Oxoniensi. Graev. — Legendum *operis*, non *corporis*; rem *operosam*, difficilem et arduam suscipere illum significat, qui historiam universalem complecti, eamque ab origine rerum ad sua tempora velit perducere, id quod a Trogo Pompeio praestitum fuerat. Haec lectio ex Iuntarum editione revocata est a Io. Graevio doctore praestantissimo. Faber. — Legebatur

vulgo *rem magni et animi et corporis.* Sed optime locum hunc restituit Cl. Graevius, quod ex cod. MS. Marq. Gudii et vetere typis expresso Iuntarum pro *corporis* rescripsit *operis.* Est autem *res magni operis* dictum ita, ut Livius in Praef. dicit *res immensi operis.* Qui *corporis* legerunt, intellexerunt, vel de robore corporis, ut Interpres Hispanicus; vel de σωματοποιΐᾳ ipsius libri, ut Berneccerus et alii. Verum neutro sensu consistere vox hic potest. Magnitudo et robur corporis ad scribendos libros nihil quicquam faciunt. Et quia *animi* antecedit *τὸ corporis*, si omnino legendum esset, non de libri, sed de hominis corpore intelligendum esset. Vorst. — MS. Gudii et Ed. Iunt. *et animi et operis*, quod recte probant Cl. Graevius et Vorstius. Scheffer.

Rem magni et animi et operis adgressus. *Operis* pro *corporis* legit Avus ex coniectura, quam praeter MS. Gudianum et editionem Iuntinam firmant MS. Coll. N. atque ed. Ald. *Operis* etiam, vel *leporis*, legendum coniecerat Lipsius. Abr. Gronov.

2. Nonne nobis Pompeius. MS. Anglicanus, *non minus nobis.* Sed a vulgatis non est recedendum. Nam et longe suavior est ista interrogatio, et pluribus MSS. iisque vetustissimis, quibus praecipue Bongarsius usus est, nititur. Sed nec loco movendum, quod in optimis libris, tam editis, quam manu exaratis reperitur, *videri debet.* Est enim hoc priscae elegantiae. Cic. VI. ad Fam. Ep. 6. *Quare, quando ut augures et astrologi solent, ego quoque augur publicus ex meis superioribus praedictis constitui apud te auctoritatem augurii et divinationis meae: debet habere fidem nostra praedictio.* hoc est, si quid veri unquam dixi, hoc verum est, quod tibi scribo, et pro verissimo, quod certissime futurum est, habendum. Servius Sulpicius ad Cic. in IV. ad Fam. Ep. 5. *Hem nos homunculi indignamur, si quis nostrum interiit, aut occisus est, quorum vita brevior esse debet, cum uno loco tot oppidorum cadavera proiecta iaceant.* natura haec est hominum, ut necessario citius eis sit pereundum, ut non possint tam diu durare. Petron. *Hic boni nescio quid debet esse.* quantum certis et veris coniecturis assequi possum, hic est aliquid boni. Haec vis est huius verbi *debet* in his similibusque locutionibus, quae frequentiores in Tullio reperiuntur. Sic et scripsit in hac praefatione Iustinus. Sententia est: si alii scriptores sibi videntur rem magni laboris aggressi esse, cum unius populi res gestas memoriae mandant, Trogum Pompeium sane, si recte sentimus et iudicamus, stupenda et plus quam Herculea audacia gentium omnium origines et facta describenda suscepisse, fatendum est nobis. Graev.

Nonne nobis Pompeius Herculea audacia orbem terrarum adgressus videri debet. MS. Coll. N. *non minus nobis periculosa aud. o. t. a. videtur.* Abr. Gronov.

3. Sese gregatim. Mire hic variant libri scripti; ego lectionem quam sine litura habebant duo MSS. secutus sum, explosa vulgata, quae nulli rei est, imo contra mentem auctoris est. Bon-

GARS. — Angl. *inter se gregatim*, quod notarum auctor explicat *sine ordine*. Puto potius innui multitudinem eorum, quo appareat Herculea illa audacia unius colligentis labores tam multorum, de quo supra Iustinus. Itaque servo, et tantum scribo *inter sese gregatim*. Sane illud *se gregati*, quod est in ceteris, sat idoneum non habet sensum. At iam praecedit *prout commodum cuique visum*, quod illud *se gregati* satis ostendit. At *gregatim* sic usurpat noster etiam alibi. vid. XIII. 8. 2. SCHEFF.

OCCUPAVERUNT. Lego, *occupaverant*, et ita quidam impressi libri. FABER.

OMISSIS. Forte leg. *admistis*. Cic. II. de Orat. 4. *Nam Graeci, ut ingenio excelluerunt, ita hoc audiunt, quod non adhibuerunt semper iudicium*. GRONOV.

ET QUAE HISTORICI GRAECORUM INTER SESE GREGATIM OCCUPAVERUNT. Bongarsius e duobus MSS. edidit, *inter se segregati*. Magl. Thuan. ed. Rom. *inter se segregatim*. ut huius loci sensus sit, historicos Graecorum certam materiam sibi sumsisse: alios singulorum regum, alios populorum vel nationum res gestas, alios denique particularis belli historiam descripsisse. Periz. *inter re praegratiose occup*. sec. tert. Leid. *inter se gratiose occupaverint*. sed prior a secunda manu, ed. Ald. Iunt. *occupaverant*; quomodo ex coniectura legit Faber. ABR. GRONOV.

4. COGNITIONE DIGNISSIMA. Tacit. Annal. XIII. 31. *Ex dignitate Pop. Romani repertum est, res illustres memoriae mandare*. Ammian. Marcell. XXVI. 1. *Historia discurrere per negotiorum celsitudines adsueta, non humilium minutias indagat causarum* etc. adde Gunth. Ligur. lib. I. V. 14. scil. huius praecepti Iustinum ipsum non ubique memorem, passim Lector attentus animadvertet. BERNEC.

PER OTIUM, QUO IN URBE VERSABAMUR, COGNITIONE QUAEQUE DIGNISSIMA EXCERPSI. Coll. N. *versabar*, et *digna*. Prius secutus fuit editor Oxoniensis. ABR. GRONOV.

5. AD TE, NON TAM. Vulgo editi, *ad te, Imperator Antonine, non tam*. Quam προσφώνησιν Vir summus Iacobus Bongarsius, Iustini sospitator unicus, in antiquis codicibus inveniri negat: et obtrusam apparet ab iis, qui Iustinum hunc epitomatorem eundem putarunt cum illo Philosopho et Martyre, qui anno Christi CL. librum apologeticum pro Religione Christiana Imp. Antonino obtulit. At hi non nisi nomine conveniunt; alter Christianus et Graecus: Gentilis alter et Latinus. Adde quod oblatum Imperatori librum *emendandi causa* (nam hoc dicit auctor) credi vix queat. In quibusdam codicibus MSS. hic noster dicitur *M. Iunianus Iustinus:* item *Iustinus Frontinus:* ex quo, simulque stylo, de aetate qua vixit, an quid erui possit, viderint qui genios auctorum seculorumque possident. BERNEC. — Antiquiores quaedam editiones habent sic: *quod ad te, Imperator Antonine*. Verum Bongarsius illud *Imp. Antonine* expunxit; quod in Codd. MSS. id non reperiret. Et ad-

stipulatur ei Berneccerus: qui nec credibile esse ait, *emendandi causa*, ut auctor loquitur, librum oblatum fuisse Imperatori. Ioh. Is. Pontanus tamen et Gerh. Ioh. Vossius τὸ *Imp. Antonine* genuinum esse putant; neque offendere quemquam debere familiarem illam qua Imperatorem compellat orationem, quod constet Plinium item in Praef. Naturalis Hist. ad Vespasianum eadem parrhesia usum esse, dicendo, *Vespasiano suo*; item *iucundissime Imperator*. Observandum autem et illud, quod Bongarsius ex Codd. MSS. edidit: *Quod ad te, non tam cognoscendi magis quam emendandi causa;* et Berneccerus illud *magis* rursus expunxit. Mihi vero cum Vossio τὸ *magis* potius retinendum, et contra *tam* expungendum videtur, legendumque adeo: *Quod ad te, Imperator Antonine, non cognoscendi magis quam emendandi causa.* Vorst.

Quod ad te, non tam. Sic scripsisse Iustinum, non est verosimile; nomen enim eius requiritur, ad quem scripsit, sive hic posuerit, sive in praefationis huius fronte. Igitur Vossius in Historicis Graecis existimat fuisse olim: *Quod Antonine im. non cognoscendi magis, quam emendandi causa transmisi.* atque ex *Antonine im.* factum esse *ad te non.* De re non abnuam; at emendatio non placet. Veteres ipso Vossio teste ita habent: *Quod ad te non tam cognoscendi magis, quam emendandi causa transmisi.* Ex quibus verbis colligo, lectionem veram ita sese habuisse: *Quod ad te non tam cognoscendi, Marce Antonine Caesar, quam emendandi causa transmisi.* Error totus natus est ex compendio scripturae, quo quis nomen *Imperatoris* per solas literas initiales expresserat, hoc modo *m. a. caes.* Has literas quia non intelligebat, qui debebat describere, coniunxit, et ex eis fecit *maces.* Post supervenerunt alii, qui emendarunt scilicet, et ex eo fecerunt *macis*, et postremo *magis.* Esse autem emendationem nostram illa altera meliorem, vel ex eo paret, quia retinet illa *ad te*, quae non possunt abesse, cum τὸ *transmisi* omnino ea requirat. Sed et *tam* respondet melius τῷ *quam*, quam *magis.* Quod autem hic obiicitur, oblatum Imperatori librum emendandi causa credi vix posse, hoc ut alibi fortasse locum habeat, sic in Antonino valet nihil, quem est notum, fuisse literarum omnium non modo amantissimum, sed et studiosissimum. Scheff.

Quod ad te non tam cognoscendi, quam emendandi caussa transmisi. In tribus, a me consultis, aliisque MSS. legitur, *non tam cognoscendi* magis, *quam emendandi caussa:* unde unica litera mutata reponendum dudum conieceram, *non* iam *cognoscendi* magis, *quam e. c.* quum hanc esse Dorv. primi scripturam animadverterem. Atque ita *tam* in *iam* migravit lib. XXVII. exeunte: *Sed Ptolemaeus* non iam *amicior dedito, quam hosti factus.* ubi plura. Offendisse autem librarios videtur notabilis usus τοῦ *non magis*, fere pro non tam. Lib. I. 10. *Hortatur ne moenibus* magis, *quam armis confidant.* Lib. XXXI. 4. *Nec bella eum Romanorum* magis *odio, quam patriae amore gessisse.* Livius VII. 16. *Si mihi pollicemini, vos*

*fortiter in acie operam navaturos, nec praedae magis, quam pugnae paratos esse.* Lib. IX. 22. *Nec, ut fit, ad ducis casum, perculsa* magis, *quam irrita est multitudo.* Lib. X. 4. *Omnia iam scire Romanos, nec* magis iam *dolo capi, quam armis vinci posse.* Dictys Cret. Epist. ad Arcadium: *Non* magis *confisi ingenio, quam ut* etc. Sulp. Severus H. S. lib. II. 36. *Arriani non hos* potius, *quam Athanasium removere cupiebant.* Ad quae duo loca hac itidem de re egimus. Wopkens.

Quod ad te, non tam cognoscendi, quam emendandi causa transmisi. Ed. Rom. Veneta, Florent. Paris. Ald. Iunt. Colon. *quod ad te, Imperator Antonine, non tam cogn.* Plerique MSS. *quod ad te, non tam cognoscendi magis, quam emend.* Venustius Med. a prima manu, et tert. Leid. *quod ad te non cognoscendi magis, quam emendandi,* omissa vocula *tam*, quam eliminandam quoque existimabat Gerardus Ioannes Vossius lib. I. de Hist. Lat. cap. 32. Ita Livius lib. XXVIII. cap. 18. *Itaque non quomodo Hispaniae amissae sint, quaerendum magis Carthaginiensibus esse, quam quomodo Africam retineant, cogitandum.* Gellius praef. *Petimus, inquam, ut ea non docendi magis, quam admonendi gratia scripta existiment.* et lib. I. cap. 3. *Haec taliaque Theophrastus cum discernendi magis disputandique diligentia, quam cum decernendi sententia atque fiducia disseruit.* et XVI. 8. *Fecisse videtur eum librum Aelius sui magis admonendi, quam aliorum docendi gratia.* Macrob. lib. I. Sat. cap. 1. *in quo* (symposio) *quidem Socrates non artioribus, ut adsolet, nodis urget, atque implicat adversarium: sed eludendi magisque decertandi modo apprehensis dat elabendi prope atque effugiendi locum.* ubi Meursius e veteri Codice legit, *magis quam decertandi;* eamque scripturam firmant quatuor MSS. ed. Iuntina et Basileënsis. Ceterum voces, *Imperator Antonine,* olim per notam I. vel IMP. ANTON. scriptae a sequenti vocula *non* absorptae fuisse videntur, easdemque margini quorumdam Iustini Codicum MSS. Bibliothecae Vaticanae, et Codicis Monasterii S. Crucis in Hierusalem Cisterciensium, recentiore manu adscriptas esse, mihi per litteras significavit Eminentissimus Princeps Sylvius Valenti ὁ νῦν ἐν ἁγίοις. Similem fere librariorum lapsum observare licet apud Mamertinum Genethl. Maximiani cap. 2. *Quae* (vis divinitatis) *vos tantis discursibus toto, quem regitis, orbe deducit; ut nos semper auxilii vestri caritate nuper ad libertatem piae conquestionis impleverit.* ubi particulam *semper* ortam fuisse suspicor ex vocibus S. IMP. *Sacratissimi Imperatores.* Pro *impleverit* legendum esse *impulerit* monuit Gruterus, coniectura adsecutus scripturam MS. Thuanei. Abr. Gronov.

Cato. In principio Originum. M. Cicero pro Planc. cap. 27. Meminit et Columella fine lib. XI. Bongars. — Et Symmach. I. Epist. 1. Galbam contra Suetonius cap. 9. 5. dicere solitum refert, *quod nemo rationem otii sui reddere cogatur.* Bernec.

Simul ut et otii mei, cuius et Cato reddendam operam

PUTAT, APUD TE RATIO CONSTARET. Locus corruptus: lego, *simul ut et otii mei, cuius et Cato reddendam rationem putat, apud te ratio constaret.* Neque enim *reddere operam otii sui*, sed *rationem*, Latine dicitur. Adde quod et quaedam veteres Iustini editiones hanc lectionem secutae sunt; quam ego a posterioribus editoribus reiectam fuisse demiror. FABER. — Cato ipse, ad cuius verba noster alludit, usus videtur phrasi *rationem reddere.* Cicero enim in Orat. pro Planc. ubi Catonis istud laudat, sic habet: *M. Catonis illud quod in principio scripsit Originum suarum, semper magnificum et praeclarum putavi, clarorum virorum atque magnorum non minus otii quam negotii rationem extare oportere.* Et Columella, ubi ad idem illud alludit, id est in extremo lib. XI. scribit, *tam otii quam negotii rationem reddere maiores censuisse.* Et sunt quoque editiones veteres Iustini, quae omnino sic habent: *cuius et Cato reddendam rationem putat.* Bongarsius tamen, cum in Codd. MSS. reperiret *reddendam operam*, ita plane rescribendum putavit. Et habet quoque ita vetus typis expressus Becharii. Si igitur Iustinus ita omnino scripserit, fecerit illud ideo, ne vocabulo *rationis* bis uteretur; cum mox additurus esset, *apud te ratio constaret.* Sed quid sibi vult *operam reddere?* Aliis *operam reddere* nihil est aliud quam *operam edere, operari.* Cicero XVI. ad Fam. Ep. 10. *Tu Musis nostris para ut operas reddas. Operae*, quas Musis suis Tironem reddere volebat Cicero, erant ipsius Ciceronis aliorumve scriptà, recitare, scribere, evolvere, examinare. At Iustinus *operam* posuit pro opere, id est, pro eo quod per operam efficitur, postque eam relinquitur. Qua notione ipsum quoque Ciceronem vocem usurpasse docuit me vir summus Io. Fred. Gronovius. Nimirum XV. Ep. 13. ad Att. Verba eius sunt: *Quid quaeris? Exstabit opera peregrinationis huius.* Pro quo V. 4. ad Att. legitur sic: *Curabo ut huius peregrinationis aliquod tibi opus exstet.* VORST. — Bongarsius *reddendam operam.* Vetustiores alii pro *operam* habent *rationem*; quo modo et Cato ipse locutus videtur. Verum vix sic scripserit Iustinus, propter sequens *ratio constaret*, ingratissime repetitum. Ergo praefert *operam* Vorstius quoque, ac per *opus* putat explicandum, quomodo *operam* pro *opere* usurparit ipse Tullius XV. Ep. 13. ad Atticum. Quamvis autem ita usurparit ipse, nihil tamen facere id arbitror ad locum praesentem, quippe cuius ita pareat sensus, quem noster ex Catone proponebat. Longe namque aliud est, *reddere rationem otii*, et *opus aliquod reddere*, vel *producere per otium.* Itaque nil certius, mea quidem opinione, quam scripsisse Iustinum, *cuius et Cato reddendam putavit*, omisso vocabulo *rationis*, quod ex sequentibus etiam hic intelligendum. Certe illud *operam* a glossatore adiectum, qui putabat locum esse mutilum, constat vel ex eo, quia *rationem* alii pro eo substituere, fine prorsus eodem, nisi quod rectius putarent ex sequentibus huc posse transferri. SCHEFF. — Non frustra manu exarati omnes *operam*, ut et Iuntina. Impressi nonnulli vetustiores substituerunt *rationem*, contra membranarum

fidem. Non est vero simile, ut docti viri monuerunt, paucis verbis interiectis, eandem vocem usurpasse Iustinum. Nihil igitur contra vetustorum omnium librorum, quos docti consuluerant, consensum est immutandum. Sicut enim Tullio *opera profectionis* recte dicitur opus, quod elaboravit profectione, quod ostendit, quomodo tempus, quo abfuit urbe, collocarit, in XV. ad Att. 13., sic et *opera otii* est opus, quod elucubravit in otio, quod declarat, quam bene sit usus otio. *Reddere* autem *operam* pro *edere operam* seu *opus* cur non licuit dicere Iustino, cum licuit Terentio Andr. III. 1. et Sueton. Domit. Et *reddere ludos*, pro edere, et *reddere iusta* Catoni pro *dare iusta.* Vere enim Celsus L. 94. de Verb. Signif. *Verbum reddendi quamquam significatum habet retro dandi, recipit tamen et per se dandi significationem.* Apud Petron. *apodixim defunctoriam reddere* est specimen edere leve, ut recte vexatissimum locum exposuit ὁ πάνυ Iohannes Fredericus Gronovius lib. IV. Observat. Nec alia vocis *reddere* notio est in illo loco, quem Vorstius attulit ex Cic. ad Fam. XVI. 10. *Tu Musis nostris para ut operas reddas.* Nam pro hoc Seneca dixit de Provid. cap. 2. *edere operas: Ferrum istud, civili bello purum et innoxium, bonas tandem ac nobiles edet operas.* quamvis locutio integra aliud notet quam hic *operam otii reddere.* Graev. — Miror, huic lectioni patrocinium summorum contingere potuisse virorum, quum et Catonis sententia et ipsa Latinitas flagitet cum veteribus editis, suffragante Fabro, legi *reddendam rationem putat.* Neque enim evitandae repetitionis gratia, delere illam vocem cum Scheffero opus est. Lib. XXI. 1. *Ut quibus* consortium *regni debebat, ne spiritus quidem* consortium *relinqueret.* cum nota Graevii. *Rationem* autem *reddere rei* dixit rursum Iustin. XVI. 2. 7. et lib. XXII. 6. 2. Wopkens.

Simul ut et otii mei, cuius et Cato reddendam operam putat, apud te ratio constaret. Med. *reddendam rationem putat, opera apud te c. Opera otii* a Cicerone dicitur *fructus otii* lib. VII. ad Fam. epist. 1. *modo ut tibi constiterit fructus otii tui.* Cl. Crusius Prob. Crit. cap. 2. legit, *cui et Cato reddendam operam putat*, vel *cui suam et Cato r. o.* p. Abr. Gronov.

Quod ad te, non tam cognoscendi, quam emendandi caussa transmisi, simul ut et otii mei, cuius et Cato reddendam rationem putat, apud te ratio constaret. Sic omnino legendum. Male nonnulli editores induxerunt *operam*, pro *rationem;* quod nullum sensum habet. Offendit scilicet viros doctos repetitio eiusdem vocis, tam parvo intervallo. Sed sic etiam alibi loquitur Iustinus, velut lib. IX. cap. 1. *Impensas* belli *alio* bello *refecturus.* Lib. XVI. cap. 3. *in Pontum* delati, *urbem Heracleam condiderunt. Et quoniam fatorum auspiciis in eas sedes* delati *erant.* Ibid. cap. 4. Spoliatos *fortunis, vita quoque* spoliavit. Lib. XXI. cap. 1. *ut, quibus* consortium *regni debebat, ne spiritus quidem* consortium *relinqueret.* Lib. XXIII. cap. 2. *Nec invitam periculo* spiritus *sui*

*emturam, ut extremos viri* spiritus *exciperet*. Lib. XXX. cap. 9. *Ad postremum tamen*, petente *eo, induciae duorum mensium datae, ut pax, quae in Macedonia non conveniebat, Romae a Senatu* peteretur. Lib. XXXIX. cap. 1. *praefecti iussu* interficitur. *Alter ex filiis Seleucus, quoniam sine matris auctoritate diadema sumsisset, ab eadem* interficitur. Ibid. cap. 4. *abductaque ei* Selene *uxore, eo indignius, quod ex* Selene *iam duos filios habebat*. Lib. XLIV. cap. 1. *Sicut minor* utraque *terra, ita* utraque *fertilior. Nam neque, ut Africa, violento sole torretur, neque, ut Gallia, assiduis ventis fatigatur; sed media inter* utramque *etc.* — Neque unus Iustinus his eiusdem vocis repetitionibus utitur. Optimi quique scriptores eas frequentarunt. Quod, ne temere dictum videatur, hac occasione paullo copiosius demonstrare conabor; praesertim, cum haud pauci viri docti reperiantur, qui, quasi scopulum, eiusdem vocis repetitionem, non longo intervallo, fugiendam putent. Quod, ut neque necessarium semper est, sic aliquando ne fieri quidem commodo quit. Sed his missis, quod proposui, probaturus, initium faciam a Cicerone; in quo uno vel innumerabilia huius rationis exempla occurrunt: ex quibus nonnulla selegisse ero contentus. Cic. Epist. ad Div. I. 3. ep. 7. *Illud idem Pausanias* dicebat, *te* dixisse. Lib VI. ep. 1. in quatuor continuis comprehensionibus utitur particula *etsi*, sine ulla necessitate: quod si quis hodie faciat, linguae latinae, ut bene iudicat Manutius, imperitus videretur. Lib. IX. ep. 2. *Putabam* — suspicaturum, *aut dicturum, etiamsi non* suspicaretur: *hic aut metuit, et ea refugit, aut aliquid fugit, et habet navem paratam. Denique levissime qui* suspicarentur — *Haec ego* suspicans *etc.* Ibid. ep. 13. *Is cum vitandi* belli *caussa profectus esset in Hispaniam cum M. Varrone ante* bellum, *ut in ea provincia esset, in qua nemo nostrum post Afranium superatum* bellum *ullum fore putarat: incidit in ea ipsa mala, quae summo studio vitaverat: oppressus enim est* bello *repentino: quod* bellum *etc.* Lib. X. ep. 3. *et* praeterea *mihi non ignotam in consuetudine et familiaritate suavitatem tuam adiunxit:* praeterea *etc.* Eod. lib. ep. 28. *Hoc vero certum habeto, nisi ille veteranos celeriter conscripsisset, legionesque duae de exercitu* Antonii *ad eius se auctoritatem contulissent, atque is oppositus esset terror* Antonio; *nihil* Antonium *sceleris* etc. Ibid. ep. 30. Posteaquam *vidit, se invito legionem ire, Pansa sequi se duas legiones iussit tironum.* Postea *vero* quam *etc.* Lib. XI. ep. 20. *nisi* dictum, *quod* diceret, *te* dixisse *etc.* ubi tamen Ernestus *dictum* deleri malit: et sane commode absit. Lib. XIII. ep. 1. Idem *ut veni Athenas, cum* idem, *ut ad te scriberem, rogasset.* Ibid. ep. 6. Ei *ego pollicitus sum* — Id *cum assequi non possum* — Id *facies* etc. Ibid. ep. 7. vocem *municipium* variatis casibus undecies adhibuit, saepe sine ulla necessitate repetitam. Eadem epistola aliquoties, haud ita longo intervallo, voculam *etsi* iterat. Lib. V. ep. 2. omnes fere periodos in hac satis longa epistola a particula *cum*

incipit; tametsi facile aliis particulis variare orationem potuisset. Hoc modo si quis hodie loqueretur, in summam reprehensionem (quae est nostri saeculi elegantia) incurreret. Sed illuc revertor. Lib. XV. ep. 4. *Cumque ante adventum meum seditione quadam* exercitus *esset dissipatus — reliquus* exercitus *esset in Lycaonia: M. Anneio legato imperavi, ut eas quinque cohortes ad reliquum* exercitum *duceret, coactoque in unum locum* exercitu *etc.* Ibid. *Itaque exercitum mihi ducendum per Cappadociae regionem eam, quae* Ciliciam *attingeret, putavi. Nam, si me in* Ciliciam *demisissem*, Ciliciam *quidem ipsam propter montis Amani naturam facile tenuissem: (duo sunt enim aditus in* Ciliciam *ex Syria; quorum uterque parvis praesidiis propter angustias intercludi potest: nec est quidquam* Cilicia *contra Syriam munitius:) sed me* etc. Lib. XVI. ep. 12. *Accepimus* conditiones; *sed ita, ut removeat praesidia ex his locis, quae occupavit, ut sine metu de iis ipsis* conditionibus *Romae Senatus haberi possit: sin autem ille suis* conditionibus *stare noluerit: bellum paratum est, eiusmodi tamen, quod sustinere ille non possit: praesertim cum a suis* conditionibus *ipse fugerit.* Ibid. *Adhuc neminem* videram, *qui te postea* vidisset. Orat. ad Quirites post red. *Ut aliquando* perficeretur — perfecit. Atque haec ex Cicerone allata exempla sufficiant: quamquam multis partibus plura ex aliis eius operibus proferre possem. Sed ad alios auctores transgrediar; in quibus principem locum obtinebit Caesar, qui talibus repetitionibus minime abstinuit: velut lib. I. de bello Gall. cap. 48. *Eodem* die castra *promovit et millibus passuum sex a Caesaris* castris *sub monte consedit. Postridie eius* diei *praeter* castra *Caesaris suas copias transduxit, et millibus passuum* II *ultra eum* castra *fecit; eo consilio, uti frumento commeatuque, qui ex Sequanis et Aeduis supportaretur, Caesarem intercluderet. Ex eo* die dies *continuos* V *Caesar pro* castris *suas copias produxit. — Ariovistus his omnibus* diebus *exercitum* castris *continuit.* Cap. 49. *Ubi eum castris se tenere Caesar intellexit, ne diutius commeatu prohiberetur, ultra eum* locum, *quo in* loco *Germani consederant, circiter passus DC ab eis castris idoneum* locum *delegit, acieque triplici instituta ad eum* locum *venit. — Hic* locus *etc.* De bello civ. lib. I. cap. 45. *Sed IX. legionis milites, elati studio, dum sarcire acceptum detrimentum volunt, temere insecuti fugientes, in* locum *iniquum progrediuntur, et sub montem, in quo erat oppidum positum Ilerda, succedunt. Hinc se recipere cum vellent, rursus illi ex* loco *superiore nostros premebant. Praeruptus* locus *erat, utraque ex parte directus, ac tantum in latitudinem patebat, ut tres instructae cohortes eum* locum *explerent — ab oppido autem declivis* locus *— hoc pugnabatur* loco *etc.* Haec ex Caesare sufficiant. Nepos etiam sic aliquoties locutus est, velut in Arist. cap. ult. *quam quod, cum* tantis *rebus praefuisset, in* tanta *paupertate decessit.* In Paus. cap. 4. *Pausanias, ut audivit, Argilium confugisse in aram,* perturbatus *eo venit — tanto*

*magis Pausanias* perturbatus *orare coepit.* Ibid. cap. 5. *Dicitur eo tempore matrem Pausaniae vixisse, eamque iam magno natu, postquam de scelere* filii *comperit; inprimis ad* filium *claudendum etc.* In Dion. cap. 1. *Legationes vero, quae essent illustriores, per Dionem* administrabantur: *quas quidem ille diligenter obeundo, fideliter* administrando *etc.* In Datam. cap. 7. *Sed tam cito copias* contrahere *non potuit; a qua re depulsus, cum ea manu, quam* contraxerat *etc.* In Att. cap. 20. *Nunquam ad suorum quemquam litteras* misit, *quin Attico* mitteret. In Sallustio nulla, vel certe paucissima eiusmodi repetitionum occurrunt exempla. [Cf. adnotatt. nostr. in Quinctilian. Institutt. Orat. lib. X. cap. 1. §. 25. 26. et Indic. Rer. et Verb. in voc. *Repetitio*, pag. 324. FR.] In Livio etsi plura exempla inveniri non dubito; tamen non nisi unum mihi notavi e libro XLIV. cap. 40. ubi haec verba leguntur: *Cum otium ad flumen esset, neutris lacessentibus, hora circiter quarta* iumentum *e manibus curantium elapsum, in ulteriorem ripam effugit: quod cum per aquam ferme genu tenus altam tres milites sequerentur: Thraces duo id* iumentum *ex medio alveo in suam ripam trahentes; altero eorum occiso, receptoque eo* iumento *ad stationem suorum se recipiebant.* Sic Curtius lib. V. cap. 2. *Itaque* pedes *cum imum gradum non contingerent, unus ex regiis pueris mensam subdidit* pedibus. Idem aliis etiam locis ad eandem rationem locutus est.

Possem multo plura cum ex his ipsis, tum ex aliis etiam auctoribus harum repetitionum afferre exempla. Sed vereor, ne haec iam nimis sint multa. Non possum tamen, quin hoc loco afferam id, quod de hac easdem voces repetendi consuetudine dicit Quintilianus Instit. Orator. lib. VIII. cap. 3. [§. 50. sq.] „Sed hoc quo„que," inquit, „cum a prudentibus fit, schema dici solet, sicut „ταυτολογία, hoc est, eiusdem verbi aut sermonis iteratio. Haec „enim, quamquam non magnopere summis auctoribus vitata, inte„rim vitium videri potest: in quod saepe incidit etiam Cicero, se„curus tam parvae observationis; sicut hoc loco: *Non solum igitur* „*iudicium iudicii simile, iudices, non fuit.*" Haec ille. Nunc ad Iustinum revertor. NAGEL.

6. IN HOC TEMPORE. Ita editiones antiquiores Becharii, Maioris, Sichardi. At Bongarsius maluit *in tempore*, extruso pronomine demonstrativo. Quod tamen videtur abesse non posse; ut videlicet designetur tempus quod tunc erat, cum auctor scriberet; quia mox de tempore futuro verbis *apud posteros* subiuncturus erat. VORST.

IN HOC TEMPORE. Sic recte Vorstius ex veteribus editionibus, quibus adstipulatur Iuntina et liber Anglicanus. GRAEV. — Quod Bongarsio placuit *in tempore*, exstat etiam in Franeq. et Dorv. 2. Nec, quia designatur tempus, quod tunc erat, ideo necesse est, ut cum aliis pron. *hoc* adiiciamus; quoniam quemadmodum *in loco* pro in hoc vel in illo loco dici amat, ita *in tempore* (quod alioquin

suo tempore, vel tempestive, opportune, denotat) aliquando valet in hoc vel illo tempore. Tacit. Ann. XII. 46. *Non abnuere pacem Hiberos, quamquam* in tempore *validiores.* Frontinus Strat. II. 1. 3. *Existimavitque ardori cedendum* in tempore, *recepitque* etc. Hegesippus lib. III. 3. *Congregavit, quae* in tempore *potuit investigare.* Augustinus Epist. V. *Medicus.. dolori eius adhiberi iussit, quod* in tempore *congruere videbatur.* Sedulius Carm. lib. IV. 134.

*Surge, ait, o iuvenis: parensque* in tempore *dicto*
*Mortuus adsurgit.*

Sic *ad tempus* scil. hoc vel praesens, noster lib. I. 5. ubi vide. Wopk.

Sufficit enim mihi in hoc tempore iudicium tuum. Ita Med. a sec. m. Magl. quint. Leid. Coll. N. ed. Rom. Bech. Ven. Paris. Mediol. Ald. Iunt. Bongarsius pronomen *hoc* male expunxit: illud enim addere solent optimi scriptores, ut Terentius Andria IV. 6. 24.

*Sequar hos: nolo me in tempore hoc videat senex.*

Cicero Orat. pro Quinctio cap. 1. *Quae res in civitate duae plurimum possunt, eae contra nos ambae faciunt in hoc tempore.* Plinius lib. VIII. cap. 22. *quo in tempore si homine se abstinuerit.* Gellius lib. I. cap. 3. *Ego certe in hoc quidem tempore non fallo me.* lib. II. cap. 6. *quando nullum calamitatis aut saevitiae aut immanitatis genus reperiri queat, quod in eo tempore Italia non perpessa sit.* et XVII. 21. pag. 749. *qui in hoc tempore nobiles celebresque erant.* ita meliores MSS. Orosius lib. III. cap. 20. *utraque prioribus comparata in hoc tempore minora sunt.* Imperator Iustinianus praef. Institut. §. 3. *et quod in priore tempore vix post quadriennium prioribus contingebat.* Ita duo MSS. Vulgo abest praepositio *in.* Abr. Gronov.

Apud posteros etc. Ovid. I. Eleg. 15.

*Pascitur in vivis livor, post fata quiescit.*
*Tunc suus ex merito quemque tuetur honos.*

Adde Martial. V. Epigr. 10. Sallust. fine Orat. II. ad Caes. Gebhard. ad Catullum pag. 232. f. Tacit. IV. Annal. 35. 3. *Suum cuique decus posteritas rependit.* Bernec.

Cum obtrectationis invidia decesserit. Ad hanc formam Sallust. Iugurth. cap. LXXXVIII. *Plebique patribusque, postquam* invidia decesserit, *iuxta carus.* Cicero pro Cluentio cap. XXIX. *Temporis iniquitas atque* invidia recessit, *ut quod in tempore mali fuit, nihil obsit; quod in causa boni fuit, prosit.* Wopkens.

## COMMENTAR. IN LIB. I.

Historiarum philippicarum. Quarum ἐπιγραφὴν a Trogo esse veterum librorum consensus arguit. Philippicas autem quare inscripserit, difficile est iudicium. Nam velle ex hac Epitoma, de integro Trogi opere iudicare, desipere est: ita Trogum male accepit hic, quisquis fuit, Iustinus: qui dum resecare cupit, quae nec iucunda erant et minime necessaria, optimum autorem prorsus evitavit, ut vetus poëta loquitur. Ego putaverim Philippicam historiam, Trogo Macedonicam esse, princeps nempe huius operis argumentum. Nam a VII. lib. ad XLI. regnum Macedonicum describit: cuius a Philippo, Alexandri patre, dignitas coepit, ita ut id *Graeciae et Asiae cervicibus, velut iugum servitutis, imponeret*, ut extr. lib. VI. Iustinus: et eum auctor Prologorum Magnum vocat. Quae autem Philippico imperio praemisit, arbitror esse *Mundi origines*, quas vett. librorum titulus iactat. *Terrae* autem *situs*, quos eadem pollicetur inscriptio, esse descriptiones regionum, quae in Iustino fere nullae, in Trogo frequentes fuerunt: ut indicant Prologi, quos ex MSS. codicibus produxi in *luminis oras*. Φιλιππικὰ Theopompi citantur ab Athenaeo passim; quibus historiam Philippi libris LVIII complexus est, ut Diodorus refert lib. XI. Quinque autem libros eum inseruisse a Philippi historia alienos, idem Diodorus auctor est, e quibus tres res Siculas continebant. Non est autem aspernanda P. Pithoei coniectura, Trogum Theopompi aemulatione atque exemplo historias suas, ut Demosthenis M. Tullium orationes suas in Antonium, Philippicas inscripsisse. Bongars. — Observat eruditissimus notarum Anglicarum auctor, in quibusdam MSS. legi: *Historiarum Philippicarum et totius mundi originum, et terrae situs ex Trogo Pompeio.* Plane sicut quondam fuit editus a Cl. Berneccero. *M. Iuniani* praenomen alii omittunt, et Iustini vocabulo apponunt cognomen Frontini, de quo iam a Vossio est actum in opere de Scriptoribus Latinis. Scheff.

## CAP. I.

1. Principio rerum. Totum hunc locum transcripsit Augustinus IV. 6. de Civit. Dei. Compara haec cum iis, quae initio Catilinarii Sallustius, cuius studiosum fuisse Iustinum, aut Trogum ipsum, et hic locus, et alii satis indicant: et quae in principio lib. II. de rebus Scythicis, *quae satis amplae magnificaeque fuerunt*, eadem totidem verbis de Atheniensibus Sallustius. Vide ad hunc locum M. Ciceronem III. de Leg. 2. et II. de Offic. 12. Aristot. I. Polit. 1. Tacit. III. Annal. Bongars. — Arist. IV. Polit. 3. *primum, maximeque divinum regnum.* Sallust. Catil. 2. 1. Bernec.

Huius maiestatis. MS. Col. N. *tantae maiestatis.* Oxon.

Ambitio popularis. Ea est, cum *potentia ex vulgi adulatione quaeritur.* Infra XIII. 3. 2. De qua questus Sallust. Catil. 52. 21. *Omnia*, inquit, *virtutis praemia ambitio possidet.* Bernec. — In-

terim Autor respicit duas factiones, quae et olim, hodieque frequentes sunt in Rebus publicis. GRONOV.

AD FASTIGIUM HUIUS MAIESTATIS NON AMBITIO POPULARIS. Reg. *huius dignitatis.* Coll. N. *tantae mai. non ambitio secularis.* ABR. GRONOV.

MODERATIO. Cuius effectus est, ut *recusantibus imperia ingerantur*, prout de Epaminonda loquitur VI. 8. idemque probat clare locus Livii V. 13. *Licinium Calvum praerogativae tribus militem non petentem creant, moderationis expertae in priori magistratu virum.* GRONOV.

2. POPULUS NULLIS LEGIBUS etc. Idem fere de Romanis tradit in Enchiridio suo de Origine Iuris his verbis Pomponius ICtus L. 2. §. 1. *Initio civitatis nostrae populus sine lege certa, sine iure certo primum agere instituit: omniaque manu a regibus gubernabantur.* Dionys. lib. X. *τὸ δικαιωθὲν ὑπὸ βασιλέων τοῦτο νόμος ἦν.* Vide et Iosephum contra Appion. lib. II. et Homerum, qui non utitur legum nomine, quod nullis tum legibus Graeciae populi tenerentur, inquit Cuiacius. MODIUS. — Idem fere de priscis Romanis tradit Tacit. Annal. III. 26. Dionys. Halicarn. X. 1. Pompon. in Enchir. de Origine Iuris. Homerus nuspiam utitur *legum* nomine, quod nullis tum legibus Graeciae populi uterentur, inquit Cuiacius. Nec male hoc, ut in illa aevi simplicis innocentia. *Leges in facta constituuntur: quia futura in incerto sunt.* Tacit. III. Annal. 69. Euseb. III. 23. BERNEC.

POPULUS NULLIS LEGIBUS TENEBATUR. Apud Augustinum lib. IV. de Civ. Dei cap. 6. legitur, *populi n. l. tenebantur.* ABR. GRONOV.

ARBITRIA PRINCIPUM PRO LEGIBUS ERANT. Sic Livius XXXVII. 54. *Barbari, quibus* pro legibus *semper* dominorum imperia *fuerunt.* WOPKENS.

3. FINES IMPERII TUERI MAGIS, QUAM PROFERRE MOS ERAT. Hic si nunquam extra humanos fines migrasset, pauci ferro, plurimi homines natura iubente fatis cessissent, nec paucae urbes, vera sui aevi miracula, suo etiamnum vigore consisterent, quae destructae iacent, et quarum memoria, nisi eam levis charta fovisset hactenus ac sustentasset, diu radicitus esset extirpata. Etenim si monumenta historiarum evolvimus, paucissimorum bellorum causam ex iustitiae fonte promanasse, plurima eoque crudelissima instinctu Cacodaemonis huius (insatiabile regni ampliandi studium dico) esse suscepta videmus. Hic prima discordiarum semina sparsit, belli artes immanissimas docuit, et infinitae caedis patrandae extitit auctor. SCHMIDEL.

4. PRIMUS OMNIUM NINUS. Orosius II. 2. *Omnes historiae antiquae a Nino incipiunt: omnes historiae Romanae a Proca exoriuntur:* ita habet MS. popularis mei P. Danielis, viri studiis bonarum artium praeclarissimi, cum in impressis desit prius membrum. Est autem Ninus primus *τῶν εἰς ἱστορίαν καὶ μνήμην παραδεδομένων.* Diodorus II. 1. quem vide. Et a Nino Chronici initium sumsit

Eusebius. Bongars. — Augustin. Quaest. ex utroque Test. cap. 115. Tom. IV. Bernec. — Hic fortassis est ille, qui in sacris literis Nimrod vocatur. Sane Nimrodi aevo Ninive sive Ninus urbs iam extitit, atque a Nimrodo condita illa fuit; ut ex Gen. X. 11. apparet. Deinde quae ab historico sacro Nimrodo, et a Iustino aliisque Nino tribuuntur, eadem fere sunt; ut enim Iustinus scribit, *Ninum veterem et quasi avitum gentium morem nova imperii cupiditate mutasse, et primum finitimis bellum intulisse:* sic de Nimrodo Moyses Gen. X. 9. quod *inceperit potens esse in terris, quodque potens fuerit venatione coram Domino*, id est, quod bellator fuerit potens; ut in cap. XVII. Commentarii de Hebraismis N. T. ῥῆσιν exposuimus. Habuerit igitur Nimrodus duo nomina, et alio nomine dictus fuerit Ninus, atque ab ipso nominum istorum altero urbem, quam condidit Niniven, vel, ut scriptores profani appellant, Ninum denominaverit. Vorst.

Avitum. MSS. *habitum. Habitus* pro *avitus*, et *habe* pro *ave* scripsisse veteres, notum est. Varro apud Nonium: *Quibus instabilis animus ardens mutabiliter habet habere, et non habere.* ibi enim *habet* est *avet*. Bongars. — Bongarsius maluit *avitum gentibus morem*. Sed non video, quo istud tertii casus vocabulum referri possit. Neque enim videtur dici posse *mos avitus genti;* sed dicendum potius esse *mos gentis avitus*. Et sane antiquiores typis expressi, Becharii, Maioris, Sichardi, *gentium* habent. Vorst. — Bongarsius edidit *gentibus*, eique suffragantur Augustinus d. l. Perix. Coll. N. ed. Rom. Cl. Crusius suspicabatur Iustinum scripsisse, *veterem et quasi nativum gentibus morem.* Abr. Gronov.

5. Rudes adhuc ad resistendum. Thucyd. I. pag. 51. ἀδυνάτους ἀμύνασθαι. Aelianus VI. 5. de Animal. ἐρήμους τῶν ἀμυντηρίων. Gronov. — Dimidia victoriae pars est, belligerare contra milites timidos, et ab experimento et scientia militari parum instructos. Iccirco dicere non veretur Tullius, ita se habere peritum artis militaris virum respectu inexercitati, quemadmodum se habeat armatus ad inermem. Schmidel.

Terminos usque Libyae. Ed. Rom. *ad Libyae usque terminos.* Flor. Ald. Iunt. *ad L. term. usque.* Augustinus: *ad terminos usque Libyae.* Abr. Gronov.

6. Temporibus antiquiores. Angl. *temporibus antiquis.* Quae est praestantissima et historiae convenientissima. Nam alias Vexorem Nino antiquiorem fuisse, falsum. Vide Rupertum ad Besoldi Synopsin. Scheff. — Minime sollicitanda est lectio vulgata. Nam si *temporibus antiquis* recipimus, perversa est ratiocinatio Iustini. Quid enim hoc ad rem, quod antiquis temporibus post Ninum fuerint Sesostris et Tanaus, qui longinqua bella gesserunt. Haec vero est argumentatio eius: Sesostris et Tanaus fuerunt antiquiores quidem Nino, et bella gesserunt ante Ninum, sed longinqua, non finitima ut Ninus. Erravit quidem Iustinus in ratione temporis, sed in Aegyptiorum regum temporibus computandis alios est secutus aucto-

res, quam Ctesiam, cuius probavit historiam Assyriam falsissimam, aeque ut ceteri. GRAEV.

VEXORIS. Turnebus, quod nullam usquam huius regis mentionem exstare videret, quaeque hic scribuntur, Herodotus lib. II. *Sesostri* tribuat, eiusdem nomen quoque hic reponendum censet; praesertim, inquit, cum vetus scriptura sit *Suexoses*, quae ad *Sesostrem* propius accedit; ego, ut de suis quibusdam monet Bongarsius, reperio in meis quoque MSS. partim *Vizores*, partim *Vezores*. MOD. — Turnebus, vir magnus, et veluti Sol quidam Philologiae, lib. II. Advers. cap. 15. quod nullam usquam huius regis mentionem extare videret, quaeque hic scribuntur, Herodotus lib. II. *Sesostri* tribuat, eiusdem nomen hic quoque reponendum censet: et fecissem, nisi ipse mihi legem dixissem, nil absque MSS. Codd. autoritate temere mutandi. Variant autem illi ut plerumque in propriis nominibus: *Vizores*, *Vezores*, *Vexores*, *Vexoris*, *Suexosis*, quod postremum ad *Sesostrem* propius accedit. Tacit. II. Annal. 60. 5. videtur *Rhamsen* appellare. BERNEC. — In MSS. quibusdam legitur *Suexosis*: pro quo alii *Sesostris*, ut et Herodot. lib. II. Malim scribere *Sesoosis*, vel *Sesosis*, quod propius accedit. Σεσόωσις sane a Diodoro passim appellatur Sesostris. Sed et aliis quibusdam sic dicitur. Nonnullis et *Sesonchis*, vel *Sesonchosis*. Vide Scholia ad lib. IV. Apollonii Rhodii. Quisnam vero sit, quem hic Iustinus *Tanaum* vocat, affirmare non possum. Herodotus Melpomene primum Scytharum regem facit Targitaum. Qui forte idem est. VOSS. — Libri *Vezores Aegyptius*. Sesostris, qui et Sesosis, et Ramesses et Aegyptus, Armais sive Danai frater, qui filii Amenophis, Graecis Beli, eius ipsius, qui Israelitis excedentibus Aegypto in rubro mari submersus est. Usserius aetate M. quarta pag. 304. n. 2510. GRONOV. — Iunt. edit. *Sesostres*. leg. *Sesostris*, ut recte iam olim Turnebus. Sic enim Herodoto dicitur lib. II. et Valer. Flacco lib. IV. vs. 415.

*— — — cunabula gentis*
*Colchidos hic, ortusque tuens: ut prima Sesostris*
*Intulerit rex bella Getis, ut clade suorum*
*Territus, hos Thebas patriumque reducat ad amnem*
*Phasidis, hos imponat agris, Colchosque vocari*
*Imperet.*

Sesostrim eum regem esse, qui in obelisco apud Amm. Marcell. XVI. dicitur *Rhamestes*, ab Eusebio et Iosepho *Ramesses*, a Manethone *Setosis*; recte docuerunt Scaliger ad Eusebium et Henr. Valesius ad Ammianum Marcellinum. Istum Sesostrim autem esse Sesacum illum, qui templum Hierosolymitanum diripuit, dubitare nos non sinunt, quae Nobilissimus Marshamus de eius aetate in Aegyptiorum Chronologia disputavit accurate in Aegyptiaco Canone. Nam ante hunc Sesostrim Aegyptii nihil praeclari patrios extra fines gesserant, nec tam victoriis, quam cladibus fuerunt nobiles. Quin in ipsa patria saepe peregrina Aethiopum et Arabum imperia per aliquot secula sunt passi. Non mirum autem eum spoliasse hostilia templa.

Non tamen propterea lupi, aut tyranni infamiam subiit. Nec movere nos debet, quod tam longe feratur vixisse ante Ninum. Decepit Trogum ut plerosque alios mendacissimus Ctesias, qui primus Assyriorum regno tantam tribuit antiquitatem, ut eius initia in secundum a diluvio seculum incidant. Cum satis certo constet cum ex silentio scriptorum antiquissimorum Mosis, auctoris libri Iosuae, Iudicum, Samuelis, Homeri, (qui, si tam illustre fuisset Assyriorum imperium, ut totius Asiae fere per tantum tempus fuerit potitum, non potuissent non eius mentionem facere, nec passi essent illi tam potentes reges, aut eorum praefecti, impune sibi eripi florentissimas regiones a Iosua;) tum ex testimonio Herodoti, qui lib. I. tradit Semiramidem quinque generationibus floruisse ante Nitocrin matrem Labyniti, quem Cyrus vicit, hoc est vix ducentis annis ante Cyrum regnum Assyriorum tum nondum fuisse ortum, cum a Ctesia scribitur deletum fuisse. Ne dicam id arguere inania regum, qui post Ninum et eius uxorem commemorantur, nomina. Quando Aegyptus a Nino et Semiramide, si Ctesiae credimus, subacta iugum hoc excussit? Altum de his omnibus in Aegyptiorum historiis silentium. Nihil falsius commentitia Assyriorum antiquitate. Verissimum videtur, quod Herodotus prodidit, per quingentos annos Assyrios in Asia superiore rerum potitos esse; nec tamen videntur regni huius initia valde fuisse clara, sed perexigua. Tum autem floruit maxime, cum illius potentia in Sacris Literis tantis laudibus extollitur, et factis ipsis ostenditur. Quo autem tempore maxime in Hebraeorum libris commemoratur viguisse Assyriorum regnum, si Ctesiam sequimur, dudum nullum fuit, quippe quod ante fuerit a Medis exstinctum, penes quos rerum summam tum per ducentos fere annos fuisse credunt et tradunt. Sed istarum notularum angustiae non permittunt ut haec pluribus persequamur, quod alibi forte faciemus diligenter. Haec tantum hic libuit annotare, ut scrupulum eximamus lectoribus, quem vir eruditissimus movit, cum propter temporum rationes, secundum Ctesiae calculos falsissimos, repudiandam censuit opinionem de Sesostri, qui corrupto Vexori erat substitutus. Graev. — Dici vix potest quot et quantas hic locus turbas dederit; dum se omnes omnia scire postulant. Rem ego ad pauca contraham, neque me prolixiorem fecero. Turnebus pro *Vexoris* legendum censet *Sesostris*, quod ego omnes, ob tanti viri auctoritatem in literis humanioribus, amplecti video. Sed frustra et temere id ab Adriano Turnebo assertum est. At, inquit, in secunda Musa Herodoti multa de Sesostri, eaque sane perquam magnifica et illustria referuntur. Sed quid tum? An ideo Vexoris Iustini repente fiet Sesostris Herodoti? At hoc nec fieri potuit, neque ferri potest. Proteus enim ex Herodoto ipso post Pheronem in Aegypto regnavit; ante Pheronem Sesostris; ergo res planissime falsa est, quam isti tam facile credidere. Dixerit aliquis, haec quae a me dicuntur, nullam fidem facere; imo autem vel maximam, atque adeo certissimam. Nam Proteus ex Herodoto et Homero ipso, qui multo antiquior est, tempo-

ribus belli Troiani apud Aegyptios florebat: unde necessario efficitur, Vexorin non posse esse Sesostrin, cum Vexoris tam multis annis ante Ninum imperii Assyriaci conditorem vixerit. Plane enim et diserte hoc ponit Iustinus, *multo antiquiorem fuisse Nino.* Itaque, ut dicam quod sentio, Vexoris ille fabula Ethnicorum fuerit, nihil aliud, nisi tu multa alia, eaque certiora, inter-fabulas haberi voles; certe nobis ignotus est, neque Sesostris esse potest. Nam cum Ninus non multo post diluvium Noachi, apud Assyrios regnare coeperit, (quae constantissima doctorum hominum sententia est,) qui tandem fieri possit, ut tam multis ante ipsum annis Vexoris in Aegypto regnarit? Eodem quoque videtur referendum, quod Trogus, Iustino teste, scripsit, Ninum tributi pendendi finem fecisse, quod Scythae ceteris Asiae populis imposuerant, per mille quingentos annos ante ipsum Ninum. Haec enim nisi fabulis et commentis veterum accensebis, in multa, eaque gravia, incommoda tibi incurrendum fuerit, si te animi cogitatione ad rerum originem referes, qualis hodie ex fide librorum sacrorum confirmata est et constabilita. Nunc alio etiam nostra convertatur oratio. (quanquam nihil haec ad Vexorin.) Sunt, iique viri doctissimi, qui ita dicant; Sesostrin Herodoti illum ipsum esse, quem Hebraeorum monumenta Sesacum, seu Sesakeim, vocant. Sed id fieri non potest; nam ille Sesac vehemens lupus, et merus rapacida, qui clypeos aureos etc. sub primulam regni Hebraici divisionem floruit, quod a nemine possit negari. At Sesostris ante bellum Troianum bibebat, ludebat, bellabat: excidium autem Troianum sub finem Iudicum, seu Ἀρχόντων Iudaicorum, accidit. Unde igitur; ille Sesac, nobilissimus ille latro, unde is esse Sesostris potuit? Haec autem a nobis ad intendendam Lectoris diligentiam, et ad exacuendum animi iudicium, scribenda esse existimavimus; quae si lubuisset diffundere et latius ac prolixius spargere, multum illa temporis, multum chartae occupassent; sed is mos nunquam noster fuit. Faber. — Infra II. 5. 8. *Vexoris rex Aegyptius.* Ceterum quae noster Vexori, ea Herodotus lib. II. Sesostri tribuit. Unde Turnebus II. Advers. 15. hic quoque *Sesostris* legendum censet. Et sane vetus editio Iuntina, ut et Graevius testatur, manifeste *Sesostres* habet. Quod autem idem Graevius editionem istam Bongarsio non visam putet, falli videtur. Notavit quoque ipse Bongarsius ad II. 3. 8. Iustini editionem Florentinam et hoc et altero loco habere *Sesostres.* Atqui editio Iuntina, qua de idem Graevius testatur, ipsa Florentina est, utpote Florentiae anno 1525. curata. Sunt et varia alia, ex quibus colligi licet, eandem illam Iuntinam atque Florentinam editionem, quam Graevio videre contigit, et ex qua optimas quasdam lectiones idem auctori reddidit, et Bongarsio visam fuisse: etsi idem praestantiam codicis fortassis non sic ut par erat aestimaverit. Vorst. — Nil hic mutem, etsi Iuntarum *Sesostres*, et revera hic fuerit qui aliis *Sesostris.* Nomina enim propria variant in infinitum apud Scriptores. Caeterum hunc Vexorem non antiquiorem

Nino, sed recentiorem fuisse, pridem alii, interque ipsos etiam Rupertus ad Historiam Besoldi docuere. SCHEFF.

TANAUS. Is fortasse, quem Iornandes *Taunasin* vocat. BONGARS. — Idem videtur esse cum Targitao Herodoti. OXON.

SESOSTRIS AEGYPTI ET SCYTHIAE REX TANAUS. Ed. Ald. Iust. *Sesostres.* Arrianus in Parthicis apud Photium Cod. 58. *Πάρθους δέ φησιν ἐπὶ Σεσώστριδος τοῦ Αἰγυπτίων βασιλέως, καὶ Ἰανδύτου τοῦ Σκυθῶν, ἀπὸ τῆς σφῶν χώρας Σκυθίας εἰς τὴν νῦν μετοικῆσαι.* Hinc Parenti in notis ad Arrianum Hist. Ind. pag. 318. legendum videbatur, *et Scythiae rex Iandus.* ABR. GRONOV.

7. LONGINQUA. *Ἐκδήμους στρατείας* Thucyd. I. pag. 6. Strabo II. pag. 511. *ἐφόδους ἐποιήσαντο τὰς μὲν μακροτέρας, τὰς δὲ καὶ ἔγγυθεν.* GRONOV.

NEC IMPERIUM SIBI. Ita Scythae infra II. 3. 7. *Victores nihil praeter gloriam concupiscunt.* Flor. III. 10. 34. BERNEC.

NINUS MAGNITUDINEM QUAESITAE DOMINATIONIS CONTINUA POSSESSIONE FIRMAVIT. Imitatur hoc, ut Iustini alia, Saxo Grammaticus H. Dan. I. pag. 8. *Gram quaesitum armis imperium possessione firmare cupiens, Suarinum Gothiae praefectum ob affectati regni suspicionem . . oppressit.* Confer Hirtium de B. Afric. cap. XXXII. Tacit. Annal. III. 60. WOPKENS.

NINUS MAGNITUDINEM QUAESITAE DOMINATIONIS CONTINUA POSSESSIONE FIRMAVIT. Saxo Grammaticus lib. I. Historiae Danicae pag. 204. 14. *nec quaesitae dominationis felicitate contentus.* et lib. XIV. pag. 317. 9. *quippe Saxones, proferendi imperii cupiditate, victoriae lucra continua possessione firmare.* ABR. GRONOV.

8. PROXIMA QUAEQUE VICTORIA INSTRUMENTUM SEQUENTIS. Principiis belli feliciter superatis faciliori longe negotio reliquae, quae sequuntur, victoriae succedunt. Praeter enim, quod militis animus molestiis bellicis magis magisque adsuescat, et re semel vel bis bene gesta confidentior fiat et exercitatior, accessione virium alienarum fortior quoque et locupletior fit exercitus, nervusque adeo belli impendio corroboratur. SCHMIDEL.

9. ZOROASTRE. Diodoro II. 6. dicitur *Ὀξυάρτης*. BONGARS. — De hoc Plin. XXX. 1. D. August. XXI. 14. Civ. Dei. BERNEC. — Scribit et Diodorus lib. II. cum rege quodam Bactrianorum Ninum bellum gessisse: verum non Zoroastrem, sed Oxyartem eum vocat. VORST. — De Zoroastris aetate incerta sunt omnia: tanta est opinionum discordia. Recentiorem fuisse, et in initio imperii Persici vixisse Agathiae aliisque credendum videtur. Vide Marsham. in Canon. Aegypt. ad Seculum IX. GRAEV. — Doctissimum Prideauxium lib. IV. Connex. Vet. et N. Test. pag. 212. e MSS. legere *Oxyatre*, mihi olim indicavit Cl. Hudsonus. ABR. GRONOV.

QUI PRIMUS DICITUR ARTES MAGICAS INVENISSE ET MUNDI PRINCIPIA DILIGENTISSIME SPECTASSE. Id est Physicam, ut XX. 4. de Pythagora. *Hic Sami Demarato locuplete negotiatore natus, magnisque sapientiae incrementis ornatus, Aegyptum primo, mox Ba-*

*bylonium ad perdiscendos siderum motus, originemque mundi spectandam profectus.* FABER.

10. ET IPSE DECESSIT. Aelianus Var. Hist. VII. 1. ex Dione refert, Ninum ab uxore Semiramide interfectum esse, cum haec imperium Asiae ab eodem ad quinque dies impetrasset. Diodorus tamen tantum in vincula coniectum scribit. VORST.

NINYA. Ita uno excepto vett. omnes: et Eusebius, et Cassiodorus: Graecis est *Νίνυας*, et ita apud Agathiam restituit Leunclavius lib. II. Variasse in hoc nomine auctores refert August. lib. XVIII. de Civitate Dei cap. 2. BONGARS. — Qui et patris nomine *Ninus* aliis, et a patre *Ninius*. Alii *Zamein* quoque dixerunt. BERNEC. — *Ninum* plerique MSS. legunt. Conon. lib. 9. apud Photium Cod. 186. historiam hanc longe aliter narrat. OXON.

SEMIRAMIDE. Praeter Diodorum II. 4. vide Plutarchum in *Ἐρωτικῷ* cap. 10. et Aelian. *Ποικ. Ἱστορ.* VII. 1. BONGARS. — Conon apud Photium Narr. IX. tradit, Semiramin, non uxorem Nini, sed filiam fuisse. Ait praeterea Iustinus, illam concubitum cum a filio petiisset, ab eodem interfectam. Conon vero longe aliter. Scribit enim, cum imprudens et ignara cum filio coiisset, re cognita, eidem nupsisse, et ex eo tempore licitum semper fuisse Persis commisceri matribus. VOSS.

## CAP. II.

1. IMMATURO. Mec. sec. Leid. Peris. ed. Ienson. Ven. Flor. Ald. Iunt. *immaturo puero.* Rom. *immaturo filio.* ABR. GRONOV.

TRACTARE. Tacit. II. Annal. 67. *qui regnum interim tractaret.* et Lucret. V. 930. *tractare vitam.* GRONOV.

VIX PATIENTER. Angl. *vix parentibus.* Quod videtur melius. Nam illud *patienter* superfluum, quia ubi est impatientia, ibi nemo paret. Deinde verba, sicut nunc se habent, agunt de futuro. At Semiramis colligebat ex praesenti, quid sperandum metuendumve sibi esset. Itaque recte *parentibus*, tum scilicet et proxime ante vivo adhuc Nino. SCHEFF. — Cave quicquam mutes contra tot codicum fidem. *Vix patienter pariturıs* est, quae gravatim aegre parere soleant uni viro, nedum feminae. Non movebit quenquam futurum. Non solum enim participia sunt omnium temporum, ut bene docuit Sanctius in Minerva, sed et futura saepe in hac notione ponuntur, qua *pariturae* hic positum esse ostendi, ut pluribus monui in Lectionibus Hesiodeis. GRAEV. — *Γυναικὶ δ' ἄρχειν οὐ δίδωσιν ἡ φύσις.* SCHMIDEL.

2. LINEAMENTORUM QUALITAS. *Qualitas* vox Ciceronis aevo nova, et ab eodem ad Graecum *ποιότητος* vocabulum formata, ut ex Acad. Quaest. I. apparet. *Qualitates appellavit*, inquit, *quas ποιότητας Graeci vocant.* Quodque Cicero ibidem de vocabulo Graeco dicit, *non esse id apud Graecos vulgi verbum, sed philosophorum*, id aevo Ciceronis de ipso quoque Latino verum fuit. Usurparunt ta-

men vocem postea Scribonius Largus, Seneca, Plinius, Columella. VORST.

3. VELAMENTIS. Vett. alii, *virilis vestis:* alii, *calciamentis.* placet vulgata lectio. Lib. II. *Priusquam adversus calorem vel frigus velamenta corporis invenirentur.* Virgil. VI. Aen. 221.

*Purpureasque super vestes velamina nota*
*Iniiciunt.*

BONGARS. — Retinui vocem usurpatam auctori etiam infra II. 1. 6. Quanquam Cl. Salmasius ὁ θαυμάσιος, in illis consummatissimae doctrinae Notis ad Histor. Aug. 223. E. ex fide MSS. Codicum hic reponit *calciamentis*, et explicat *fascias crurales et feminales.* Quo modo Pollux etiam ὑπόδημα vocat τὸ πέλυτρον: et Hesychius, ἀρτῆρα, ὑπόδημα: cum tamen ἀρτὴρ et πέλυτρον *pedulia* sint potius, quam *calcei.* Ἀναξυρίδας certe seu braccas (Polluci proprium Persarum gestamen) ceterasque vestes illis coriaceas initio fuisse, tradit Herodotus I. 71. BERNEC. — Thuan. *et crura calceamentis:* quomodo ex coniectura legit Salmasius. Pr. tert. Leid. *crura virilis vestis.* Matthaeus Westmonasteriensis in Flor. hist. Act. II. cap. 6. *brachia et crura veste virili*, *caput tiara tegebat.* ABR. GRONOV.

4. SEXUM MENTITA, PUER ESSE CREDITA EST. Saxo lib. VII. pag. 125. 37. *femineam mentitus effigiem.* Ed. Ven. Mediol. Flor. Paris. Ald. Iunt. *puer credita est.* ABR. GRONOV.

5. QUAE SIT FATETUR, QUEMVE SIMULASSET. Reciprocum *se*, quod *simulandi* verbo modo addiderat Iustinus, sic recte ab illo omitti potuit. Ut Livius XXV. 8. *Tridui viam aberat*, *ubi* — aegrum simulabat. Ovid. Metam. III. 274.

*Nec nubes ante removit*,
*Quam* simulavit anum..

cum nota Burmanni. Vide et Munker. ad Hygini Fab. XCIX. Ceterum mallem *quemque simulasset.* At ne sic quidem perpurgatus hic locus videtur: quid enim hoc opus erat, ut Semiramis fateretur, quem se simulasset, quum id inter omnes constaret, ac vulgo pro filio Nini haberetur? Cum igitur Iuntina editio et quidam MS. habeat, *quave caussa simulasset*, libenter scriberem *quaque caussa dissimulasset* scil. illud. Nempe immaturo adhuc filio tradere imperium ausa non fuerat, nec ipsa palam illud tractare, tot ac tantis gentibus sibi vix ac ne vix quidem parituris; ut caussa haec in praecedentibus memorata a Iustino est. WOPKENS.

QUEMVE SIMULASSET. Sec. Leid. Ald. Iunt. *quave causa simulasset.* ABR. GRONOV.

7. HAEC BABYLONIAM CONDIDIT. Quod ipsum tradunt Strabo lib. XVI. princ. Diodor. II. 7. Solin. cap. 56. princ. et alii. Verum Herennius Philo a Babylone Beli filio conditam scribit, qui fuit 1800 annis antiquior, teste Stephano de Urbibus in Βαβυλών. Curtius V. 1. 42. Belum, patrem Nini, conditorem facit, quem a Nimrodo non distinguunt Eusebius in princ. Chronic. Hieronymus in cap. II. Oseae. Augustin. de Civ. Dei XVI. 17. sed Herodotus (ini-

que a Stephano d. l. reprehensus) rectissime lib. I. 184. Babyloniam a multis Assyriorum regibus conditam fuisse paullatim. Unde Ammian. Marcellinus XXIII. 20. *Moenia quidem urbis a Semiramide constructa esse* ait: *arcem autem ab antiquissimo rege Belo.* et Orosius II. 6. *Babyloniam a Nemrod gigante fundatam: a Nino vel Semiramide reparatam.* Ac Nemrodum quidem primum conditorem faciunt et Iosephus I. Ant. Iud. 6. Zonaras Tom. I. et Cedrenus in Hist. Comp. nec abeunt Sacrae Literae Gen. X. 10. Bernec. — Huius opinionis auctor est mendacissimus Ctesias. Babylon urbs condita est a Regibus Assyriis longe post haec tempora. Vide Marsham. ad Sec. XVII. Graev. — Ed. Ald. Iunt. *Babylonem.* Abr. Gronov.

Harenae vice bitumine interstrato. Sequutus sum Cuiacii doctoris mei Codicem: quod in constructione murorum Babylonis nemo harenae, aut picis meminerit. Diod. τὰς πλίνθους εἰς ἄσφαλτον ἐνδυσαμένη. Vide Curtium Rufum lib. V. Ammian. Marcellinum lib. XXIII. Orosium II. 7. Optimus optimi et clarissimi Viri Cl. Puteani liber habet *harenae pice.* Asulani editio *arenae et calcis vice.* Bongars. — Harenam intellige calci permixtam: quo modo Plinius quoque XXXV. 15. m. *Bitumen*, ait, *calcis usum praebuisse, ita ferruminatis Babylonis muris.* Ubi item non calcem nudam intelligit, sed calcem arenatam. Alterutra enim sola in muris struendis locum non habet. Hinc de oratione non cohaerente dictum a Caligula Sueton. cap. 53. *arenam esse sine calce.* Perspicue magis quam necessario Aldinum exemplar, *harenae et calcis vice bit. int.* Salmasius ὁ πάμμεγας in Solin. 1228. C. 2. legendum censet, *arenati vice bitumine interstr.* Bene, et admisissem in textum, si vel unus MSS. Codicum addixisset. Est autem *arenatum* Vitruvio VII. 3. fin. *calx cum arena permixta.* Non placet quod est in editione, anno MD. excusa, castigante Sabellico, *harena bitumine interstrata:* ut nec aliorum: *arena, pice, bitumine int.* quia in constructione murorum Babylonis harenae et picis adhibitae nemo meminit. Vide Curt. V. 1. 43. Marcellin. XXIII. 20. Oros. II. 6. Bernec. — Editio Aldina, *harenae et calcis vice bitumine interstr.* Et sane calcis ea in re praecipuus usus est. Unde Plinius XXXV. 15. solam *calcem* nominat, ubi de eodem bituminis usu agit; scribitque *bitumen calcis usum praebuisse, ita ferruminatis Babylonis muris.* Ceterum quod Codices MSS. *arenae* tantum, vel *harenae*, habent, Salmasius in Exercitat. Plinianis in Solinum pag. 1228. coniecit legendum esse *arenati vice:* uti calx arena permixta intelligi possit. Est enim *arenatum* Vitruvio et Catoni *calx arena permixta.* Vorst.

Arenae vice bitumine interstrato. Ita Bongarsius edidit ex codice Cuiacii, cui adstipulantur Med. sec. quint. Leid. Bodl. Coll. N. *arenae et calcis vice bit. int.* Ald. Iunt. Plinius XI. Hist. Nat. 96. *Lac asinae crassissimum, ut quo coaguli vice utantur.* et XXXV. 15. *Utuntur eo* (bitumine) *ad lucernarum lumina olei vice.* Tacit. lib. III. Hist. cap. 71. *ni revulsas undique statuas in ipso*

*aditu vice muri obiecisset.* Apuleius lib. VIII. Metam. fin. *femurque eius asini accuratius in protrimentis sapidissime percoctum appone domino cervini vice.* Abr. Gronov.

E terra exaestuat. Plerique veteres, *et erectae statuae.* Semiramidem in regia χαλκᾶς εἰκόνας posuisse refert Diod. II. 8. et 9. et in templo Iovis τρία, inquit, κατεσκεύασεν ἀγάλματα χρυσᾶ σφυρήλατα Διός, Ἥρας, Ῥέας. Sed vulgata lectio confirmatur Cuiacii libro. Bongars.

8. Aethiopiam quoque regno suo adiecit. Non concedet hoc Herodotus lib. II. qui Aethiopiam ab nemine externo unquam victam scribit; neque ego etiam credo Semiramidem eo usque extendisse imperii terminos. Glarean.

9. Sed et Indiae bellum intulit; quo praeter illam, et Alexandrum Magnum, nemo intravit. Expeditionem Herculis hic noster oblitus est, qui multis ante seculis id praestitit, quod postea Alexander; atque adeo id miror etiam magis, quod ipse Iustinus XII. 7. dicat: *Peragrata India, cum ad saxum mirae asperitatis et altitudinis, in quod multi populi confugerant, pervenisset, cognoscit Herculem ab expugnatione eiusdem saxi terrae motu prohibitum. Captus itaque cupidine, Herculis acta superare* etc. Neque vero Herculis tantum, sed et Bacchi immemor fuit, cuius tamen ipsius ab eo facta est mentio, eodem lib. cap. 7. *Cum ad Nysam urbem venisset, oppidanis non repugnantibus, fiducia religionis Liberi Patris, a quo condita urbs erat, parci iussit, laetus non militiam tantum, verum et vestigia se Dei secutum.* Faber.

Indiae. Libri scripti *Indis.* Gronov.

Sed et Indiae. Prior particula abest Ald. Iunt. eaedemque cum ed. Rom. et plerisque MSS. *Indis.* Abr. Gronov.

10. Interfecta est. Iniuste. Infra XVI. 1. 4. Adde Oros. I. 4. August. de Civitat. Dei XVIII. 2. Eius epitaphium habet Plutarchus in Apoph. et Stobaeus Serm. X. Herodotus tamen I. 187. Nitocri tribuit, quae Semiramide posterior est. Bernec.

Duos et XL. Praeter unum MSS. omnes *duo et triginta. duo* antique, pro *duos.* Et statim quidam vett. *regnum potita.* quomodo lib. XII. *qui postea regnum Indorum potitus est.* et lib. VI. *potiti victoriam.* et lib. X. *ultionem potita.* et lib. XXXVII. *ne non diutinam administrationem regni potiretur.* Vid. Prisc. XVIII. qui ex Iugurth. Sallustii adfert, *Adherbalis potiretur.* quo loco vetus codex Sallustii habet *Adherbalem.* Bongars. — Vide etiam Indicem in *Potiri.* Bernec. — MS. C. C. Coll. et *W.* legunt *triginta duo.* Oxon. — Cum MSS. Bongarsianis, qui omnes praeter unum, *duo et triginta,* Anglicani accedant, in quibus scribitur *triginta duo,* non video, cur id sit respuendum. Dissensisse in annis imperii Semiramidis Trogum ab aliis, nihil miri, cum quidquid de Nino et Semiramide traditur sit incertissimum. Graev.

Duo et quadraginta annos post Ninum regno potita. Ed. Ald. Iunt. *post Ninum, qui regnavit annis* LIIII, *r. p.*

11. Contentus elaborato a parentibus imperio, belli studia deposuit. Saxo lib. X. pag. 203. init. *maiorum virtute elaboratum finivit imperium.* Abr. Gronov.

13. Assyrii, qui postea Syri dicti. Imo *Syri, qui postea Assyrii dicti.* Nihil verius iudicio Salmasii in Solin. 1228. A. 1. Sed codicum MSS. consensum secutus, nihil mutandum duxi; potius est ut autoris *παρόραμα* quam librariorum credamus. Vide tamen Scaligerum in Animadv. ad Euseb. pag. 24. F. 1. et Selden. de Diis Syris Proleg. pag. 4. F. Hieron. in XIX. Iesaia. *quos veteres Assyrios, nunc vocamus Syros.* Bernec. — Hoc est commentum Ctesiae, quo totum fere orbem fascinavit. Verius Herodotus I. 95. prodidit Assyrios Asiae superiori imperasse annos DXX. cum Medi primi ab iis deficere coeperint. Hoc tempus incidit in Troianum bellum, cum Gideon iudex Hebraeis praeesset. Hinc et Porphyrius apud Eusebium de Praeparat. Euangelica Semiramidis matrem ad Troiana refert tempora. Illam Herodotus scribit I. 184. ante Nitocrin vixisse aetates quinque, quae nondum annos ducentos conficiunt. Nitocris autem mater fuit Labyniti regis Babyloniorum, cuius tempore Babylon capta fuit a Cyro. Illam falsam Assyriorum regni antiquitatem primus impugnavit Hermannus Conringius, lumen Germaniae, in Adversariis Chronologicis de Asiae et Aegypti antiquissimis dynastiis; postea magnus Usserius Armachanus in Annalibus Veteris Foederis labefactavit; et tandem evertit illustris Marshamus in Canone Chronologico. *Syrus* et *Assyrius* Graeci et Latini saepe confuderunt, ut et Salmasius et Bochartus docuerunt. Sed Syriae nomen longe recentius est, quam Assyriae. Syri enim appellati sunt a metropoli Tyro, quae Hebraeis Tsur dicitur, cum olim appellarentur Arimaei, Hesiodo et Homero Arimi; Assyrii vero in Sacris Litteris sunt filii Assur. Graev. — Idem Salmasius praedicto loco putat vocibus transpositis legendum esse, *Syri, qui postea Assyrii dicti.* Nobis lectio vulgata proba, ac tum ipsi auctoris menti, tum quoque veritati consentanea videtur. Antiquius omnino videri debet integrum *Assyriorum*, quam quod ex eo decurtatum est *Syrorum.* Et exploratum prorsus est, unde integrum illud originem traxerit; videlicet a nomine *Assuris*, filii Semi, qui regionem eam, quae Assyria dicta, occupavit. Vorst.

## CAP. III.

1. Sardanapalus. *Tricesimus* a Nino, inquit Diod. Ut Velleius lib. I. *tertius et tricesimus.* Bongars. — Alias *Thonosconcoleros* dictus, teste unico in Chron. Eusebio, qui eum a Nino *tricesimum sextum* facit: at Diodorus II. 23. *tricesimum* tantum: Velleius I. 6. *tertium et tricesimum.* Causam diversitatis e divini Scaligeri ad Euseb. Animadversionibus colligere est: qui et affirmat, in omnibus libris MSS. per geminum *ll* exprimi *Sardanapallum*, ut propter hominis turpitudinem obscoena sit allusio ad *παλλός*, seu

φαλλός. Nos simplex *l* retinemus, cum purum putum sit Assyriacum, cuius posterior vocula legitur etiam in medio nomine Regis Assyrii Teglath-phal-Esar. Bernec. — Nomen hoc Assyriorum regis non simplex, sed compositum videtur; et quidem ex *Esar*, *Haddon* et *Phul:* suntque istarum nominis partium in ipsis Sacris Literis vestigia. Et prima quidem illarum est in nominibus *Salmaneser*, *Tiglatphileser*, et *Esarhaddon:* altera in eodem illo *Esarhaddon:* et tertia denique legitur separatim II. Reg. XV. 19. estque etiam in praedicto *Tiglatphileser.* Et putat vir summus Sardanapalum esse ipsum illum Esarhaddonem, qui in locum patris Sanheribi, ab aliis duobus filiis interemti, successit. Vorst. — Sec. Leid. ed. Ald. Iunt. addunt, *anno ante urbem conditam* LXIIII. haud dubie ex Orosio lib. I. cap. 19. init. ubi ait: *Anno ante Urbem conditam* LXIIII. *novissimus apud Assyrios regnavit Sardanapalus.* Abr. Gronov.

2. Arbactus. *Arbactus* inepte legitur pro *Arbaces*, est enim *Arbaces* Medorum, sicut *Arsaces* Parthorum nomen; nisi quis haec etiam apud Graecos aut corrupta, aut variata fuisse credat. Glarean. — Praefectus, qui hic *Arbactus*, in Prologo est *Arbaces:* Diodoro II. 24. Straboni lib. XVI. Athenaeo XII. 7. Agath. II. Ἀρβάκης. Velleio I. 6. mendose *Pharnaces* pro *Arvaces*. Orosio I. 19. et II. 2. *Arbatus: quem*, inquit, *alii Arbacem vocant.* Bongars. — Macrob. in Somn. Scip. II. 10. Nicol. apud Vales. pag. 425. Bernec. — Iunt. *Arbacus*, quod propius a vero abest. Scribendum enim ut in Prologis, et apud alios scriptores, quos laudat Bongarsius, *Arbaces.* Iustinus cum Trogo in Medorum quoque regno, ut plerique alii, sequitur Ctesiae fidem valde sublestam, cum certiora sint, quae de huius regni ortu et duratione tradit Herodotus I. 95. et seqq. Nimirum cum Assyriorum regnum intestinis tumultibus vexaretur ob caedem Sennacheribi, ab Assyriis defecisse Medos, et se in libertatem asseruisse, cumque suis fuissent legibus usi aliquamdiu sine rege, legisse tandem regem, qui dictus sit Deioces, qui Ecbatana condiderit, et regnum usque ad fluvium Halyn protulerit, cui successerit Phraortes filius, qui Persas domuerit, sed ab Assyriis caesus fuerit, tantum abest, ut tum fuerit extinctum Assyriorum regnum: Phraortis filium, Deiocis nepotem, fuisse Cyaxarem, qui Ninum ceperit, et Assyrios domuerit. Hunc excepisse Astyagen filium, quem Cyrus vicerit, deleto regno Medorum, quod steterit 150 annos. Haec Ctesianis veriora esse multis adstruit Marshamus in Canone Chronol. Saec. XVII. Graev.

Arbaces. Ita omnino scribendum, non autem *Arbactus.* id duae rationes suadent: prima est quod Arbactus desinentiam barbaricam non habet; altera quod manifeste scriptum est *Arbaces* in illis Prologis, qui e MSS. Codd. a Bongarsio V. Cl. publicati sunt. Adde hoc quod ita Chronologi paulo eruditiores. Faber. — Editio Iuntina, uti Graevius testatur, *Arbacus.* Et apud Orosium, qui ex nostro excerpsit, I. 19. in Codd. MSS. ut Franc. Fabricius testatur, est *Arbatus:* quod quidem perperam pro *Arbacus* scriptum apparet.

Porro *Arbacus* illud propius accedit ad verum Ἀρβάκης, *Arbaces*, quod praefecto huic alii tum Graeci, tum Latini auctores tribuunt. In vetere denique Prologo huius libri manifeste est *Arbacem:* ex quo ipsum Trogum Pompeium, et fortasse Iustinum quoque sic scripsisse verisimile sit. Sunt enim Prologi isti, ut facile apparet, non in Epitomen Iustini, sed in ipsas historias Philippicas Trogi Pompeii confecti. Vorst. — Iuntina *Arbacus*, unde Graevius et Vorstius *Arbaces*, quod vel ob lectionem similem in Prologis amplector. Scheff. — Magl. Bodl. ed. Ald. Iunt. *Arbacus.* In prologo huius libri, et apud Iornandem de Regn. Succes. Freculphum tom. I. lib. III. cap. 9. et 17. ac Matthaeum Westmonasteriensem Act. II. cap. 8. rectius *Arbaces* legitur; idemque exhibuit Georgius Maior. Ceterum apud Matthaeum Act. IV. cap. 6. vitiose editum est, *Arbastus.* Abr. Gronov.

Magna ambitione. *Ambitio* hic pro studio, industria, et contentione aliquid faciendi aut impetrandi. Nepos X. 2. 2. *Magna cum ambitione Syracusas perduxit.* Cicero I. Ep. 1. ad Att. *In quo uno maxime ambitio nostra nititur.* Sic et derivatum inde *ambitiosus* non modo eum, qui honores affectat, sed et eum, qui magna contentione ac studio aliquid facit, significat. Ovidius III. de Ponto Ep. I.

*Sed tamen hoc factis adiunge prioribus unum,*
*Pro nostris ut sis ambitiosa malis.*

Vorst.

Purpuram. Plutarch. II. de Fortuna Alexandri. Bongars. — Non temere MSS. *purpuras colo nentem.* Horat. II. Od. 18.

*Nec Laconicas mihi,*
*Trahunt honestae purpuras clientae.*

Graev.

Purpuram colo nentem, et muliebri habitu. Graevius malebat *purpuras* ex MSS. Bongarsii, quibus accedunt Thuan. pr. tert. quart. Leid. Periz. ed. Rom. Apud Ioannem Saresberiensem lib. VI. Policr. cap. 14. pag. 364. male abest coniunctio *et* [Schoettgenius hanc omissionem probat. Fr.]: idemque cum Periz. Coll. N. ed. Rom. et Vincentio Bellovacensi lib. II. Speculi Historialis cap. 93. *mollitie.* Abr. Gronov.

Oculorum lascivia. Quae Petronio, *oculorum quoque mobilis petulantia.* Unde Sardanapalus a Max. Tyrio Dissert. XIX. dicitur τῷ ὀφθαλμῷ ἐκτετηκώς, hoc est, Persii verbis I. 18., *patranti fractus ocello.* Cresoll. Vacat. Autumn. 168. m. Freinshemius referre mavult ad oculos picturatos, tinctaque fuco supercilia, quae Sardanapalo tribuit Athenaeus XII. 7. pag. 529. a. et Medis in more fuisse scribit Xenophon Cyripaed. I. pag. 8. c. Bernec.

3. Tractantique lanam. Recte. *Tracta* enim in veteri Glossario sunt κατάγματα ἐρίου. Sed ea dicta videntur a *trahendo.* Varro. *Sed simul manibus trahere lanam.* Veteres omnes excepto

Cuiacii codice *tractantesque ferrum, et arma habentes.* et ita Saresb. Policratici VI. 14. Bongars.

Tractantique lanam ferrum et arma tractantes parere. Ita scribi curavi ex MSS. Codd. quos legerat Bongarsius vir nobilissimus. Illud autem *portantes*, quod prius legebatur pro *tractantes*, ex hac editione eiici volui; primum quia Latine *portare arma* (ut apud Sallustium *armorum portationibus*, in Catilinario) longe aliud ab illo est quod Gallice dicimus, *porter les armes*, id est *militare, militiam sequi*, seu *stipendia merere;* deinde quod *homini tractanti lanam* si qui viri opponantur, illi esse debeant *qui arma tractent;* id enim figurae ratio postulat; et annotatum oportuit. Ita autem dixit Iustinus *tractare arma*, ut Cicero, ut Livius, alii. Ita et *tractare imperium*, cap. 2. huius libri. *Tractare rempublicam*, Cicero. *Tractare artem musicam*, Terent. *Ius civile tractare* etc. Faber.

Ferrum et arma portantes. Oxoniensis ex MSS. praefert *ferrum et arma habentes.* Quod haud dubie est glossatoris. Est enim aptior oppositio in *tractare lanam*, et *portare ferrum*, quam *habere*, cum alterum similiter actionem significet, velut masculam et virilem. Scheff. — Sic etiam Dorv. 3. in 1. enim et 2. ac Franeq. est *arma habentes*, ut et in aliis *tractantesque ferrum et arma habentes.* Equidem nihil moveo: certe non erat, quod Faber ideo *arma tractantes* legendum iudicaret, quasi *arma portare* pro gestare, vel iis ad bellum instructum esse, non dicerent Latini. Sic enim Silius Ital. XI. 587.

*Scilicet et gremio matrum rapiamus in hostem*
*Nondum* portandis *habiles gravioribus* armis.

Sallust. Cat. cap. LVI. *ceteri, ut quemque casus armaverat, sparos aut lanceas aut praeacutas sudes* portabant. Curtius lib. IX. 10. *et vix miles* arma portabat. Sedulius lib. I. 325.

*Aurea purpurèae capietis praemia vitae,*
*Arma quibus Domini tota virtute geruntur,*
*Et fixum est in fronte decus. Decus* armaque porto,
*Militiaeque tuae, bone rex, pars ultima resto.*

Augustinus de C. Dei VI. 6. *Numquid Diana theatrica* portat arma, *et urbana simpliciter virgo est?* Sic Vetus Interp. 2 Paralipom. XIV. 8. aliique. Wopkens. — Saresberiensis: *t. virorum iri subiectum.* et cum quart. Leid. *tractantesque ferrum, et arma habentes par.* [„Quod multo melius est“ inquit Schoettgenius „quam „vulgo legitur, aut emendare conatur Schefferus et Tan. Faber. „Quid enim obstat, quo minus Latine satis dicatur, *arma habere?*“ Fr.] Vocem *lanam* quoque omittit tert. Leid. Abr. Gron.

Malit esse. Saresber. quart. Leid. *mallet.* Abr. Gron.

4. Fit igitur coniuratio. Saresb. *fit ergo coniuratio.* Abr. Gronov.

Bellum Sardanapalo infertur. Omittit Saresber.; et glossam olere videntur. Sequitur: *qua* (intell. *coniuratione*) *ille audita.* Schoettgen. — Bernecc. confert Diodor. II. 20. et 27. Fr.

Ut metu mortis mulieres solent. Sec. Leid. *metu hostis*. Infra h. l. cap. 8. 2. *quae* (Tomyris) *non muliebriter adventu hostium territa* etc. Posteriora Iustini verba imitatur Saxo lib. XI. pag. 219. 43. *femineo more latebram circumspicit*. Abr. Gronov.

Mox deinde cum paucis et incompositis in bellum progreditur. Victus in regiam se recipit. Isthaec mihi haud sane placent, et aliter collocanda verba ipsa Iustini videntur; hoc modo scilicet: *Mox cum paucis et incompositis in bellum progreditur: victus deinde in regiam se recipit*. Faber. — Faber non ineleganter traiicit voculam *deinde* hoc modo: *mox cum paucis . . progreditur: victus deinde in regiam* etc. Sed ut ista, *victus in regiam* etc. per talem particulam non opus est praecedentibus connecti, et hanc stili concisionem amant historici: sic offendere virum doctum non debuit τοῦ *deinde* pleonasmus, non multum ab isto diversus, quem alii contra illum recte vindicant ad lib. XIII. 1. 7. et lib. XXXVIII. 1. 9. Tibullus I. 5. 74.

Mox deinde *recurrit*
*Solus et ante ipsas exscreat usque fores.*

Ovidius Metam. IX. 142.

Mox deinde, *Quid autem*
*Flemus? ait.*

Boëtius Cons. II. 2. *Cyro paullo ante formidabilem*, mox deinde *miserandum rogi flammis traditum*. Augustin. de C. Dei I. 30. Deinde mox *malarum connexione causarum* etc. lib. III. 16. Deinde mox *ipse in bello cecidit*. et ibidem: Mox deinde *exclamavit et ait* etc. Orosius II. 14. Deinde mox *caesis etiam illis, quibus* etc. Ita *posthaec deinde* dixit idem lib. V. 1. Lactant. II. 13. 11. cum nota Erud. Bunemanni. et Propert. II. 2. 14.

Dehinc *domiti* posthaec *aequa et iniqua ferunt.*

ubi vid. Broukhusium elegantissimum. Wopkens. — Saxo lib. X. pag. 203. *cum paucis et incompositis adversus multitudinem manum conserere cunctatus non est. Mox deinde*, ut apud Curtium libr. X. cap. 7. *Mox deinde cum stirpem generis mei latius propagare cuperem*. Inscriptio apud Ferretium Mus. Lapid. II. 46.

*Annus erat vitae primus, mox deinde secundi*
*Liminibus rapuit me sibi Persephone.*

et *dein postea* in Prolog. lib. XXVII. *effugit Ariamenen, dein postea custodes Tryphonis*. et apud Celsum lib. VII. de Medic. cap. 18. *primum inflammatur, deinde postea pondere abrumpitur*. atque *post deinde* apud Gellium lib. I. cap. 3. *Post deinde idem Theophrastus ad hunc ferme modum disseruit*. lib. VII. cap. 3. pag. 383. *Post deinde usum esse Catonem dicit argumentis parum honestis*. et XX. 1. *Post deinde, nisi dissolverent, ad Praetorem vocabantur*. Abr. Gronov.

5. Et extructa. Angl. *ubi extructa*, quod videtur praeferendum. Scheff. — Recte tres Anglicani, *ubi extructa incensaque pyra*, quod Oxoniensis recipit, adstipulante Iuntina. Graev. —

Peris. MSS. Bong. ed. Rom. Ven. *recepit.* In ed. Ven. Mediol. Flor. Paris. *incensaque* desideratur. Quint. Leid. *extructa ingensque pyra.* Bodl. *extructa ingentique pyra.* Melius sec. Leid. atque editiones, quas consuluit Bongarsius, *extructa ingenti pyra.* Ald. *Victus in r. se recipit, et extructa ingenti pyra se et divitias et concubinas in incendium mittit.* Iunt. *Victus in r. se recaepit, ubi extr. ingenti pyra se et divitias et conc. in inc. m.* Hanc pyram describit Athenaeus lib. XII. cap. 7. ubi ex Ctesia refert, Σαρδανάπαλον καταλυθέντα ὑπὸ τοῦ Ἀρβάκου τελευτῆσαι ἑαυτὸν ἐμπρήσαντα, ἐν τοῖς βασιλείοις πυρὰν νήσαντα ὕψος τεσσάρων πλέθρων, ἐφ' ἧς ἐπέθηκε χρυσᾶς κλίνας ἑκατὸν καὶ πεντήκοντα, καὶ ἴσας τραπέζας καὶ ταύτας χρυσᾶς. ἐποίησε δὲ ἐν τῇ πυρᾷ καὶ οἴκημα ἑκατόνπεδον ἐκ ξύλων, κἀνταῦθα κλίνας ὑπεστόρεσε· καὶ κατεκλίθη ἐνταῦθα αὐτός τε μετὰ τῆς γυναικὸς αὐτοῦ, καὶ αἱ παλλακίδες ἐν ταῖς ἄλλαις κλίναις. Adde Diodorum Siculum, qui lib. II. cap. 27. ait: πυρὰν ἐν τοῖς βασιλείοις κατεσκεύασεν ὑπερμεγέθη. Abr. Gronov.

In incendium mittit. Rem fuse narrat Athenaeus XII. 7. Addit autem ex Clitarcho Sardanapalum senio obiisse, Syriae tamen imperio spoliatum. Eius Epitaphium extat ibid. et in Plutarch. II. de Fortun. Alex. cap. 8. Bernec.

Hoc solo imitatus virum. Imo neque in hoc vir Sardanapalus. *Fortes enim et strenui etiam contra fortunam spe insistunt; timidi vero et ignavi ad desperationem formidine properant.* Tacit. lib. II. hist. Hinc dicit Aristoteles (lib. III. Ethic. cap. 7.) *Mori ob inopiam, aut amorem, aut aliud molestum, non est fortis viri, sed timidi.* Schmidel.

Post hunc rex constituitur interfector eius Arbactus, qui praefectus Medorum fuerat. Satis invenuste hic denuo audimus, *Medorum praefectum* appellari Arbactum, postquam sic paulo ante iam scripserat noster: *Ad hunc videndum . . praefectus ipsius Medis praepositus, nomine Arbactus, cum admitti m. a. ae. obtinuisset.* Neque hic, quamvis conspirationis in Sardanapalum factae auctor esset, *interfector* Sardanapali erat, quippe qui mortem ipse sibi intulerit. Melius igitur, amputatis his *qui praefectus Medorum fuerat,* legeremus *Post hunc rex constituitur praefectus eius Arbactus.* Wopkens.

Rex constituitur interfector eius Arbaces. Immo *victor eius:* quomodo legitur in editione Romana; idemque in margine Codicis Vaticani exstare, per litteras me certiorem fecit Eminentissimus D. Valenti. Eaedem voces etiam confunduntur in editionibus Valerii Maximi lib. IX. cap. 8. 1. *Ita exiguo momento maximae rei casus fluctuatus est; utrum interfector, an captivus Scipioni Syphax foret.* Corradus et Pighius ediderunt, *utrum victor.* Abr. Gronov.

## CAP. IV.

1. Astyagen. Vide Herodotum lib. I. et Orosium I. 19. Astyagis filiam *Mandanen* vocat Herodotus I. 107. et Val. Max. I. 7. quae

Aeliano Var. Hist. XII. 24. est *Μανδάλη*, inverso *ν*. Sed videtur emendandus Valerius, quum inquit, *Astyages duos praenuntios somnii frustra discutere tentavit;* legendum enim *duo praenuntia somnia.* ut in quodam MS. legere memini. De Cyro praeter Herodotum et Orosium lege Ctesiae *ἐκλογάς*, et Xenophontis *Κύρου παιδείαν*, quam quidem non ad historiae fidem scripsit, sed ad effigiem iusti imperii, inquit I. ad Fratrem M. Cicero. Bongars.

2. Ex naturalibus filiae. Nomen ei Mandanes, ut ex Herodoti I. 107. et Val. Maximi I. 7. ext. 5. constat. Nec multum discrepat Aelianus, qui Var. Hist. XII. 41. *Μανδάλην* vocat. *Naturalia* quae auctor vocat, Cicero II. de Div. pari fere modo *naturam* vocat. Vorst.

Hic per somnum vidit ex naturalibus filiae etc. Coll. N. *ex pube naturali filiae.* Cantab. *vitem exsurgere, cuius.* Thuan. *cuius palmitibus.* Reg. *Hic per somnum vitem oriri vidit ex naturalibus filiae, quam un. hab. cuius palmites omnem Asiam obumbrarent.* Herodotus lib. I. cap. 107. *τὴν (Μανδάνην) ἐδόκεε Ἀστυάγης ἐν τῷ ὕπνῳ οὐρῆσαι τοσοῦτον, ὥστε πλῆσαι μὲν τὴν ἑωϋτοῦ πόλιν· ἐπικατακλύσαι δὲ καὶ τὴν Ἀσίην πᾶσαν.* et cap. 108. *Ἐδόκεε δέ οἱ ἐκ τῶν αἰδοίων τῆς θυγατρὸς ταύτης φῦναι ἄμπελον· τὴν δὲ ἄμπελον ἐπισχεῖν τὴν Ἀσίην πᾶσαν.* Ad utrumque Herodoti locum respicit Tertullianus de Anima cap. 46. *Astyages Medorum regnator quod filiae Mandanae adhuc virginis vesicam in diluvionem Asiae fluxisse somnio viderit, Herodotus refert: item anno post nuptias eius ex hisdem locis vitem exortam toti Asiae incubasse. Haec etiam Charon Lampsacenus Herodoto prior tradit: qui filium eius tanto operi interpretati sunt, non fefellerunt; siquidem Asiam Cyrus et mersit, et pressit.* Pro *ex hisdem locis* eruditissimus Franciscus Iunius optime correxit, *ex eiusdem locis.* Post *tradit* maius *στίγμα* ponendum videtur. Abr. Gronov.

4. Neque civi filiam — in matrimonium tradit. Coll. N. *neque civi dedit filiam.* ed. Ald. Iunt. *n. civi nuptum dedit filiam.* et cum Bech. Ven. Flor. Mediol. Paris. *nepotis.* Eaedem edd. cum MS. Med. *de gente*, et cum ed. Bongars. *tradidit*, quod praeferunt omnes MSS. praeter Coll. N. et merito contra Schefferum tuetur Cl. Schraderus in Animadv. ad Musaeum cap. 17. pag. 38.

Cambysi mediocri viro. Cambysen vilioris sortis virum fuisse, quam existimatur vulgo, Dio Chrysostomus, si ei credendum, ostendit, qui oratione XV. de Servitute tradit, Cyrum ante regnum fuisse hominem, qui candelis faciendis quaestum fecerit: *ἢ οὐκ οἶσθα, ὅτι λυχνοποιὸς ἦν ὁ Κῦρος Ἀστυάγου, καὶ ὁπότε γε ἠδυνήθη, καὶ ἔδοξεν αὐτῷ, ἐλεύθερος ἅμα καὶ βασιλεὺς ἐγένετο τῆς Ἀσίας ἁπάσης. An nescis candelarum opificem fuisse Cyrum Astyagis filium, et liberum simul et regem factum esse totius Asiae, et quando potuit, et quando sibi visum fuit.* Alii tamen Cambysen fuisse genere Achaemenidam tradunt. Nobilissimam autem apud Persas familiam Achaemenidarum, ut auctor est Herodotus I. 170. et

seqq. Diod. Siculus in Excerptis Peiresciani illum a patre disciplina regia fuisse formatum tradit, ut iam alii notarunt. GRAEV.

IN MATRIMONIUM TRADIDIT. Angl. *tradit.* Probo, quia sic historici amant loqui, et sequitur mox *arcessit*, simili tempore. SCHEFF.

5. NE SIC QUIDEM SOMNI METU DEPOSITO. Malim cum aliis editionibus duobusque MSS. *somnii*, ut *somnio exterritus* cap. IX. 6. quamquam me non fugiunt, quae de promiscuo horum nominum usu ad Victor. V. Illust. cap. VII. observavit Cl. Arntzenius. WOPKENS.

AC NE SIC QUIDEM. Ald. Iunt. *at ne sic q.* ABR. GRONOV.

ARCESSIT. Ea est omnium fere veterum librorum in hoc auctore scriptura. Dicitur autem *arcesso* ab arcio; ut a capio, *capesso*; facio, *facesso.* Priscian. lib. VIII. et *arcio* est accio: *ar* pro *ad*, ἀρχαϊκῶς. Vide Scaurum de Orthogr. BONGARS.

UT SUB AVI POTISSIMUM OCULIS PARTUS NECARETUR. Ed. Ald. Iunt. *foetus necaretur.* MS. Coll. N. *ut sub avi pot. conspectu foetus nec.* quomodo etiam edidit G. Maier. ABR. GRONOV.

6. NATUS INFANS etc. Haec omnia prolixe Herodotus exsequitur I. 107. et seqq. Ctesias negat ex Astyagis sanguine fuisse Cyrum. BERNEC.

REGIS ARCANORUM PARTICIPI. Non solum Iuntae editio, sed et MSS. legunt, *regis amico et arcanorum participi.* Quod male mutarunt editores, ut dudum praecepit Gronovius. Amici enim regum dicebantur olim, qui eis a consiliis sunt. In cap. 7. huius libri: *Quo facto et amicum in adulterium uxoris sollicitatum hostem sibi fecit.* et cap. 9. *Magum quendam ex amicis delegit.* lib. XII. 15. *Cum deficere eum amici viderent.* lib. XXXIV. cap. 3. *Cum cunctari eum videret, consultationemque ad amicos referre.* Suet. Tib. 55. *Super veteres amicos ac familiares viginti sibi e numero principum civitatis depoposcerat, velut consiliarios in negotiis publicis.* GRAEV.

REGIS AMICO ET ARCANORUM PARTICIPI. Ita ex uno cod. MS. quem Bongarsius vidit, et ex typis expresso Iuntarum legendum videtur. Certe qui regis arcanorum particeps, is eiusdem et *amicus* est. Estque ea vocis *amici* significatio non in hoc tantum, sed et in ceteris bonis auctoribus passim obvia. Quin et infra I. 5. 6. ipse ille Harpagus, de quo hic agitur, *amicus regis* vocatur. VORST. — Recte Graevius ex MSS. et Iuntina: *regis amico et arcanorum.* Verstius iam recepit in textum. SCHEFF.

7. PUERUM EXPONENDUM TRADIT. Med. Magl. Bodl. ed. Rom. Ven. Flor. Mediol. Ald. Iunt. *tradidit.* ABR. GRONOV.

9. ROGAT SIBI ADFERRI OSTENDIQUE PUERUM. Nec male, puto, Dorv. tres cum aliis exhibent *perferri.* WOPKENS. — Bodl. Cantab. *proferri.* pr. Leid. *preferri.* Magl. Reg. Thuan. quatuor Leid. Paris. a pr. m. ed. Rom. Ald. Iunt. *perferri.* Valerius Flaccus lib. V. Argon. vs. 491.

*Hic sibi me auratae pecudis quicunque periclis*
*Exuvias perferre iubet.*

Martialis lib. IV. Epigr. 10. vs. 11.

*I puer, et caro perfer leve munus amico.*

Abr. Gronov.

12. Quem ubi in manum mulier accepit. Scribe omnino, *in manus*. neque enim dixeris *accipere in brachium*, sed *in brachia*, ita uti et Graeci solent. Sed et ratio ipsa, absque usu sit, hoc facile persuadeat. Faber. — Gemina huic ῥῆσις est infra XII. 6. 11. *In cuius manibus pueritiam egerat.* Ergo quod Germani mei dicunt, *auf den Arm nehmen*, id Latini dicunt *in manum accipere*. Vorst. — Quod Faber reponendum coniicit *in manus*, id quidem in Fran. alioque MS. et ed. vetere comparet, sed mihi tamen non ita arridet, quin a Iustino suspicer scriptum *in sinum*. ut Curtius III. 11. Acceperat in sinum *filium . . in spem tantae fortunae . . genitum. At in gremio anus aviae iacebant adultae virgines duae.* Wopkens. — Fabro emendanti *in manus* suffragantur tert. Leid. Coll. N. ed. Rom. Gellius praef. *ut librum in manus ceperam.* Abr. Gronov.

Veluti ad notam allusit. Sic 4 MSS. nostri. Impressi interponunt *puer*. Oxon. — Recte Oxoniensis secutus quatuor MSS. *puer* delevit, et Vorstius cum Scheffero in sequentibus, *infantis*. Sunt interpretum glossemata. *blandientis* est, cum blandiretur in alludendo. Graev.

Dulcis quidam blandientis infantis risus. Lege *blandientis infantiae.* hanc enim lectionem confirmant Quintil. in Declam. XIX. *Quum adhuc rudis unici blandiretur infantia.* et Plin. XXXII. Nat. Hist. 2. *Surculi infantiae alligati tutelam habere creduntur.* Gron. — Mirum quod Bongarsius adiecit *infantis*, cum in antiquioribus typis expressis id non inveniret, vocemque *pueri* iam paulo ante positam videret. Vorst. — Recte illud *infantis* a Vorstio deletur, cum libri vett. non agnoscant. Forsan et alterum *blandientis* delendum. Certe non cohaerent satis commode, *apparuit in illo risus dulcis blandientis.* rectius dixisset *in illo blandiente.* Sed de hoc sic quisque statuat, ut volet. Scheff. — Mirum quibusdam videbatur, unde Bongarsius *infantis* adiecerit post *blandientis*, cum eam vocem non agnoscant antiquiores editi. Sed habuerunt illam haud dubie Bongarsii codices, uti sane habent et nostri quatuor, id est, Franeq. cum tribus Cl. Dorvillii. Quod autem inde refingebat vir praestantissimus I. F. Gronovius, *et dulcis quidam blandientis infantiae risus:* mihi quidem tentare liceat *et dulcis quidam* blandimenti infantilis *risus.* Quemadmodum lib. XVII. 3. *seu misericordia fortunae eius, seu* infantilibus blandimentis *inductus.* Pro simplici *dulci blandimento, risus dulcis blandimenti* sic dixerit, ut lib. XVIII. 3. *Piae misericordiae humanitatem* pro pia misericordia. Vide infra ad cap. IX. 13. Wopkens. — Plerique MSS. ed. Rom. *blandientis infantis*, pro *infantiae:* quomodo Avus legendum suspicabatur. Valerius Maximus II. 7. 6. *cuius infantiae blandimenta sinu atque osculis foverat.* Hegesippus lib. V. cap. 18. *si qua materno affectu*

*percita, miserans vagitus infantiae, succos ciborum ore proprio vellet infundere.* ABR. GRONOV.

UXOR ULTRO ROGARET. Oxoniensis ex MS. *Uxor multum rogaret.* GRAEV.

QUO SUUM PARTUM PRO ILLO EXPONERET. Hoc non est verisimile. Herodotus ait uxorem pastoris peperisse mortuum puerum, atque illum expositum pro Cyro, quod est vero similius: aeque enim pastorum uxores ex se prognatos liberos diligunt, atque reginae suas proles. Sane multa in hac historia sunt variata ab Herodoti traditione, quae longius prosequi non est nostri propositi. Herodoti enim descriptio est longe verisimilior, maxime ubi postea bellum est inter Cyrum et Astyagem. GLAREAN.

QUO SUUM PARTUM. Scio usurpari aliquando *quo* pro *ut*, at hoc loco nescio, an sit conveniens. suspicor scripsisse Iustinum: *ut pastorem uxor ultro rogaret quoque, suum partum.* Oratio profecto longe efficacior et convenientior. SCHEFF. — Alii omittunt haec verba, *quo suum partum pro illo exponeret.* Herodotus auctor est infantem pastoris mortuum fuisse natum; unde in orbitatis solatium permutatio ista vivi pueri loco defuncti non temere expetebatur. OXON. — Qui verba ista, *quo suum partum pro illo exponeret*, et *que* post *permitteret*, omiserunt, his adstipulatur etiam MS. Franeq. et Dorv. 2. Sin autem haec deleri nolumus, certe *quo* in *ut* migrandum erit, aut quod malim, omnino tollendum, prout in Dorv. 2. nusquam, in 3. nonnisi in margine comparet. WOPKENS. — Magl. sec. quart. Leid. *ut partum suum*, iterata particula causali, quemadmodum apud Gellium lib. III. cap. 9. *sed eumdem equum tali fuisse fato sive fortuna ferunt, ut quisquis haberet eum possideretque, ut is cum omni domo, familia, fortunisque omnibus suis ad internecionem deperiret.* ubi vide Avum. Venustius quart. Leid. *rogaret, suum partum pro illo exponeret*, omissa particula *ut*, quae post *iubere*, *precari*, *hortari*, et similia verba eleganter omitti solet. Ita infra V. 10. 4. *orat, misereantur exsulum civium.* VII. 5. 4. *Alexander rogat patrem, respectu aetatis et gravitatis suae abiret convivio.* et XXXIV. 3. 2. ex sec. Med. *hortatique sunt, crudelitate patris provocatus occupet insidias.* Adde XII. 8. 10. XXVIII. 1. 6. et 2. 13. XXX. 3. 3. XXXI. 1. 2. Saxo lib. XI. pag. 215. 27. *Sacristae somnum capienti quidam per quietem praecepit, Suenoni sufficere diceret, quod* etc. et pag. 219. 42. *Blacco hortatur, fugae parcat.* ac lib. XIV. pag. 302. init. *Absalonem alioaque Danicae nobilitatis proceres obsecrat, regem arrepti itineris emensione prohibeant.* ABR. GRONOV.

NUTRICI POSTEA SPACO NOMEN FUIT, QUIA CANEM PERSAE SIC VOCANT. Cum et Trogus Pompeius et Herodotus ipse tradiderint hac voce canem apud Persas significari, ab iis quaesivi, quos in hoc genere scire aliquid credebam, utrum id hodieque verum esset? Negarunt, et alio nomine nunc canem Persice vocari affirmavere. At ego hoc scio, canem apud Hyrcanos, qui sub ditione Persarum sunt,

nunc quoque dici *Spae:* unde huius appellationis vetustas apparet. Hoc didici ex libris seu Relationibus Wikfortii, viri Clarissimi atque Elegantissimi; quem virum populi principesque ambire, amplexari possent, si illum satis nossent. FABER. — Iuntae recte: *Spaco.* Herodotus Σπακώ I. 10. GRAEV. — Crediderim legendum esse non *Spacos*, sed *Spaco;* quomodo editionem Iuntinam habere testatur Graevius. Certe Herodotus, qui primus haec prodidit, ita vocat. VORST. — Graevius *Spaco* ex Iunt. Forte *Spacus* Noster scripsit pro Graeco genitivo Σπακοῦς. SCHEFF.

## CAP. V.

1. CUM INTER PASTORES ESSET, CYRI NOMEN ACCEPIT. Non solum editio Iuntae, sed et antiquus Codex Bongarsii legunt: *Cum inter pastores esset imperiosus, Cyri nomen accepit.* Sic et codex Anglicanus. Sed alius *imperio usus.* Hanc veram esse huius loci lectionem puto, qua caussa redditur, cur dictus sit Cyrus, cum antea fuerit ei aliud nomen a pastore, et eius uxore, a quibus educabatur, impositum. Docet id etiam Herodotus I. 113. *Τὸν δὲ ὕστερον τούτων Κῦρον ὀνομασθέντα παραλαβοῦσα ἔτρεφε ἡ γυνὴ τοῦ βουκόλου, ὄνομα ἄλλό κου τι καὶ οὐ Κῦρον θεμένη. Alterum vero, qui postea Cyrus appellatus est, uxor bubulci sibi sumtum educavit, imposito illi alio quopiam ac non Cyri nomine.* et non longe post puer, quem Cyrus flagellis ceciderat, *Κατελθὼν δὲ ἐς πόλιν πρὸς τὸν πατέρα, ἀποικτίζετο, τῶν ὑπὸ κύρου ἤντησε. λέγων δὲ οὐ Κῦρον (οὐ γάρ κω ἦν τοῦτο τοὔνομα) ἀλλὰ πρὸς τοῦ βουκόλου τοῦ Ἀστυάγεος παιδός. In urbem vero cum contendisset apud patrem questus est, quomodo a Cyro esset exceptus. non vero Cyrum appellavit (nondum ei hoc erat nomen) sed filium pastoris boum Astyagis.* Non igitur primis annis, quos inter pastores exegit, Cyrus fuit dictus, sed post illud tempus, quo inter pastores imperio erat usus in puerili illo ludo, Cyrus demum fuit appellatus, sive a pueris, cum quibus luserat, sive a veris parentibus, sive a civibus. Narrat deinceps Iustinus, quomodo ex illo imperio seu regno inter pueros exercito fuerit agnitus ab avo. *Mox rex inter ludentes sorte delectus cum per lasciviam contumaces flagellis cecidisset, a parentibus puerorum querela est regi delata.* Haec ita sunt accipienda, mox a parentibus puerorum querelam esse regi delatam, cum in illo imperio, rex scilicet inter ludentes sorte delectus, per lasciviam contumaces flagellis cecidisset. Vides igitur non frustra *imperiosus* inveniri in libris antiquis, quamvis emendatius legatur in uno, *imperio usus.* Doctissimi et amicissimi mihi, cum in vivis esset, viri emendationem, qui coniicit scribendum esse, *Puer deinde cum inter pastores esset in Persis Cyri nomen accepit*, probare non possum, quia pastores illi, apud quos educabatur, et quibuscum versabatur, non erant Persae, sed Medi. In Media enim natus erat Cyrus, in Media expositus, in Media ad decimum annum, quo imperium inter

pastores exercuit, commoratus. vide Herodot. I. 10. Postea demum ad parentes in Persiam remissus est, ubi non inter pastores egit, sed ut regis Medorum nepos, et Mandanes filius, laute fuit habitus et educatus. vide cap. 122. eiusdem libri. Et hoc est, quod ad eum scribit Harpagus, *eum ablegatum fuisse in Persas.* Tum autem ei videtur hoc nomen impositum fuisse in Persia. Persis enim *Cyrus est Sol*, ut notarunt Ctesias et Plutarchus. Etiam nunc *Chur* et *Churshid* apud Persicos poëtas *Solem* significare viri doctissimi monuerunt. GRAEV. — Veteres plurimi habent: *i. p. esset imperiosus*, quod et Graevius dicit non temere spernendum. At quid sibi velit, hoc vero non declarat. Porro vox *imperiosi* vix hic obtinere potest locum. Hoc enim vitium significat. Deinde quomodo imperiosus fuerit puer adhuc, et constitutus sub arbitrio pastorum? quod illud eius esse potuit imperium? Et plane propositum hic Nostro, reddere causam, quare Cyrus dictus fuerit. At hoc non addiscitur ex illo *imperiosus*, quoniam Cyrus non *imperiosum*, verum *Solem* detat, ad quem nil facit vox *imperiosus*. Puto igitur sic legendum: *puer deinde cum inter pastores esset in Persis, Cyri nomen accepit.* Ostendit nempe illud *in Persis*, cur ei Persicum nomen Cyri sit impositum et non Medicum aliquod, videlicet, quia puer versabatur non in Medis, sed in Persis. Porro locum hunc sic esse legendum, patet etiam ex sequentibus, in quibus Harpagus eum scribit *ablegatum in Persas.* neque enim ista possunt intelligi, nisi locus hic ad istum modum legatur, cum de ista Cyri ablegatione in Persas nullum verbum alias praecesserit. SCHEFF.

CYRI NOMEN. Cyrum Persico sermone *Solem* significare, auctores sunt Ctesias, Plutarchus in Artaxerxe cap. 1., Plethon in expositione eorum, quae in Magicis Zoroastris oraculis obscurius dicuntur. Unde apparet Suidam, etymon exotici nominis petentem e *Graecia* sua, toto, quod aiunt, coelo errare. BERNEC.

2. SERVILIBUS VERBERIBUS. Infra II. 5. 4. *Verbera in aciem, non arma ferenda, omissoque ferro, virgas ac flagella, ceteraque servilis metus paranda instrumenta.* Et recte Accursius ad L. 12. D. de Iure Fisci, *servilia verbera* interpretatur *flagella.* ut L. 10. §. pen. D. de in Ius Vocando, iuncta L. 7. §. 2. D. de Iniuriis, probat. Petronius *serviles poenas* dixit. Sallust. I. Hist. *abunde libertatem rati, quia tergis abstinetur.* Vide Senecam ext. Apolocynth. BONGARS. — Hinc *verberibus foedari* homines liberi dicuntur Tacito III. Hist. 77. Aliud est, *puerili verbere moneri.* V. Annal. 9. adde Brisson. Sel. Ant. Iuris II. 9. BERNEC. — Florus I. 23. 1. *Serviliter in terga saevire.* et Noster infra II. 5. 5. VORST.

VERBERIBUS ADFECTOS. Saxo lib. XIV. pag. 306. 12. *primo siquidem verberibus adfectus.* ADR. GRONOV.

3. NIHIL MUTATO VULTU. Saepe nimirum infantia virilis aetatis praeco est, et virtutis igne accensus animus quasdam ante scintillulas spargit, quam flamma convalescat. SCHMIDEL.

5. ET QUONIAM DEFUNCTUS SIBI SOMNIO VIDERETUR, AGITATO

INTER PASTORES etc. In Dorv. 1. et 2. pro *quoniam* est *quia*. Malles *quum iam:* sed *quoniam* ita cum subiunctivo venit lib. XXII. 8. *Sed* quoniam *in imperio* esset, *tacita de eo suffragia tulerunt.* lib. XXXIX. 1. *Alter* . . quoniam *sine matris auctoritate diadema* sumsisset, *ab eadem interficitur.* WOPKENS.

ANIMUM MINACEM DUNTAXAT IN ILLO FREGIT. Pro *minacem* malim legere *minatione;* quomodo Maior edidit. VORST. — Non displicet, quod ex codice Maioris probat Vorstius, legendum *minatione* pro *minacem*, cum vix integer alias sit sensus. Et *minatione* pro *comminatione* ponitur eleganter, ut non pauca huius generis alia. Sensus: *fregit animum*, id est, minuit iram, *minatione*, id est, comminatione, qua Cyrum ab ulteriore conatu satis deterrere posse sibi visus est, *duntaxat in illo*, id est, eatenus saltem, quatenus iratum habuit animum erga Cyrum; non quatenus et erga Harpagum, cui non putavit sufficere ad delinimentum, si Harpago minaretur solum, sed damno simul aliquo in solatium ultionis afficiendum. SCHEFF. — Vetustarum editionum lectionem, quae *minatione* prae se ferunt, quod et in Iuntina legitur, minime sequendam duco. *Animus minax* est ira percitus, qui exitium minabatur et Harpago et Cyro. Non enim placatum eius animum et mitigatum erga Cyrum statim fuisse, postquam eum agnoverat, patet ex Herodoto, qui I. 120. narrat, ut Astyages deliberarit cum Magis, tollendusne Cyrus esset propter somnium, an vero servandus. Haec tantum verbo, ut in compendio, tangit Iustinus. Sententia est, Astyagen iram illam minacem, si non erga Harpagum, saltem erga Cyrum compressisse. *Duntaxat* Latinis est *saltem*, *minimum*. GRAEV. — At ista mihi quidem nondum faciunt satis, propterea quod sic non apparet, quid sibi velint verba *in illo*. aliud enim est *frangere animum minacem in aliquem*, aliud vero *frangere animum minacem in aliquo.* Itaque si quid mihi cernere datur, existimarem Astyagen hoc loco dici *animum minacem non suum*, sed *in illo*, hoc est, *Cyro tantum fregisse.* Optime haec sententia orationis ordini et rei respondet. animus Cyri minax positus est partim in eo, quod referente Herodoto lib. I. cap. 115. Cyrus apud Astyagen accusatus de filio Artembaris verberibus indignis affecto, vultu liberiore iure se id fecisse contendit; partim in eo, quod animus Cyri excelsior exitium ipsi Astyagi et eius imperio minabatur, quod somnium a Magis explicatum portendebat. quare *duntaxat* non notabit *saltem*, *minimum*, ut Graevio visum est, sed *tantummodo.* cuius notionis exempla ubique facile sunt obvia. Ipse autem modus, quo Astyages in Cyro animum minacem fregit, ex Herodoto lib. I. cap. 120. seq. patet, ubi in Persiam missus dicitur, ne quid contra Astyagen moliretur. Atque id ipsum indicat quoque Iustinus n. 8. scribens, *ut ablegatus in Persas ab avo fuerit.* ubi quidem loco *ablegatus*, quod Gronovio debetur, Maior, Becharius et alii ediderunt, *relegatus*, quod Vorstio magis placet, et sine dubio e MSS. haustum videtur. Sed displicet Scheffero *rele-*

*gatus*, quia illa Cyri dimissio in Persas non dici possit eiectio infamis e patria. Quamvis autem libenter largiar, *ablegatus* satis commodum huic loco esse, non tamen possum non monere, rationem Schefferi, cur *relegatus* ferri nequeat, esse nullam. nam *relegare* non semper notare eiectionem infamem, sed minime raro etiam significare idem, quod *dimittere* et *separare*, cum alia, tum vel haec testimonia confirmant. Caesar Gall. V. 30. *nec reiecti ac relegati longe ab caeteris aut ferro aut fame intereant.* Cicero Offic. III. 31. *Criminabatur etiam, quod Titum filium, qui postea est Torquatus appellatus, ab hominibus relegasset, et ruri habitare iussisset.* quid? quod *relegatio* mitior omnino fuit, quam exilium, fatente Ovid. Trist. II. 135. seqq.

*Adde, quod edictum, quamvis immane minaxque,*
*Attamen in poenae nomine lene fuit.*
*Quippe relegatus, non exul dicor in illo.*

Dresig. — *In illo* est *illius*, sc. *Cyri*. Sententia est: *Astyages contentus fuit animum Cyri minacem et superbum repressisse et contudisse.* Male ceperunt interpretes. Nagel.

6. Harpago amico suo infestus. Hegesippus lib. V. cap. 16. pag. 326. *cui enim infestior quam mihi esse debuit?* Ed. Rom. (atque ita legit Cl. Crusius ex coniectura) *infensus*, ut infra XIIII. 4. 7. *infensus seditionis auctoribus.* Eadem adiectiva miscentur quoque XXXV. 1. 2. *Ariarathi propter fastiditas sororis nuptias infestus.* pr. Med. Bodl. quint. Leid. *infensus.* et apud Freculphum tom. I. lib. IV. cap. 28. *quem cum undique infensi hostes circumdedissent.* Uterque MS. Leid. et Orosius II. 19. pag. 191. *infesti.* Abr. Gronov.

Filium eius etc. Commemorat et Seneca de Ira III. 15. Bongars. — et Ovid. in Ibin. Bernec.

Epulandumque patri tradidit. Theophilus ad Autolycum lib. III. non hoc Astyagi, sed Cambysi tribuit. Perperam. Voss.

7. Ad praesens tempus. Sufficit *ad praesens*, et sic loquuntur Tacitus quoque Annal. IV. 31. et 44. Hist. I. 44. et Sueton. Tit. 6. nec dubitem, a manu glossatoris esse *tempus*. Sed hoc editorum consensu, nihil audeo mutare. Bernec. — Putat Berneccerus *tempus* esse a manu glossatoris; quod alii dicant *ad praesens*, subaudito *tempus*. Verum quod ita loquuntur alii, non necesse erat et Nostrum ita loqui. Fit enim ut quae subaudiri solent, etiam diserte adiiciantur. Ita dicunt *brevi* et *brevi tempore*. Vorst. — Berneccerus vocem *tempus* a manu glossatoris esse putabat, quam Vorstius deleri necesse esse negabat. Nos vero litis huius arbitrum optimum putamus Dorv. 8. dum adiectivum *praesens* ignorat. Ita lib. XIV. 2. *Erat quidem solutus* ad tempus *metu mortis Eumenes: sed nec salutis, dimisso exercitu, magna spes erat.* Florus I. 6. *Substitutus in locum regis quasi* ad tempus, *regnum dolo partum sic egit industrie,* etc. cum nota Cel. Dukeri. Wopkens.

8. Ut ablegatus in Persas ab avo fuerit. Optime MSS.

*ablegatus.* Amant enim hoc verbum sic usurpare, ut adsit ei quaedam invidia et malevolentia: genus loquendi, quo saepe Livius utitur: ut V. 2. *Remotam in perpetuum et ablegatam ab urbe et Republ. iuventutem.* et XXII. 25. *Consulum alterum specie classis Punicae persequendae procul ab Italia ablegatum.* et XXIII. 31. *Deinde ubi ablegatum, velut de industria, M. Marcellum viderunt.* Sed et de hac ablegatione extat memorabilis narratio apud Athenaeum XIV. pag. 633. petita ex Dinonis Persicis. GRONOV. — Maior, Becharius, et alii ediderant *relegatus;* quod magis placet, et sine dubio itidem e MSS. haustum. VORST. — Vorstio magis placet *relegatus*, quod nonnulli habent. Mihi vero *relegatus* glossa videtur alterius. Saltem *relegatio* non fuit illa Cyri dimissio in Persas, sicut quidem alias vox *relegationis* sumitur pro eiectione infami e patria. tantum illuc mittebatur, ut retunderetur eius spiritus, omnisque rei gerendae ipsi adimeretur occasio. At huiusmodi sensu vox *ablegationis* nota optimis scriptoribus. Terent. in Hecyr. *Aliquo mihi est hinc ablegandus, dum parit Philumena.* SCHEFF. — Vid. Dresig. in adn. ad §. 5. huius cap. FR.

10. EXINTERATO LEPORI. Ita MSS. Glossae: *Interata*, ἐξεντερισθέντα, voce ab interioribus ducta. BONGARS. — De historia consulendus Herodotus I. 123. et Polyaenus VII. et Frontin. III. 13. 2. BERNEC. — Vix dubium, quin legendum sit *exenterato.* Hyginus Fab. XXX. *Hydram Lernaeam Minerva monstrante interfecit et exenteravit.* Plin. XXX. Nat. Hist. 5. *Idque in exenterato, prosecissoque vivo* (catulo) *deprehendi.* GRONOV. — Bongarsius e MSS. maluit *exinterato.* Mihi magis placet lectio vulgata: quae et apud Plautum observatur Epid. II. 2. et V. 2. Est enim *exenterare* sine dubio ex Graeco ἐξεντερίζειν formatum; ipsum Graecum autem ab ἔντερα, quod quidem *viscera* significat, ortum. Vide et Vossium in Etymolog. L. L. VORST. — Sic etiam, non *exinterato*, habent Dorv. tres. WOPKENS. — Med. tert. Leid. Periz. Bodl. Coll. N. et Ienson. Ven. Flor. Mediol. Paris. Ald. Iunt. *exenterato*, idque placebat Avo et Vorstio. Thuan. quart. Leid. ed. Rom. *eviscerato*, quod ex glossa ortum videtur. Plinius lib. XXX. cap. 10. *Quidam et ipsum* (stellionem) *arundine exenteratum inveteratumque bibendum dedere.* et XXXII. 8. f. de ranis: *suspensae autem pedibus, exenterari iubentur.* Lib. Tobiae VI. 5. *Exentera hunc piscem.* ABR. GRONOV.

UT SUB SPECIE VENATIONIS DOLUS LATERET. Mihi magis placet quod in antiquioribus typis expressis est *venationis*, quam quod Bongarsius edidit *venatoris.* Sic et V. 8. 12. *sub obtentu liberationis*, quod retinuit Bongarsius, melius est quam quod in aliquo Cod. MS. est *sub obtentu liberatoris.* Infra XXXIV. 3. 8. pro *sub specie venationis* dicit *specie venandi.* VORST. — Vorstius ex editis vetustioribus, *venationis.* Non displicet. SCHEFFER. — Sic et Iunt. GRAEV.

## CAP. VI.

1. LECTIS ILLE EPISTOLIS. Ald. Iunt. *literis*. ABR. GRONOV.

EADEM SOMNIO AGGREDI IUSSUS EST. Antiquiores editiones habent, *eandem viam somnio aggredi*. VORST. — Nihil his mutandum. Nam quod in quodam legitur *eandem viam*, glossatoris est, qui haec desumpsit ex verbis praecedd. in cap. 5. §. 9. SCHEFF. — Malim cum Dorv. 3. et vetere edito, *eandem viam somnio a. i. e.* quomodo lib. V. 10. *qui* (tyranni) *nihil exemplo prioris dominationis territi*, *eandem* viam *crudelitatis* aggressi *sunt*. WOPKENS.

SED PRAEMONITUS. Mendum est sane leviculum, at mendum tamen. Pro *sed* legendum *et*, quod MSS. Codd. Bongarsii habuere. FABER.

QUEM PRIMUM POSTERA DIE OBVIUM HABUISSET, SOCIUM COEPTIS ASSUMERET. Eaedem antiquiores editiones *haberet:* quod rectius videri possit propter id quod sequitur *assumeret*. Sed non insolens tamen est ipsum plusquamperfectum tempus poni pro imperfecto: ideoque illud quod e MSS. sine dubio, rescribere placuit Bongarsio, haud male. VORST.

2. ANTELUCANO TEMPORE. Saxo lib. XIV. pag. 248. 4. *antelucano tempore petens sacrarium*. et pag. 285. 38. *antelucano tempore peractis divinis*. ABR. GRONOV.

ITER INGRESSUS. Idem lib. XII. pag. 282. *cum rex iter ingredi vellet*. ABR. GRONOV.

NOMINE SYBAREM. MS. habet *Sebarem*. Legendum *Soebarem*. Et sic quoque infra. *Soebares* is est *Oebares*, *Οἰβάρης*. Utrumque enim dicitur. Sic Androcottus Sandrocottus, Indica Sindica, Merdis Smerdis, Osthanes Aeschylo est *Σωσθάνης*. Alibi plura. VOSS. — Isaacus ille Vossius, in quo mihi ingenium et doctrina ex aequo certare videntur, *Oebarem* legendum esse ostendit, non *Sybarem;* id quod et verum est, et, ni ipse occupasset, potuissem et ego ostendere. FABER.

3. PERSEPOLIN REGREDITUR. Hoc saepe miratus sum, quod et nunc demiror, unde isthaec appellatio Graecanica urbis antiquissimae, et quae olim totius Orientis regia fuit. An a Baccho? an a Perseo? an denique ab Hercule? Somnia. Vellem autem, vellem, verum tam clarae urbis nomen edidissent veteres historici. Nam aut valde fallor, aut Graeculi homines morem suum in mutandis locorum nominibus secuti sunt; quod in exemplis pene infinitis nuper demonstravit incomparabilis ille noster amicus Samuel Bochartus in suo PHALEG, quod ego opus immortale futurum, si quid coniectura valeo, iam pridem auguror. FABER.

4. IN CONVOCATO POPULO. Frontinus I. 11. 19. BONGARS. — Herodotus I. 125. et seq. Polyaenus lib. VIII. Frontinus I. 11. 19. BERNEC.

PRESTO CUM SECURIBUS ESSE. Malim cum MSS. meis, *praesto a. s. adesse*, et sic edere malim, quam quomodo hactenus cir-

cumfertur, *praesto cum securibus esse.* Sed minutum hoc. Mod. — *Adesse* restituit e MSS. suis Modius. Antea fuit *esse.* Bernec. — Antiqq. edd. *esse,* Et retinuit eadem Bongarsius. At Modius quod in quibusdam MSS. reperit *adesse,* et secutus eum Berneccerus, compositum istud pro simplici rescribendum censuerunt. Nobis simplex rectius videtur; quia *praesto* antecedit. Vorst. — *Esse* Iuntina et Oxoniensis ex MSS. asserit. Graev. — Non sane, ut nonnulli putant, minus recte se hic habet in compluribus MSS. compositum *adesse,* quam simplex *esse;* quod post Cel. Ab. Gronovium probavit Bunemannus ad ista Lactantii II. 16. *Et sacrificiis omnibus praesto* adsunt. Cicero pro Murena cap. XII. *Praesto aderat sapiens ille, qui inire viam doceret.* Wopkens. — Med. Magl. MSS. Fuldenses, sec. Leid. ed. Bernec. *adesse.* Lucretius lib. V. vs. 1411.

*Nam quod adest praesto, nisi quid cognovimus ante*
*Suavius, imprimis placet.*

Terentius Eunucho V. 8. 20. *sed ubi est frater? CH. Praesto adest.* Curtius lib. VII. cap. 1. *Edicit, ut omnes in vestibulo regiae praesto adforent.* Confer notam Cl. Wopkensii. Abr. Gronov.

5. Postera die ad paratas epulas invitat. Cum et Bongarsius fateatur in manu exaratis suis Codd. exstare, *postera die apparatis epulis invitat,* et ita nostri membranacei libri scripti antiquissimi habeant, ita editio Cratandriana Basileensis, cui praefuit vir doctissimus Ioann. Sichardus, ita Italica A. CIↃ. IↃ. X. quam recognoverat eruditissimus vir Sabellicus, emisit Augustinus Becharius; non video, cur ea scriptura reiici debeat, maxime cum ita etiam loquatur historicorum princeps Livius. Mod. — Vulgo editi, *ad paratas epulas invitat.* Sed restituimus auctori lectionem, quam et Bongarsius et Modius fatentur in manu exaratis suis codicibus extare: ita Sallust. Histor. IV. 3. 18. *cum se cibo vinoque laeti invitarent.* imo Noster ipse XII. 13. 7. Bernec.

Apparatis epulis invitat. Bongarsius maluit *ad paratas epulas;* credo quod in quibusdam MSS. id reperisset. Monuit tamen alios Codd. MSS. et antiquiores item typis expressos, habere *apparatis epulis.* Neque perpetuum illud est, ut dicatur *invitare ad aliquid,* vel *in aliquid,* sed dicunt etiam simpliciter *invitare aliquem.* Noster XII. 13. 7. *Instaurata comessatione et ipsum et sodales eius invitat.* Hic quomodo duo ablativi consequentiam designantes praemittuntur, sic et in altero illo factum videri potest: ut *apparatis epulis invitat* sit pro *epulas apparat et invitat.* Vel potest *epulis* pro casu tertio haberi: qua ratione dicunt *invitare aliquem tecto et domo, invitare hospitio, invitare poculis.* Vorst.

Apparatis epulis. Lectionem hanc asserit quoque quam saepe laudamus Iuntae editio. Nescio autem cur hic Vorstius tricetur. *Invitare* hic non est vocare ad epulas, ut vir doctus et alii existimant, sed vino epulisque liberaliter hospites accipere. Caesar I. de Bello Civ. 74. *Interim alii suos in castra invitandi caussa addu-*

*cunt*, *alii ab suis abducuntur*. *Invitandi caussa* est, ut benigne eos excipiant amiceque. Liv. I. 9. *Invitati hospitaliter per domos cum situm*, *moeniaque et frequentem tectis urbem vidissent*. hoc est, laute et comiter tractati. Hinc et qui libenter vescuntur, et largius bibunt, *se ipsos invitare* dicuntur. Sallust. *cum se cibo vinoque laeti invitarent*. Plaut. Amphit. I. 1. *Mira sunt*, *invitavit se in coena plusculum*. Sueton. Octav. 77. *quoties largissime se invitaret*. *Apparatae epulae* sunt splendidae, lautae, opiparae. ut *apparatius coenare* apud Plinium in Epistolis, et *profusissimi obsoniorum apparatus* apud Sueton. Vitell. 10. Inferius XI. 8. *Fuit rex armorum*, *quam conviviorum apparatibus studiosior*. Graev. — Licet *apparare epulas*, pro parare, Lactantius VI. 1. 6. cum aliis dixerit, et *invitare* saepe sit epulis invitare vel excipere, ut hic probarunt viri docti (nec non Obrechtus ad Dict. Cret. II. 52.) ablativus tamen ille *apparatis epulis* haud absolutus est, sed construi cum verbo *invitant* debet. Sic *adparatus* pro adiectivo occurrit apud Livium XXIII. 4. *Hinc senatorem . . plebem adulare*, *salutare*, *benigne invitare*, apparatis *accipere* epulis. Cicero 2. Catilin. cap. IX. *Dum praediis lectis*, *familiisque magnis*, conviviis apparatis *delectantur*. Lactant. de Ira Dei cap. XIII. *Ut si quis velit* apparatissimam coenam *infantibus*, *qui nondum sapiunt*, *apponere*. *Epulis invitare*, ut apud Cicer. *tecto ac domo invitare*. Wopkens.

6. Si conditio proponatur. Med. Magl. Reg. Bodl. Thuan. quatuor Leid. Periz. MSS. Bongars. ed. Rom. *ponatur*. Cicero lib. I. de Off. cap. 10. *Referri enim decet ad ea*, *quae posui in principio*, *fundamenta iustitiae*. Ita tres MSS. pro vulg. *quae proposui*. Livius lib. XXXIV. cap. 58. *Ego quoque duas conditiones ponam*. L. Seneca Epist. XIX. *eiusmodi quaestiunculas ponens*. Valerius Max. IX. 12. ext. 3. *quia quaestionem a piscatoribus positam solvere non potuisset*. Ita pro vulg. *propositam* emendarunt viri doctissimi Perizonius et Torrenius ex MSS. quibus accedit editio Aldina. Adde notam Avi ad XI. 11. 10. Abr. Gronov.

Utrius vitae sortem legant. Valde durus mihi locus hic videtur; certe nihil est, quod illi *vitae* commode respondeat. non enim *vitae laboris*, nec *vitae epularum* iungi possunt. Cogitandum igitur, an non scripserit Noster, *utriusne sortem*, et non nemo illud *vitae* apposuerit ex sequenti *omnem vitam*. Scheff. — Schefferus suspicabatur legendum *utriusne sortem legant*, quia *vita laboris*, *epularum*, dici non possit. Sed ad hanc viri docti sententiam primo observandum, insolens plane esse illud *uterne* pro uter vel uternam, et *ne* hic melius audiri post *hesterni*, ut etiam *hesternine* est in tribus Dorv. MSS. Deinde nihil est, cur in his *hesterni laboris an p. e.* subaudiamus *vitae sortem*, et non potius simpliciter *sortem*. Adde quod hoc modo remanet illud incongruum, ut ista *Praesentium*, *ut acclamavere*, minus recte cum praecedentibus cohaereant, nisi plenius legamus *Praesentium epularum*, *ut a.* Equidem tenta-

bam, *utrius vitae sortem legant*, hesternam *laboris*, *an* praesentem *epularum*. Praesentem, *ut acclamavere* etc. WOPKENS.

HESTERNI LABORIS. Med. Magl. sec. quint. Leid. Peris. Coll. N. ed. Rom. Flor. Mediol. Ald. Iunt. *hesternise laboris*. ABR. GRONOV.

SE SECUTOS. Med. Magl. sec. quint. Leid. Bodl, *si se secuti sint*. ABR. GRONOV.

8. MERITI SUI IN HARPAGUM OBLITUS. Quos offenderis, periculose summae rei praefici, docet exemplum M. Livii, in Liv. XXVII. 42. 8. BERNEC. — Oxoniensis ex 4 MSS. legit *in Harpago*. sed alii et Iuntina stant recte pro vulgata. GRAEV. — Angl. *in Harpago*, quam lectionem video et in suis reperisse auctorem Fori Romani. vide vocem *oblitus*. Scio equidem indifferenter praepositioni *in* apponi modo quartum, modo sextum casum. Suspicor tamen hic illud *Harpago* esse ortum ex scriptura antiqua *Harpagon* pro *Harpagum*. Nam *merita in Antonium*, non *Antonio* dixit et Velleius II. 96. SCHEFF. — Omnes MSS. excepto Thuaneo a sec. m. *in Harpago*, vel *in Arpago*. Ita infra XXII. 2. 5. e tribus MSS. *peculiaria in ipso officia qui repromittens*. Saxo lib. XIV. pag. 250. 9. *Rex vero suorum in Eskillo dedecorum oblitus*. et pag. 256. 1. *Waldemarus paterna in Canutó meritu perosus*. ABR. GRONOV.

9. PER DEDITIONEM TRADIDIT. Quidam typis expressi *per proditionem trad.* Quod consentaneum ei, quod sequitur *perfidia defectionis ulciscitur*. VORST. — Non probo, quod habent quidam *per proditionem*, propter hoc ipsum, quia sequitur *perfidia defectionis*, ne idem dicatur. *Tò deditionem* modum declarat, quo tradiderit exercitum, opponiturque traditioni per certas leges et conditiones. Neque potest offendere verbum *tradidit*. Nam et Livius: *In fidem deditionemque se suaque ipsi tradidere*. SCHEFF. — Quamvis secus Scheffero visum fuerit, praestat cum Vorstio ex aliis libris legi *per proditionem*; quomodo etiam exstat penes Orosium I. 19. ad quem locum hoc unice quoque approbat Erudit. Fr. Fabricius Marcoduranus. WOPKENS. — Quint. Leid. ed. Ald. Iunt. *per proditionem*; quod alteri praefert Vorstius: idemque exstat apud Freculphum I. III. 18. et Orosium lib. I. cap. 19. ubi Fabricius notat: „In Iu„stini libris impressis mendose *deditionem* legitur, cum in antiquis „recte sit *proditionem*.“ Idem MS. eaedemque edd. *tradit*. ABR. GRONOV.

REGISQUE CRUDELITATEM PERFIDIA DEFECTIONIS ULCISCITUR. Saxo lib. XIII. pag. 244. 18. *invidiam fraterna praelatione conceptam perfidia defectionis exsatians*. ABR. GRONOV.

10. PARTEM EXERCITUS A TERGO PONIT, ET TERGIVERSANTES FERRO AGI IN HOSTES IUBET. Unus MS. *partem exercitus de tergo ponit*, *et terga vertentes ferro a. i. h. i.* ingrata auribus eiusdem vocis repetitione. MOD. — Sic infra XXXI. 8. 7. Livius X. 36. 6. *Necessitate acta virtus*, *causa victoriae est*, ait Florus III. 3. 18. Contra, *quanto plus spei ad effugium*, *tanto minor est ad resistendum animus*. Tacit. Hist. III. 18. BERNEC.

Pugnantibus suis partem exercitus a tergo ponit. Non temere quatuor nostri cum pluribus aliis MSS. *de tergo.* ut lib. XX. 5. *Magnoque usui ei futuram, vel in acie bellanti, vel* de tergo *intentis in praelium hostibus.* Wopkens.

Partem exercitus a tergo ponit. Med. Magl. Reg. Thuan. Bodl. quatuor Leid. Periz. *de tergo.* Abr. Gronov.

Tergiversantes. Iuntae scripserunt: *et in terga vertentes ferro agi, ut in hostes iubet.* Non male. vereor tamen ne haec sint interpolata. Itaque hanc lectionem nec ipse magnopere probo. Rationes tamen, cur improbatur, nequeo laudare. Quam diu pugnabant, terga non vertebant. Sed si accidisset, ut terga verterent, erat alia acies civium post hanc aciem collocata, quae terga vertentes retro ageret, ferrum in illos tanquam in hostes stringens. Si fugisset prima acies, terga vertisset hostibus, a quibus fugabatur, non civibus, qui a tergo pugnantium positi, fugientes exciperent, et repellerent. Nihil tamen, silentibus MSS., mutandum censeo. Graev. — Emendandum putat vir doctissimus *et terga vertentes*, quod probare vix possum. Saltem sermo est hoc loco de pugnantibus: sic enim praecedit: *pugnantibus suis partem exercitus a tergo ponit.* At alii pugnantes, alii terga vertentes. Deinde sequitur: *post terga inventuros.* At si iam terga verterant, non erant eos inventuri post tergum, sed a fronte. Scheff. — Ed. Rom. Flor. Paris. Ald. *et in tergiversantes ferro agi ut in h. i.* Abr. Gronov.

11. Ac denuntiat suis, ni vincerent. Ed. Ven. Flor. Paris. Ald. Iunt. *ac nunciat suis, ni vicerint.* In Flor. operarum errore editum est *micerint.* Abr. Gronov.

Non minus fortes etiam post terga inventuros, quam a frontibus, viros. *Etiam* abest a Med. Magl. Coll. N. Leidensibus, Periz. Abr. Gronov.

12. Post necessitatem pugnandi. Pro, postquam necesse habuerunt et coacti sunt pugnare. Ita concise scribit et alibi. Ut VIII. 1. *Prorsus quasi post arma et bellum locum legibus reliquissent.* pro, postquam arma iam sumpta sunt. Similiter Nepos Att. 9. 5. *Neque post calamitatem versuram facere potuit.* Vide et Ind. in Nep. voc. *post.* Vorst.

Animus exercitui eius accessit. Friget hic τὸ *eius.* Cur respuerunt scripturam veteris libri, *animus exercitui et vis accessit?* Vis est virtus, fortitudo. Virg. *Non ea vis animo.* Saepe sic apud Nostrum et alios. Graev.

Ingens post necessitatem pugnandi animus exercitui eius accessit. Etiam nostri MSS. hanc scripturam adserunt, pro qua merito stetit Cl. Abr. Gronovius, Graevio olim cum quodam libro legente *animus ac vis accessit:* ut ista coniungi solere videmus ad lib. VI. 4. Wopkens.

Ingens post necessitatem etc. *Et vis* ex MS. Bongarsii edidit Graevius. Reliqui omnes MSS. praeter quintum Leid. in quo exstat *et ius*, atque veteres editiones dant, *exercitui eius accessit.*

Med. tert. quart. Leid. *Pulsa itaque P. acies cum p. c.* Orosius et Freculphus: *Qua necessitate instanter Medis pugnantibus, pulsa iterum Persarum acies cum paullatim cederet.* ubi τὸ *iterum* abundat, et recte abest a MS. Leid. Orosii atque Freculphi. Saresberiensis lib. VI. cap. 16. f. *Cum enim irruentibus Medis, acies Persarum pulsata in fugam ageretur, et omnino deficiens nec victorem respicere auderet, matres et uxores eorum passim obviam fugientibus currunt* (*occurrunt* Iustinus et Orosius) *et mulierum densata acie, orant, in praelium revertuntur. Nolentibus, sublata veste, obscoena corporis ostendunt . . . . et facta impressione, quos fugiebant, fugere compulerunt.* Abr. Gronov.

13. Matres et uxores etc. Refert et Plutarchus libello de Virtutibus Mulierum cap. 9. Bongars. — Nec absimilia de Germanis Tacitus cap. 8. princ. Bernec.

14. Rogantes, num. Orosius et Freculphus: *quaerentes, num.* Abr. Gronov.

15. Et facta impressione. Saxo lib. VII. pag. 138. 29. *impressione facta, ad eum acrius impetendum pudore coguntur.* Abr. Gronov.

16. Nihil aliud quam regnum abstulit. Periz. *nil amplius.* Lactantius lib. VI. cap. 11. 23. *ut etiam homines stultissimi malum sibi malo comparaverint; aut, si adeo placuerint, nihil amplius, quam inanem favorem paucorumque dierum fabulas, adsequantur.* Vulgatum tamen loco non movendum est. Confer Avum ad Livium lib. XXXI. cap. 24. Abr. Gronov.

Nepotemque in illo magis quam victorem egit. Becharius et alii pro *egit* habent *se gessit.* Vorst. — Notant, pro hoc *egit,* alios habere, *se gessit.* Verum hoc ex manifesta glossa est. Quod propterea notandum, ut sub clarissimo exemplo pateat, non parum damni accepisse Nostrum ab intempestiva glossatorum manu. Certe sicut hoc in loco *agere victorem,* ita alibi *agere propugnatorem, agere tutorem* usurpavit, quod satis arguit esse genus hoc auctori nostro receptum. Scheff. — Eleganter hic abest pron. *se,* quemadmodum et lib. VII. 5. *Diu non regem, sed tutorem pupilli* egit. et lib. VIII. 2. *Aguntque propugnatores sceleris, cuius turpe erat alios vindices fuisse.* Sic Aur. Victor Caes. cap. XXXIX. *Eoque ipso quod dominum dici passus, parentem* egit. Sic Vellei. Paterc. II. 92. 109. 114. et 124. Confer quae infra ad lib. XXXII. 3. 1. et lib. XXVII. 2. 10. Livius Epit. XLI. *Antiochus . . vilissimum regem* egit. et lib. XLV. cap. 25. *Qui asper ingenio, tum lenem mitemque senatorem* egit. Nec male tamen hic et libro VII. 5. et VIII. 2. pronomen illud verbo *agere* adiunctum habent quidam libri. ut Capitolinus in M. Antonino Philos. cap. XXVI. *Apud Aegyptios civem* se egit *et philosophum.* in Vero cap. IV. *Graviter* se *ad Marci mores egit.* Saepiusque ita Hist. Aug. Scriptores. Sueton. in Claudio cap. XXIX. *His, ut dixi, uxoribusque addictus, non principem* se, *sed ministrum* egit. Alia damus ad Sulp. Severi

Epist. IV. 13. Wopkens. — Sec. Leid. *victorem se egit.* ut infra VII. 5. 9. ex eodem MS. et Magl. ed. Rom. Ven. Flor. Paris. Ald. Iunt. *Itaque Philippus diu non se regem, sed tutorem pupilli egit.* et VIII. 2. 10. ex Magl. ed. Ven. Flor. Mediol. Paris. Ald. Iunt. *aguntque se propugnatores sceleris.* Vulgatum imitatur Saxo lib. I. pag. 5. *Sed nec Lotherus tolerabiliorem regem quam militem egit.* lib. VIII. pag. 147. 44. *crudelitati intentus impium regem agebat.* lib. X. pag. 192. 51. *desertorem agere ratus.* lib. XIII. pag. 230. 54. *bonorum repetitorem agere coepit.* et pag. 234. 50. *bonorum eius pervasorem agere coepit.* et lib. XIV. pag. 270. 33. *cuius concubinarii filii paedagogum ageret.* Abr. Gronov.

Maximae genti. Lectionem vulgatam, quam Cuiacii codex et Orosius I. 19. comprobant, sequutus sum. Veteres enim plerique pro *maximae* habent *decimum.* Ex voce *maximae* solum x forte remanserat in eo libro, ex quo multi deinde transscripti sunt, caeteris litteris aliquo casu deletis; ea nota librariis imposuit: in Cl. Puteani MS. legitur *ducem.* Bongars. — Legitur et *maxime* in edit. Colon. Gymnic. ut et Iuntina. Graev. — Thuan. *ducem genti;* idemque in Puteaneo reperit Bongarsius. Abr. Gronov.

17. Hic finis Medorum imperii fuit. Regnaverunt annos CCCL. Imo secundum calculum certiorem Herodoti, tantum annos CXXVIII imperarunt. Sed Marshamus docte ostendit quatuor Medorum reges fuisse, illorumque imperium fuisse centum quinquaginta annorum. Vide illius Canonem Chronologicum, Saec. XVII. Graev.

## CAP. VII.

1. Initio regni Cyrus. Cyrus creditur primus rex fuisse Persarum. Sed apud Aeschylum in Persis vs. 767. duo commemorantur qui illum antecesserunt.

*Μῆδος γὰρ ἦν ὁ πρῶτος ἡγεμὼν στρατοῦ,*
*Ἄλλος δ᾽ ἐκείνου παῖς τὸ δ᾽ ἔργον ἤνυσε.*
*Τρίτος δ᾽ ἀπ᾽ αὐτοῦ Κῦρος, εὐδαίμων ἀνήρ.*
*Medus erat primus dux exercitus,*
*Alter eius filius opus perfecit.*
*Tertius ab illo Cyrus felix vir.*

Tum reliquos inde Persarum reges recenset usque ad Xerxem. Haec primus observavit Ill. Marshamus in Canone Chronologico, qui et docuit illum Medum, qui primus recensetur in serie regum Persicorum, esse Darium Medum, cuius saepe meminerit Daniel, qui non fuit Babylonius, sed Medus. Cuius etiam meminit Suidas, cum ait, *Μῆδος βασιλεὺς Περσῶν, Medus Babyloniorum rex.* Et in *Δαρεικοί· Εἰσὶ μὲν χρυσοῖ στατῆρες οἱ Δαρεικοὶ οὐκ ἀπὸ Δαρείου τοῦ Ξέρξου πατρὸς, ἀλλ᾽ ἐφ᾽ ἑτέρου τινὸς παλαιοτέρου βασιλέος ὠνομάσθησαν. Darici sunt stateres aurei, non a Dario Xerxis patre, sed ab alio quodam antiquiore rege denominati.* Cum vero inter Cyrum et Darium Hystaspis filium nullus alius fuerit huius nominis

rex, necessario Darius fuit, qui ante Cyrum apud Persas regnavit. Fuit iste Darius Cyaxaris filius. Hinc Danieli dicitur VI. 1. filius Asveri de semine Medorum. Cyaxares est Asverus, ut Scaliger de Emend. Temp. docuit. Is fuit Phraortis filius, quem pater praefecit regno Persico, nomine ac potestate regia, quia Persae iam pridem excutere volebant iugum dominationis Medorum, teste Herodoto I. 127. Cyrus autem primus vulgo Persarum rex habetur, et quia pater eius erat Persa, cum priores duo reges essent gente Medi; et quia res et gens Persarum ante tempora Cyri fuerant valde obscurae, quas primus illustravit Cyrus homo Persa. Secundus anonymus Persarum rex apud Aeschylum est Cyaxares Xenophontis, ut pluribus docet laudatus Marshamus in Canone Chronolog. in Saec. XVIII. Graev.

Coeptorum socium. Saxo lib. VII. pag. 131. 42. *coeptorum sociae*. Abr. Gronov.

2. Civitates, quae Medorum tributariae fuerant. In vet. edit. transponitur *civitates Medorum, quae t. f.* Sed amat ita vox *tributarius* cum genitivo construi. Curtius X. 2. Persarum tributariis *Asia et tot gentium spolia fastidio sunt.* Flor. III. 4. *Thraces rebellabant, et ipsi quondam* tributarii Macedonum. Liv. XXXVII. 55. *Ceterae civitates Asiae, quae* Attali stipendiariae *fuissent, eaedem Eumeni vectigal penderent; quae* vectigales Antiochi *fuissent, eae liberae atque immunes essent.* Ita Cicero aliique. Wopk.

3. Cum adversus Babylonios bellum gereret. De Babyloniorum regno nihil commemorat Iustinus, nisi haec de illius excidio et post rebellionem sub Dario Hystaspis filio cap. ultimo huius libri. Eius origine nihil est obscurius, quam tamen erudite, ut cetera, ex Canone Chronolog. regum Babyloniorum Ptolemaei eruit Marshamus, praeclare de doctrina temporum, si quisquam, meritus. Is Canon complectitur epocham sive annos Nabonassari, primi regis Babyloniorum. Is fuit Assyrius gente. A tempore Nabonassari fuerant duplices reges Assyrii. Alii, qui Nini sedem imperii habuerant, alii qui Babylone regnarant. Hinc prima pars Canonis continet regum Assyriorum et Medorum seriem, usque ad initium Cyri. Illa complectitur annos CLIX. Altera Persarum reges, usque ad mortem Alexandri Magni annos CCXV. ut totius regni Babylonici periodus fuerit annorum CDXXIV. Unde constat quoque, Babyloniam non esse tantae antiquitatis, ut vulgo creditur, et superius traditur a Iustino. Originem debet Nabonassari. Is vixit seculo XVII. post diluvium, anno circiter DCCL. ante Christum natum. Nabocolassarus Nabopolassari filius, qui Ebraeis dicitur Nabucodnosor magnus, vel secundus, eam mirificis operibus exornavit. Vide Marsham. ad Saec. XVII. Ultimus Babyloniorum rex fuit Nabonadius, quem expugnata Babylone cepit Cyrus, et Carmaniae praefecit, ut auctor est Berosus apud Iosephum lib. I. contra Apion. Sed de regibus Babyloniae, quorum meminit Canon Ptolemaei, ut et de iis, quos Daniel commemorat, vide Marsham. ad Saec. XVII. et XVIII. Graev.

REX LYDORUM CROESUS. Omnes tradunt, iam tum temporis Croesum a Cyro victum captumque fuisse, cum Babyloniis bellum inferret. Quomodo ergo iis opem tulerit, non video. Sed videtur Trogus, ut saepe, alios secutus fuisse auctores. VOSS. — Herodotus lib. I. prodidit, Assyriis et Babyloni a Cyro tum demum bellum illatum, cum Croesum idem iam vicisset, omnesque terras, quae ditionis eius fuerant, occupasset. Quod si verum, ut sane videtur, non potuit Croesus in auxilium venire Babyloniis. Vide et Scaligerum de emend. temp. lib. VI. VORST.

CUIUS OPES ET DIVITIAE INSIGNES EA TEMPESTATE ERANT. Saxo lib. XIV. pag. 268. 41. *cuius insignes ea tempestate vires fuere.* ABR. GRONOV.

VICTUSQUE IAM DE SE SOLICITUS. Pertinaciter pertendunt etiam nostrae membranae, *victusque iam ac desolatus*, qua voce etsi usus Virgilius, eiusque similis Silius Italicus, et ante hunc Livius, nihil tamen muto. MOD. — Val. Acidalius ad Velleium, sub finem, ut in veteribus, ita scribendum hic monet, *victisque*, nempe Babyloniis, quibus auxilio venerat: non ipse victus. Ego *victus* praefero. nam mox sequitur, *fortuna prioris praelii perculsum* etc. BERNEC. — Iam pridem monuit Gronovius Observat. lib. IV. restituendum esse ex MSS. *victusque iam ac desolatus*, h. e. desertus, nudatus, exutus exercitu, castris, copiis omnibus. Vide cap. 20. illius libri. Certissima est haec veterum librorum scriptura *desolatus*, hoc est desertus a suis, qui fusi erant, et fuga, qua quisque poterat, suae consulebant saluti, rege relicto. GRAEV. — Legi oportere arbitror, *de se solicitus, in regnum refugit.* Et hoc Latinissimum est. Neque eo opus sit quod in quibusdam libris legitur *desolatus*, pro *de se solicitus.* Tu tamen et Vossium videto, et Graevium. FABER. — Omnino legendum e Codd. MSS. quos vidit Bongarsius, *victusque iam ac desolatus.* Qua de re et Gronovius IV. Observat. 21. monuit. Vulgo legitur *victusque iam de se sollicitus.* Est autem *desolatus* idem quod desertus, nudatus, exutus exercitu et castris. Dicunt sane ipsum quoque hominem *desolatum*, si, quibus ante stipatus fuerat, discedant, aut ab eo segregentur. Tacitus I. Ann. *Nonanus opperiendas Tiberii epistolas clamitaverat: mox desolatus aliorum discessu, imminentem necessitatem sponte praevenit.* Et lib. XII. *Desolatus paullatim etiam servilibus ministeriis.* In antiqua inscriptione apud Gruterum mater *desolata* dicitur, cuius filius obiit, quaeque filio orbata fuit. Vide pag. 682. operis Gruteriani. VORST. — Putant scribendum *iam ac desolatus*, Vorstius in textum quoque transsumsit. Explicat autem per *nudatus, exutus exercitu, castris, copiis omnibus.* Atqui hoc in Croeso falsum. Docet ipse Noster, quando exercitum ipsius scribit fuisse perculsum fortuna prioris praelii. Hoc enim vix potest accipi de exercitu plane alio et novo, sed de veteri, qui semel ab hoste profligatus fuit. Suspendo igitur adhuc assensum meum, donec lectio ista codicibus et pluribus et melioribus fuerit firmata. Et quoniam video in quibusdam pro

*victusque* legi *victisque*, cogitandum aliis relinquo, an non scripserit Noster, *victisque iam ac desolatis, in regnum refugit*, ut ad Babylonios referatur, sitque sensus, Babylonios illo praelio sic fuisse fusos caesosque, ut nulla spes ipsis relinqueretur reficiendarum virium. Ideirco Croesum non potuisse longius auxilio eis esse, sed quod ex suo exercitu cladi superfuerat, id reduxisse domum. Scheff.

5. Perculsum. Sic infra II. 13. 1. Male vulgati *percussum*. De re vide Gruteri Dissert. XIV. ad Tacit. Hist. V. 16. *Superesse, qui fugam animis, qui vulnera tergo ferant.* Adde Liv. VIII. 16. 6. XXXV. 2. 8. XXXVIII. 26. 7. Bernec.

Croesi exercitum nullo negotio fundit. Orosius lib. III. cap. 1. *putantes, se vacuam praesidio civitatem nullo intraturos negotio.* Saxo lib. XIII. pag. 242. 31. *hostes nullo negotio fugavit.* et lib. XIV. pag. 343. 1. *terga vertentes nullo negotio fundit.* Abr. Gronov.

6. Tanto et mitior. Florus II. 8. 26. Bernec.

7. Urbs Barce. *Barce* est in Africa, Pentapoleos oppidum in Cyrenaica, sed ea regio nondum erat sub Persis, quare hoc nomen suspectum est: non tamen aliud temere reposuero, nisi exemplari aliquo adiutus, aut historico meliore. Caeterum Herodotus ait Croesum semper sub Cyro fuisse, ac post Cyri mortem Cambysi commissum. Glarean. — MSS. quidam *urbs vero concessa:* alii *vero et concessa:* alii *Baragon cessa.* vulgata lectio probari non potest: est enim Barce in Cyrenaica provincia urbs Pentapoleos, quo Persarum arma victricia nondum pervenerant. Herodotus lib. III. init. Absurdius est *Beroea*, quomodo Asulanus edidit. est enim oppidum Macedoniae, Ptolemaeo *Βέῤῥοια.* Ctesias urbem Croeso dono datam *Barenen* vocat *πόλιν μεγάλην, ἐγγὺς Ἐκβατάνων*, de qua et Stephanus. Bongars. — Si vel unus librorum MSS. emendationi faveret, rescriberem *urbs Barene*, quam Mediae urbem, cuius et Stephanus meminit, Croeso dono datam ostendit ex Ctesia Bongarsius. Nam neque *Barce* Pentapoleos urbs in provincia Cyrenaica huic loco convenit, cum eo Persarum arma victricia nondum pervenerint, ut apparet ex Herodoto III. 1. nec item illa ab Alexandro condita, de qua infra XII. 10. 6. minime vero, quomodo Asulanus edidit, *Beroea*, Ptolemaeo *Βέῤῥοια*, Macedoniae oppidum. Ex caeteris quoque lectionibus nihil sani erui potest: *urbs vero concessa: vero et concessa: Baragon cessa:* et quod Sabellicus habet, *urbs Berse concessa.* Bernec. — Non est dubitandum de emendatione Bongarsii, qui censet legendum esse: *urbs Barene.* Sic Ctesias: *Καὶ ἔδωκε Κῦρος Κροίσῳ πόλιν μεγάλην Βαρήνην ἐγγὺς Ἐκβατάνων. Et dedit Cyrus Croeso urbem magnam Barenen prope Ecbatana.* In editione Iuntina vestigia verae huius lectionis deprehendere licet. In ea enim scribitur, *urbs Beroea.* Graev. — Coll. N. *Beroë.* ed. Ienson. Flor. Mediol. Paris. *Berce.* Ven. *Barcae.* Ald. *Beroea.* Abr. Gronov.

Etsi non regiam vitam etc. Indivisibilis enim est maiestas, *omnisque potestas impatiens consortis est* (Lucan. lib. I.) *nec regna socium ferre nec taedae sciunt* (Seneca in Agamemn.) utque

duos soles mundus, ita regnum monarchicum duos reges non capit: quae Alexandri olim erat comparatio. Curt. lib. IV. SCHMIDEL.

10. PASSURUSQUE CYRUS GRAVE BELLUM GRAECIAE FUIT. Oxonienses ediderunt ex MS. *ut passurus grave bellum eius gratia fuerit.* Quam lectionem puto esse elegantissimam. Nam praeterquam quod *bellum Graeciae* paullo dicatur insolentius pro *a Graecis*, etiam illud *Graeciae* superfluum, quoniam praecedit *ex universa Graecia.* SCHEFF. — Non sane cum Scheffero praeferendam puto MSti et editi cuiusdam lectionem, *ut passurus Cyrus grave bellum eius gratia fuerit.* Superfluum enim illud *eius gratia* faciunt sequentia, *siquid in C. c. c.*, meliusque tum legeretur, *si quid in ipsum crudelius consuluisset.* Nec insolentiae quidpiam, ut videbatur viro illi docto, dictio haec *bellum Graeciae* pro bellum cum Graecia, habet. Lib. XXII. 1. *Sequente* (bello) Campanorum *tantam de se spem omnibus fecit.* ubi noli cum I. F. Gronovio *Campano* restituere. Lib. XV. 4. *in* bellum Antigoni *descendit.* Lib. XXXVIII. 2. *qui* bello Aristonici . . *cecidisset.* cap. 10. *exercitumque multis* finitimorum bellis *induraverat.* Lib. XLII. 1. *Exercitum Graecorum, quem* bello Antiochi *captum superbe crudeliterque tractaverat.* Sic cap. 2. et alibi. Adde, sis, quae Io. Arntzenius ad Aur. Victor. Vir. Illustr. cap. XLIX. Porro ab Abr. Gronovio dissentire mihi liceat, ex pluribus MSS., quibuscum et tres nostri concordant, legere gestiente *in Croeso.* Altera enim ratio placuit quoque Iustino lib. V. 3. *Qui cum insita genti superbia crudeliter* in plebem *consuleret* etc. Liv. XLV. 8. *Ideo in secundis rebus nihil* in quemquam *superbe ac violenter consulere decet.* Adde quae notamus ad lib. II. 15. 8. Et cum Graevio standum a vulgata lectione ista existimo cap. VI. huius libri, *meriti sui* in Harpagum *oblitus.* Nec satis quadrat huc istud lib. VIII. 6. *Scelestus in utroque:* ut illic videbimus. Vide tamen, quae de usu isto ablativi cum praep. *in* observabimus ad lib. XXXVIII. 6. WOPKENS.

IN CROESUM. Med. Magl. Leidenses, Paris. Thuan. ed. Rom. *in Croeso.* ABR. GRONOV.

11. LYDI etc. De quibus et Polyaenus Strateg. VII. Ad hunc modum domuit Xerxes Babylonios apud Plutarch. Apoph. Reg. cap. 6. Aristodemus Cumanos apud Dionys. Halicarn. VII. 8. et Sesostris Aegyptios, referente Scholiaste Sophoclis. *Romanos* certe *voluptatibus plus adversus subiectos quam armis valuisse* Tacitus affirmat Hist. IV. 64. et est exemplum in Agric. cap. 21. BERNEC.

12. QUIBUS ITERUM VICTIS ARMA ET EQUI ADEMTI. Ed. Flor. Paris. Ald. Iunt. *victis et arma et equi ad.* ABR. GRONOV.

CAUPONIAS etc. In libris antiquis legitur *cauponias*, *ludicras artes*, quod non negligendum. Suspicor quippe, veram Iustini scripturam esse, *cauponias artes et lenocinia exercere*, atque illud *ludicras* ex glossa, qua quis illud *cauponias* explicabat, irrepsisse. *Cauponius* vocabulum est probum, ipsique usurpatum Plauto in Poenulo, ubi *puer cauponius* nominatur sensu non alieno ab hoc loco,

pro puerili scorto vel cinaedo. Nam *cauponiae artes* apud Nostrum meretriciae, quales olim in cauponis frequentissime solebant exerceri, ut est pridem demonstratum Casaubono ad Theophrasti Characteres p. m. 184. Itaque hic coniunguntur cum lenociniis. Quanquam non meretriciae solae, sed et aliae ad luxum atque voluptates pertinentes, plane sicut hodieque non raro in cauponis ista coniunguntur. *Cauponium instrumentum* usurpavit quoque Marcianus ICtus in L. 17. §. 2. D. de Fundo Instructo, ut vix possit dubitari, quin haec lectio Nostro sit restituenda. Scheff. — Vett. Codd. prae se ferre *cauponias et ludicras artes* olim monuit Valens Acidalius in lectionibus Velleianis, et merito probavit, praefatus eodem modo formatam esse hanc vocem, ut *histrionius* et *praeconius quaestus* apud Ciceronem, eamque inveniri apud Plautum, apud quem legatur *cauponius puer.* Sic et *lenonius* apud eundem Comicum Pseud. II. 4. *oppidum expugnatum faxo erit lenonium.* Asseruit hanc lectionem etiam Cl. Schefferus. Sine haesitatione illam recepi, ubi vidi in Iuntina dudum eam extitisse, quam sequentes editores interpolarunt, quia huius vocis rarioris exemplum eos fugiebat. Graev.

14. Fuere Lydis. Herodot. lib. I. de Gyge, vide et Plutarch. I. Συμποσιακῶν. Bongars. — Lydorum regnum est antiquissimum. Ab antiquo illius terrae rege Maeone patre Cybeles populi Maeones olim dicti, et quae postea Lydia vocabatur, appellata fuit Maeonia, ut constat ex Herodoto, Strabone et aliis. Primus Maeoniae rex fertur fuisse Menes, Iovis et Telluris filius, ut auctor est Dionys. Halic. Antiq. lib. I. Post ibi rerum potitus est Atys, cuius filius fuit Lydus, a quo mutato pristino nomine dicti sunt Lydi. Ab Atye vero prima regum Lydiae familia fuit Atyadarum dicta, ad quam pertinet Omphale, Iordani filia, uxor Tmoli, cui serviit Hercules tres annos. Atyadarum familiae successerunt Heraclidae. Hercules tempore servitutis consuevit cum Omphales ancilla, quae puerum ex illo sustulit, cui Cleolao nomen. Vide Apollodor. Biblioth. lib. II. Cleolai nepos fuit Argon, Alcaei filius, qui extincta Atyadarum gente, regnum transtulit ad Heraclidas paulo ante bellum Troianum. Herodot. I. 7. Hi rerum potiti sunt annos 505. Ultimus huius familiae fuit Candaules Myrsi filius, de quo hic Iustinus. Tertia familia regum Lydiae fuit Mermnadarum, cuius primus rex fuit Gyges, ultimus Croesus, qui dicuntur imperasse Lydis annos 170. Haec in tironum gratiam. Pluribus exequitur ista Cl. Marshamus Canone Chronologico cap. 17. Graev.

Fortunae Candauli. Rectius forte, *fortuna Cand.* Diffundit hanc historiam Herodotus I. 8. et seqq. Vide et Plutarchi Symposiaca I. Quaest. 5. Non absimilia de Othone Tacit. Ann. XIII. 46. Bernec. — Simpliciter hic locus est accipiendus, nempe ut nullius regis casus fuerit similis fortunae Candauli: quod loquendi genus iam illustravimus IV. Observat. 8. Ceterum *Candauli* est secundi casus. Id enim placuit veteribus, ut in nominibus propriis, in *es* desinentibus, secundum casum efferrent per *i*, non per *is*. Ut Terent. *Chremi.*

Cic. *Socrati.* Gell. *Euripidi*, *Sophocli.* et sic apud alios, quia et Graeci etiam nomina, alioquin in ης desinentia, saepe per ευς finiebant. GRONOV. — Suspicatur Berneccerus legendum esse *fortuna:* idem et mihi pridem visum est, et certum puto. Nam *Candauli* est tertii casus: unde et mox legendum *caedes Candaulis*, non *Candauli;* nam iste morio, iste fatuus Princeps, Herodoto non ille quidem Candaulos dicitur, sed Candaules. Posset tamen et retineri istud *Candauli* in secundo casu, itidem, ut dicimus *Achilli* pro Achillis, *Ulyssi* pro Ulyssis, *Pericli* pro Periclis; nempe per metaplasmum, ut vocant grammatici, id est per variam declinandi nominis rationem. FABER. — Berneggerus mallet *fortuna;* et ut *Candauli* sit casus tertii. Verum enimvero *Candauli* sine dubio casus secundi est; ut in illo, quod paulo post sequitur, *caedes Candauli.* Estque huiusmodi secundus casus apud auctores satis frequens. Nepos: *Themistocles Neocli filius.* Plura habet Vechnerus in Hellenol. Deinde nec illud insolens videri debet, quod non *fortuna nullius*, sed *nullus fortunae Candauli comparandus* dicitur a Nostro. Ita enim infra II. 14. 10. *Atheniensium virtus ceteris praelata*, pro *ceterorum virtuti prael.* Et II. 15. 20. *Non inferior virtutibus patri*, pro *virtus eius non inferior virtutibus p.* Etiam sic alii loquuntur. Plautus Asin. *Hic quaestus noster aucupi est simillimus*, pro *aucupis quaestui.* Cicero pro Flacco: *Cuius ego civitatis disciplinam atque gravitatem non solum Graeciae, sed haud scio, an cunctis gentibus anteponendam iure dicam.* pro *disciplinae Graeciae* et *cunctarum gent.* VORST. — Angl. *fontunae Candauli*, quod praefero, quia respondet praecedenti *casibus. comparandus fortuna*, idem est ac comparandus in fortuna; genus loquendi simile illi Ciceronis pro Quint. 30. *Non comparet se tecum gratia L. Quintius, Sex. Naevi, non opibus, non facultate contendit.* SCHEFF.

NULLUS TAMEN FORTUNA CANDAULI COMPARANDUS. Ita Ald. Iunt. verum Med. Magl. Leidenses, Periz. ed. Rom. Ven. Flor. aliaeque, *fortunae.* ut infra IV. 3. 2. *ausi facinus nulli tyranno comparandum.* Vide Avum ad Livium XXVII. 20. et Epitomen libri XLVII. ABR. GRONOV.

15. QUAM PROPTER FORMAE PULCHRITUDINEM DEPERIBAT. Iuntina: *quam propter formae pulchritudinem nimium deperibat.* GRAEV.

NON CONTENTUS VOLUPTATUM SUARUM TACITA CONSCIENTIA. Saxo lib. VII. pag. 138. 23. *tacita fortunae conscientia fretus.* ABR. GRONOV.

17. UT AFFIRMATIONI SUAE. MSS. habent, *affirmatione sua.* quod fortasse non repudiari debebat. Sententia est huic loco admodum accommodata: veritum nempe Candaulem, ne illi praedicationi suae non haberetur fides, ideo adhibuisse Gygem velut testem, qui sua affirmatione posset convincere alios, ac efficere, ut crederetur verum, quod Candaules praedicaret. Debebat facere fidem dictis et praedicationi Candaulis per suam affirmationem. SCHEFF. — Merito hic contra Schefferum Dukerus (ad Flor. III. 16.) repudiat istam

MSS. quorumdam lectionem, *ut affirmatione sua f. f.* Atque ita quoque Frontinus Strat. II. 5. 18. *Huic* affirmationi *ut* fidem faceret, *passim .. iussit parva castella muniri.* Ioannes Sarisber. Policrat. II. 17. *Et ut plenam* adsertionis (malim adsertioni) *suae faciat fidem, livorem verborum in cute* etc. WOPKENS. — Tert. Leid. *affirmatione sua;* idque ex MS. Bongarsii placebat Scheffero: verum vulgatum merito tuetur Cl. Dukerus ad Florum III. 16. 1. Similiter dixit Livius lib. XXVI. cap. 19. *vulgatae opinioni fidem apud quosdam fecit, stirpis eum divinae virum esse.* Coll. N. *adfirmationis suae,* et *Gygi sodali suo nudam eam demonstravit.* Ed. Ven. Flor. Mediol. Paris. Ald. Iunt. *eam G. sodali suo nudam demonstravit.* ABR. GRONOV.

18. IN ADULTERIUM UXORIS SOLICITATUM. MS. Anglic. et Iuntina, *in adulterium uxoris illectum.* GRAEV.

19. NUPTIARUM PRAEMIUM. Et hic locus sanitatem debet Gronovio, qui in Observat. II. 25. egregie restituit *pretium.* Quia caedes pretium fuit nuptiarum, quo emit quasi et consecutus est nuptias reginae Candaules. Caedes enim non praemium nuptiarum fuit, sed nuptiae praemium caedis. Nihil certius. Vide, quae ibi firmandae huic lectioni affert. In alia omnia it politissimus ille Faber, cuius memoria mihi semper erit desideratissima. Nec tamen persuaderi possum, ut a doctoris mei sententia discedam. Nam licet demus *nuptiarum praemium* poni pro nuptiali praemio, ut *munus funeris* pro munere funebri, tamen videtur ipsa huius loci ratio postulare, ut legamus *nuptiarum pretium.* Caedes enim Candaulis non fuit praemium nuptiale: nam praemia nuptialia offerebantur, cum iam conditiones essent matrimonii acceptae, et sponsa in mariti manum convenisset: sed pretium nuptiarum est res, qua mulieres conciliantur, ut in nuptias consentiant, res quae viris puellas et illarum nuptias conficit. Sic veteres locuti. Florus III. 1. *Qui ubi diffisus rebus suis alienae cladis accessio fieri timet, pretium foederis atque amicitiae regem facit.* Sicut hic rex traditus fuit pretium amicitiae et foederis, hoc est, traditione Iugurthae sibi conciliavit foedus et amicitiam Romanorum Bocchus, sic et caedes Candaulis fuit pretium nuptiarum reginae. Exempla alia sunt in promtu. vide Gronovium in Observationibus laudatis. GRAEV. — Ad haec sic scribit Amicus meus Io. Graevius: „Hic locus sanitatem debet Gronovio, qui „in Observationibus egregie restituit *pretium.* Quia caedes pretium „fuit nuptiarum, quo Candaules emit et consecutus est reginae nuptias. „Caedes enim non nuptiarum praemium fuit, sed nuptiae, praemium „caedis." At mihi alia sententia est, nil mutandum scilicet. Ita enim Iustinus scripsisse videtur ad morem Asiaticorum et veterum Graecorum respiciens, qui munera et grandem pecuniae summam ad sponsam et illius parentes mittebant; quod ex libb. Mosis et ex Homero certum est; quae dona et ipsi *dotem* vocabant. Hinc itaque est quod mox ista regina *sanguine mariti dotata* dicitur, quod Gyges

Candaulen eo fine interfecerat, ut illius nuptiis potiretur. Eo quoque respectum a Virgilio fuisse arbitror, cum dixit,

*Sanguine Troiano ac Rutulo dotabere, virgo.*

Quem locum ante oculos habuisse videtur Iustinus. Illa autem seu praemia seu munera Graeci homines ἕδνα vocabant, quod sexies septies ab Eustathio Homeri interprete ostensum est. Ad confirmandam illam vocem, *praemium*, unice facit quod in XV. 4. anulum *munus concubitus*, et *donum* ab Apolline accepisse dicitur Laodice. Priusquam abeo, vide mihi locum insignem Iliad. XI. 242. 243. 244. Quod dixi modo de donis procorum apud veteres, id hodieque apud Turcas, Scythicum genus, usurpari didici ex Petro Bellonio III. 1. Faber. — Mihi quidem, ut verum fatear, neque ista defensio satisfacit, neque illa Gronovii emendatio. Quid enim opus erat huiusce modi aliqua sive pretii, sive praemii pactione, in re quae utrique perinde erat ex sententia? Nimirum regina non ideo Gygi nubebat, quod hic regem sustulerat, sed sublatum regem cupiebat, quo potiretur adultero. Itaque aut fallor, aut *prooemium* scripsit Iustinus, quod facillime in *praemium* abiit. *Prooemium* puto, sensu proxime a citharoedis ducto legitimo carmini praeludentibus. Vid. Quinctil. Instit. IV. 1. in. Cic. de orat. II. 80. Eum igitur sensum scriptores cum Graeci tum Latini ad alia transtulerunt. Ut Lucian. in Somn. 3. Ὁ δὲ θεῖος — οὐ πράως — μου καθήρξατο, ὥστε δάκρυά μοι τὰ προοίμια τῆς τέχνης. Ita Iuvenal. III. 288.

— — *miserae cognosce prooemia rixae,*
*Si rixa est, ubi tu pulsas, ego vapulo tantum.*

Simili ratione Latino vocabulo utitur Plinius Ep. V. 13. *Tu tamen aestima, quantum proelium, quanta pugna certamini maneat, cuius quasi praelusio has contentiones excitavit.* Sic igitur Iustinus Gygen reginae nuptiis caede Candauli praelusisse perquam apte dixerit. Hottinger. — Gronovius II. Obs. 25. legendum censet *nuptiarum pretium.* caedem enim Candauli non praemium, sed pretium fuisse, quo Gyges quasi emerit et consecutus nuptias fuerit; ipsas nuptias autem praemium fuisse caedis. Vorst. — Vir summus Gronovius legebat *pretium*, quod Graevio probatur. Haereo et *praemium* accipio pro mercede laboris ob interfectum Candaulem. Quomodo *praemii* vocem usurpavit et Plinius IX. 8. *Sed enixioris operae, quam in unius diei praemium, conscii sibi* (delphini piscatores adiuvantes) *opperiuntur in posterum.* Scheff. — Sed quid est, caedes Candauli fuit merces nuptiarum? Imo nuptiae fuerunt merces caedis, ut de Gronovii emendatione non sit dubitandum. Graev. — Coniecturam Avi pro *praemium* corrigentis *pretium* tuentur eruditissimi Burmanni ad Ovid. Epist. Her. VI. 158. et ad Anthologiam Vet. Lat. Epigramm. et Poëm. II. 119. 13. Abr. Gronov.

Et uxor mariti sanguine dotata. In MS. quodam legitur, *et uxore mariti.* Forte scripsit Iustinus, *et uxor e mariti sanguine dotata*, quod qui non intellexerunt, fecerunt ex duobus vocabulis unum, et pro *uxor è* scripserunt *uxore.* Sane *dotata e san-*

*guine* rectissime dicitur, per adiectionem praepositionis, quae hunc casum unice regit. Nam casum sextum non aliunde, quam a praepositione pendere, Sanctio tam clare probatum est, ut dubitandi causa nulla supersit. Quia tamen frequentissime omittitur, ideo pro *uxor è*, et post *uxore*, scioli fecerunt *uxor*. SCHEFF.

## CAP. VIII.

2. TOMYRIS. Frontinus II. 5. et Iornandes in Geticis cap. 10. et nostri Vett. omnes constanter *Tamiris*, uno excepto, qui habet *Tomeris*. Orosii MSS. II. 7. *Thameris*. Valerii Max. editio postrema IX. 10. *Thamyris*. Herodoto I. 207. et seqq. est *Τόμυρις*, aliis *Τώμυρις*. De Cyri morte dissentit a ceteris Diod. lib. II. in Scytharum historia. BONGARS. — Luciano in Charonte, et aliis *Τόμυρις*. Historiam ex modo dictis auctoribus praecipue diffundit Herodotus. BERNEC. — Iuntae illi Bongarsiano MS. adsentiuntur, qui scribit *Tomyris*. Et sic omnino ex Luciano et Herodoto scribendum ubique. GRAEV.

QUAE NON MULIEBRITER ADVENTU HOSTIUM TERRITA. Saxo lib. I. pag. 6. *quae* (Gro) *sponsum adesse rata, insolito cultus horrore muliebriter territa*. ABR. GRONOV.

CUM PROHIBERE EOS TRANSITU ARAXIS FLUMINIS POSSET. Nescio, quid Ammiano Marcellino lib. XIII. in mentem venerit, quod scribat: *Cyrum Bospori fretum cum multitudine fabulosa transgressum, ad internecionem delevit Tamyris regina Scytharum, ultrix acerrima filiorum*. Araxem transgressum fuisse Cyrum, cum Tamyridi et Massagetis bellum inferret, ex omnibus constat. Bosporum vero traiecisse nemo dixit. Miror quoque, virum doctissimum hoc loco reponere *Tomyris* pro *Tamyris*. Nam dicitur *Τώμυρις, Τάμυρις*, et *Θάμυρις*. Quamvis postremum hoc nomen viris attribuatur, non feminis. Ita Polyaenus Sacarum regem vocat. Apud Aeschylum quoque in Persis aliquoties *Θάμυρις*, pro *Θάρυβις* legendum esse, patet ex Scholiaste. Et sane videtur esse commentum Graecorum, quod de hac, tanquam muliere, produnt. *Teimur* namque masculum nomen apud Scythas semper fuit. Quin etiam multum ab eo abit, quod refert Lucianus in Macrobiis, auctoritate Cipporum Persicorum, et Onesicriti. Ait enim: *Κῦρος ὁ Περσῶν βασιλεὺς ὁ παλαιὸς, ὡς δηλοῦσιν οἱ Περσῶν καὶ Ἀσσυρίων ὅροι, οἷς καὶ Ὀνησίκριτος, ὁ τὰ ἐπὶ Ἀλεξάνδρου συγγράψας, συμφωνεῖν δοκεῖ, ἑκατοντούτης γενόμενος, ἐζήτει μὲν ἕνα ἕκαστον τῶν φίλων. Μαθὼν δὲ τοὺς πλείστους διεφθαρμένους ὑπὸ Καμβύσου τοῦ υἱέος, καὶ φάσκοντος Καμβύσου κατὰ πρόσταγμα τὸ ἐκείνου ταῦτα πεποιηκέναι, τὸ μέν τι, πρὸς τὴν ὠμότητα τοῦ υἱοῦ διαβληθεὶς, τὸ δέ τι, ὡς παρανομοῦντα αὐτὸν αἰτιασάμενος, ἀθυμήσας, ἐτελεύτα τὸν βίον.* Quamquam absurdissimum hoc multis videbitur. utpote cum Cyrus quadraginta annos natus regnare coeperit; imperarit annos XXX; Cambyses vero annos VII $\frac{V}{XII}$. Fieri itaque non potuerit, Cyrum centesimum annum aetatis implesse, re-

gnante Cambyse. Voss. — Ed. Ienson, Ven. Flor. Mediol. Ald. Iunt. *cum pr. eos posset, vadum A. fluminis transire permisit.* Coll. N. *cum prohibere a transitu eos posset, vadum A. fluminis tr. p.* Orosius lib. II. cap. 7. et Freculphus tom. I. lib. III. cap. 18. *cum prohibere transitu* (Frec. et MS. Orosii *transitum*) *Araxis fl. transire permisit.* Vocem *fluminis*, quam e margine in contextum irrepsisse suspicabatur Cl. Graevius, quia mox sequitur *obiectu fluminis*, loco non movendam esse vere existimat Cl. Schraderus Animadv. in Musaeum cap. 13. pag. 249. Abr. Gronov.

3. Traiectis copiis. Med. sec. quint. Leid. ed. Ven. Flor. Mediol. Paris. *transiectis.* ut infra XX. 1. 1. ex sec. Leid. *copias in Italiam transiecit.* Livius lib. VII. cap. 2. *coguntur naves in alteram ripam transiicere.* Abr. Gronov.

4. Dein postera die simulato metu, quasi refugiens, castra deseruisset, ita vini affatim. Hunc locum ex Oxoniensi et Iuntina sic restitui: *Dein postera die, cum, simulato metu, quasi refugiens castra deseruisset, vini affatim, et ea quae erant epulis necessaria, reliquit. Cum* ex Iuntina interposui, *ita* auctoribus MSS. Anglicanis et Iuntina delevi. Paulo ante eadem editio Iuntina: *Cum prohibere eos posset, vadum Araxis fluminis transire permisit.* sed *fluminis* irrepsit ex margine. Quis credat Iustinum brevitatis tam studiosum in eadem periodo iterato sine necessitate usurum eadem voce? continuo enim sequitur: *et sibi faciliorem pugnam intra regni sui terminos rata, et hostibus obiectu fluminis fugam difficiliorem.* Graev. — Quia paulo post recurrit nomen *fluminis*, satis idonea causa non erat, cur Graevius illud huc de margine irrepsisse statueret, quum istius modi recursus multi obvii apud Iustinum sint, ut ad lib. II. 3. 11. et 6. 16. lib. III. 2. 6. lib. IX. 6. 3. lib. XVI. 4. 8. et alibi notabimus. Idem Graevius particula *cum* ex Iuntina adiecta, et τῷ *ita* cum eadem ed. et MSS. Anglicanis deleto, sic legebat: *D. p. die cum simulato metu quasi refugiens castra deseruisset, vini affatim . . reliquit.* Verum vulgatam scripturam, cui etiam quatuor nostri addicunt MSS., deserere non opus est; in qua etiam, de more suo, sic voculas *quasi* et *ita* iungit Noster, ut lib. XIII. 4. *Siquidem* . . quasi *regna* . . *divisissent*, sic *reges ex praefectis facti* etc. Lib. XXV. 1. *Et* quasi *satis munimenti* . . *haberent*, ita *eos omnia officia omisisse.* Lib. XXXIX. 1. Quasi . . *fratris bella* . . *prospere cessissent*, ita *Aegypto bellum inferre statuit.* Quem locum immerito sollicitari quoque videas. Lib. XII. 15. *Hac voce* veluti *bellicum inter amicos cecinisset*, ita *omnes in aemulationem consurgunt.* ubi alia. Ceterum in Franeq. et Dorv. 2. et 3. non male habetur *vinum affatim.* Sallust. Iug. cap. XLIII. *Arma, tela, equos, cetera instrumenta militiae parare: ad hoc* commeatum affatim. Apuleius Metam. VII. pag. 239. *Ac ne vinum quidem potatui* affatim *vel sufficiens habemus.* Plura de hac ratione Pareus Lex. Plautino voc. *Parum*, Davisius ad Cicer. de Leg. I. 10. aliique alibi. Unde facile intelliges, minus recte Hein-

sium ad Ovid. Epist. XIV. 82. *Teli* reponere in his Senecae Herc. Oetaeo vs. 860.

*Quidquid in mortem trahit,*
*Telum abunde est.*

Wopkens. — Saxo lib. II. pag. 21. med. *Post haec simulato metu, castra paullisper deserere coepit.* Plerique MSS. *dein*, vel *deinde*, *postera die simulato metu q. r. c. deseruisset*, *ita vini* (pr. sec. tert. quart. Leid. et Ienson. Rom. *vinum*) *affatim.* Orosius et Freculphus: *insuper astu eadem* (castra) *instructa vino epulisque deseruit*, *quasi territus refugisset.* Venustam codicum scripturam erudite tuetur Cl. Wopkensius. Abr. Gronov.

5. Quod cum nuntiatum. Ed. Flor. Paris. Ald. Iunt. *renuntiatum.* Abr. Gronov.

6. Insuetos barbaros vino se onerare patitur. Saxo lib. V. pag. 94. f. *ingenti se oneravere vino.* Abr. Gronov.

7. Ebrietate. Hoc modo perierunt et Histri apud Florum II. 10. adde Frontin. II. 5. 12. Videtur de simili eventu loqui Sallust. Hist. IV. 3. 18. Bernec.

8. Saucios. Ea est vetus lectio. Strabo (qui lib. II. pag. 353. pr. haec in Sacis gesta scribit) ἐξοίνους καὶ παραπλῆγας, *vinolentos et stupidos:* auctor infra XXIV. 8. 1. *mero saucios* dicit. quomodo Ennius et Lucretius *amore saucios.* Inde apud Tibullum I. 2.

*percussus tempora Baccho.*

Qui Graecis dicitur οἰνοπλήξ. Plautus Casina III. 5. 16.

*quid est, nisi haec meraclo*
*Se uspiam percussit flore Liberi?*

Ea videtur esse eius loci vera lectio. *flos Liberi* et Plauto saepe, et Turpilio apud Nonium, est vinum. Bongars. — Plura Gruterus Suspicion. VIII. 13. Impressi *securos* praeferunt. Freinshemius *sopitos* legendum suspicatur: ut apud Curtium VIII. 6. 32. *sopitus mero ac somno.* Est qui *saucios* ideo damnat, cum iam modo bis de ebrietate praecesserit. Sed nulla hic tautologia, quod ea vox stuporem, effectum ebrietatis potius, quam ipsam designare videatur, inde ducta metaphora, quod admodum ebrii mente sic alienentur, ut nihil sentiant, prout solent graviter saucii. Pari fere translatione Archilochus apud Athenaeum XIV. 6. m. οἴνῳ συγκεραυνωθεὶς φρένας, *vino mentem attonitus.* Nec alia de causa Plautus Aulul. III. 6. 39. *deponere vino* dixit, quam quod ebrii non secus efferantur ac ii, qui iam animam efflarunt. Certe *saucius* absolute hoc significatu sumitur etiam a Martiale III. 68. Apul. VII. Met. Bernec. — Videri posset dicendum esse *vino saucios;* nec id primus moneo. Certe ita locutus est Iustinus XXIV. 8. *Hesterno mero saucii.* Faber. — Antiquiores typis expressi habent *securos.* At Bongarsius e MSS. restituit *saucios.* Et credo auctorem ita omnino voluisse; quod videam infra XXIV. 8. 1. pari modo eum scripsisse *hesterno mero saucii;* et Martialem item III. 68. atque Apuleium lib. VII. eadem notione vocabulo usos esse. Vorst.

9. Et quod gravius dolendum. *Et quod gravius doleret,* legitur in altero MS. Voss. Gronov. — Oxoniensis ex MS. *et quod gravius dolet.* probe. Graev. — Angl. *et quod gravius dolet.* Placet admodum, videturque repudiatum ab his, qui hoc genus nesciebant vetustioribus receptum. Arria apud Plinium III. Epist. 16. post extractum e pectore suo pugionem, ad maritum, *Paete non dolet.* Et Martialis rem eandem memorans, *Vulnus quod feci, non dolet.* Scheff. — Pro *doleret* in quatuor nostris aliisque exstat *dolendum,* in aliis *dolet,* quod Graevio ac Scheffero placuit. Equidem cum A. Gronovio libenter recipio *doleret,* quum sic relativum pronomen cum subiunctivo construi soleat: quod etiam ad lib. IX. 3. et lib. XVII. 2. videbimus. Cicero. Tuscul. I. 16. *Sed* quod *literis* exstet, *Pherecydes Syrius primum dixit animos esse hominum sempiternos.* Livius XXVII. 37. *Minturnenses terribilius* quod esset *adiiciebant, sanguinis rivum in porta fluxisse.* Tacit. Hist. III. 75. Quod *inter omnes* constiterit . . *decus domus penes Sabinum erat.* Vellei. Paterc. II. 56. *Regressus in urbem,* quod *humanam* excedat *fidem, omnibus . . ignovit.* Flor. II. 15. *XL se millia virorum dediderunt,* quod *minus* credas, *duce Asdrubale.* Seneca Epist. LXXIV. *et* quod *magis* admirere, solum bonum est, quod honestum est. Sedulius lib. III. 216.

> Quodque *magis* stupeas, *cophinos ablata replerunt*
> *Fragmina bis senos.*

Lactantius III. 20. *Ex his unum eligam,* quod *ab omnibus* sit *probatum.* Quem locum aliis quoque exemplis adseruimus. Wopkens. — Med. sec. quint. Leid. Bodl. *quod gravius doleret.* pr. tert. quart. Leid. Periz. ed. Ienson. aliaeque, *quod gravius dolendum.* Rom. *quod erat gravius dolendum.* Abr. Gronov.

In ultionis solatia intendit. Ad *intendit* Freinshemius subaudiri vult *mentem,* ut ex Indice, quem in hunc auctorem confecit, apparet. Mihi autem ἀπὸ κοινοῦ repetendum videtur *dolorem.* Vorst. — Recte Vorstius hic non *animum* subaudiendum ait in verbo *intendit,* sed referendum ad superius *dolorem.* Sed quid est *intendere dolorem?* Id quod opponitur praecedenti *effundere dolorem,* hoc est, non finire dolorem, sed proferre, producere, eumque convertere in solatium, velut scopum aliquem, quemadmodum arcum intendere in aliquid dicimur. Scheff. — *Intendere dolorem* est augere, ut *intendere vocem, linguam,* apud Tullium. *Intendere dolorem in solatium,* est acrius dolere, ut solatium capias. Haec vero balbuties est Iustino et Trogo indigna. Recte Freinshemius vidit *animum* esse intelligendum, ut alibi quoque hanc vocem addit huic verbo, alibi omittit Iustinus. *Intendere animum in ultionis solatia,* est cogitare acrius de solatio doloris capiendo ex ultione. Graev. — Lucanus IX. 145.

> *Quum talia Magnus*
> *Audisset, non* in *gemitus* lacrimas*que* dolorem
> Effudit, *iustaque* etc.

Ovidius Metamorph. IX. 143.

*Indulsit primo lacrimis*, flendoque dolorem
Diffudit *miseranda suum.*

Accedo autem his, qui verbo *intendit* non *animum*, uti nonnulli, sed *dolorem* subintelligunt. Ita *intendere* pro dirigere, convertere, dixit Iustinus lib. XXI. 4. *Opes . . ad occupandam dominationem* intendit. Frustra autem verbum hoc deletum hic volebat Pricaeus ad Apul. Metam. II. pag. 39. WOPKENS.

10. CYRUM AD ANGUSTIAS USQUE PERDUXIT. Optime Iuntae *produxit*, est enim proprium verbum in hac re. Caesar VII. de Bello Gallico: *Cum fuga vehementi Volusenum longius produxisset.* Idem III. de Bell. Civil. *Elicuit naves Caelianas, atque ex his longius productam unam quinqueremem et minores duas in angustiis portus cepit.* Non potuit inveniri vox aptior et huic loco accommodatior, quam quae in Iuntina legitur, cuius vim cum non intelligerent sequentes editores, id immutarunt in notius, ut plerumque fit. Interpolationum enim praecipua caussa ignorantia priscae elegantiae. Hinc recentiores aut descriptores aut editores exquisitioribus et parum tritis supposuerunt vulgatiora vocabula et locutiones. Nam quod aiunt *producere* esse porro ducere, verissimum est. An vero qui in fraudem pellicit, cedendo fugiendoque, donec perveniat in locum ubi insidiae sunt structae, an non is persequentem porro ducit, hoc est, eo producit, quo scit esse qui in insidiis sunt collocati? GRAEV. — Testatur Graevius, editionem Iuntinam habere *produxit:* quod mirifice et mihi placet. Sane ad hunc modum Caesar VII. de B. Gall. *Cum fuga vehementi Volusenum longius produxisset.* VORST. — Mallet vir doctissimus, secutus Iuntas, legere *produxit.* Ego nihil mutem. Loca sane, quae pro altera lectione afferuntur, huc non quadrant. Aliud enim *producere longius*, et aliud *perducere ad aliquem locum.* Illud recte dicitur, quia *producere* est quasi *porro ducere.* At si adhiberetur in posteriori genere, sensui repugnaret. Nam qui ducit ad locum, is non ducit porro, is non producit, sed perducit. SCHEFF. — *Usque* non habet Anglus. GRAEV. — Ed. Rom. *ad angustias montium usque perduxit.* Coll. N. ed. Flor. Paris. Ald. *ad usque angustias;* eaedemque editiones, *produxit.* Decem MSS. *perduxit.* ABR. GRONOV.

11. 12. 13. CUM IPSO REGE TRUCIDAVIT. IN QUA etc. Atqui Cyrum regem in acie captum, et cruci affixum, scribit Diodorus II. 44. Xenophon tradit, placide in lecto obdormiisse. Ctesias alio modo. BERNEC.

13. SATIA TE, INQUIT. Metuo, ne illud *inquit* hic intrusum sit a sciolo. Nam quae haec loquendi ratio, *regina iubet, inquit?* debebat saltem coniunctio intercedere, *iubet et inquit.* Sed et si adderetur ea, haud quadraret illud *hac* in verbis *cum hac exprobratione.* Nam ostendit, exprobrationem nudam oportere sequi, non narrationem, ad quam spectat verbum *inquit.* SCHEFF. — Cave cum

Scheffero delendum putes verbum *inquit*, quod sic passim πλεονάζει. Ruffinus H. Eccl. II. 1. *Huius .. meminit, cum scribit, alium autem*, inquit, *Apostolorum vidi neminem.* Spartianus in Severo cap. IV. *Quinquennis puer respondit, sed possidebo*, inquit. Ita enim lego cum Viro Docto in Miscell. Obs. 1734. Capitolinus in A. Pio cap. X. *Cum ipse dixerit, permittite*, inquit, *illi ut homo sit* etc. Cyprianus de Hab. Virg. extremo: *Apostoli vox est: primus homo*, inquit, *de terrae limo* etc. et sic ille saepius. Optatus de Schism. lib. VII. *Videtis .. de vobis dixisse .. Apostolum: erunt*, inquit, *homines se ipsos amantes.* Immerito etiam hunc pleonasmum sollicitari cernas in tribus his locis: Treb. Pollionis in Gallienis cap. XI. *Quum manus sponsorum teneret .. ita dixisse fertur: Ite*, ait, *o pueri pariter* etc. Val. Maximi lib. VI. 4. 4. *Cum .. is .. dixisset, quid ergo*, inquit, *mihi opus est .. ? respondit* etc. Aur. Victor. V. Illust. cap. LXXIII. *Cum intonuisset, clamavit, iam*, inquit, *nisi quiescitis, grandinabit.* Cum quo loco conferatur Orosius VI. 15. *Exclamasse fertur: quoniam Pharnaces*, inquit, *mori iubet* etc. Livius VII. 16. *Ibi .. Tullius .. exclamat: Adspice, imperator*, inquit, *quemadmodum* etc. Augustinus de Civ. Dei II. 14. *Frustra hoc exclamante Cicerone, cum* (male vulgo legitur *qui cum*) *de poëtis ageret: ad quos cum accessisset*, inquit, *clamor et approbatio populi* etc. Wopkens.

## CAP. IX.

1. 2. etc. Fusius haec omnia tractat Herodotus lib. II. et III. Bernec.

Cambyses. Quae paucis auctor noster, ea Herodotus lib. II. et III. tractat fusius. Bongars.

2. Apis. MSS. nostri *Serapis*, quod pro eodem est. qui enim *Apis*, is et *Serapis* et *Osiris* etiam dictus. Mod. — Bos Osiridi consecratus, id est, Soli. Describunt Herodotus III. 28. Diodorus I. 85. Plin. VIII. 46. Marcellin. XXII. 33. et alii. Bernec.

3. Ammonis etc. Meminit et Plutarchus in Alexandr. cap. 46. et Seneca Natur. Quaest. II. 30. Bongars. — Tert. Leid. *Hamonis*. Periz. *Hammonis*, ut infra XI. 10. 9. et *Hammonem* XII. 15. 7. Abr. Gronov.

4. Fratrem suum Smerdem regnaturum. Miror sane in hac historia tantam nominum confusionem. Solius fratris Cambysis nomen apud Herodotum et Iustinum est idem, nempe *Smerdis*, reliqua variata. Nam occisorem Smerdis Herodotus *Prexaspen* vocat, Iustinus *Comarim*. Hunc Comarim perpetrata caede fratrem suum Oropasten Magum, cum et ipse Magus esset, subiecisse Cambysi, ac pro Smerde proclamasse, quoniam Smerdi, fratri Cambysis, persimilis fuerit. Herodotus autem Magos vocat, alterum Patizithen, alterum Smerdim, qui ita fratri Cambysis et nomine et vultu persimilis fuerit, unde et ausos occupare regnum. Atqui talia in Iustino omnia enumerare

nimium laboris caperet: propterea multa nobis necessaria tacenda ac dissimulanda. Sed et Valerius Maximus in libro II. de Fortitudine, Dario adscribit, non Gobriae, lustrationem istam cum Mago. Idem tamen Valerius IX. cap. 2. de sex illis, aut quatuor, ut Iustinus habet, a Dario caesis, suspectam mihi historiam memoriae reliquit. Iudicet lector. GLAREAN.

FRATREM SUUM SMERDIM. Cambysis frater, qui hic in *vett.* est *Mergis*, apud Herodotum est *Σμέρδις*, quo nomine etiam magum Oropasten vocat: et *Cometes* magus, qui in editionibus vulgatis dicitur *Comaris*, contra libros apud eundem Herodotum est *Πρηξάσπης*: *et Ostanes*, qui vulgo *Orthanes*, Herodoto dicitur *Ὀτάνης*: et Darius *Hystaspis* filius in vett. nostris est *Hyptasi*. Haec ut in Herodoto habentur, edidit Asulanus. Sed *αἱ τῶν ὀνομάτων μεταπτώσεις, καὶ μάλιστα τῶν βαρβαρικῶν, πολλαὶ*, ut est apud Strabonem. Et quanta est inter Trogum et Herodotum varietas; tanta aut longe etiam maior inter Herodotum et Ctesiam in ipsa historia dissensio. BONGARS. — Non sine iniuria posset aliquis suspicari, scribendum esse *Merdim*, et paulo post *Merdi*, pro *Mergide*. Merdim enim, et Merdiam appellant nonnulli Cyri filium, ut testantur Scholia ad Persas Aeschyli. Apud Aeschylum ipsum male legitur *Μάρδις*, ut iam vidit Scholiastes. Herodoto et Aristoteli est *Σμέρδις*. Nam saepe *τὸ σ* nominibus propriis in principio affigitur. Ctesiae est *Ταννοξάρκης*. Ait enim: *Κῦρος δὲ μέλλων τελευτᾶν, Ταννοξάρκην τὸν νεώτερον υἱὸν ἐπέστησε δεσπότην Βακτρίων, καὶ τῆς χώρας, καὶ Χωραμναίων, καὶ Παρθίων, καὶ Καρμανίων* etc. Sic legendum. *Oropastes* ipsi est *Σφενδάτης*. VOSS. — Iuntae: *Smerdem*: MS. *Smergim*. Lege *Smerdim* ex Herodoto. GRAEV. — Zonaras lib. IV. Annal. cap. 1. *τοῦ Καμβύσου ἦν ἀδελφὸς κατὰ μὲν Ξενοφῶντα* (lib. VIII. de Inst. Cyri pag. 235. ed. Paris.) *Ταναοξάρης· κατὰ δὲ τὸν Ἡρόδοτον Σμέρδης ὀνομαζόμενος*. Eumdem Ctesias a Cl. Vossio ad h. l. laudatus appellat *Ταννοξάρκην*, quod Persicum nomen Graece interpretatur Tzetzes Chil. VIII. v. 950.

*Πέρσαι δὲ τὸν μακρόχειρά φασι Ταννοξάρκην.*

ABR. GRONOV.

FRATREM SUUM MERGIM. Veteres editiones Becharii et Sichardi habent *Mergidem*: quod et in MSS. quibusdam esse notavit Bongarsius. Et congruit ei, quod paulo post sequitur *Mergide*. Iuntina editio, uti Graevius testatur, manifeste *Smerdem* habet, ut ab Herodoto appellatur. Verum quia bis deinde *Mergide* sequitur, putem Iustinum et *Mergidem* vel *Mergim* per G scripsisse. Minime vero omnium placet *Smerdide*, quod Graevium in textum recepisse video. VORST.

7. NOMINE COMETEM. Iuntina et nonnullae aliae, *Praexaspen*. Ab Herodoto sane *Prexaspes* appellatur in Thalia cap. 30. GRAEV. — Ed. Flor. Paris. *Praxaspem*. Ald. Iunt. *Praexaspem*. Lege *Prexaspen*. Hunc enim Cambysis iussu Smerdim interfecisse, refert Herodotus; qui etiam eumdem a fratribus Magis clare distinguit.

lib. III. cap. 75. καὶ δὴ ἔλεγε (Πρηξάσπης) τὸν μὲν Κύρου Σμέρδιν ὡς αὐτὸς ὑπὸ Καμβύσεω ἀναγκαζόμενος ἀποκτείνειε, τοὺς Μάγους δὲ βασιλεύειν· Πέρσῃσι δὲ πολλὰ ἐπαρησάμενος, εἰ μὴ ἀνακτησαίατο ὀπίσω τὴν ἀρχὴν, καὶ τοὺς Μάγους τισαίατο, ἀπῆκε ἑωϋτὸν ἐπὶ κεφαλὴν φέρεσθαι ἀπὸ τοῦ πύργου κάτω. Idem etiam Magum, qui fratrem suum Σμέρδιν, quem *Oropasten* appellat Iustinus, in regnum subiecit, Πατιζείτην nominat lib. eod. cap. 61. Iidem Zonarae lib. IV. cap. 1. dicuntur Κατιζίτης et Σμέρδης. ubi prius nomen corrigendum ex Herodoto; Cedreno pag. 144. Σφενδάτης et Κιμέρδιος. Constantino Manassi Σμέρδης καὶ Ἀσπαθίνης. Pro Σμέρδις autem apud Ioëlem Chronogr. pag. 160. vitiose legitur Σπέρδιος. Μετὰ δὲ Καμβύσην ἐβασίλευσε Σπέρδιος ὁ μάγος μῆνας ζ'. Μετὰ δὲ Σπέρδιον ἐβασίλευσε Δαρεῖος Ὑστάσπου ἔτη κ'. atque etiam Chronographum in Collect. Canisii tom. II. part. 1. *Esmedius*. Abr. Gronov.

8. Gladio sua sponte evaginato. Strabo extr. lib. XV. a Magis sublatum tradit: ab auctore nostro est Herodot. III. et Marcellin. XVII. cuius mihi locus de mendo suspectus est. Bongars. — Ab auctore nostro est Herodotus III. 64. et Amm. Marcellinus XVII. 6. Sulp. Severus lib. II. Hist. Sacrae pag. 116. Contrarius videtur Strabo, qui lib. XV. extremo, *Cambysen a Magis sublatum* dicit, interprete Xylandro. Verum ibi τὸ κατελύθη, de imperio Cambysis a Magis intercepto, quam occiso ipso, malim accipere: quae verbi notio Thucydidi, Xenophonti, Herodiano etc. est recepta. Quanquam etiam Orosius II. 8. Magos sub nomine *quem occiderant Regis*, regno obrepere ausos scribit. Bernec.

In femore. Quum in MSS. omnibus legatur *in femur*, suspicor auctorem hic usum fuisse Graecismo, et scripsisse *femur*, omissa praepositione. Nec aliter Liv. XXI. 7. *Annibal ipse dum murum incautius subit, adversum femur tragula graviter ictus cecidit.* Sueton. in Octavio 20. *Una acie dextrum genu lapide ictus: altera et crus et utrumque brachium ruina pontis consauciatus.* Valer. Max. III. 2. 23. *Tragula femur traiectus, saxique pondere ora contusus.* Auctor Bell. Afric. 78. *Pacidius graviter pilo per cassidem caput ictus.* Idem 85. *Pompeius Rufus brachium gladio percussus.* Eodem modo quo Cambyses, occubuit Engelramus de Cusci, teste Matth. Paris. in Henrico III. pag. 862. Gronov. — Libri Manuscripti habent *in femur*, pro *in femore*, quod repudiatum videtur ab iis, qui hoc genus sermonis, quia infrequens est, non intelligebant. *Vulneratus in femur* plene dicitur, quod et per ellipsin posset formari, dicique, *vulneratus femur.* Quomodo apud Plinium est *vulneratus humerum et femur*, VII. 28. *Ipse vulneratus humerum ac femur.* Praepositio *in* significationem habet Graeci κατὰ, de quo vide Sanctium lib. IV. Min. p. m. 403. Scheff. — Ita infra IX. 3. 2. *in femore vulneratus est.* et XLII. 2. 2. *in brachio vulneratus.* Vetus Interpres Euangelii secundum D. Marcum XII. 4. *et illum in capite vulneraverunt.* Hegesippus lib. III. cap. 12. *ut*

*in talo feriretur iaculo sagittae.* Verum MSS. ed. Rom. cum Vincentio lib. III. cap. 27. exhibent *in femur*, quod vulgato praefert Cl. Schraderus Animadvers. ad Musaeum cap. XV. pag. 268. Ita infra dicto loco IX. 3. 2. MS. Coll. N. *in femur vulneratus est.* Ceterum Cambysen Ecbatanis Syriae mortuum fuisse, refert Herodotus lib. III. cap. 64. Damasci vero Zonaras lib. IV. cap. 1. Huius verba sunt: *Καμβύσης γὰρ ἑπτὰ βασιλεύσας ἔτη, καὶ καταστρεψάμενος ἐν τούτοις τὴν Αἴγυπτον, ὑποστρέψας ἐν Δαμάσκῳ ἐτελεύτησεν.* ABR. GRONOV.

IN FEMORE GRAVITER VULNERATUS. Sic tantum reperio legi in Dorv. 3. postquam a prima manu illic fuerat *in femur*, uti ceteri MSS. habent; unde Gronovius non male, deleta praepositione, reponit *femur graviter vulneratus;* qualem quoque Graecismum restituendum putat Tacito Hist. I. 42. ubi nunc legitur: *primo ictu* in poplitem, *mox . . in utrumque* latus *transverberatus.* Dixit tamen rursum Iustinus *vulnerari in femore*, lib. IX. 3. *in fronte*, lib. XV. 3. *in brachio*, lib. XLII. 2. Et ex solenni librariorum errore, *femore* facillime depravari in *femur* potuit. WOPKENS.

POENASQUE LUIT SEU IMPERATI PARRICIDII, SEU SACRILEGII PERPETRATI. Saxo lib. XIV. pag. 307. 30. *luensque poenas seu admissi seu tolerati parricidii.* ABR. GRONOV.

9. MAGUS ANTE FAMAM AMISSI REGIS OCCUPAT FACINUS. Magi duo fuerunt, ut ex Herodoto constat, et Orosio II. 8. apud quem vox *duo*, quae est in MS. deest in impressis: *septem* commemorat Valerius lib. IX. cap. 2. et Marcell. lib. XXIII. BONGARS. — Duos tantum fuisse Magos, qui Persicum imperium occupaverunt, praeter Nostrum asserunt Herodotus. III. 61. Sulpicius Severus lib. II. Hist. Sacr. pag. 116. Orosius II. 8. Cedrenus pag. 118. 54. Const. Manasses in Annalib. et alii. Atqui septem commemorant Amm. Marcellinus lib. XXIII. cap. 22. fin. et Val. Max. IX. 2. Ext. 6. Verum auctoritas Ammiani, consensui plurium impar, nec tanti est: Valerii vero Maximi locum feliciter emendavit, ac nostro conciliavit vir magnae dignationis eruditionisque Ianus Rutgersius Var. Lect. I. 8. Cum enim vulgati sic habeant: *ne quem ex coniuratione, quae septem Magos cum eo oppresserat* etc. ille transposita una non amplius vocula legit: *ne quem ex coniuratione septem, quae Magos cum eo opp.* Septem, inquam, illorum, a quibus oppressi duo Magi, procerum Persarum, de quibus accipiendus et Florus III. 5. 2. Vide H. Stephani annotationes in Platon. Tom. III. pag. 68. 69. BERNEC. — Seneca in Thyeste vs. 270.

*Hoc, anime,* occupa:
*Dignum est Thyeste* facinus *et dignum Atreo.*

Sic enim cum Florent. MS. recte legit Gronovius pro *incipe:* atque ita quoque Seneca Rhetor Suasoria VII. pag. 45. *At ille, victoribus id ipsum imputaturus*, occupat facinus, *caputque decisum . . Antonio portat.* WOPKENS.

10. Erat enim decorus et corporis lineamentis persimilis. Malo, quo pacto et Bongarsius in MS. libro esse profitetur, et ego in Fuldensibus meis disertim exstare scio: *Erat enim et oris et corporis lineamentis p.* quae enim pars in homine, in qua maior solet haberi lineamentorum ratio, quam os et vultus? Mod. — Restitui locum ex sententia V. Cl. Fr. Modii, qui disertim in Fuldensibus suis ita scriptum ait: quo pacto et Bongarsius in MS. libro esse profitetur. Nec enim in homine pars est, in qua maior solet haberi lineamentorum ratio, quam os, hoc est, vultus. Antea vulgati: *Erat enim decorus, et corporis lineamentis persimilis.* Herodotus III. 61. ἦν τε δὴ ὅμοιος εἶδος. de decore nihil. Bernec. — Videtur legendum: *Erant enim et oris et corporis lineamentis persimiles.* Gronov. — Iuntae: *Erat enim oris et corporis lineamentis persimilis.* lege: *Erat enim et oris et corporis lineamentis persimilis.* Graev. — Editiones veteres ante Bongarsianam habebant: *Erat enim decorus et corporis.* Unde suspicor, lectionem veram Iustini fuisse: *Erat enim de oris et corporis lineamentis persimilis.* Ablativum regi a praepositione, supra est ostensum. Ea sicut frequentissime omittitur, sic apposita nonnunquam reperitur, quod hic accidisse puto. Scripserat autem pro *de oris*, iunctim quispiam ab initio *deoris*, quod per emendationem deinde factum est *decoris*. Tum nata lectio, quae nunc habetur. *De oris* dictum ut, *de facie notus.* Scheff. — Vincentius lib. III. cap. 27. *lineamentis Smerdi persimilis.* Abr. Gronov.

Oropasta. Ed. Ven. Flor. Mediol. Paris. Ald. Iunt. *Oropastes*, congruenter praecedenti *Oropasten.* Ald. Iunt. *Horopastes*, et paullo ante *Horopastem.* Abr. Gronov.

11. Sub specie maiestatis. Similiter a Deioce Rege Medorum institutum, Herodotus I. 99. tradit, ne conspici Regem fas esset: ne scilicet assiduo conspectu vilesceret. *Maiestati maior e longinquo reverentia.* Tac. Ann. I. 47. *Continuus aspectus minus verendos homines ipsa satietate facit.* Liv. XXXV. 10. 5. *Quicquid in excelso fastigio positum est, humili et trita consuetudine, quo sit venerabilius, esse vacuum oportet.* Val. Maxim. I. 6. Utut sit, omnibus potius quam nemini patere debere Principem, ostendit egregie Gruterus ad Tacitum dissert. XLIV. Bernec.

12. Ad favorem populi conciliandum. Sic infra XXI. 1. 4. et 5. Scilicet *novum imperium inchoantibus utilis est clementiae fama.* Tacit. Hist. IV. 63. Bernec.

Tributa et militiae vacationem in triennium permittunt Quid hic est, *permittere tributa?* Certe permissis tributis favor populi non obtinetur. Eruditissimus Gronovius noster pro *tributa* legit *tributi.* tributi nimirum vacationem permittunt. Recte, si quid iudico. Boxhorn. — Omnino legendum *tributa et militiam vacatione in triennium remittunt:* ipsoque auctore illam lectionem confirmante XI. 1. *Alii taedio longinquae militiae remissam sibi expeditionem gaudebant.* et XXXVIII. 3. *Debita civitatibus pu-*

*blica privataque remittit*, *et vacationem quinquennii concedit.* Et *delectum remittere* Liv. XL. 28. Gronov. — Iuntae et unus MS. *remittunt.* quod probat Gronovius, et pluribus asserit Observat. IV. 2. His accedunt tres Anglicani, in quibus *permittunt*. Retinenda vulgata, sed non ideo retinenda, quod *permittere* significet *remittere*, quem doctorum virorum errorem dudum reiecit acerrimi iudicii vir Iohannes Fridericus Gronovius in loco laudato; sed quod duobus pluribusve nominibus nonnunquam apponatur verbum, quod ad ultimum tantum potest referri, cum ad praecedentia sit aliud intelligendum. Vide, quae de his locutionibus notavi ad Flori III. 21. Locus Augustini, quem Vorstius attulit, nihil facit ad id, quum *permittere* contendunt poni pro *remittere*, confirmandum. Haec enim mens est Augustini: *Deus neque permittendo*, scilicet ut debeatur, hoc est, ut peccetur nimirum impune, *neque exigendo quod debetur*, hoc est, puniendo peccata, *iniustus est. Permittunt* igitur Magi *militiae vacationem*, sed ad *tributa* intelligendum *remittunt*. Graev. — In MSS. aliquot pro *remittunt* legitur *permittunt*. Veriorem tamen lectionem esse crediderim *remittunt*, ut ipsemet Iustinus XXI. 1. *Tributa populo per triennium remittit.* neque sane aliter optimi quique scriptores loquuntur. Sed hoc saepe demiror, quod hic legitur: *vacationem remittunt.* Nam *remittere* quidem *tributa*, recte dixeris, quia *tributum* res dura est, et onerosa, et, ut opinor, non magnopere optanda; at *vacatio* res est et iucunda et in primis expetenda. Quamobrem ipse libentissime legerim, id quod, ut ingenue dicam, necessarium iudico, *tributi et militiae vacationem in triennium permittunt.* id est, vacationem a tributo, vacationem a militia. Faber. — *Remittunt* habent sane veteres typis expressi, quos curarunt Iuntae, Becharius, Maior, Sichardus. Sed et unus MS. quem vidit Bongarsius, sic habet. Probantque lectionem eam Gronovius atque Graevius. Sane phrasi *tributa remittere* usus auctor XXI. 1. 5. similiterque XI. 1. 2. dicit *expeditionem remittere.* Quaeritur autem, quomodo dici potuerit *militiae vacationem remittere*; quoniam ea fere tantum quae molesta sunt, ut *tributum*, *expeditio*, *remitti* dicuntur; non autem ea quae sunt grata, ut *vacatio militiae.* Dicendum igitur, verbo *remittere* duplicem vim subiectam hic esse, et *militiae vacationem remittere* idem esse quod *militiae vacationem permittere.* Quam vocis significationem notarunt Cuiacius in Observationibus, Lipsius in Notis ad lib. I. Taciti, et Gifanius in Observationibus L. L. Quod autem unum idemque verbum ad diversa nomina relatum duplicem interdum significationem habeat, eius ipse Noster plura exempla suppeditat III. 1, 9. in his: *et caedem patris*, *et se ab insidiis Artabani vindicavit.* et XI. 9. 14. in his: *non mortem*, *sed dilationem mortis deprecantur.* Sed Bongarsius quia in pluribus MSS. reperit *permittunt*, ita plane et rescribendum putavit. Si igitur legere quispiam malit, *tributa et militiae vacationem permittunt*, τὸ *permittunt* item notione non una, sed duplici accipiendum erit: ut

*tributa permittere* sit pro *tributa remittere.* Sed negat Gronovius eam verbi significationem usquam observari. Vide IV. Obs. 2. Alii tamen, inter quos Gifanius, eam observari asseverant. Quorum observationibus adiicio ego quod in Ep. 106. Augustini legitur: *Deus quod neque permittendo, neque exigendo quod debetur iniustus est.* Vorst. — Nihil mutem, etsi habent alii *remittunt*, hocque probent viri doctissimi. Nam cum sensu duplici accipiendum verbum sit, sive hoc, sive illud ponas, malo credere, *permittunt* scripsisse Iustinum, quam *remittunt*, quia id magis respondet propiori *vacationem.* Scheff. — Concinunt Franequeranus et 2. Dorv. cum his, in quibus *permittunt* legitur; quod si recipiamus, et simul *tributa* in *tributi* commutemus, maximam striblíginem facillime hinc amoliemur. Et iam recte sic Fabrum, et apud Boxhornium Gronovium legisse animadverto; quamquam hic in notis ad hunc locum rescribebat, *tributa et militiam vacatione in triennium remittunt*, quod sane longe postferendum. *Tributi vacationem* dixit, ut Tac. Ann. XII. 61. *Omni tributo vacui in posterum Coï.* Wopkens. — Magl. Reg. tert. quart. Leid. et Vincentius, *permittunt.* Ed. Oxon. *tributi . . . . permittunt;* quomodo ex coniectura legisse Avum testatur Boxhornius. Atque ita etiam legendum coniecit Cl. Crusius. Abr. Gronov.

13. Indulgentia et largitionibus. Sic male editi: omnes enim scripti libri, *indulgentiae largitionibus.* eodemque modo infra XVI. 1. *Stirps subolis.* Gronov. — Decem MSS. *indulgentiae largitionibus.* Ita infra XXXI. 6. 3. *adsentationum adulationibus.* ubi plura exempla congessit Bernecccerus. Confer Avum lib. III. Observ. cap. 2. pag. 439. Abr. Gronov.

Indulgentia et largitionibus confirmarent. Sic quidem Dorv. 1. sed ut cum MSStis aliis legebat Gronovius *indulgentiae largitionibus*, ita refert quoque Dorv. 3. cum Franeq. Eaque loquendi ratione dicitur *Simultatum offensae*, lib. II. 6. *Piae misericordiae humanitas*, lib. XVIII. 3. *Meritorum officia*, lib. XI. 15. *Beneficiorum munera*, lib. XXXVIII. 3. *Odium obtrectationis*, lib. XXXII. 2. *Obtrectationis invidia*, praefatione. *Assentationum adulationes*, lib. XXXI. 6. *Primordii origo*, lib. II. 1. *Obsequium debitae pietatis*, lib. XXIII. 2. 8. Wopk.

14. Ostani. Ostanes Pharnaspis filius, cuius filia Phaedyma appellabatur Herodot. lib. III. cap. 68. *Pedima* L. Ampelio. Bernec.

In coniecturis sagacissimo. Non contemno, quod impressi quidam habent, *in coniectura*, quia firmat MS. in quo *coniecturae* legitur. Ultima enim litera ex initiali sequentis vocabuli adhaesit. Sane cur de pluribus, quam hac una in praesenti negotio, coniecturis locus debeat intelligi, vix dari potest causa. Scheff. — Periz. *Hotani.* ed. Ald. *Otani.* Ὀτάνης etiam ab Herodoto lib. III. cap. 68. et Zonara lib. IV. cap. 1. appellatur. Med. sec. Leid. Bodl. Periz. ed. Ven. Flor. Mediol. Paris. Ald. Iunt. *in coniectura*, probante Scheffero. Ita Ammianus lib. XXXI. cap. 3. *ut sunt in coniectura sagaces.* Thuan. ed. Rom. *in coniecturas.* Abr. Gronov.

15. QUAERIT DE FILIA. Hoc est, ex filia, vel ut habet vet. ed. a filia. Vide I. F. Reitzium de Ambiguis, pag. 147. WOPKENS. — Quae ab Herodoto *Φαιδύμη*, a Zonara *Φαιδυμίη* vocatur. ABR. GRONOV.

16. QUIA SINGULAE SEPARATIM RECLUDANTUR. Forte *secludantur*. GRONOV.

QUIA SINGULAE SEORSIM RECLUDUNTUR. Nollem sane, coniecisse virum summum *secluduntur:* hoc enim tautologiam his inficetam ingerit, neque sane inusitatum est *recludere* pro claudere, includere. Lib. XXVI. 1. *Omnibus rebus spoliatae in carcerem* recluduntur. Hegesippus I. 13. *filios . . in castrum* reclusit. Ruffinus Hist. Eccl. I. 9. recludi *iubet in loco.* Gregorius Turon. Hist. Franc. II. 37. *Erat . .* reclusus *in monasterio suo ob Dei timorem.* Lib. V. 39. *Soror eius in monasterium* reclusa. et cap. 47. *Tunc . . oneratum ferro* recludi *praecepit carcere.* Minuc. Felix cap. XXV. *Pullos caveis* reclusos. Hieronymus adv. Vigilantium: *ut non inter homicidas teterrimo carcere, sed in libera honestaque custodia . .* recludantur. Vetus Int. Exodi XXI. 29. *Quod si bos cornupeta fuerit . . nec* recluserit *eam* etc. ita ille Levitici XIII. 5. et 11. Numeri XV. 34. I. Regum VI. 7. 10. et alibi. Immerito autem sollicitantur etiam sequentia ista loca: Sedul. V. 390.

*Nebulaque* recludens
*Omnia, sollicitos odit simulator amicos.*

Palladius de Re Rustica IV. Tit. 10. *Alii missas ficus . . in novo vase . . a se separatas* recludunt. WOPKENS.

17. PERTRECTARE. Plerique MSS. ed. Rom. Ven. Flor. Paris. Ald. Iunt. et Vincentius, atque etiam MS. Franequeranus, observante Cl. Schradero Animadv. ad Musaeum pag. 371. *pertractare.* ut infra XXXVIII. 1. 9. *pertractanti.* ABR. GRONOV.

AURES UTRASQUE PRAECIDERAT. MS. Bongarsii, et Vincentius: *praesciderat.* ABR. GRONOV.

18. FACTUS DEINDE PER FILIAM CERTIOR. Vincentius: *factus demum.* pr. sec. quart. Leid. *f. dein.* ABR. GRONOV.

19. SEPTEM TANTUM. Thucydides VI. 9. 26. *Pauci coniuraverant, quo tutiores essent.* Adde Curt. VIII. 6. 20. Tacit. XV. 59. 5. Caeterum istorum septem optimatium nomina recenset Herodotus III. 70. L. Ampelius; inter quos tamen non est *Ἀναφᾶς* Diodori XXXI. BERNEC.

PER QUENQUAM NARRARETUR. Manu exarati codices habent, *per quemcunque.* Suspicor, a prima manu fuisse, per *quemquam enarraretur.* est enim *enarrare* verbum admodum idoneum hoc loco, pro *enuntiare*, quod alibi usurpat, hoc est abdita narrando divulgare, qui sensus eius primus principalisque est. SCHEFF.

OCCULTATO SUB VESTE FERRO, AD REGIAM PERGUNT. Saxo lib. I. pag. 19. f. *occultato sub veste ferro, opportunum sceleri tempus exspectabat.* ABR. GRONOV.

20. QUIBUS NE IPSIS QUIDEM ANIMUS IN AUXILIUM SUI DEFUIT.

Idem lib. I. pag. 18. 37. *Nec Tostoni in vindictam sui animus defuit.* ABR. GRONOV.

21. DUOS DE CONIURATIS INTERFICIUNT. Atqui hos non interfectos a Magis, sed tantum laesos scribit Herodotus III. 78. cuius quidem ob antiquitatem, haud paullo maior, quam Iustini auctoritas. Et patet ex sequentibus ibi deliberationibus, duos illos ex vulnere convaluisse. BERNEC. — Pro *interficiunt* videtur aliud quippiam legendum, quod modo vulneratos duos illos significet; quia non Herodotus tantum duos ex coniuratis modo laesos scribit, sed ipse quoque Noster in sequentibus non obscure significat, omnes septem coniuratos deliberasse, atque pactos inter se fuisse, qua ratione regnum ad unum ex ipsis perveniret. VORST. — Putat Vorstius, pro *interficiunt* aliud quid scribendum, cum Herodoto auctore fuerint tantum vulnerati. Verum non necesse est, ut Trogus secutus Herodotum solum credatur. Sed nec ex sequentibus patet, omnes septem deliberasse de regno, quod ait Vorstius. Dicuntur quidem omnes perduxisse equos, omnes convenisse, sed illos omnes fuisse septem numero, hoc non indicatur. Neque iuvant ista, *regnum Persarum septem nobilissimorum virorum virtute quaesitum:* fuerat enim omnium septem virtute quaesitum, licet per virtutem istam non omnes septem etiam in vita se potuerint servare. SCHEFF.

22. IPSI TAMEN CORRIPIUNTUR. Vincentius: *ipsi tandem.* ABR. GRONOV.

QUORUM ALTERUM GOBRYAS MEDIUM AMPLEXUS. Saxo lib. XV. pag. 367. init. *Arusiorum pontifex Sueno medium (regem) complexus.* ABR. GRONOV.

GOBRYAS. Valer. Max. III. 2. ext. 2. Paullo post *fortuna tamen ita regente*, malim *ictum regente.* Magophoniae meminit et Agathias lib. II. BONGARS. — *Ictum*, quod pro *ita* malebat Bongarsius, et in MS. Mediceo Romanaque edit. reperit Gronovius, etiam Dorv. 1. et 2. repraesentatur. Liv. XXVIII. 30. *Quum inter triremes*, fortuna regente (scil. illas), *anceps proelium misceretur* etc. WOPKENS. — Med. ed. Rom. *ictum regente:* quomodo ex coniectura legit Bongarsius. Curtius lib. VII. cap. 4. f. *hastam manu complexus; ictum hastia adiuvit.* Seneca Epist. 7. *Mira homicidia sunt, nihil habent, quo tegantur: ad ictum totis corporibus expositi, nunquam frustra manum mittunt.* ABR. GRONOV.

## CAP. X.

1. MAGNA QUIDEM GLORIA RECEPTI REGNI PRINCIPUM FUIT. MSS. nostri expresse habent: *Magna quidem gloria reciperati regni principum fuit.* quam lectionem veram praesto, non hic tantum, sed et V. 9. ubi item repono: *Omnes se Argos et Thebas contulere: ibi non solum tutum exilium egerunt, verum etiam spem reciperandae patriae receperunt.* Item apud Livium lib. V. *Ferro, non auro reciperari patriam iubet.* Sic enim et ibi reperias in

membranis. Quid autem sit *reciperare*, indicat his verbis Festus: *Reciperatio est, ut ait Gallius Aelius, cum inter populum, et reges, nationesque, et civitates peregrinas lex convenit, quomodo per reciperatores reddantur res, reciperenturque, resque privatas inter se persequantur.* MOD.

PRINCIPIUM. *Principium* dixit pro *principum*, ut ubique *civitatium*, *penatium*, *apium*, *paludium*, *sapientium*, antiquo Genitivo, quem et Pandectae Flor. et plerique libri vett. agnoscunt. *Hominium* dixit Sallust. Iugurth. 74. 2. *Neque illi res, neque consilium, aut quisquam hominium satis placebat.* Monuit flos delibatus litteratorum Scaliger. *Principium* pro *principum* scripsisse Licinium Tit. de Stupratoribus, docuit me doctor meus Iac. Cuiacius: *Et agreste illud ad priscis conditoribus robur fracta molliter plebe tenuatum, convicium seculi, vel conditorum inrogare, vel principium.* Leg. forte, *et agreste illud ab conditoribus robur.* Quod quum indicassem ingenioso et erudito amico meo Antonio Arnaldo, subiecit eadem sententia dixisse Horatium lib. III. Od. 6. vs. 37.

*Sed rusticorum mascula militum*
*Proles.*

BONGARS. — Bongarsius cum suis MSS., quibus etiam consonant Dorv. 2. et Franeq. noster, legebat *principium*, quomodo si veraces codices sint, *civitatium* quoque pro *civitatum*, aliquoties Noster scripsit. Et hanc genitivi pluralis formam cum aliis probat Burmannus ad Quinctil. Declam. XI. 2. Melius tamen supra cap. I. 2. et alibi *principum* legitur. WOPKENS.

CUM DE REGNO AMBIGERENT. Livius XXI. 31. *Regni certamine ambigere.* Terentius Heaut. III. 1. 93. *Vicini nostri hic ambigunt de finibus.* Festus in v. *Silvii.* *Quum inter eos de regno ambigeretur.* GRONOV.

CONCORDARE. Nam alias natura *insociabile regnum.* Tacit. Annal. XIII. 17. *Nec regna socium ferre, nec taedae sciunt.* Seneca in Agamemn. V. 259. BERNEC.

2. VIRTUTE ET NOBILITATE etc. Hinc intelligitur, quid sibi velint ista Valerii Maximi VII. 3. ext. 2. *Darius sex adiutoribus eiusdem dignitatis assumtis* etc. qui locus a V. Cl. Casp. Gevartio Elect. I. 1. optime restitutus explicatusque, crucem doctis fixit hactenus. IDEM. — Ed. Ienson. Rom. Bechar. Flor. Ald. Iunt. aliaeque, *erant enim et virtute.* ABR. GRONOV.

4. PACTIQUE INTER SE etc. Herodotus explicatius III. 84. et seqq. BERNEC.

INTER SOLIS ORTUM. Antiquiores editiones habent *ante solis ortum.* Herodotus, ἡλίου ἐπανατέλλοντος, et ἅμα τῷ ἡλίῳ ἀνιέντι. quibus magis congruit *inter solis ortum*, quod ex MSS. hausit Bongarsius, quam alterum illud. Nam *inter ortum solis* nihil aliud est quam dum sol oritur. VORST.

5. SOLEM PERSAE UNUM DEUM ESSE etc. Ne, ut ait Ovidius alicubi, *pudat celeri victima tarda Deo.* *Ratio enim victimarum*

(quemadmodum scribit ad Virgilium Servius, ibi: *meritos aris mactavit honores*) *fit pro qualitate numinum. nam aut hae immolantur, quae obsunt eorum muneribus, ut porcus Cereri, quia obest frugibus, hircus Libero, quia vitibus nocet; aut certe ad similitudinem, ut Inferis nigras pecudes, Superis albas* etc. Porro huius Dei antistes femina erat, cui pudicitia perpetua servanda erat. ipse Iust. X. 2. *Ut honeste negaret* (Artaxerxes rex Persarum, puta) *quod temere promiserat, Solis eam* (Aspasiam) *sacerdotio praefecit, quo perpetua illi ab omnibus viris pudicitia imperabatur.* nominabant autem *Mithren* sive *Mithram.* Lutatius Grammaticus ad illud Statii,

*Indignata sequi torquentem cornua Mithram.*

*Sol*, inquit, *apud Achemaenios Titan, apud Assyrios Osiris, apud Persas, ubi in antro colitur, Mithra vocatur.* Unde intelligere licet istum Claudiani locum:

*Et vaga testatur viventem sidera Mithram.*

itemque alium Scriptoris nondum editi de vita Alexandri Magni: *Persis tamen multa contentio erat cupientibus regem* (Alexandrum) *in regno Persico sepelire, proque Deo Mithra religionibus consecrare.* Strabo lib. XV. *Τιμῶσι* (*Πέρσαι*) *δὲ καὶ ἥλιον, ὃν καλοῦσι Μίθραν.* qui tamen idem Strabo, quod ipse sibi contrarius, per oblivionem indubie, ut et elegantissimus Lipsius censet, eodem XV. libro scriptum reliquit: *ὄνον τε θύουσι τῷ Ἄρει, ὃν Πέρσαι σέβονται θεῶν μόνον.* in causa fuit, cur temerarii quidam et praeposteri emendatores apud Curtium quoque nostrum V. 13. etiam cum plausu imae caveae reponerent: *Ipse* (Darius) *cum ducibus propinquisque agmina in armis stantium circuibat, Solem, Martem, sacrumque et aeternum invocans ignem, ut illis dignam vetere gloria, maiorumque monimentis fortitudinem inspirarent.* ubi *Solem Mithrem* legendum ad eundem Curtium ante annos septem, octo docui. nunc eo revertor, ut equum Soli Persas immolare solitos adfirmem: sicut praeter allegatos iam etiam Xenophon attestatur, cum lib. IV. *περὶ Κύρου Ἀναβάσ.* *Καὶ ἵππον ὃν εἰλήφει παλαιότερον, δίδωσι* (*Ξενοφῶν*) *τῷ κωμάρχῃ ἀναθρέψαντι καταθῦσαι, ὅτι ἤκουσεν αὐτὸν ἱερὸν εἶναι τοῦ ἡλίου, δεδιὼς μὴ ἀποθάνῃ.* tum lib. VIII. *Κύρου Παιδ.* *Πρῶτον μὲν ἤγοντο τῷ Διὶ ταῦροι πάγκαλοι εἰς τέσσαρας· μετὰ δὲ τούτους ἵπποι ἤγοντο θῦμα τῷ ἡλίῳ.* atque hunc Persarum morem observasse etiam Massagetas auctor est Strabo lib. XI. ubi ait *θεὸν δὲ ἥλιον μόνον ἡγοῦνται, τούτῳ δὲ ἱπποθυτοῦσι.* Contra vero Romanus equus victima quidem fuit, sed non Soli, verum originis suae, ut volebant, auctori Marti sacra. *Quod*, ut ait Festus, *per eius effigiem Troiani capti sint: vel quod eo genere animalis Mars delectari putaretur.* Sed nimius hic sum: nisi quod volui stabilire, quae olim recte a me ad Curtium notata, temere, ut levissime dicam, a sciolis quibusdam reprehensa, et ut parum certae fidei in disquisitionem revocata sunt. nunc pergo agere, quod ago. Mod. — Hoc ipsum Strabo lib. XV. pag. 503. Macrobius I. 6. et alii confirmant. At idem Strabo sub fin. lib. XV. Martem unum

Persas deum colere tradit: et Curtius IV. 13. 17. Martem a Dario facit invocatum. Sed Strabonem sui ipsius oblitum erroris arcessit Lipsius Not. XCVIII. ad Tacit. VI. Annal. Curtio veterem, hoc est, suam lectionem restituit Modius, pro *Martem* scilicet *Mithren* seu *Mithram* legendo. Sic enim Persas Solem appellare solitos, ex eodem Strabone, Suida, et pluribus notum est. Huius dei antistitem, perpetuae pudicitiae feminam fuisse, patet ex auctore X. 2. 2. Bernec. — Freinshemius ad Curtium lib. III. cap. 3. legit *unum Deum*, sive unum ex Diis. Abr. Gronov.

Et equos etc. Ita Xenophon Cyropaed. VIII. 219. D. et Anabas. IV. 333. B. Pausanias in Laconicis III. 201. 14. Rationem reddit Ovid. I. Fastor.

*Placat equo Persis radiis Hyperiona cinctum:*
*Ne detur celeri victima tarda Deo.*

Quomodo et Herodotus lib. I. extr. Massagetas ait, equos ideo Soli mactasse, *quod deorum pernicissimo, e quadrupedibus omnibus pernicissimum conveniret.* At Romanis equus non Soli victima, sed Marti, *quod per eius effigiem Troiani capti sint*, vel *quod eo genere animalis Mars delectari putaretur.* Festus in *Equus*. idem de Mysis Florus IV. 12. 17. add. Pontani Progymn. IV. 76. Bernec.

6. Darius Hystaspis filius. Non male in Dorv. 2. et aliis est *Hystaspi*, ut *Candauli* pro *Candaulis* supra cap. VII. ubi vide Interpp. Wopkens.

8. Darii equus. Unde postea Darium in sigillo habuisse sculptum equum, per quem hinnitum edentem Rex factus fuerat, a Scholiaste Thucydidis est notatum. Bernec.

9. Ut confestim equis desilierint, et Darium regem salutaverint. De hocce honoris ritu adi praeclarissimum Dorvillium in Chariton. pag. 448. Wopkens.

Salutaverint. Med. ed. Bech. Ven. Flor. Mediol. Paris. Ald. Iunt. *salutarint.* Abr. Gronov.

11. Nobilissimorum virorum virtute quaesitum. Vox antepenultima desideratur in Med. Bodl. Coll. N. ed. Bech. Ven. Flor. Med. Paris. Ald. Iunt. Abr. Gronov.

12. Tanta patientia cessisse eo, quod. Bongarsius edidit, *cessisse eos, quod.* Sed praetuli lectionem, quam idem in variantibus e MS. monstrat. Scilicet hoc erat incredibile, proceres illos regno, quod suae quisque vitae periculo Magis eripuerat, aequo animo uni Dario cessisse. *Cedere alicui regno*, dicit auctor etiam XXIX. 2. 6. et *cedere regnum* X. 2. 3. Freinshemius ita mallet: *cessisse eo, ob quod.* Vide et Acidal. in Velleium pag. 244. Bernec. — Berneccerus auctoritate unius codicis, quem vidit Bongarsius, scripsit *eo*; cum alii tum typis expressi, tum MSS. haberent *eos.* scilicet verbo *cedere* adiiciendum putavit casum sextum rei, qua illi cesserint. Verum reputandum erat, casum quartum personae abesse itidem non posse. Ego quidem facilius concoxero, si casus sextus aut quartus rei absit, quam si casus quartus personae. casus enim

sextus aut quartus pronominis quo res notetur commode subaudiri potest, quoniam pronomen relativum quod sequitur. Plena locutio foret, *tanta patientia cessisse eos illud* vel *illo*, *quod.* dicitur enim utrumque, *cedere aliquid* et *cedere aliquo.* Iam frequens plane est ante pronomen relativum omitti, subaudiendumque relinqui pronomen demonstrativum. Nepos II. 9. 1. *Quod aetate proximus erat*, *qui illorum temporum historiam reliquerunt.* ubi ante *qui* subaudiendum est *illis.* Idem X. 9. 5. *Miseranda vita*, *qui se metui malunt.* ubi ante *qui* subaud. *eorum.* Vorst. — Freinshemius emendabat, *ob quod*, *ut eriperent* etc. Sed satis bene illud *quod* hic regitur a verbo *eriperent.* Ut Lactantius Epist. cap. LIII. *Non est utique beneficium*, quod *quis ne* accipiat, *etiam mori vult.* Vellei. Paterc. II. 115. Quae *si propriis* gessissent *auspiciis*, *triumphare debuerat.* ubi immerito quoque tentari *ob quae* vidimus. Confer quae ad lib. IX. 8. et saepius alibi, de scopulo hoc criticis infesto, adnotavimus. *Cessisse eos*, non *c. eo*, etiam tres Dorv. habent. Wopkens. — Med. Magl. cum septem aliis et ed. Rom. Bechar. Ven. Flor. Med. Paris. Ald. Iunt. *eos*, *quod*, probante Vorstio. Abr. Gronov.

13. Quanquam praeter formam . . . hoc imperio dignam. Delendam esse arbitror particulam istam *hoc;* debet enim esse enuntiatum universum de quovis imperio, non de uno aliquo; cum praesertim facile appareat Iustinum sese cogitatione referre ad decantatissimum illum Euripidis locum, in quo *gravis* et plena dignitatis forma dicitur *digna imperio* seu *tyrannide.* Faber.

14. Cyri regis filiam etc. Atqui duas Cyri filias *Atossam* et *Artystonam*, nec non *Parmyn* Smerdis, et *Phaedymam* Otanis filiam Darium duxisse refert Herodotus III. 88. Sed harum princeps fuit *Artystona* Dario maxime adamata, cuius etiam imaginem ex auro solido compactam habuit. Herodot. VII. 69. An forte rescribendum hoc loco *filias?* Bernec. — Vox *regis* est a mala manu, nec MSS. Codd. Bongarsii illam agnoscunt, uti nec duo Vossiani Codd. Gronov.

Regalibus nuptiis. Sic infra XIII. 6. 4. et Tacit. Agric. 6. *Matrimonium cum orta splendidis natalibus*, *ad maiora nitenti decus ac robur fuit.* Hoc spectans et Lycus apud Senec. Herc. Furent. V. 345. *Una sed nostras potest Fundare vires*, *iuncta regali face Thalamisque Megara*, *ducet e genere inclyto Novitas colorem nostra.* Debeo locum hunc indicio Nob. Alb. Sebisii, cuius sublime iudicium, et meliorum autorum accurata lectio saepe hic nobis subsidio fuere. Ita apud Appianum 435. d. Cato vociferatur *imperia parari nuptiarum lenociniis.* Bernec.

15. Zophyrus. Graecis Herod. lib. III. Plutarch. Apoph. *Zopyrus*, π in φ. ut III. 4. *Palanthus*, qui aliter est *Phalanthus*, et in Prologis *Poeni*, *Phoeni* dicuntur. sunt autem a Phoenicibus. Bongars.

Zopyrus. Sic enim Herodotus III. 158. et seqq. Plutarchus

Apoph. Reg. cap. 3. et alii id nomen scribunt *Ζώπυρος*, Bongarsius nec male *Zophyrus* e MSS. expressit. Affines enim literae sunt *π* et *φ*, saepeque mutantur invicem: ut *tropaeum* et *trophaeum*. Sic III. 4. 12. *Palanthus*, qui aliis est *Phalanthus*. Ceterum huic facinori non absimile quid habet Florus l. 7. 6. Bernec. — Coll. N. ed. Ienson. Bechar. Ald. Iunt. *Zopyrus nomine*. Rom. *unus* (leg. *unius*) *de interfectoribus Magorum*, *Megabyxi filius*, *Zopyrus nomine*. Apposite. Herodotus lib. III. cap. 153. *Ἐνθαῦτα, εἰκοστῷ μηνὶ, Ζωπύρῳ τῷ Μεγαβύζου τοῦ, ὃς τῶν ἑπτὰ ἀνδρῶν ἐγένετο τῶν τὸν Μάγον κατελόντων, τούτῳ τῷ Μεγαβύζου παιδὶ Ζωπύρῳ ἐγένετο τέρας τόδε.* Abr. Gronov.

Labia sibi praecidi. Coll. N. *praescidi*. Med. *praecidit*. Herodotus lib. eod. cap. 154. *Ἐνθαῦτα ἐν ἐλαφρῷ ποιησάμενος, ἑωϋτὸν λωβᾶται λώβην ἀνήκεστον· ἀποταμὼν γὰρ ἑωϋτοῦ τὴν ῥῖνα καὶ τὰ ὦτα, καὶ τὴν κόμην κακῶς περικείρας, καὶ μαστιγώσας, ἦλθε παρὰ Δαρεῖον.* et cap. 155. *οὔτέ τις ἀλλοτρίων, ὦ βασιλεῦ, τάδε ἔργασται, ἀλλ' αὐτὸς ἐγὼ ἐμεωϋτόν.* Abr. Gronov.

Regi inopinanti se offert. MS. Bongars. sec. quint. Leid. *inopinato*. Abr. Gronov.

16. Transfugae titulo Babyloniam proficiscitur. Saxo lib. II. pag. 22. init. *transfugae titulo oppidum petit*. lib. V. pag. 88. 50. *Frothonem transfugae titulo petens*. et lib. XIV. pag. 252. 45. *transfugae titulo Olavum petivit*. Ed. Ald. Iunt. *Babylonem*. nec aliter paullo ante. Abr. Gronov.

17. In regni petitione. Ita unus etiam ex MSS. nostris: alii aut *sortione*, aut *sortitione*, pro *petitione* habent. adeo ut omnino legendum putem: *in regni sortitione*. maxime cum et ante dixerit: *Ipsi igitur viam invenerunt*, *qua de se iudicium religioni et fortunae committerent* etc. Mod. — Ita MSS. fatente et Modio, qui tamen *sortitione* legendum contendit; maxime cum praeced. n. 3. dicat auctor: *Ipsi igitur viam invenerunt*, *qua de se iudicium religioni et fortunae committerent*. Verum hoc ipsum Zopyrus queri se simulat, in regni petitione non virtuti et iudicio hominum, sed auspicio sortique fuisse locum. Ad haec si valeat emendatio Modii, sequetur sortitionem aliquam virtute et hominum iudicio regi. quod contra est. *Sors deerat ad parum idoneos*, ait Tacit. Annal. XIII. 29. *Sorte et urna mores non discernuntur*. idem Histor. IV. 7. Quidam impressi *portione* legunt, pro quo Sichardus in Edit. Basil. *partitione* mallet, contra mentem auctoris et competitorum regni. Bernec. — Quidam impressi habent *portioni*. Forsan olim per compendium fuit scriptum *postione*, pro *postulatione*; et videri debet, quidnam vere sit Iustini, hoc, an quod nunc legitur, *petitione*. Nam alterutrum est glossatoris, et si meum interponere iudicium debeo, id ipsum, quod in textu hodie comparet. Scheff. — Mirum qui hoc viro docto potuerit in mentem venire. *Petere regnum*, *magistratum*, Latinis dicuntur qui illa ambiunt. Sed quis unquam audivit candidatos *postulare* aut *flagitare* magistratus?

Recte Cic. Philipp. II. scribit petere consulatum in laude poni, *rogare* vero in vitio. Si *rogare* in vitio ponitur, quid de *postulare* existimandum sit, omnes intelligunt. Graev.

A quo in regni petitione .... superatus sit. Saxo lib. XIII. pag. 243. 24. *a quo se in regni petitione superatum videbat.* Abr. Gronov.

18. Quid hostibus cavendum sit. Ed. Ald. Iunt. *quid ab hostibus.* Abr. Gronov.

19. Hortatur ne moenibus magis quam armis confidant. *Ne* est in antiquioribus editionibus Becharii, Maioris, Sichardi: quomodo Terentius in Hecyra: *Hortor ne cuiusquam misereas.* Bongarsius tamen maluit *non*, subaudito ante illud *ut.* Vorst. — Iuntina quoque *ne* prae se fert. Graev.

21. Consulto. Manuscripti habent *ex consulto*, quod praefero vulgatis, quia solet addere praepositionem Noster, quam omittunt alii: quod et supra notavi. Scheff. — *Ex consulto* quatuor nostri MSS. referunt cum his, ex quibus ita rescribendum videbatur Scheffero. Est tamen hoc singulare. Wopkens. — Reg. *ex consilio.* Reliqui MSS. et vetustae editiones, *ex consulto.* Auctor ad Herennium lib. II. cap. 30. *Sextus locus est, cum ostendamus ex consulto factum.* Saxo lib. XIV. pag. 268. 9. *equites deorsum in globum contracti prius ex consulto veluti terga vertebant.* pag. 311. 4. *Danis ex consulto cedentibus.* et pag. 340. 26. *nec prius ab ea divertere, quam classis hostica se ipsam ex consulto praedicti sinus angustiis infudisset.* lib. XV. pag. 362. 21. *quibus eadem* (loca) *accedentibus ex consulto cedebat.* Abr. Gronov.

22. At postremo. Al. Ed. *ac postremo.* Utrumque minus belle. Legerem, *ad postremum*, ut saepe alibi. Faber. — Ex Iuntina recepi *ad postremum*, quod Oxoniensibus placuit ex MS. et Tanaquillo Fabro ex coniectura. Graev.

Exercitum Dario prodit. Similem proditionem, vel geminam potius, ipse Darius in Sacas movens, passus est a Risace equisone quodam Saca, referente Polyaeno VII. Strateg. pag. 491. Bernec.

23. Quod sequenti volumine referetur. Quidam habent *refertur*, alii *referam.* Quae varietas lectionis facit, ut paene credam, esse hanc appendicem non Iustini, sed alterius cuiuscunque; cum praesertim nihil simile occurrat ceteris in libris. Scheff.

IN

IUSTINI PRAEFATIONEM ET LIBRI PRIMI CAPUT PRIMUM

# EXERCITATIONES II.

SUB PRAESIDIO

HERMANNI CONRINGII

PUBLICE EXAMINANDAS PROPONIT

CASPAR SAGITTARIUS

---

HELMESTADI A. CIↃIↃCLXV.

---

Eruditum Iusti Lipsii de Iustino historico habemus iudicium. *Iustinum*, inquit, *lege*, *velut variarum rerum*, *gentium*, *temporum compendium*. In quam sententiam, utpote a magno et harum litterarum scientissimo viro profectam, cum accuratius paulo inquirerem, illam quidem vero quam maxime consentaneam, verumtamen pro dignitate huius scriptoris quodammodo inferiorem deprehendi. Praeter enim illam gentium, temporum et rerum, quam sane magnam in ipse novimus, varietatem, cur summam auctoris prudentiam exprimere Lipsius noluerit, nondum plane video. Ut enim, quod res est, dicam, nullum sane librum, imo nullum fere (ceu appellamus) caput esse censeo, ex quo non possimus egregia documenta capere, quid de ipsius prudentia sit exspectandum atque iudicandum. Argutam et acutam Taciti eloquentiam iure alii commendant maxime, dignamque et magnatum palatiis et aulicorum museis iudicant. Sallustii historiam, tanquam principe, imo Christiano homine lectu dignissimam nocturna diurnaque manu Henricum filium versari cupiebat magnus rex Britanniae Iacobus. Lectissimis Curtii floribus Alfonsus, dulcissimis Livii mellibus Ferdinandus Arragoniae Reges restitutam debent valetudinem. C. Caesaris commentaria summis alii extollunt laudibus.

Mihi certe, salvis aliorum sententiis, salva item Taciti et reliquorum excellentia, Iustinus placet. Hunc lego, hunc diligo, hunc excerpo, hunc praedico, et si fas est, meum appellare soleo. Neque me ab illius lectione, minus accurata temporum supputatio, nec styli, quem nonnunquam prae se ferre videtur, languor, deterrent. Nisi enim omnia me fallunt, illa, et si quae sunt alia, maioribus subinde compensare solet dotibus. Quod vero in Iudaicis turpiter adeo se dederit, haud equidem ferendum: aliqua tamen ex parte illorum temporum conditioni adscribendum esse censeo.

Huius igitur Iustini pleraque, inprimis autem quae ab aliis praetermissa, si Deus Opt. Max. vitam, vires, otium et patronos

indulserit, ad prudentiam civilem tamquam ad Lydium lapidem recensere, eiusdemque tam praecepta quam exempla aliorum scriptorum beneficio illustrare decrevi. Quod dum facio, veniam ab aequis humanitatis censoribus spero, si nonnunquam in amoenissima philologiae vireta diverto, ac ibidem nitidos quosque et fragrantes flosculos excerpendo, iusto diutius exspatior. Sunt enim haec studia, sic censente Quinctiliano, at quanto viro! eiusmodi, ut non modo puerilia ingenia acuere, sed altissimam quoque eruditionem et scientiam exercere possint. Quodsi vero aliam huius rei rationem in praesenti afferre non valerem, affatim me virorum clarissimorum et praeceptorum meorum tuebitur auctoritas: quorum sub umbone, securus a malignis Zoilorum iudiciis delitesco, et quod semel sum ingressus stadium, Deo feliciter annuente, pro virili decurrere studeo. At enim, Lector Benivole, quaedam minus perfecta, quaedam minus commode dicta, nonnulla fortassis superflua reperies, et in aliis iudicium, in quibusdam ingenium desiderabis. Fateor equidem et agnosco. Tu vero et aetatem iuvenilem, et quam humani nihil a me alienum fuerit, agnosce; et cum aeque ac ipse homo sis, humanitatis tuae memor esto.

Prius autem, quam ipsi operi me accingam, non possum quin *Ludovici Vivis*, viri longe eruditissimi et ad veterum gloriam proxime accedentis, digna cedro verba ex praefatione ad Augustinum de C. D. hic proponam, et cum mea non sint, exemplo tamen mea faciam: *Non id ego dixerim, quod aegre feram me vel admoneri, vel etiam reprehendi. Deus meliorem mentem! Imo debere me multum profitebor potiora suggerenti et reprehendenti docte. Nam et me ipsum non pigebit mutare sententiam, si vel studium, vel aetas docuerit meliora.*

1. Quum multi ex Romanis res Romanas Graeco etc. Qui res Romanas Graeco sermone conscripserunt, fuere olim plurimi, et inter eos Q. Fabius et L. Cincius Alimentus a Dionysio Halicarnass. lib. I. Antiquit. Rom. laudati. Quorum alterum T. Livius lib. XXI. maximum auctorem appellat. At vero ingentem Quiritum numerum, qui historiam suae gentis Graeco sermone adornarunt, apud virum seculorum memoria dignissimum, cui divinae et humanae litteraturae principatum minime dubito tribuere, Gerh. Ioh. Vossium in opere de Graecis et Latinis historicis, studiosus harum litterarum lector reperiet. Neque enim vel illius vel aliorum scrinia compilare aveo. Caussa autem huius propositi praeter reliquas, forsan et illa fuit, quod Latina suis tantum terminis atque iis exiguis continerentur, Graeca vero in omnibus gentibus legerentur, ceu ipse Tullius, Graeci sermonis callentissimus, in orat. pro Archia poeta testatur.

Peregrinoque sermone. Vel ex hoc auctoris loco liquido apparet, Romanos iam olim peregrinarum linguarum cognitionem sibi comparasse. Horum vestigiis et nos insistamus sedulo. Quantum enim haec ipsa linguarum cognitio tum ad exquisitiorem rerum omnium notitiam, tum ad vitam civilem felicius degendam faciat,

rectius illi noverunt, qui in iis addiscendis non sine maximo emolumento, studium operamque suam collocarunt. Neque tamen id infimi tantum subsellii virorum est; sed ut quondam consularis etiam dignitatis in usu fuit, ita invictos Europae Imperatores id laudi sibi duxisse accepimus. Unum illud memorabile est, quod de Carolo V. Imp. scribunt, huic Gallicanae dialecti Venerem salivam adeo movisse, ut Thucydidem gravissimum Graeciae scriptorem suo Marte in linguam Gallicam conversum assiduo legerit, ac perlectam certae historiae periodum cum purpuratis suis saepius communicaverit, eorumque sententiam et de dictione et de rebus ipsis poposcerit. Magnus ille Suecorum Hercules Gustavus Adolfus singulis legatis nunc his Italice, illis modo Gallice responsa dabat. Sexum foemininum rerum gestarum amplitudine longissime superans Elisabetha, Britanniae Regina, Latinam, Gallicam, Italicam et Hispanicam linguas non tantum ad amussim intelligebat, sed et expedite loquebatur et erudite scribebat. De Gustavo Seleno vere Augusto, quantum ille in hoc doctrinae genere, ut in infinitis aliis, polleat, melius est tacere, quam pauca dicere. Neque frustra est, quod in aurea bulla Caroli IV. diserte cautum, ut filii Electorum Principum a primis statim annis Latinam, Italicam et Illyricam linguas addiscant. Turpe enim, inquit Camerarius Oper. Subcis. Cent. III. cap. 65., habitum fuit et indecorum, proceres et veluti columnas imperii cum Regibus et Principibus externis eorumve legatis ore tantum alieno colloqui, ipsos autem nutu et signis duntaxat quae velint indicare. Ut autem ille peregrinarum linguarum usus alibi atque alibi diversus esse solet, ita pro cuiusque loci ratione aliae atque aliae addiscendae fuerint, ceu gravissime monet ὁ θαυμάσιος noster Conringius de Civili Prudentia cap. XIII. pag. 296. Hodie prae ceteris principatum obtinet Gallica, de qua si vera essent, quae Scioppius tradit Consultatione II. de scholarum et studiorum ratione, rariores forte inveniret seu sectatores seu admiratores. Utut autem illi iniquum forsan censorem egerit, placet tamen eius verba proponere: *De Gallica lingua quod moneam non habeo, cum animum, ut eam addiscerem, nunquam inducere potuerim. Nescio enim quomodo semper fui suspicatus, eiusdem hominis esse aliter loqui quam scribat, et aliter sentire quam loquatur. In qua quidem suspicione non parum me confirmavit, quod ex magno eorum numero, qui in Galliis fuerunt et linguam illam egregie didicisse visi sunt, neminem adhuc cognovi, qui melior, quam illuc profectus fuerat, in Germaniam reverterit. Plerosque omnes, si minus ab honestate animique integritate, a Germanica quidem certe gravitate et maturitate, plurimum descivisse et animos regulis quibusdam sive maximis, statui Rom. Imperii infestissimis, imbutos retulisse, multi boni atque intelligentes viri non minimo cum dolore compererunt.*

Sive aemulatione gloriae. Ita profecto est, Iustine! Fit enim plerumque, ut haec ipsa gloriae aemulatio excitet scriptoris ingenium et industriam. *Firmiores*, ait Quinctilianus Instit. Orat. lib. I. cap. 2.,

*in litteris profectus alit aemulatio*, tantasque vires habet, ut vel inertem ad laborem excitare valeat. Ἧτε καὶ ἀπάλαμνόν περ ὁμῶς ἐπὶ ἔργον ἐγείρει. iuxta Hesiod. lib. I. Opp. et Dier. v. 20. Neque minorem propterea laudem magnarum rerum aemuli, quam ipsi merentur auctores: ceu recte censet Mamertinus in Panegyrico cap. 8. Atque in eo ipso ab invidia differt aemulatio: ut enim illa in malitiosas ac perversas mentes cadit, ita haec ipsa bonas excitare solet. Praeclare post philosophum, quem vide Rhetoricor. II. cap. XI. incis. 3., Philostratus epist. XIII. φθόνος τρέφει τὰς μοχθηρὰς φύσεις, φιλοτιμία δὲ τὰς λαμπρὰς ἐγείρει. Videndum tamen, ne haec aemulatio, in invidiam, quod plerumque fieri solet, degeneret. Nimis enim vera sunt Macrobii lib. I. in Somn. Scip. cap. X. *Aemulatio primum bene incipiens, in invidiam latenter cadit*. Et Manuelis Palaeologi praecepto XXIII. Educat. Regiae: γεννᾷ φθόνος τὸν δόλον, καὶ συκοφαντίαν, καὶ μῖσος, αὐτὸς τῷ ζήλῳ γενόμενος. Gignit invidia fraudem et odium, quum ipsa procreetur ab aemulatione.

Et novitate operis delectatus. Nimirum et illa ad alliciendos hominum animos plurimum valet. Quod non latuit, quem nihil pene latuit, quod humanae menti est pervium, Aristotelem, qui lib. X. Ethic. cap. IV. Ἔνια δὲ τέρπει καινὰ ὄντα. Ovidii notissima sunt e lib. III. de Ponto el. 4. *Est quoque cunctarum novitas gratissima rerum*.

Rem magni corporis adgressus. Hoc de σωματοποιΐᾳ operis, non de robore corporis accipiendum esse, iam ante monuerunt alii. Ceterum *corporis* vocem etiam librum denotare ex Cicerone observat Gifanius. Quo refero illud Tullii lib. V. ep. ad fam. *A principio coniurationis usque ad reditum nostrum videtur mihi modicum quoddam corpus confici posse*. Etymon *corporis* prolixe exponit Camerarius Decur. V. Prob. 2. cui sua debet Cl. Dilherrus Disp. Phil. tom. I. 12.

2. Herculea audacia. Proverbialis est locutio in vulgus nota; de qua magnus Erasmus in Adag. Chil. I. Cent. VII. 41. et III. Cent. II. Quae quidem attente si legeris, mitius profecto de Herculeis summi viri laboribus iudicabis, quam solet delicatus ille censor Philippus Caroli, qui nunquam non illud ἡ μεγάλη βίβλος τὸ μέγα κακόν, ad nauseam eructat. At heus bone Philippe, cum nemo te novisset, vel maximi Reges et Principes divinum Erasmi ingenium, incredibilem et multiplicem viri lectionem, cum pari industria et dexteritate coniunctam, non agnoverunt modo, verum etiam admirati sunt. Ut vere de eo Fridericus Nausea in Monodia ad Ferdinandum Rom. Regem dixerit, dum illum vocat unicum et longe maximum non solum nostrae Germaniae, sed totius orbis ornamentum et decus, et inauditum pene omnibus seculis miraculum. Notum porro de ipso adagiorum opere Alciati ICtorum et Criticorum suo seculo principis indicium, qui id locupletissimum et immortalitate dignum censet, de V. S. lib. IV. n. 3. Apposite de ipso Roterodamo Glareanus

ad Horat. „Erasmus ad hoc natus est, ut errores ex optimorum „auctorum libris tolleret, quemadmodum monstra ex mundo Hercules.“ Equidem sic sentio, illum qui Erasmum non norit, aut stupendum viri ingenium, eruditionis varietatem et excellentiam non admiretur, aut saltim non magni faciendam censeat, aut hospitem esse in litteris, aut arrogantiae titulo nimis suspectum. Neque etiam video, quid in Carolinis scriptis, si paucissima excipias, novum reperiatur, quodque non iamdudum ab aliis occupatum fuerit, nisi quod aliorum observationes exquisitis verborum lenociniis incrustare, eademque fercula aliis modo condimentis inferre soleat.

Nam cum plerisque auctoribus etc. Trogi laborem, argumento a minori, quod vocant, commendat Iustinus: Si illa enim opera, inquit, qua singulorum Regum vel populorum gesta conscripserunt, aliis auctoribus ardua videtur; multo magis ardua Pompeii cura censeri debet, quippe cuius libri omnium seculorum, rerum, nationum, populorumque res gestas complectantur. Nec a difficultate tantum depraedicare poterat, verum etiam ab insigni utilitate. Plus enim iuvare potest talis historia, quae circa res omnes exacte tradendas, quam quae circa unum aliquod seu nonnulla duntaxat occupetur, uti vere loquitur ὁ πάνυ Conringius de Civil. Prudent. cap. XIV. pag. 303. Quantae autem molis, quantae industriae, quanti demum iudicii sit universalem aliquam historiam omnibusque numeris absolutam condere, vix quisquam, opinor, pro dignitate explicabit. Caussas huius rei aliquas cognoscere qui cupit, adeat Diodor. Siculum lib. IV. cap. 1. Ciceron. ad Luccei. lib. V. epist. 12. Plinium lib. V. epist. 8.

3. Inter se segregati etc. Mire hic variant scripti codd. aliis *certatim*, aliis *gregatim* habentibus. Verum tamen, si quid video, retineri potest vulgata lectio. Neque est quod quemquam illa παρήχησις moveat, quam a veteribus, Plauto, Terentio, ipsoque adeo eloquentiae parenti Tullio saepius adfectatam novimus, et exemplis erudite evincit summus et philologus et philosophus Michael Piccartus Periculor. Criticor. cap. V. Scaliger lib. II. Poet. cap. 3. Muretus Var. Lect. lib. I. cap. 15.

4. Cognitione quaeque dignissima excerpsi. Quicunque rectam in omni litterarum genere viam insistere, et veros demum studiorum fructus percipere cupit, is optima quaeque et cognitione dignissima sedulo excerpat, excerpta in libros huic usui destinatos studiose referat, relata diligenter relegat; ut relecta denique, donec aetas, tempus et conditio ita ferant, apte expromere et in usum convertere possit. Cum enim usque adeo sit labilis hominum memoria, ut omnia retinere divinitatis potius, quam mortalitatis sit, ceu Imp. Iustinianus alicubi loquitur; tanta quoque omnis generis scriptorum multitudo reperiatur; tanta rerum in illis varietas exprimatur: tum necessitas summa, tum utilitas studiorum longe maxima requirit, ut ad excerpendi subsidium, tamquam ad sacram quandam ancoram confugiamus, et quaecunque ad institutum nostrum facere

videatur, cum cura annotemus. Sic Graeci olim ἐκλογὰς, χρηστομαθείας et σημειώσεις in promtu habebant, de quibus ad Hesiodum Heinsius, ad Athenaeum Casaubonus quaedam observarunt. Plinius Caecilius de avunculo suo ita scribit lib. III. ep. 5. *Nihil unquam legit, quod non excerperet.* Quum vero id paucissimis datum, imo non ex re sit omnium, satis erit, si ad exemplum auctoris nostri, omissis his, quae nec cognoscendi voluptate iucunda nec exemplo videntur necessaria, digna cognitione excerpamus. Idem etiam inculcant illi, qui de his excerptis, quae locos communes vulgo appellare solemus, peculiari opera commentati sunt, quos inter Thomas Sagittarius, patruus meus largiori vita dignissimus, Hieremias Drexelius, vir multae lectionis et industriae stupendae, et Ioh. Petrus Titius, Profess. Gedan. celeberrimus, cuius Manuductionis ad excerpendum pars I. quid de reliquis sperandum, tamquam ex ungue leonem arguit. Nec protrita sunt, quae affert illustre nunc Sueciae decus Ioh. Schefferus libro aureo de Stylo variisque Styli exercitiis ad veterum consuetud. cap. X. Cui quidem Viro Cl. ut ea, quae partim iam affecta, partim in animo habet, cum erudito orbe communicare queat, vitam longam, valetudinem firmam, quietem placidam, prosperos successus ex animo vovemus. Sed de re ipsa iuvat audire Drexelium: „Selecta et notatu digna excerpe. Nec enim omnia in „notas trahenda. Quod obvium, quotidianum, protritum, millies de„cantatum est, sine damno transiri potest.“ Part. I. Aurifod. cap. II. Nec abit Titius: „Nobis illorum probatur iudicii aequitas, qui viam „ingressi mediam, nec nihil, nec omnia, sed quaedam, eaque se„lectiora usuique futura, notanda et colligenda esse existimant.“ Illos, qui hac in parte nimii, et obvium quicquid in excerpta rapiunt, perstringens Gellius: „Graeci maxime, inquit, multa et varia lecti„tantes, in quas res cunque inciderent, alba, ut dicitur, linea, sine „cura *discriminis*, solam copiam sectati, convertebant, quibus in le„gendis ante animus senio aut taedio languebit, quam unum alterum„ve repererit, quod sit aut voluptati legere, aut cultui legisse, aut „usui meminisse.“ Fin. Noct. Attic.

Omissis his, quae nec cognoscendi voluptate iucunda nec exemplo erant necessaria. Tacite h. l. auctor noster et quasi aliud agens duo praecipua historiae adiuncta, iucunditatem videlicet atque utilitatem exprimit, quorum alterum nunc quidem secundarium, hoc primarium, salva secus sentientium auctoritate appellabimus. Utrumque coniungit Aristobulus Michaelis Apostoli filius epist. quadam: οὐ μετ' οὐ πολὺ δὲ καὶ τὴν Ἰωνιὰν ἐκδώσομεν ἐντυπώσαντες, παρ' ἧς οὐχ ὅπως εὐφροσύνην, ἀλλὰ καὶ μεγίστην ὠφέλειαν οἱ σπουδαῖοι καρπώσονται. De iucunditate historiarum Cicero lib. V. ep. 12. „Nihil est aptius ad delectationem lectoris, quam tempo„rum varietas, fortunaeque vicissitudines, quae etsi nobis optabiles „in experiendo non fuerunt, in legendo tamen erunt iucundae.“ Tanta certe est historiae iucunditas, quae interdum et animi et corporis morbis medeatur: quale quid de Ferdinando et Alfonso Arragoniae

Regibus accepimus, quorum ille ex T. Livii, hic ex Q. Curtii lectione valetudinem desperatam recuperavit, testibus Anton. Panormitano de reb. gest. Alfonsi, Erycio Puteano Orat. XIX. Laurentium Medicea ex narratione historica de Winsburgensis arcis obsidione convaluisse referunt Bodinus praefat Method. Histor. et Gerh. Ioh. Vossius in Arte Historica cap. V. Maxime enim ipsum affecit callida mulierum versutia, quae, cum a Conrado III. Imp. impetraverant, ut maxime necessaria humeris exportarent, maritorum baiulae factae sunt.

Utilitas autem historiae summa vel ex eo apparet, quod ex singularibus exemplis universalia praecepta condere, eaque vicissim ad magnas res gerendas non sine insigni fructu accommodare valemus. Latissime enim se exserit historia, et insignem certe usum in vita civili praebet, usque adeo ut vera rerum civilium historia vivus quasi fons prudentiae politicae censeatur: quod prolixe declarant hi, quorum integra de historiae constitutione commentaria habemus, quorum nomina utramque paginam faciunt, pleraque tamen a Keckermanno Systemat. tom. 2. pag. 1863. laudata. Quanta vero cautione iuveni praesertim in historiarum lectione opus sit, praeclare demonstrat illustre Iuliae nostrae sidus Herm. Conringius lib. de Civil. Prudent. cap. 13. Caeterum de hac utilitate eleganter Livius: *Hoc illud praecipue agit in rerum cognitione salubre atque frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita monimento intueri, unde tibi, tuaeque reipubl. quod imiteris, capias, unde foedum inceptu, foedum exitu, quod vites.* Eandem probe perspectam fuisse Augusto Caesari, Suetonii verba arguunt cap. 89. *In evolvendis*, ait, *utriusque linguae auctoribus nihil aeque sectabatur, quam praecepta et exempla publice vel privatim salubria, eaque ad verbum excerpta* (nota studium excerpendi in tanto Imperatore! quem tamen superat in hoc genere seculi nostri Augustus) *aut ad domesticos, aut ad exercituum, provinciarumque rectores, aut ad urbis magistratus plerumque mittebat, prout quique monitione indigerent.*

Breve veluti florum corpusculum. *Corpusculum* pro fasciculo florum auctor noster usurpat. Ut autem h. l. floribus excerpta non ineleganter assimilantur, ita aliis scriptoribus solemne est hanc excerpendi solertiam cum apum operibus comparare. Sic Isocrates orat. ad Demonic. Lucretius lib. III. Seneca epist. 84. Plutarch. libr. de audiend. Poetis. Macrob. praef. Saturnal. Cassiodorus prolog. libri de Amicitia. Aristobulus epist. in *Γυλεομυχίαν ἀδήλου*· alii.

5. Ut et ocii mei apud te ratio constaret. Solebat Plato, quoties e schola discederet, discipulis dicere: Ἄγετε ὅπως εἰς καλόν τι καταθήσεσθε τὴν σχολήν. *Videte ut ocio ad honestam aliquam rem utamini.* Idem nobis omnibus dictum existimemus: *Quare remissa tempora et ab negotiis publicis feriata libris veterum ruminandis*, more Agorii Praetextati apud Symmachum lib. I. ep. 53., *expendamus. Strepitum istum inanemque discursum et multum ineptos labores relinquamus, nosque studio vel ocio tradamus. O*

*rectam sinceramque vitam! o dulce ocium honestumque, ac pene omni negocio pulchrius!* merito cum Plinio exclamamus ex ep. IX. lib. I. *Τὸ ἄπραγμον γὰρ οὐ σώζεται μὴ μετὰ τοῦ δραστηρίου τεταγμένον. Quies et tranquillitas nisi cum agendi studio sit coniuncta, servari non potest.* ut ait ille apud Thucydidem lib. II. Eleganter, ut solet, Michael Hospitalius Galliarum Cancellarius epist. lib. I.

— — — *Nec enim libet ocia, quicquid*
*Temporis et vacui semper transmittere nugis.*

Si vero ocii huius naturam perspectam habere cupis, dabo verbis Maximi Tyrii e dissert. VI. *Τοῦτο ἡ σχολή, ἀληθείας μελέτη, καὶ τέχνη λόγου, καὶ ῥώμη βίου, καὶ παρασκευὴ ψυχῆς, καὶ ἄσκησις καλοκἀγαθίας. Hoc est illud ocium, veritatis studium, ars rationis, vitae robur, animae praeparatio, probitatis exercitatio.* Exstat in hanc sententiam elegantissima epistola numero XXI. apud Nicolaum de Clemangiis, scriptorem, ut illa ferebant tempora, imo ultra aetatem illam (vixit enim seculo quarto decimo) docte eruditum, prudentem, sapientem, cuius pleraque omnia elegantissimis praeceptis et exemplis tanquam preciosissimis gemmis distincta reperies; ut iure admirandus scriptor a Barthio appelletur in Claud. pag. 1265. Integra epistola hic legi mereretur, nisi potior temporis et chartae habenda esset ratio.

Cuius et Cato reddendam operam putat. De Catone res notissima. Nec latere potest Publ. Scipionis dictum: *Nunquam se minus ociosum esse, quam cum ociosus:* quam vocem magnificam et magno viro ac sapiente dignam iure censet Scheckius ad illa Velleii lib. I. cap. 13. *Neque enim quisquam hoc Scipione elegantius intervalla negociorum ocio dispunxit.*

6. Apud posteros cum obtrectationis invidia decesserit. Saepe maiores nostri questi sunt, saepe nos querimur, et posteri nostri querentur, adeo perversos esse etiam doctiorum non paucorum mores, ut si quem virtutis vel eruditionis nomine aliquatenus emergere videant, illico ipsum aut ipsius opera incessant, lacerent, proscindant, aut abolere conentur profutura, aut allatura lucem obscurare. Quod quidem pestilens animi vitium, praeterquam quod supremo Numini maxime invisum, excellentium saepius ingeniorum ruinam secum trahit. Qua de re non sine stomacho L. Vives laud. praef. *Hinc desperatio et desponsio meliorum ingeniorum, cum pertaesa rem sic amaram et inamabilem ab omni scribendi et iuvandae posteritatis ratione avertuntur, plerumque et ab studiis etiam: quod tantum abest, ut invidia ingenia fieri doleant, ut se hoc fructum capere singularem existiment, ac laboris sui praemium: finem vero quem destinarant, sic consequantur, ut cessent omnes, nemo benefaciat.* Verum tamen vix est, quod meliorem sortem nostra aetas, ingravescente undique malitia, sibi polliceatur, quam qualem tot retro seculis optimi quique viri saepenumero experti sunt. Si quis tamen praeter recte factorum conscientiam aliud

solamen huic malo requirit, is immortalem beatamque vitam, quae aeternam pro toleratis pie malis requiem asservat, sedulo consideret. Caeterum quod plerumque demum post fata cessare soleat invidiae rabies, multi scriptores tam Graeci quam Latini egregiis sententiis adstruunt, ex quibus nonnulla propter insigne acumen atque elegantiam decerpere placet. Familiam ducat Sallustius: *Vivos interdum fortuna, saepius invidia fatigat, ubi anima naturae cessit, ipsa se virtus magis magisque extollit.* Orat. II. ad Caesar. Prodeat nunc Tacitus: *Maxime solutum et sine obtrectatione fuit prodere de iis, quos mors odio aut gratiae exemisset, suum cuique decus posteritas rependet.* Annal. IV. 35. 3. Valde subtilis est illa Velleii lib. II. cap. 29. *Praesentia invidia, praeterita veneratione prosequimur, et his nos obrui, illis instrui credimus.* Auctor de caussis corruptae eloquentiae cap. 23. 6. *Etiamsi nostra iudicia malignitas et invidia tardaverit, verum de nobis dicturi sunt posteri.* Sed et poetas audiamus: Horatium III. Od. 24. 39.

*Virtutem incolumem odimus,*
*Sublatam ex oculis quaerimus invidi.*

et lib. III. epist. 1. 13.

*Urit enim fulgore suo qui praegravat artes*
*Infra se positas, exstinctus amabitur idem.*

Propertium lib. III. eleg. 1. 21.

*At mihi quod vivo detraxerat invida turba,*
*Post obitum duplici foenore reddit honos.*
*Omnia post obitum fingit maiora vetustas,*
*Maius ab exequiis nomen in ora venit.*

Trita sunt Ovidii:

*Pascitur in vivis livor, post fata quiescit,*
*Tunc suus ex merito quemque tuetur honos.*

E Graecis placent illa Thucydidis lib. II. Φθόνος τοῖς ζῶσι πρὸς τὸν ἀντίπαλον, τὸ δὲ μὴ ἐμποδὼν ἀνανταγωνίστῳ εὐνοίᾳ τετίμηται. Agmen claudat Demosthenes: Ἐν τῷ καθ' ἑαυτοὺς βίῳ ταῖς προσηκούσαις αὐτὸν τιμαῖς ὁ φθόνος ἀντιστῇ. Plura huius generis in promptu sunt, sed vereor ne quis idem mihi, quod Scaliger Brissonio obiiciat: *Rem vulgatissimam testimoniis velle probare, hoc vero est, quod Graeci dicunt,* μῦρον ἐπὶ φακῇ. Habeo tamen pro Brissonio et pro nostro instituto quae Scaligeris opponam, quae forsan alibi expromere audeo. At enim, qui plura huius generis de invidia cupit, ne et recentiores suis careant laudibus, adeat Ioh. Magiri Polymnemonem, librum, si quis unquam in his studiis, utilissimum iuxta ac eruditissimum; Freishemii notas ad Curtium, Chabotium ad Horatium, Pareum ad Sallustium aliorumque commentaria. Obsignamus denique hanc Exercitationem Plinianis illis lib. I. epist. 16. *Pravum malignumque est non admirari hominem admiratione dignissimum.*

# EXERCITATIO IN IUSTINI LIB. I. CAP. I.

1. Principio rerum gentium nationumque imperium penes Reges erat. Pro adstruenda regni prae ceteris Rerumpubl. formis antiquitate, hic ipse Iustini nostri locus potissimum facit: quem dignum propterea censuit incomparabilis Ecclesiae primaevae doctor Augustinus, ut stupendis suis de civitate Dei commentariis ad haec usque verba „totius Orientis populos subegit“ integrum insereret, lib. videl. IV. cap. 6. Qua quidem in assertione plerosque antiquorum ὁμοψήφους habet. Expresse Cicero lib. III. de LL. *Omnes antiquae gentes Regibus quondam paruerunt.* Sic Sallustius B. Cat. cap. I. *In terris nomen imperii* (Regum) *id primum fuit.* Eiusdem sententiae et Platonem fuisse constat, qui regnum passim ceterarum Rerumpubl. matrem vocat. Clarissime omnium id confirmat Isocrates in Panathenaico pag. 377. *Ὅτ᾽ οὐκ ἦν οὔτε δημοκρατίας, οὔτ᾽ ὀλιγαρχίας ὄνομά πω λεγόμενον, ἀλλὰ μοναρχίαι καὶ τὰ γένη τῶν βαρβάρων καὶ τὰς πόλεις τὰς ἑλληνίδας ἁπάσας διῴκουν. Priusquam et democratiae et oligarchiae nomen notum erat, barbaricae gentes et omnes Graeciae civitates Regibus parebant.* Philosophus Polit. lib. IV. cap. 2. *Βασιλείαν, πρώτην καὶ θειοτάτην* appellat, quia nimirum ortu primum, et originem ex paterno imperio traxisse existimatur. Ut autem clarius antiquissima regni origo pateat, nos equidem rem ita se habere existimamus: Principio rerum a Deo Opt. Max. domesticam et societatem et potestatem institutam esse, cuius providentia cum ingenti numero humanum genus auctum esset, homines quodam quasi naturae instinctu ad vitam socialem suique conservationem ab ipsa necessitate et egestate fuisse excitatos, ut quem prudentiae et iustitiae laude praecellere nossent, illum Regem sibi eligerent. Ac iecisse Deum fundamenta Hierarchiarum, politicae, ecclesiasticae et oeconomicae in ipso mundi exordio, Theologi docent; ac probabile est, etsi in statu innocentiae permansissent Protoplasti, ordinem tamen quendam et relationem in consulendi eligendique munere futuram fuisse, (quamquam longe diversam ab ea, quae hodie obtinet, imperantibus aeque ac parentibus molesta) haud dubie sub capite Adamo, qui imperio dignissimus et totius generis humani auctor. Post lapsum non sine caussa coniicimus, Adamum ut liberorum suorum patrem et auditorum pastorem, ita et familiarum, dum viveret, principem fuisse, ac iis saltim maxime moderanter forma imperii patrii imperasse. Multiplicato vero genere humano, cum familiae dispersae essent, ac in vicos et civitates coiissent, credibile itidem est, ad modum regiminis prioris auctoritate principis sui, senioris familiae et Patriarchae, reliquos gubernatos fuisse forma imperii patrii et fortassis quoque Theocratici. Sed apud impios Cainitas videtur regnum violentius ortum cum Caino, quem probabile est, urbe condita regnum adhuc vivo patre fundasse, mortuo firmasse, et filiis atque posteris tradidisse. Post diluvii universalem poenam emersit novum sub Noacho imperium, coelitus gladio et legibus arma-

tum, cuius formam eandem fuisse quae priorum antea, verisimile putamus, atque in Semi posteris diu postea obtinuisse. Sed cum Noachi posteri dispergerentur et orbem universum implerent, paulatim varia regna, principatus, dynastiae exoriebantur, verumtamen intra singulas fere urbes continebantur. Singulae enim urbes a singulis fere Regibus regebantur, finesque regni, ut Noster ait, tueri magis quam proferre mos erat, donec quidam nova imperii cupiditate (aut etiam iniuriis irritati) avitum gentibus morem mutarunt, bellaque finitimis intulerunt, proxima quaeque vi atque armis perdomando ac suo imperio subiiciendo; ante quos iam in talibus patrandis praecipuum fuisse Nimrodum, non desunt qui ex sacra historia probari posse contendunt. Cum enim ille גִּבֹּר־צַיִד *potens venatione* Genes. X. vs. 8. dicatur, putant id de latrocinio intelligendum, quod et loquendi genus Ebraeis familiare, et veteres etiam, Plato, Aristoteles, Xenophon latrocinium inter venationum genera retulerint. Quod argumentum inprimis urget Bodinus, cum domimatum reliquis Rerumpubl. formis priorem esse contendit lib. II. de Republ. cap. 2. et 3. At enim, ut nunc nihil dicam de eo, quod praestantissimi viri Nimrodum non ab infestatione hominum, sed ferarum potius captura, venatorem appellatum credant, licet etiam Nimrodus imperium violenter ad se traxisse videatur, non tamen id ad omnium gentium et nationum imperium protinus extendi posset. Ceterum, cum Bodino iam dudum satisfecerint Viri Cl. interque eos Excell. Balthasar Cellarius, Praeceptor, Hospes et Patronus aetatem deveneraudus, lib. II. Polit. cap. 2. Henning. Arnisaeus Doctr. Polit. lib. I. cap. 9. et Relection. Polit. lib. II. cap. 2. sect. 15. Piccartus ad Polit. Aristot. lib. III. cap. 15. Schockius de Maiestate th. 37. et plures insuper alii: non est cur his diutius immoremur.

Ad fastigium huius maiestatis. Id est, ad dignitatem regiam. *Fastigii* autem voce peculiariter Regnum denotari, pluribus exemplis declarat Nobilissimus gente, virtute, doctrina, iudicio Caspar Barthius Adversariorum lib. XXVIII. cap. 7. et ad Claudianum in Nupt. Honor. etc. pag. 813. et denique ad lib. II. de Raptu Proserp.

Non ambitio popularis. Haec est, quum *potentia ex vulgi adulatione quaeritur*, ut habet Noster XIII. 8. 2. Illa autem ut maxime omnium perniciosa, ita studiose cavenda est et fugienda. *Miserrima*, inquit Cicero Offic. lib. I. cap. 20., *est omnino ambitio honorumque contentio.* Nec abit Christianus Cicero Div. Instit. V. 15. *Profecto in hac vita seculari, quoniam brevia et caduca sunt omnia, et praeferunt se alteris homines, et de dignitate contendunt, quo nihil foedius, nihil arrogantius, nihil a sapientis ratione remotius.*

Sed spectata inter bonos moderatio. Quia nimirum administrandae iustitiae gratia unum ad Maiestatis Regiae fastigium provehebat antiquitas, vero non videtur simile, ambitiosum huic muneri admotum, sed omnino cuius probitas spectata, quique virtutum exercitio prae ceteris conspicuus erat. Quo spectant illa Aristotelis Polit. III. 15. quae sic Latine habent: *Espropter olim fortasse sub*

*Regibus erant, quia raro viri excellentes virtute reperiantur; maxime parvis in civitatibus. Praeterea propter beneficia Reges constituebantur, quod est virorum bonorum officium.* quibuscum conferenda quae leguntur eod. libro cap. X. et lib. V. cap. 10. Idem pluribus confirmat gravissimus scriptor Polybius Historiarum lib. VI. initio: idem Seneca epist. XC. ubi praeter alia huc potissimum spectantia et haec leguntur: *Animo olim rector eligebatur, ideoque summa felicitas erat gentium, in quibus non poterat potentior esse nisi melior.* Gemina de Aegyptiis Diodorus Siculus lib. I. de Taprobanes incolis Solinus cap. LXVI. de Romanis Cicero lib. II. Offic. *Mihi quidem non apud Medos solum, ut ait Herodotus, sed etiam apud maiores nostros servandae iustitiae caussa videntur olim bene morati Reges constituti. Nam cum premeretur inops multitudo ab iis, qui maiores opes habebant, ad unum aliquem confugiebant virtute praestantem, qui cum prohiberet iniuria tenuiores, aequitate constituenda summos cum infimis pari iure retinebat.* Neque tamen id principio rerum tantummodo usu venit, sed omni aevo adeoque patrum nostrorum memoria. Hac enim ratione Gustavus eiusque posteri in Suecia regiam potestatem indepti sunt, imo et Ostfrisiorum principatum iisdem initiis coepisse scribunt. Est enim ad alliciendam hominum benivolentiam ingens probitatis et iustitiae potentia, cuius pulchritudo animos circumfundit et delinitos admiratione ac fulgoris sui rapit; ut verba Senecae leviter immutata hic usurpem e lib. IV. de Benef. cap. 22.

2. Populus nullis legibus tenebatur. *Vetustissimi mortalium*, inquit Tacitus de principiis iuris disserens Annal. III. 26. 1., *nulla adhuc mala libidine, sine probro et scelere, eoque sine poena aut coercitionibus agebant, et ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur.* Porphyrius περὶ ἀποχῆς lib. III. *Οὐδὲ νόμοι γραπτοὶ, φασὶ, παρὰ ἀνθρώποις, ἄχρις εὐδαιμόνουν* etc. Quae sane loca aliquid reconditum sapiunt, eaque facili negocio de vita, quam primaevi parentes in Paradiso vivebant, vere beata nullisque sceleribus obnoxia, interpretari possumus. Alias enim quam perversa hominum natura et ad vitia et flagitia post lapsum prona sit, praeterquam quod divinae literae doceant, quotidie proh dolor! experimur, et ab omni aevo procul dubio mortales experti sunt: ut proinde illam legum absentiam (de positivis loquor) vix quidem ad aliam aetatem, quam quae pertinet ad statum innocentiae, referendam esse censeam. Quamquam ne id quidem absolute; nisi illam de arbore cognitionis boni et mali excipias. Neque tamen diffiteor, paucissimas apud vetustissimos mortalium in usu fuisse, quum forsan plus in illis vitiorum plurimorum ignoratio profecerit, quam in nobis omnium virtutum cognitio; tum vero quod arbitria Principum, ut Noster ait, pro legibus habuerint. Quicquid tamen horum sit, nonnulli ex eo, quod apud vetustissimos Poetas Orpheum, Musaeum, Homerum vox Graeca *Νόμος* non reperiatur, nullis tum legibus Graeciae populos adstrictos fuisse autumant: quorum in numero Cuiacius, Duarenus,

Eberlinus, in Commentariis ad Pomponium de Origine iuris; Bodinus de Republ. lib. VI. cap. 6. Arnisaeus lib. I. Doctr. Polit. cap. 17. De Homero certe id Iosephus (ex cuius fonte haec manasse puto) testatur lib. II. contra Apion. cuius verba prout Latine versa, cum Graeca non sint ad manum, ita se habent: *Nec ipsum nomen legis fuisse olim apud Graecos agnoscitur. Testis est Homerus, qui nusquam in opere suo usus est nomine.* De Romanis antiquissimis dubito an vera sint, quae certatim praedicant scriptores, sine legibus, sine iure, solutos atque liberos vixisse. Nec est quod quis Aborigines eodem modo, imo quod maius est, sine imperio degisse Sallustio id asserenti credat, cum illa fere omnia quae de Aboriginibus feruntur, fabulae potius quam historiae similiora videantur.

Arbitria Principum pro legibus erant. Apud quasdam gentes, fateor, non certe apud omnes. Aliud enim nos sacra docet historia. Nec abludit Tacitus Annal. lib. I. *Quidam statim* (de vetustissimis mortalium sermo erat) *aut postquam regum pertaesum, leges maluerunt.* Notatu tamen digna sunt Senecae epist. XC. *Primi mortalium, quique ex his geniti, naturam incorrupti sequebantur, eandem habebant et ducem et legem, commissi melioris arbitrio.* De Romanis priscis id testatur Dionys. lib. X. cap. 1. cuius Graeca sic reddit Portus: *Tunc nondum erat apud Romanos iuris libertatisque dicendi aequabilitas, nec dum omne ius scriptum exstabat: sed olim eorum Reges ius petentibus dicebant, eorumque lites dirimebant, et quod ab illis fuisset iudicatum, vim legis habebat.* Pomponius de Origine iuris §. 1. *Initio civitatis nostrae, populus sine lege certa, sine iure certo, primum agere instituit, omniaque manu a Regibus gubernabantur.* De Atheniensibus auctor noster II. 7. 3. *Civitati nullae tunc leges erant, quia libido Regum pro legibus habebatur.* An autem melius sit, et civium saluti commodius, ut Principes ex aequo ut loquimur et bono, an vero leges dominentur, altioris videtur esse indaginis. Qui pro lege pugnant, Reges, ut sunt homines, pravis affectibus, irae, odio, concupiscentiae aliisque vitiis et flagitiis obnoxios esse, ac proinde saepius a iustitiae tramite ad devia deflectere censent. Quod argumentum ipse Philosophus inculcat Polit. lib. III. cap. 16. *Ὁ μὲν οὖν τὸν νοῦν κελεύων ἄρχειν, δοκεῖ κελεύειν ἄρχειν τὸν Θεὸν, καὶ τοὺς νόμους· ὁ δ' ἄνθρωπον κελεύων, προστίθησι καὶ θηρίον. Ἥ τε γὰρ ἐπιθυμία τοιοῦτον, καὶ ὁ θυμὸς ἄρχοντας διαστρέφει, καὶ τοὺς ἀρίστους ἄνδρας. Qui mentem imperare iubet, Deum et leges iubere imperare videtur. Qui hominem vero iubet, adiungit et belluam. Nam et cupiditas tale quiddam, et ira eos, qui praesunt, etiam optimos viros detorquet.* Quo referenda sunt illa Ciceronis epist. IX. 16. *Sunt omnia incerta, cum a iure discessum est, nec praestare quidquam potest, quale futurum sit id, quod positum in alterius voluntate, ne dicam libidine.* Nec tamen et adversariis sua desunt argumenta, inter quae facile eminet, quod leges in universalibus haereant, singulas vero actiones, earumque circumstantias,

quae tamen maximopere attendi debent, non attingant; secus atque Princeps, qui certa de singularibus pronunciet, tum obscuritati et rigori, quo laborant fere leges, non sit adeo obnoxius. Praestat ergo, ut hoc dubium solvamus, Principes legibus, et leges vicissim Principibus adiungere. Illos quidem, ut sua prudentia rigorem legum mitigent, tum defectum illarum, sicubi propter universalitatem ad omnes et singulos, itemque specialia actionum accidentia accommodari nequeant, studiose suppleant, atque emendent: has autem ne illos in imperando vel iudicando sinant affectibus abripi ab eo, quod honestum, verum atque rectum est. Quae sententia et ipsius est Philosophi lib. III. Polit. cap. XI. *Δεῖ τοὺς νόμους εἶναι κυρίους, κειμένους ὀρθῶς· τὸν ἄρχοντα δὲ ἄν τε εἷς, ἄν τε πλείους ὦσι, περὶ τούτων εἶναι κύριον, περὶ ὅσων ἐξαδυνατοῦσιν οἱ νόμοι λέγειν ἀκριβῶς, διὰ τὸ μὴ ῥᾴδιον εἶναι καθόλου δηλῶσαι περὶ πάντων.* *Oportet leges dominas esse si sunt recte latae, qui autem magistratum gerit, sive unus, sive plures fuerint, decernere de illis, de quibus leges exquisite aliquid praecipere nequeunt, ex eo quia non facile sit generali sermone singulos casus comprehendere.* Quem locum Aristotelis luculenter, ut solet, declaravit Ampliss. Conringius in praelectionibus publ.

3. Fines imperii tueri magis quam proferre mos erat. Mos nunquam pro dignitate laudandus, qui si nunquam extra humanos limites migrasset, pauci ferro, plurimi homines natura iubente fatis cessissent, nec paucae urbes, vera aevi sui miracula, suo etiamnum vigore consisterent, quae destructae iacent, et quarum memoria, nisi eam levis charta fovisset hactenus ac sustentasset, diu radicitus esset exstirpata: uti loquitur Schmidelius notis ad h. l. et pluribus demonstrat Berneggerus Quaest. ad Tacit. 189. Feralis enim vox et vere barbara Tiridatis apud Tacitum Annal. XV. cap. 1. *Sua retinere privatae domus, de alienis certare regiam laudem esse.* Quod tamen effatum nimis alte multorum animis insidere, exempla docent. Vix enim hodie reperias, qui consilium coercendi intra terminos imperii serio suscipiant. Fit enim nescio quomodo, ut qui in eminentiori quadam dignitate constituti sint, quo plura iam adepti, eo maiora cupiant; quantumvis nescii, an iisdem commode potiri aut iam adepta commode tueri possint; adeo vetus ac iam pridem insita mortalibus potentiae cupido cum imperii magnitudine adolescit, ut si non augetur, hoc ipso tamen non videatur minui. Quis enim hodie est, qui illud Valerianum IV. 1. probe consideret? *Eam demum potentiam tutam esse, quae viribus suis modum imponit.* aut Cornelianum illud: *Cuncta mortalium incerta, quantoque plus aliquis adeptus sit, tanto magis in lubrico esse.* Annal. I. 72. 2. Sed quid consideret iniustitia, et insuper armata? Nimis profecto verum est, quod ille canit:

*Nulla fides pactis, nulla est, mihi crede, sigillis,*
*More potens leges explicat usque suo.*

Intra suam cuique patriam regna finiebantur. Non abit a

vero Iustinus, siquidem minutos olim fuisse Reges sacra historia affatim docet Genes. XIV. 86. meminere passim gentiles. Eaque imperia, si finitimi populi quietis et iustitiae studiosi essent, feliciora censet Augustinus de C. D. lib. IV. cap. 15. *Iniquitas eorum*, inquit, *cum quibus iusta bella gesta sunt, regnum adiuvit, ut cresceret: quod utique parvum esset, si quies et iustitia finitimorum contra se bellum geri nulla provocaret iniuria: ac felicioribus sic rebus humanis omnia regna parva essent concordi vicinitate laetantia. Et ita essent in mundo regna plurima gentium, ut sunt in urbe domus plurimae civium.*

4. Primus omnium Ninus rex Assyriorum. Hic est ille Ninus tantopere decantatus, a quo plerique veterum suas auspicantur historias. *Ab hoc Nino*, inquit Orosius lib. II. cap. I., *omnes historiae incipiunt.*. Sic *supra ipsum nihil praeclarum in literas relatum* scribit Macrobius in Somn. Scip. lib. II. cap. 10. Diodoro Siculo lib. I. vocatur *πρῶτος τῶν ἱστορίᾳ καὶ μνήμῃ παραδεδομένων ὁ βασιλεὺς τῶν Ἀσσυρίων.* Ab eodem Castor Rhodius apud Eusebium *τὴν ἀρχὴν τῆς χρονογραφίας* se fecisse perhibet. Sic Cephalion Gargellius aliorum historicorum more apud eundem Eusebium: *Ἄρχομαι γράφειν ἀφ' ὧν ἄλλοι τε ἐμνημόνευσαν καὶ τὰ πρῶτα Ἑλλανικός τε ὁ Λέσβιος καὶ Κτησίας ὁ Κνίδιος, ἔπειτα Ἡρόδοτος Ἀλικαρνασσεύς· τὸ παλαιὸν τῆς Ἀσίας ἐβασίλευσαν Ἀσσύριοι, τῶν δὲ ὁ Βήλου Νῖνος.* Sic Tertullianus Latinorum Patrum antiquissimus in libro de pallio: *Sed piget tristia non minus quam vices regnorum recensere, quotiens et ista mutaverint iam inde a Nino, Beli progenie, si tamen Ninus regnavit primus, ut autumat superiorum profanitas; ferme apud vos ultra stylus non solet assurgere, nisi ab Assyriis si forte aevi historiae patescunt.* Sic Hieronymus in cap. II. Oseae tom. V. fol. 6. *Primum omni Asiae regnasse Ninum Beli filium, omnes et Graecae et Barbarae narrant historiae.* Ex quo quidem apparet, hunc Ninum a multis Beli filium fuisse creditum, quo etiam inclinant Augustinus de C. D. lib. XVI. cap. 17. et lib. XVIII. cap. 2. et laudatus Hieronymus Tradit. Ebraic. in Genes. Quem Belum eundem esse cum Nimrodo non pauci scriptores asserunt, quemadmodum id ostendunt viri celeberrimi Ioh. Gerh. Vossius de Idolatr. lib. I. cap. 16. Samuel Bochartus lib. IV. Phaleg. cap. XII. XIII. Benedictus Pererius lib. XV. in Genes. disp. 3. Augustinus Torniellus in Annalibus S. Non audacter tamen id affirmare audet Vir Cl. Ioh. Henricus Ursinus Epilogo Exercitat. de Zoroastre et Hermete Trismeg. cuius verba subiungo: *Ninum fuisse Nimrodi filium recitavi, non affirmavi. Ego enim Ninum Nimrodi imperium Babylonicum evertisse, et sic a patre Belo, sive is Assur fuit sive alius, inchoatam monarchiam Assyriorum condidisse doctis adstipulor.* At enim auctor Recognitionum Clement. lib. IV. Gerhardus Mercator in Chronologicis, nec non Iustus Lipsius lib. II. Monit. Polit. cap. 1. Ninum eundem fuisse cum Nimrodo autumant, quod gemina fere in profanis de ipso, quam quae in sacris de Nimrodo

praedicentur. Quod tamen non ferunt Pererius l. c. Arnisaeus Relection. Politic. cap. II. sect. 1. alii. Ab hoc autem Nino conditam fuisse urbium maximam Niniven (quae Ptolomaeo Νινευή et Νίνος, Straboni Νίνων, Iosepho Νίνου βασιλεία, Tacito Ninos, Plinio, Ammiano, Hieronymo Ninus dicitur) plurimi scriptores statuunt, et nomen ipsum declarat. Diodorus lib. II. cap. XXIII. τὴν μὲν πόλιν ἐκάλεσεν ἀφ' ἑαυτοῦ Νίνον. Ammianus: *in hac Adiabena Ninus est civitas, quae olim Persidis regna possederat, nomen Nini potentissimi Regis, quondam Semiramidis mariti declarans.* lib. XXIII. Cedrenus: ὁ μὲν Νίνος, ὅς καὶ τὴν Νινευὶ τὴν μεγάλην ἔκτισε. Compend. Histor. pag. 12. Hieronymus: *Ninus apud Assyrios Ninum sui nominis condidit civitatem, quam Ebraei vocant* נִינְוֵה in cap. II. Oseae. Cyrillus Alexandrin. lib. I. contra Iulian. *Primus inter Assyrios regnavit illustris Ninus, Arbeli filius, a quo cognominata civitas Ninive, cuius muros Semiramis Nini coniux magnifice exstruxit.* Et lib. III. *Primus regnavit in Assyriorum terra vir superbus et arrogans Arbelus, qui et primus hominum dicitur a subditis nomen Deitatis accepisse. Perseverarunt igitur Assyrii et finitimae illis gentes sacrificantes ei et adorantes. Postea fuit Ninus, Arbeli filius, et Ninyas Nini, a quo Ninive nomen accepit, quam et uxor huius Semiramis illic habitans, moenibus firmissimis cinxisse dicitur.* Augustinus: *quod vero dictum est de terra ipsa, id est de terra Sennaar, quae pertinebat ad regnum Nemroth, exisse Assur et aedificasse Niniven, et alias quoque contexuit civitates, longe postea factum est: quod ex hac occasione perstrinxit propter nobilitatem regni Assyriorum, quod mirabiliter dilatavit Ninus, Beli filius, conditor Ninives, civitatis magnae: cuius nomen ex illius nomine derivatum est, ut a Nino Ninive vocaretur.* lib. XVI. de C. D. cap. 3. At enim ille S. Scripturae locus Genes. X. vs. 11. ad quem Augustinus respicit, admodum difficilis est, et quodammodo illorum quos antea laudavi, assertionem impugnare videtur; adeo ut nonnulli Assurem (si modo nomen viri sit et non regionis potius: quod Hieronymo, Mercatori, Drusio aliisque placet) cum Nino eundem fuisse existimarint, nec e stirpe Chami, sed Semi progenie oriundum: quam sententiam calculo suo approbant Eucherius Comment in Genes. Reinerus Reineccius in Syntagm. historico: et pluribus ea de re disceptant ad Genesin Pererius, ad Augustinum Coqueius. Sunt qui Niniven ab Assure exstructam, a Nino instauratam et auctam putant: cui sententiae accedit Cl. Loccenius de Periodis Imperior. lib. I. cap. 2. Difficultatem eius loci agnovit praeter alios etiam χαριέστατος noster Conringius Adversar. Chronolog. cap. VI. ita scribens: *Assur incertum Semi filius, an unus posterorum Nimrodi, an denique populus Assyriorum.* Huius vero urbis Ninives magnitudinem diligenter persequuntur Diodorus Siculus lib. II. cap. 3. Strabo lib. XVI. et ex recentioribus L. Ramirez de Prado in Pentecontarcho cap. XLV. Fullerus lib. III. Miscell. cap. VI. Dilherrus tom. I. Disp. Philol. VIII. Ursinus Com-

ment. in Ionam cap. III. et plures alii. Caeterum Iustinum, quod non satis diserte contra quos bella Ninus gesserit, exponat, fulgentissimum quondam huius Academiae lumen Christophorus Heidmannus reprehendit Compend. Histor. lib. I. pag. 14. Verum enim vero quoniam fabulosae magis narrationi, quam historicae veritati similiora sunt, quae de Nino et infinitis eius copiis a Diod. Siculo referuntur, cur in his operose recensendis multum desudare debuerit Iustinus, nondum videre mihi videor.

Nova imperii cupiditate mutavit. Gemina de Nino testatur Fabius Pictor: *Primus omnium Ninus*, inquit, *Rex Assyriorum hos aureos mores nova regnandi cupiditate mutavit, et primus limites trangressus bella finitimis movit, et totius Asiae populos perdomuit.* Et Iovianus Pontanus (siquidem eius in his valet auctoritas) lib. V. cap. VI. de Obedientia tom. I. pag. 134. *Qui mortales primi finitimos bello petierint, affirmare non ausim. Ferunt tamen Regem Assyriorum Ninum ampliando regno intentum in proximas terras primum impressionem fecisse, armisque subegisse nationes plurimas.* Ex quo quidem apparet, *unam eandemque veterem bellandi caussam profundam imperii cupidinem esse*, ut habet Sallustius in Fragm. lib. IV. Histor. Bene Isidorus Pelusiota lib. IV. epist. 55. Ἡ φιλαρχία ἁπάντων αἰτία κακῶν, ἣ καὶ τὰ καθεστῶτα ἀνατρέπειν πειρωμένη, δεινοὺς πολέμους οὐ μόνον ἐφ᾽ ἡμῶν, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τῶν παλαιῶν ἐπικομίσαι παρεσκεύασεν. *Imperandi cupiditas omnium caussa malorum, quae etiam bene instituta evertere conatur, gravia bella non solum nostra memoria, sed etiam antiquis temporibus invexit in res humanas.* Sic *in Asia Cyrum, in Graecia Athenienses et Lacedaemonios, dum urbes atque nationes subigerent, libidinem dominandi caussam belli habuisse, maximamque gloriam in maxumo imperio putasse*, aperte scribit Sallustius in Catil. cap. 2. Eodem modo Romani, quod ad maiora pervenerant, eo ampliora cupiebant, nec contenti accessione virium totius orbis imperium sola regnandi cupidine affectabant. Facile enim inducor, ut credam Lactantio Div. Instit. lib. 6. cap. 9. *populum Romanum per feciales bella indicendo ac legitime iniurias inferendo, semperque aliena cupiendo atque rapiendo possessionem sibi totius orbis comparasse.* Verumtamen utut haec imperii cupiditas vetustissima belli gerendi caussa, utut etiam a multis pro iustitica fuit habita; tantum tamen abest, ut divino humanove iure nitantur, ut ferina potius vel si quid ferinis immanius excogitari potest, eiusmodi bella existimanda sint. Graviter Augustinus: *Inferre bella finitimis et inde in cetera procedere, ac populos sibi non molestos sola regni cupiditate conterere et subdere, quid aliud, quam grande latrocinium nominandum est?* lib. IV. de C. D. cap. 6. Recte Philo ad Decalogum: "Ὅσοι τοίνυν τῶν κλεπτῶν ἰσχὺν προσέλαβον, ὅλας συλῶσι πόλεις ἀλογοῦντες τιμωριῶν, διὰ τὸ ἐπικυδέστεροι τῶν νόμων εἶναι δοκεῖν· οὗτοι δέ εἰσιν ὀλιγαρχικοὶ τὰς φύσεις, οἱ τυραννίδος καὶ δυναστειῶν ἐπιθυμοῦντες, οἱ τὰς μεγάλας ἐργαζόμενοι κλοπάς, σεμνοῖς

*ὀνόμασι τῆς ἀρχῆς καὶ ἡγεμονίας ἐπικρύπτοντες, ληστείαν τἀληθέστερον. Qui vero furum vires nacti sunt, totas praedantur urbes, poenarum securi, quod supra leges eminere videantur: tales sunt homines ingenio minime civili, dominatus et potentatus avidi, magna furta committentes, qui pulchris nominibus magistratuum et imperiorum id obtegunt, quod verius latrocinium appelletur.* Plura huius generis tum apud alios, tum apud magnum Grotium reperies lib. II. de I. B. et P. cap. I. et XXII. cui etiam hoc Philonis debemus. Maximam proinde laudem meretur Augustus Imperator, qui teste Suetonio cap. XXI. *nulli genti sine iustis et necessariis caussis bellum intulit: tantumque abfuit a cupiditate quoquo modo imperium vel bellicam gloriam augendi, ut quorundam barbarorum Principes in aede Martis Ultoris iurare coegerit mansuros in fide ac pace quam peterent.* Finio haec cum dicto Erasmi: *qui dilatandi imperii studium iniecerunt Monarcharum animis, quid aliud quam perennem bellorum fontem repererunt?* praefat. paraphr. in Euangel. Marci ad Franciscum Galliae Regem.

5. Rudes ad resistendum populos perdomuit. Id est, omnino domuit. Verbum a Floro, Martiale, Lucano, Livio, Tibullo, Columella aliisque usurpatum. Licet autem dimidia victoriae pars sit belligerare contra rudes et ab experimentis ac scientia militari parum instructos: *nulla* tamen *in ea victoria, quae a vilibus reportatur, dignitas, nulla gloriae existimatio*; ut recte censet Seneca de Provid. cap. III.

Terminos usque Libyae. Libyam saepissime pro Africa usurpari, inque interiorem et exteriorem dividi, in vulgus notum est. De origine vocis acriter disceptant Criticorum filii, aliis a filio quodam Mesrai qui Libys vocabatur; ut Iosephus Antiquit. Iud. lib. I. Hieronymus Tradit. Hebraic. in Genes.; aliis autem a Libya Epaphi, nonnullis ab Oceani ex Pompholyge filia, Apostolium Proverb. Graecor. Cent. XVIII. 18. secutis, arcessentibus. Quibusdam dicta inde, quod Libs ventus, quem et Africum vocamus, eam plerumque perflare soleat; ut Isidorus lib. XIV. 5.; nonnullis a nigro colore nomen accipisse videtur: λιβὺς enim nigrum denotat. Sunt et qui *ἀπὸ τοῦ λείπεσθαι καὶ ὕειν,* quod raro ibi pluat, dictam volunt. Bochartus denique in Geogr. S. ab Arab. *Lub sitis* derivat. Maxima enim aquarum penuria laborare nemo nescit. Hinc Lucanus:

*Per calidas Libyae sitientis arenas.*

6. Fuere quidem temporibus antiquiores Vexoris Aegypti et Scythiae Rex Tanaus. Antiquiores hos Nino Rege facit Iustinus, at antiquitatis tempus accurate non definit. Mirum ergo cur Vir Clar. Ulricus Huberus dissert. I. de aetate Assyriorum et Medorum pag. 13. Nostro affingat, quasi Vexorin et Tanaum mille quingentis annis Nino vetustiores faciat. Quod ad ipsa Regum nomina, mirum quantum hic variant et scripti libri et scriptorum ingenia; qua de re iam pridem Bongarsius, Berneggerus et Vossius aliquid annotaverunt. Turnebus Adversar. lib. II. cap. 15. pro Sesostre

pugnat, quem equidem h. l. intelligendum esse non admodum negaverim. Attamen, cum illum multis post Ninum seculis vixisse constet, non video, qua ratione Iustino antiquitatem Vexoris praedicanti, assensum praebeamus. Quid si ergo *Osiris* legatur? Placuit id quondam Cl. Ruperto, sed displicuit *πολυμαθεστάτῳ* Reinesio: qua de re disceptantes vide in epistolis Reinesianis XLII. XLIII. LX. LXIII. et uberius spero docebimur e notis posthumis Ruperti ad Iustinum nostrum, utinam brevi prodituris. Quisnam vero *Tanaus* fuerit, nemo sine exceptione affirmabit, puto. Si idem est, quem Herodotus *Madyen* vocat, Cyro non multum est superior. Vossius tamen eundem coniicit cum *Targitao*, quem Herodotus in Melpomene primum Scytharum Regem facit.

7. NEC IMPERIUM SIBI, SED POPULIS SUIS GLORIAM QUAEREBANT. Idem fere de Scythis II. 3. 7. *Scythae victores nihil praeter gloriam concupiscunt.* Signanter Cicero Offic. I. 22. Multi *bella saepe quaesierunt propter gloriae cupiditatem, atque id in magnis animis plerumque contingit. Optimus enim quisque*, ut idem alibi ait, *maxime gloria ducitur.* Id quod egregie declarat Augustinus de C. D. lib. V. cap. 12. et 13. seqq. et si recentem cupis, Ph. Camerarius Hor. Subcis. Cent. I. 78. Hinc etiam in libris, quos de Republ. scripsit idem Tullius, eodem Augustino teste, *Principem gloria alendum esse* censuit. Huic ergo vitio (nam vitium revera est, si paulatim excedas, licet id maxime sub virtutis quadam imagine blandiatur) non solum non resistebant Romani, verum etiam excitabant et accendebant sedulo, putantes hoc admodum utile ac proficuum esse reipubl. Verumtamen summopere caveat Princeps, ne solam gloriae cupidinem iustam belli caussam existimet; aut si iusta bello subsit, ne plus honoris studium, quam ius ipsum spectet. Ut enim illud bellum proprie iniustum facit, ita hoc non leve peccatum arguit. Quapropter non immerito Carolus Burgundiae Princeps reprehenditur, quod nimia gloriae cupidine ad priscorum magnitudinem adspirans bella susceperit, quae tamen infelici exitu non caruerunt, ut videre est apud Philippum Cominaeum lib. VII. Maxime ergo hic locum habet, quod olim vir maximus, Maximus Tyrius dixit sent. LXV. Ὥσπερ τὰς ἡμέρας διαδέχονται αἱ νύκτες, καὶ τὰ θέρη οἱ χειμῶνες, οὕτω κενοδοξίαν καὶ ἡδονὴν λύπαι καὶ ὀδύναι, εἴτε ἐν τῷ παρόντι, εἴτε ἐν τῷ μέλλοντι. *Quemadmodum diebus succedunt noctes, et aestates suscipiunt hyemes; sic inanem gloriae cupidinem et voluptatem suscipiunt labores et tristitia, aut in praesenti aut in futuro seculo.*

CONTENTIQUE VICTORIA IMPERIO ABSTINEBANT. Moderatae victoriae species est, victis relinquere, quod habuerant, imperium: quo nomine Antigonum Polybius celebrat, qui cum Spartam haberet in potestate, τὸ πάτριον πολίτευμα καὶ τὴν ἐλευθερίαν reliquit. Nec minorem laudem Alexander M. meruit, qui *devictum Porum contra spem omnium in amicorum numerum recepit; mox donavit ampliore regno, quam tenuit.* Curt. VIII. 14. 45. Quam quidem

animi magnitudinem et victoriae moderationem extollunt Arrianus lib. V. et Themistius orat. 9. De eodem Claudianus epist. ad Hadrian. V. 16.

*Tradita captivo spaciosior India Poro.*

Egregie huc quadrant illa Senecae: *Si vero regnum quoque suum tuto relinqui apud eum potuit, reponique eo unde exciderat, ingenti incremento surgit laus eius, qui contentus fuit ex Rege victo nihil praeter gloriam sumere. Hoc est etiam ex victoria sua triumphare, testarique nihil se quod dignum esset victore apud victos invenisse.* de Clement. lib. I. cap. 21. Quantam autem haec ipsa victoriae moderatio victori tam apud devictos quam apud exteros benivolentiam conciliet, verbis sat dignis depraedicari nequit. Quare illud Quinctiliani tanquam e tripode profectum aestimo: *Nulla res perpetuam gratiam servat, nisi modesta victoria.* Decl. IX. Apage enim illos, qui severitate fructum victoriae conservari debere sentiunt.

8. Ninus magnitudinem quaesitae dominationis continua possessione firmavit. Solet a multis, nec immerito, quaeri: *Num bello quaesita in continuam victoris possessionem abeant?* At enim, si caussa belli iusta fuerit, res ferme citra controversiam est. Tum enim *πάντα τῶν νικωμένων ἀγαθὰ τῶν νικῶντων γίγνεσθαι*, ceu Plato dixit, certum est. Quo pertinet illud Philosophi: *ὁ νόμος ὁμολογία τίς ἐστιν, ἐν ᾧ τὰ κατὰ πόλεμον κρατούμενα τῶν κρατούντων εἶναι φασὶ* lib. I. Polit. cap. VI. Quae quidem lex a Xenophonte lib. V. Cyropaed. *ἀΐδιος*, a Dionysio Halicarnass. *κοινὸς*, a Polybio, Oppiano et Iosepho *πολέμου νόμος* appellatur, ceu iam ab aliis observatum. Iniusta vero si fuerit, ut omnes actus, qui exinde nascuntur, ita possessio iniusta est, adeoque victus sive iure sive bello sua repetendi caussam habet iustissimam. Nec est quod quis propterea reddenda non esse existimet, quod bellantes inter se cum bellum inierunt, ista capientibus donasse intelliguntur: *nemo* enim, ut praeclare respondet Grotius, *temere suum iactare praesumitur; et bellum per se longe abest a contractuum natura.* lib. III. de I. B. et P. cap. X.

Proxima quaeque victoria instrumentum sequentis. Verissime Tacitus: *Omnia victoribus prona, atque eadem victis adversa.* Agric. XXXIII. 7. Principiis enim belli feliciter superatis, faciliori negocio reliquae victoriae succedunt. Praeterquam enim quod infelici praelio terreantur adversariorum animi, victoris milites molestiis bellicis magis indies magisque adsuescunt, ac re semel bene gesta confidentiores fiunt, ne dicam nunc accessione virium fortiorem et rebus gerendis aptiorem reddi exercitum, nervumque adeo belli gerendi summopere confirmari. Hinc Catilina apud Sallust. *Tantummodo incepto opus est, cetera res expediet.* Et Belisarius apud Procop. lib. II. *τῶν νενικηκότων ἥκιστα ἐλασσοῦσθαι φιλοῦσιν αἱ γνῶμαι. Qui semel vicere, non verisimile est, in futurum animo priori pares non esse.* Sic Frotho Strunici Slavorum Regis

legatis inducias petentibus respondit: *quod quisquis primam feliciter militiam gesserit, consimilem de caetero fortunam sperare possit. Tale enim quemque omen habiturum pugnae, quale congressionum principia dederint: cum initiales bellorum successus sequentibus augmento esse soleant.* apud Saxon. Gramm. lib. V. Atque hanc tot victoriarum Alexandri non minimam fuisse caussam suspicor, quando auctis ex proxima victoria viribus, fortior ad alias transiret, non tam novas comparando, quam priores persequendo. Quod etiam S. Hieronymus indicare videtur tom. IV. in Daniel. cap. 7. *Nihil*, inquit, *Alexandri victoria velocius fuit, quia ab Illyrico et Adriatico mari usque ad Indicum et Gangem fluvium non tam praeliis quam victoriis percurrit, et in VI annis partem Europae et omnem sibi Asiam subiugavit.*

Postremum illi bellum cum Zoroastre Rege Bactrianorum fuit. De Zoroastre, cuius nomen alii ἀστροθεάτην, alii *vivens astrum* interpretantur, multis fabulantur veteres. Primus eius meminit Plato, et Platoni aequalis Ctesias. Deinde Aristoteles teste Plinio; et si coniecturae locus est, in Magico, quem librum laudat Laertius. De eodem Diod. Siculus lib. II. 6. Plin. VII. 16. et XXX. 1. Solin. cap. IV. Apulei. lib. II. Florid. et in Apol. Plutarchus libro de Iside et Osiride. Ammianus lib. XXIII. Diogenes Laertius lib. I. Arnobius lib. I. advers. gentes. Augustinus de C. D. lib. XXI. cap. 14. Hieronymus tom. V. in Oseam cap. 2. et tom. I. contra Pelagianos cap. II. Epiphanius contra Haeres. lib. I. Eusebius Praeparat. Euangel. lib. I. cap. 7. et lib. II. Chron. Agathias lib. II. Suidas in Ζωρούαστρης, alii: peculiaribus vero libris Ioh. Iessen. a Iessen et Ioh. Henricus Ursinus. Nec indigna lectu sunt, quae ex omni auctorum farragine collegerunt Viri Cl. Ioh. Heurnius Philosoph. Barbar. lib. II. cap. 1. Athanas. Kircherus lib. I. Obelisc. Pamphil. Ioh. Bisselius Illustr. Ruinar. dec. 1. Petrus Lambecius Prodrom. histor. litterar. lib. I. cap. 5. et 7. Ex quibus insuper apparebit, non unum tantum, verum duos aut tres, imo vero plures fuisse Zoroastres, ex quibus tamen Bactrianus noster antiquissimus esse creditur. Scripta autem illa sive symbola, quae Zoroastris nomine circumferuntur, quaeque ex Philosophis Platonicis Psello et Plethone aliisque Rhapsodis Obsopeio et Fr. Patricio summo studio collegit, et eruditissimis commentariis illustravit Athanasius Kircherus tom. II. Oedip. Aegyptiac. class. III. cap. 3. licet spuria sint et adulterina, non tamen idcirco inter prohibita censet reponenda Vir Cl. Iohannes Blomius Hamburgensi Bibliothecae praefectus, Indicis Historico-Philosoph. part. I. *quia*, ut ait, *usui fuerit inspicere illa interdum in opinionibus dubiis maximé philosophicis.*

Qui primus dicitur artes magicas invenisse. Inventionem magiae plerique quos laudavi veterum Zoroastri adscribunt. Idem facit Auctor Historiae Scholasticae a Coqueio ad Augustinum laudatus. Hincmarus Opusc. de divortio Lotharii et Thetbergae: *haec vanitas magica ex traditione angelorum malorum in toto terrarum*

*orbe auctore Zoroastre Rege Bactrianorum, quem Ninus rex Assyriorum praelio devicit* etc. Recte autem observat Hincmarus traditionibus Angelorum malorum natales suos debere magiam. Enimvero, quicquid est illarum artium, quas vel occulte vel palam exercent homines, id omne daemonum inventum esse credo; nec est, quod quis cum Plinio lib. XXXI. cap. 1. e medicina ortum traxisse autumet. Bene Augustinus de C. D. lib. VIII. cap. 19. *Omnia miracula magorum doctrinis fiunt et operibus daemonum.* Et lib. II. de Doctr. Christ. cap. 23. *Omnes huiusmodi artes vel nugatoriae vel noxiae superstitionis ex quadam pestifera societate hominum et daemonum quasi pacto infidelis et dolosae amicitiae constitutae.* Idem sentit Sarisberiensis lib. I. Policrat. cap. 9. *Omnia haec artificia vel potius maleficia ex pestifera quadam familiaritate daemonum et hominum profluxerunt.*

Siderumque motus diligentissime spectasse. Hinc est quod Cedrenus Zoroastrem vocat περιβόητον ἀστρονόμον ἐν Πέρσαις. Dictio fere eadem apud Petronium pag. 22. edit. Lotich. *Eudoxus quidem in cacumine excelsissimi montis consenuit, ut astrorum coelique motus deprehenderet.* Eundem credo Eudoxum cum illo Pliniano, qui award ampliter certe mentitus est, quando *Zoroastrem nostrum bis millibus annorum ante Platonis mortem fuisse* prodidit. Vid. Plin. lib. I.

Hoc occiso. Sunt tamen qui fulmine percussum et consumptum fuisse scribunt, quibus accedit Ison Magister Glossis in Prudent. pag. 883. Quocunque autem modo se res habeat, certum est, quod magicarum artium spectatores fere semper in his terris infelicem sortiantur exitum; cuiusmodi cum passim exstent exempla, tum insignia quaedam consignavit Philippus Camerarius Oper. Subcisiv. Cent. I. cap. LXX.

Et ipse decessit. Ergone Ninus naturali morte occubuit? Ita enim solet hanc vocem usurpare Noster, quemadmodum loca a Freinshemio in Indice collecta declarant. Multi tamen in alia omnia abeunt, quos inter Orosius, qui lib. I. cap. 1. scribit, *Ninum sagittae ictu interiisse, dum deficientem a se urbem oppugnaret.* Nec desunt, qui fraudibus uxoris circumventum et necatum tradunt: quorum in numero Plutarchus et Aelianus V. H. lib. VII. cap. 1. Videatur et Diodorus Siculus lib. II. cap. 20. quorum sententia prae altera probabilior videtur. Verum enim illud est poetae:

*Ad generum Cereris sine caede et vulnere pauci*
*Descendunt Reges et sicca morte tyranni.*

Epitaphium Nini e Xenophontis Anniani libello de Aequivocis his concipiunt verbis:

Mihi Pater Iupiter Belus, Avus Saturnus Babylonius, Proavus Chus Saturnus Aethiops, Abavus Chus Saturnus Aegyptius, Atavus Caelus Phoenix Ogyges, ab Ogyge ad meum Avum Sol lustravit mundum semel ac tricies et centies, ab Avo ad Patrem sexagies bis.

Postea subscriptum fuit:

COLUMNAM, TEMPLUM, STATUAM IOVI BELO SOCERO ET MATRI RHEAE IN HOC OLYMPO SEMIRAMIS DICAVI.

Quid vero de hoc Epitaphio sentiendum, non meis sed Cl. Heidmanni verbis e Compendio Historico depromptis dabo expeditum. *Epitaphium Nini a Semiramide in columna incisum referunt quidam ex Xenophontis, ut ferunt, Aequivocis, quod Oedipum videtur interpretem postulare, neque tamen scio an fidem citato habere possimus.* Confer si placet Ioh. Micraelium Syntagm. Polit. lib. I. sect. II. quaest. IX.

---

IN

IUSTINI LIBRI PRIMI CAPUT II. ET SEQUENTIA USQUE AD FINEM

# EXERCITATIONES IX.

SUB PRAESIDIO

HERMANNI CONRINGII

PUBLICE EXAMINANDAS PROPONIT

CASPAR SAGITTARIUS

HELMESTADI A. CIƆIƆCLXVI.

---

1. HAEC NEC IMMATURO AUSA TRADERE IMPERIUM. *Immaturo* idem fere est, quod cap. praeced. dixerat *impuberi*. *Immaturum* autem plerumque de frugibus ante maturitatem decerptis dicitur: ut apud Plinium lib. XII. N. H. cap. 13. et Ulpianum ff. lib. IX. tit. 2. leg. 27. §. 25. Transfertur autem subinde ad alia, et cumprimis de aetate usurpatur, uti apud Iustinum nostrum lib. XXIX. cap. 1. §. 7. Sic lib. XXIV. cap. 4. §. 11. *Immaturus iuvenis*, quem Plutarchus ἐν ἐρωτικοῖς cap. 9. ἄωρον ἄνδρα eleganter dixit. Sic *virgo immatura* apud Ulpianum ff. lib. XLVII. tit. 10. leg. 25. reperire est, et a Suetonio in Tiber. cap. 61. *immatura puella* dicitur ea, quae nondum censetur viri potens, ut est leg. 38. ff. lib. XLVIII. tit. 19. et lib. XXIX. tit. 5. leg. 1. §. 32. Graecis ea dicitur ἄωρος, κόρη πρὸ τῆς ἥβης, περὶ βίας παρθένος. Hanc Varro, ut est apud Nonium, et Tertull. de Veland. Virgin. cap. II. *acerbam* dixit. Cui opponitur *matura* apud Virgilium lib. VII. Aen. *Iam ma-*

*tura viro, iam plenis nubilis annis.* et Horatium lib. III. Od. 6. Sic apud Petronium Arbitrum, nequitiae arbitrum, in Satyr. *Ephebus* dicitur *plenae maturitatis.* Caeterum quod ad rem ipsam attinet, placet adscribere, quae Schmidelius ad hunc locum commentatur: „Si bonum ac pacem publicam, et non potius pravam imperandi libidinem habuisset auctorem, laude dignissimum esset hoc „factum Semiramidis: quemadmodum laudem eximiam merebatur in „Maria Hispaniae Regina (vid. Marian. lib. XXV. Hist. Hisp. cap. 1.) „Castellae coronam in pupillari filii sui Regis Ferdinandi IV. aetate „sartam tectam conservante. Duobus enim praecipue hoc pacto ma-„lis obviam itur. Primo abalienationi regni, quae fors sit ab alio, „a matre non metuenda. Secundo tutius ab honestatis via ob im-„becillitatem aetatis exorbitantes corrigi et reprehendi possunt a „matre, quam ab aliis. Timendum enim his subinde est, ne memo-„res eius censurae valde tum molestae in vindictam postea abripiat „maturior aetas; siquidem odium in flore aetatis primulo conceptum „aegre sequentibus aboletur; a quo tamen timore matrem et religio „et natura insita erga parentes veneratio eximit. Quod autem puero „plenaria regnum administrandi potestas committenda sit, extremo „spiritu dissuadet Carolus IX. Rex Galliae apud Thuan. Hist. lib. „LVII. *gaudere se*, inquiens, *quod in illa aetate* (XXIV annorum) „*filios nullos regni haeredes relinqueret: re enim ipsa se exper-„tum, quam misera Regum puerorum conditio esset, quamque de-„plorandus sit ille Reipubl. status.*“ Haec ille. Sunt tamen et alia in promptu exempla, cum foeminae defunctis vita maritis, regni curam summa cum cura administrarunt. Sic Alexandra per novennium habuit regnum Iudaeorum, nomine duorum filiorum Hyrcani et Aristobuli. Ioseph. lib. 13. Et Constantinus Ducas Eudociae uxori regni moderamen et tutelam librorum moriens commendavit. Zonaras in vita Ducae. In Gallia tutorio nomine regnum non raro administrarunt Reginae, quas *Regentes* Galli vocant: quamvis id in fraudem legis Salicae, ut putat Arnisaeus lib. 2. de Rep. cap. 2 sect. 12. no. 38. Verum enim vero legem illam non loqui de regni negociis aut successione regia, sed tantum de re agraria, praeclare ostendit vir summus, bonoque publico natus Hermannus Conringius libro de Origine Iuris Germ. cap. VII. Quemadmodum etiam Medicea Ludovici XIII. nomine summam rerum aliquamdiu administravit. In quo quidem Catharinam ex eadem familia Henrici II. uxorem secuta, quae regnum pro Francisco II. et Carolo IX. suscepit, nisi quod *nimio ambitionis aestu tumidam fuisse* scribat Thuanus lib. XCIV.

Vix patienter uni viro nedum foeminae parituris. Utpote quam natura unius viri arbitrio subiectam fecit. Sane inter caussas illas, ob quas a foeminino sexu imperii fasces plerumque abiudicentur, praecipua, imo vel sola esse videtur, sui sexi ad virilem collati naturalis quaedam indignitas. Τὸ ἄῤῥεν πρὸς τὸ θῆλυ φύσει τὸ μὲν κρεῖττον, τὸ δὲ χεῖρον, καὶ τὸ μὲν ἄρχον, τὸ δὲ ἀρχόμενον· inquit Philosophus lib. I. cap. 2. Et cap. 8. Τό τε γὰρ ἄῤῥεν φύσει τοῦ θήλεος

ἡγεμονικώτερον. Gemina inculcat Stagiritae praeceptor Plato, foeminino generi alias non parum addictus, lib. VI. de Republ. Ἡ θήλεια φύσις ἐστὶ πρὸς ἀρετὴν χείρων τῆς τῶν ἀῤῥένων. Hinc et Menander olim cecinit: Γυναικὶ ἄρχειν οὐ δίδωσιν ἡ φύσις. Quandoquidem, ut est apud Lansium, *in viro animus, corpus, vox, visus, et omnia sunt robustiora atque reverentiam creant; in foemina vero levia et mollia omnia, flectentia magis ad amorem: in illo auctoritas et maiestas, in ista timor et contemptus; in illo prudentia et constantia, in ista argutiae et in decretis sensibusque Euripus.* Orat. pro Gallia. Hinc etiam apud Romanos a negociis publicis prorsus exclusas antiquorum monimenta docent. *Foeminarum genus*, ait Arnobius lib. 7., *a negociis publicis conditio fragilitatis excepit.* Ad quae videatur Elmenhorstius. Verum de Gynaecocratia explicitius infra disserendi forsan locus erit, et scatent passim huius generis politicorum scripta. Illud tamen minime praetermittendum duxi, quod iam inde ab hac Semiramide foeminis etiam imperii tractandi potestas in Asia concessa fuerit; uti Arrianus lib. I. de rebus gestis Alex. lib. VII. cap. 25. memorat. Quo etiam Claudianum respexisse puto lib. I. in Eutrop. v. 321.

*— — Medis levibusque Sabaeis*
*Imperat hic sexus, Reginarumque sub armis*
*Barbariae pars magna iacet.*

Sic Orsines apud Curtium X. 1. 37. *Audieram in Asia olim regnasse foeminas.*

Simulat se pro uxore Nini filium. Istiusmodi simulationum plena omnis est historia, infelici tamen semper cum catastrophe. Exempla aliquam multa sunt apud hunc Nostrum, et plura congesserunt Valerius Max. lib. IX. cap. 15. Baptista Fulgosus lib. IX. cap. 16. Zvingerus in Theatro V. H. vol. 7. Tholosanus de Republ. lib. VII. cap. 18. Lipsius Monit. et Exempl. Pol. II. 5. Richterus Axiom. Oeconom. CCLXXII. inprimis vero Corasius in annotationibus ad arrestum Arnoldi Tillii, qui se pro Martino Guerra gessit, quas una cum arresto Latinitate donavit Hugo Suraeus.

2. Statura utrique mediocris. Id est, neque adeo procera, neque tamen omnino brevissima. Ex quo quidem manifesto apparet, non semper ad virtutem corporis excelsam staturam, quam nonnulli in Legatis laudant, requiri. *Ridiculum revera est*, inquit Zevecotius Observat. Polit. ad Sueton. Caes. cap. XLV., *staturam alicuius aut laudare aut accusare. Saepe in exiguo corpore magna habitat anima, et stultos frequentius longos videmus, quam parvos. Breviori statura fuere Carolus M. Henricus M. Alexander M. et alii multi. Nec Tydaeo corporis exiguitas obstitit, apud Statium in Thebaide, quo minus plures hostes solus trucidaret.* Haec ille satis eleganter, ut sunt omnes eius observationes perquam elegantes. Quod autem de Tydaeo affert, cui *maior in exiguo regnabat corpore virtus*, uberius illustravit, et geminis exemplis confirmavit Barthius ad Statium tom. II. pag. 145. Illud tamen mirum alicui videatur, cur Carolo

M. breviorem staturam tribuat Zevecotius, cum tamen multi in alia omnia abeant. Certe si Turpino fidem habemus, ex quo id repetunt Suffridus Presbyter Misnensis lib. I. et Lindenbrogius in Carol. Chron., statura Caroli octo pedum fuit, facies vero longitudinis palmi cum dimidio. Verum quicquid est illius commenti iam pridem confutavit vir celeberrimus Marquardus Freherus libello singulari ea de re edito, qui Carolum quidem eminenti fuisse statura scribit, sed ut iustam non excederet. Zevecotium tamen qui defendas non reperio, quippe qui etiam proceram eidem denegasse videtur. Aliud enim docemur ab Eckehardo Iun. cap. 1. *Carolus erat homo praeter decorae faciei dotem et staturae procerae.* Helperici versus nescio an Turpini fabulas sapiat:

*Rex Carolus cunctos humeris supereminet altis.*

Vox pariter gracilis. *Gracilem* vocem esse reor, quam oratores et poetae *acutam* vocant, quippe quae cum stridore quodam tenuis editur, quamque mulieribus ferme naturalem esse, experientia docet; et caussam eius rei potissimam esse volunt vasorum angustiam: cui tamen alii exsufflationem remissam, facultatem infirmiorem et calorem parciorem addere solent Alexander Aphrodis. Probl. CXVII. *Cur*, inquit, *mulieres acuta sunt voce, itemque spadones et pueri? Quia ab humiditatis abundantia arteria eis in amplum minime protenditur. Caliditatis enim officium est, meatus laxare in amplum. Ut ergo angusta tibia acutum edit sonum, sic et aspera arteria cum angusta est.* Confer eiusdem Alexandri Probl. XI. et Macrob. Saturnal. lib. VII. cap. 10. et si recentiorem cupis, Melchiorem Sebizium Disputat. de differentiis corporis virilis et muliebris.

Et lineamentorum qualitas matri ac filio similis. Rara admodum est illa lineamentorum similitudo, quam in multis hominum millibus vix reperire licet. Ex quo quidem summa Numinis aeterni maiestas cuivis paulo attentius consideranti clarissime patere potest. Nam de aliis huius dissimilitudinis caussis, quas nonnulli ex influxu planetarum, aliisque rebus petunt, nunc non ero sollicitus. Qui tamen hisce capitur, adeat praeter alios Georgium Pictorium Subcisiv. Lection. dialog. IX. Praeclare Seneca epist. CXIII. *Circumspice omnia corpora, nulli non et color proprius est, et figura sua et magnitudo. Inter caetera, propter quae mirabile divini artificis ingenium est, hoc quoque existimo, quod in tanta copia rerum nunquam in idem incidit, etiam quae similia videntur cum contuleris diversa sunt. Tot fecit genera foliorum: nullum non sua proprietate signatum, nulli similitudo cum altero convenit.* De eadem discrepantia Firmicus lib. I. cap. 3. Astronom. *Prodeant simul patres, liberi, fratres; cum enim sint unica omnium necessitudine sanguine iuncti, diversa tamen formarum designatione cernuntur Nec invenitur aliquis ita similis, ut non vultus eius ab alterius vultu ex aliqua parte dissentiat.* Eandem facierum varietatem miratur Felix Platerus Quaest. Physic. XII. *Et hoc mirum*, inquit,

*in homine praesertim, ex una forma faciei tam affabre constructa tot differentes formas enasci, ut alterius rei in toto mundo diversitates vix inveniantur, nec una sit facies, quae in tanta hominum multitudine alteri per omnia similis existat, sed plerumque plurimum inter se, etiam inter eos, qui ex iisdem parentibus nati sunt, discrepet. Et licet similitudo quoque aliqua facierum in quibusdam non solum consanguineis, sed et sanguine alienis deprehendatur, interdumque tanta, ut in aliquibus, atque inter eos praesertim qui eodem partu nati fuerunt, contingere vidimus et legimus, ut vix ab invicem dignoscerentur, haec tamen tam exacta minime est, quin certis quibusdam notis differentibus, si modo recte observentur, ab alterius forma distinguerentur.* At enim quo rarius harum similitudinum se offerunt exempla, eo maiorem ad admirationem traducimur, *quando duos ita similes reperimus, ut in iis discernendis aut semper aut frequenter erremus;* uti loquitur B. Augustinus de C. D. lib. XXI. cap. 8. Et sane, *ne Deo videretur adscribi, ex imbecillitate virtutum eius omnes homines sibi esse dissimiles, saepissime voluit esse aliquos mira faciei vultusque similitudine conspicuos, ut et inde divina virtus novis miraculis eluceret;* ceu non inepte disserit Maiolus Dier. Canicul. tom. I. colloq. 4. Consignarunt autem eiusmodi exempla Aristoteles de Nat. Animal. lib. VI. cap. 7. Plinius N. H. lib. VII. cap. 12. Solinus cap. 5. Plutarchus de placitis Philosoph. V. 12. Lactantius de Opif. Dei cap. 12. Bapt. Campofulgosus Memorabil. lib. IX. cap. 15. L. Vives in laud. loc. August. Kornmannus de Miraculis Vivorum. L. N. a Moltken in not. ad Religion. Medici. parte II. sect. 2. Maiolus et Corasius l. l.

3. Igitur brachia ac crura velamentis tegit. Mirum quantum hic varient scripti libri, aliis *virilis vestis*, aliis *calceamentis* habentibus, quod quidem et Salmasio in notis ad Histor. Aug. placuit, qua de lectione forsan plura alibi. Bongarsio tamen, Modio, Berneggero vulgata arridet, quam etiam Autor II. 1. 6. repetit. Eandem calculo suo approbat Brissonius in docto de Persarum Principatu opere lib. II. pag. 253. ubi illa crurum velamenta a Graecis *ἀναξυρίδας*, a Latinis braccas et feminalia fuisse dicta asserit. Adi eundem Brissonium pag. 41. seqq. ubi alium Isidori locum e lib. XIX. Orig. *Persae brachia et crura velamentis* (cum antea *lineamentis* legeretur) *caput tiara tegunt.* felicissime e Nostro restituit.

Caput tiara tegit. Lubet hic paulisper exspatiari, et quod cum lectoris venia fiat, veterum Persarum tiaras paulo attentius contemplari. *Tiaras vel tiara, Graecis Τίαρας et Τιάρα, genus erat pileoli, quo Persarum Chaldaeorumque gens utitur:* uti scribit Hieronymus in cap. III. Daniel. Et Tzetzes Hist. Chiliad. VIII. 139. *Τιάρα σκέπη κεφαλῆς ὑπῆρχε παρὰ Πέρσαις.* Et gemina habet doctissimus Scholiastes Aristoph. ad Acharn. act. I. scen. 2. Hinc et festivissimus Anacreon:

*Καὶ Παρθίους τοὺς ἄνδρας*
*Ἐγνώρισεν τιάραις.*

I. C. Scaliger in Exercitat. ad Cardanum a Persico *Taron* deducit, Vossius autem in Lexico Etymolog. ab Ebraeo עֲטָרָה *corona*, quod radicem habet עָטַר *coronavit*, *cinxit*, non inepte derivat. Erat autem Persarum tiara in dupliei potissimum differentia: Regum recta et sursum elata apice seu cono in sublime erecto; reliquorum vero *ἐπικεκλιμένη* et hoc amplius *ἐπτυγμένη καὶ εἰς μέτωπον προβάλλουσα*, deorsum vergebat et implicata involutaque in frontem deducebatur, quemadmodum id Xenophon Cyropaed. lib. II. et VIII. Arrianus lib. III. et VI. Aristophanes in avibus eiusque Scholiastes pag. 387. Iosephus lib. XX. cap. 3. Plutarchus *περὶ φιλαδελφίας*, it. lib. II. de fort. Alex. Lucianus passim, Eunapius in Aedesio, Seneca lib. VI. de Benef. cap. 31. Suidas in *Τιάρας*, Hesychius, Dio Chrysostomus orat. 14. aliique plures disertis verbis affirmant. Hinc cum a Rege cuipiam concederetur rectam tiaram gestare, summi instar erat beneficii: quod quidem Demarato a Xerxe permissum fuisse legimus apud Senecam d. l. Plutarchum in Themistocle, et Suidam. *Indicare autem voluerunt hoc pacto magni Reges*, ut arbitratur Barthius in Claud. pag. 608., *excelso se et summo imperio uti, nec ulli esse subditos, nec ullius potentiam metuere.* Verum VII Persis, Magorum percussoribus, eorumque posteris praemii loco concessum fuisse, ut in anteriorem partem capitis prominentem tiaram gestarent, Plutarchus in politicis docet; atque ita, ut Brissonius ostendit, et a Regibus et a ceteris e vulgo diversam tiaram gestasse videntur; propterea quod non ut Reges erecta ac velut in perpendiculum in caput elata, neque ut privati in frontem propendente et demissa, sed medio quodam statu in sinciput proiecta prominenteque ingrederentur. Quod ad materiam tiarae: eam non ex coactilibus, id est e lanis villisque confectam, sed ex pannis compactam fuisse, ex Herodoto docet Brissonius de Pr. Pers. pag. 31. ubi etiam de figura eius pluribus disquirit. Colorem purpureum ei tribuit Ovidius lib. XI. Met. fab. V.

*Tempora purpureis tentat velare tiaris.*

Gemmis et margaritis distinctam ostendit Valerius Flaccus lib. VI. Argon.

*Ad viridem gemmis et Eoae stamine sylvae*
*Subligat extrema patriam cervice tiaram.*

Ceterum non immerito quaerimus, cur Sidonius Apollinaris *lunatam*, sive ut alii legunt *lunatum* (nam et eo genere usurpari notum est) eandem appellarit Carm. 2. vs. 51. et Carm. 23. vs. 251. Dimidiatae lunae effigiem minime prae se tulisse certum est, quicquid dicat Dempsterus ad Rosin. lib. V. cap. 35. neque id voluisse Sidonium certo mihi persuadeo, ut iniuria ergo reprehendatur a Bulengero lib. de Vestiment. Pontif. cap. V. Sed potius effictam in ea aut appictam credo lunae imaginem: quam Persarum symbolum et omen augendi imperii fuisse novimus. Qua quidem in

opinione consentientem habeo eruditissimum Paschalium lib. IX. de Coronis cap. 18. Quamquam non sum nescius scriptorem anonymum de Pileo ab Anselmo Solerio paucos ante annos editum id de diademate, tiarae plerumque addi solito, et sic dimidiatam lunam quodammodo referente explicare. Vocabatur tiara alio nomine κύρβασις vel κυρβασία, ut Aristophanis Scholiasta et Suidas habent, itemque πῖλος, ut Pollux scribit lib. VII. Onomast. cap. 7. nec non a Strabone πίλημα, ut annotavit Brissonius. Ceterum tiaram a *cidari*, quod Persicorum Regum capitis tegumentum Curtius describit lib. III. vix nisi nomine discrepare, Alexander Neapolit. lib. I. Gen. Dier. docuit, et pluribus tradunt eruditi. Quid autem inter *mitram* et *tiaram* discriminis fuerit, primus ex Herodoto et Maximo Tyrio Brissonius monuit: et tangunt auctor de Pileo pag. 87. et Dempsterus d. l. Unum adhuc de tiara notari meretur, quod eam honoris caussa detrahere soliti sint in eorum, quos venerari volebant, conspectu: quemadmodum id quoque annotavit πολυμαθέστατος Brissonius lib. II. pag. 247. Ex quo morem caput aperiundi vetustissimum esse cognoscimus, quemadmodum id insuper ex Sallustio, Seneca, Arnobio aliisque clarissime constat, et pluribus id observarunt Heraldus ad Martial. lib. III. ep. 58. Ph. Caroli ad Curt. Erat autem praeterea tiara sacerdotum apud Phryges tegmen, quod per malas veniens mento subligabatur: quod ex Senecae Thyest. act. IV. sc. 1. Iuvenalis sat. VI. Valerii Flacci Argonaut. lib. VI. Servii in lib. VI. Aen. iam alii monuerunt; quare etiam nonnulli Phrygiam vocem esse crediderunt. Plura de *tiara* congerere nolo, et legi ea possunt apud laudatos Brissonium, Barthium, Dempsterum, Anonymum de Pileo; tum vero apud Salmasium Commentar. de coma, Tiraquellum ad Alex. Gen. Dier. lib. I. cap. 28. et V. 18. item in III. leg. connub. gloss. I. part. 3. Taubmannum ad Plautum in Pers. IV. 2. et ad Virgil. VII. Aen. vs. 247. Heraldum ad Martial. lib. X. epist. 27. Dilherrum part. I. Disput. Philol. pag. 140. Elmenhorstium in indice Apuleii, Burtonum in λείψαν. linguae Persicae, et inprimis apud Paschalium lib. X. de Coronis cap. 1. et 2. quippe quem prae ceteris in excutienda tiara diligentem fuisse video. De *diademate* vero, quod ad rectam Persarum tiaram accedebat, et fascia erat plerumque candida, quod capiti circumligabant, ut id ex antiquis numismatibus clarum est, quorum aliquot in scriniis servat aeternum Academiae nostrae ornamentum Hermannus Conringius, plerique quos laudavi disserunt, quos inter merito eminet Caroli Paschalii opera; quibus iungas Raderum et Freinshemium ad Curt. lib. III. cap. 3. Lipsium ad Tacit. Annal. VI. Vossium et Fungerum in Lexicis Etymolog. Camerarium Oper. Subcis. Cent. I. cap. 61. Pancirollum Var. Lect. lib. I. cap. 9. Marquardum Freherum (hunc enim esse reor, qui notas ad Donationem Constantini M. scripsit) pag. 55. Hoc externorum diadema fere accessit ad vittam illam hyacinthinam, cui lamina illa aurea Max. Iudaeorum Pontificis fronti alligata erat; de qua videantur Seldenus de Successione in Pontific. lib. II. cap. 7.

Auctor de Pileo sect. XII. Saubertus, praeceptor et patronus aetatem colendus, Commentar. de Sacerdot. Ebraeor. part. II. cap. 6. ut adeo facile crediderim gentiles diadema suum, ut multa alia e Iudaea accepisse. Hodierna demum Persarum tegmina contemplaturus adeat Adami Olearii, Viri summi, et quae summa eius laus est humanissimi, Maecenatis mei observandi, Itinerarium Persicum lib. V. cap. 14.

ET NE NOVO HABITU ALIQUID OCCULTARE VIDERETUR. Rem paulo aliter gestam narrat Diodorus lib. II. cap. 6. videl. Semiramidem, ad virum Menonem in castra excitam, ut multorum dierum iter eo commodius conficeret, sumpsisse stolam, quo et nativum colorem contra aëris aestum tutaretur, et agilitate iuvenili ad quodvis negocium expedita foret: tantamque in posterum vestis gratiam apud Medos et Persas fuisse, ut Semiramidis stolam, hoc est quae ei et nomen et originem debebat, crebro gestaverint.

EODEM ORNATU ET POPULUM VESTIRI IUBET. Etsi persaepe Principes facinora, quae suspectos sese atque exosos populo reddere poterant, ne unice sibi reservarent, cum subditis communicaverint, quale quid de Claudio accepimus, qui postquam filiam fratris Agrippinam uxorem duxit, eas nuptias ratas in posterum lege iussit: (vid. Tacit. XII. Ann. 7. Quod alibi Tacitus appellat *societate culpae invidiam declinare.* et iterum, *societate culpae tutiorem esse.* lib. II. Hist. 52. et IV. 41.) tamen iussu ad ea, quae in Principibus vident, exsequenda minime opus esse censeo. Cum enim in eos subditi tanquam in edito loco positos et clarissima luce versantes oculos coniiciant, omnia curiose et diligenter inquirant, quid agant, quid loquantur, quomodo vivant, quemadmodum conviventur, ac se vestiant, et per hasce quasi rimulas ipsum illorum animum intueantur et excutiant; fieri certe non potest, quin et sibi ex his exemplum sumant, et ad illorum mores vitam suam componant. *Scilicet in vulgus manant exempla regentum.* et verum est, quod ait Plinius in Panegyr. cap. XLV. *Vita Principis censura est eaque perpetua; ad hanc dirigimur, ad hanc convertimur, nec tam imperio nobis opus est, quam exemplo.* Et Leo philosophus in Tacticis II. cap. 51, *Τοῖς τῶν ἀρχόντων φρονήμασιν ἀεί πως συνδιατίθεται τὸ ἀρχόμενον.* Neque res tam clara testibus aut exemplis eget, in quibus tamen conquirendis magna manus eruditorum desudavit, ex quibus saltim nominasse sufficiat Lipsium Polit. lib. II. cap. 9. Barthium ad Claud. pag. 207. et 653. et ad Papinium tom. II. pag. 466. Camerar. Cent. 1. cap. 66. Gruterum Discurs. in Tacit. 6. Magirum in Polymnem. pag. 954. Et notum inprimis illud de Rege claudicante, ad cuius morem et alii claudicare coeperunt; nec minus istud de Philippo Bono Burgundo, et de Francisco I. Galliarum Rege, ad quorum morem praecipua nobilium corona comas, quae illo seculo magna cura nutriebantur, radi iussit. Neque est de nihilo, quod quidam non inscite iudicabat; quod si Galliae Princeps barbam denuo alere coeperit, extemplo Gallos, et hos quidem Germanos

nostros (qui in Gallorum mores tanquam in speculum quoddam nunquam non inspiciunt, et quod facto usu sit, ab iis continuo discunt) paulatim secuturos. Facilius autem prae virtutibus vitia regentum, ad quae alias natura sic satis sumus proclives, imitantur subditi; adeo ut D. Gregorius Nazianzenus orat. XXI. Apolog. fugae, nullam tam paratam imbuendo vestem ad colorem, neque tam idoneam ad odorem recipiendum, neque tam pestilentem habitum in aëre diffundi censet, cuius contagio animantia inficiantur, quam soleat celeriter Principum virorum pravitate atque vitiis compleri vulgus, et multo quidem citius, quam e contrario virtutibus. *Non* enim *ibi consistunt exempla, unde coeperunt, sed quamlibet in tenuem recepta tramitem, latissime evagandi viam sibi faciunt; et ubi semel recto deerratum, in praeceps pervenitur, nec quisquam sibi putat turpe, quod alii fuit fructuosum:* ut est apud Velleium lib. II. Graviter ea de re Iuvenalis sat. XIV.

*Sic natura iubet, velocius et citius nos*
*Corrumpunt vitiorum exempla domestica, magnis*
*Cum subeant animos auctoribus.*

Sed priusquam haec mittamus, unicum adhuc in scenam producemus Ludovicum XI. Galliae Regem: is cum Carolum filium Latina discere, praeter unum illud, *Qui nescit simulare, nescit regnare*, serio vetaret: Ludovici consilium ita acceperunt aulici, ac si nullis iam amplius litteris opus esset, adeo ut ex eo nullum non studiorum genus alto supercilio despexerint, ceu Vincentius Lupatus et ex eo Phil. Camerarius recensent. Quamquam Iohannes Rivius Decad. III. Rerum Francic. lib. VII. ex Gaguino Ludovicum hunc excusat, idque non ex odio in litteras, sed propter filii imbecillitatem factum esse contendit. Sed ne nimis extra oleas, obsignabimus hoc quicquid est dictorum aureo Senecae effato: *Inter caussas malorum nostrorum est, quod vivimus ad exempla, nec ratione componimur, sed consuetudine abducimur. Quod si pauci facerent, nollemus imitari; cum plures facere coeperunt, quasi honestius sit, quia frequentius, sequimur, et recti apud nos locum tenet error, ubi publicus factus est.* Epist. CXXXIII.

4. Ubi invidiam superatam putat. Invidiam non nisi post obitum quiescere multis testimoniis Exerc. I. evicimus. Verum enim vero, uti fere nulla datur regula, quae non aliquando quandam admittat exceptionem, ita nunc invidiam rerum gestarum amplitudine interdum posse superari, ad mentem Iustini nostri aliorum sententiis adstruemus. Ceterum non diffiteor, id adeo difficile esse, ut vix unus e multis hominum millibus ad tantum gloriae fastigium perveniat. *Difficillimum est inter homines*, inquit Sallustius in Iugurtha, *gloria invidiam vincere.* sive ut vetus Panegyrista ait: *Difficillimum est invidiam virtute superare.* Quibus consimilia habet Saxo Gramm. lib. VI. Stat tamen sententia aliquando superari. *Sicut enim sol eius umbram, supra cuius caput adstiterit, suis adspergendo radiis aut prorsus extinguit, aut longe minorem red-*

*dit, ità et felicitas cum magnam nacta altitudinem fuerit, et supra invidiae caput adstiterit, splendoremque adsperserit, eam attenuat expellitque:* ut habent illa Plutarchi a Rhodigino lib. XX. cap. 30. Latine versa. Scilicet *magnanima invidia virtus caret:* ut canit Silius lib. XIV. Elegans in hunc sensum locus est apud Claudianum III. de laud. Stilic. quem propterea huc transscribere non pigebor:

*Facta sequebatur quamvis ingentia livor,*
*Sic hic invidiae fines virtute reliquit,*
*Humanumque modum. Quis enim livescere possit*
*Quod nunquam pereant stellae, quod Iupiter olim*
*Possideat coelum? quod noverit omnia Phoebus?*
*Est aliquod meriti spacium, quod nulla furentis*
*Invidiae mensura capit.*

Eleganti id declarat simili *Lud. Vives*, vir maximus sui aevi et ab Henrico Angliae Rege tantopere aestimatus, ut litteras amorum et gratiarum plenas ad ipsum scriberet, lib. III. de Anima: *Languescit,* inquit, *invidia felicitate eo usque progressa, vel in nobis ipsis vel in aemulo, qui omnem aequalitatem tollat, sicut in fortuna Alexandri, quem odisse poterant multi, invidere nemo. Opprimitur enim invidia magnitudine non aliter quam fumus ingenti flamma.* Eandem similitudinem paulo clarius inculcat Romani Flori simia, Germanici Flori auctor Wassembergius Bell. Suecic. pag. 306. *Consuevit enim fieri,* ait, *ut flammam primum emicantem multus comitetur fumus, qui non nisi invalescente et explicante se flamma evanescat. Sic res egregias aggredientem initio multa premit invidia, donec aucta gloria iam virtus maior invidiae fumum discutiat.* Sed desino talia congerere, quamquam belle, ut puto, et sapienter dicta.

5. Quod mulier non foeminas modo virtute sed etiam viros anteiret. *Aut nimis, aut minus sapere mihi visi semper fuerunt illi, qui omnes fortitudinis partes viris, nullas foeminis concedunt;* ait Zevecotius Observ. ad Flori lib. II. cap. 15. Rarum est, mulierem fortem evadere, fateor: imo rarissimum, non tamen ut fieri non possit. Quin imo quo rarius est, et sexus ille imbecillior, eo praeclarius ac nobilitate dignius factum. Et ut ad exempla veniamus, quis non de Scytharum Regina Tamyri, de qua cum Herodoto lib. I. Noster I. 8. 2.; de Halicarnassensium Artemisia, de qua iidem scriptores; de Palmyrenorum Zenobia totius orientis mulierum omnium nobilissima, et ut Capitolinus tradit, omnium formosissima, de qua Pollio; de Agrippina quae virilibus curis foeminarum vitia exuerat, ut habet Tacitus Annal. VI. 25. 2.; de Valasca Boëmorum, qua de Aeneas Sylvius in Descript. Boëm. cap. 7. 8. vel fando inaudivit? Ut taceam exempla tam sacra, quae omnibus sunt aut certe esse debent perspecta, externaque alia plurima, quibus recensendis tempus me citius quam numerus et oratio deficeret. Ex pluribus tamen, quae Patrum memoria immortalitati nomen suum transscripsere, cape sis exemplum unicum. Quadraginta quatuor

annos sine ullo virtutis aut famae detrimento sceptrum gessit Elisabetha, Angliae Regina, ad quam inter cetera Coelius Curio Epist. Praelimin. in Fulviae Olympiae opera praefari non dubitat: *Quae viri non potuerunt, tu maiestate Regina, aetate puella, integritate virgo, praestitisti. Unde principes*, verbis utor Lansii Orat. pro Britannia, *eam coluerunt ut matrem benignissimam, hostes metuerunt ultricem iustissimam, et totus Christianus orbis cum admiratione suspexit ut pacis et tranquillitatis publicae conservatricem.* Nec minori eruditionis, prudentiae et virtutis gloria conspicua nuper fuit magni illius Gustavi Adolphi Sueciae Regis Christina filia, nisi eandem gloriam secessione facta a religione illa, pro qua pater gloriosissimus etiam cum vitae dispendio fortiter pugnarat, non parum obscurasset, et tantum non prorsus exstinxisset. Sed nec de summa multarum foeminarum eruditione, qua etiam doctissimos quosque viros anteivere, multum disserendi locus est: cum id iamdudum exsequuti sint alii viri clarissimi, quorum scrinia compilare mihi est religio. Consuli interea possunt Vir stupendae lectionis Andreas Tiraquellus leg. XI. Connub. n. 30. cuius messi falcem bona pars sequentium, qui huius argumenti quaedam tractarunt, immisisse deprehenditur, Zvingerus in Theatro V. H. Radulphus Fornerius Rerum Quotidian. lib. V. cap. 21. Maiolus Dier. Canic. tom. I. colloq. 4. Ravisius Officin. tom. I. Magirus in Polymnem. et qui sexus foeminini praestantiam peculiari libello commendavit Ioh. Petrus Lotichius. Neque tamen haec eo dicta existimari velim, quasi ex ea foeminarum virtute et eruditione praeditarum multitudine Gynaecocratiam probari posse sentiam. Minime omnium. Verum cum Arnisaeo lib. II. de Republ. cap. 2. sect. XII. istam non moramur, eo quod, si ad infinitam virorum excellentiam, mulierum vero vitiosarum aestimentur multitudinem, partim rara sint, partim vero a communi lege naturae exorbitent.

7. Haec Babyloniam condidit. De Babylone urbe, *Chaldaicarum gentium capite, quaeque diu summam claritatem obtinuit in toto orbe*, ut loquitur Plinius N. H. lib. VI. cap. 27., quamque Aristoteles *gentis seu provinciae potius quam civitatis ambitum habuisse* censet lib. III. Polit. cap. 2., multi multa dixerunt, quos exscribere non est instituti nostri. Attamen auctorem nostrum secuti, primum de nomine, mox de eius conditoribus, postea de illius moenibus, ac demum de structurae illius materia disseremus: ubi tum coronidis loco cum alia huc facientia, tum hodiernam Babyloniae faciem paulisper contemplabimur. Quod ad nominis originem spectat, neminem eandem latere arbitror, cum ista clare satis indicetur Genes. XI. vs. 9. Nomen videlicet habet a בָּלַל *confudit:* quod ibidem linguarum confusio propter turris Babylonicae structuram facta sit. Et agnoscit Iosephus lib. I. cap. 6. Antiquitat. Iudaic. *Ὁ δὲ τόπος ἐν ᾧ τὸν πύργον ᾠκοδόμησαν νῦν Βαβυλὼν καλεῖται, διὰ τὴν σύγχυσιν τοῦ περὶ τὴν διάλεκτον πρῶτον ἐναργοῦς· Ἑβραῖοι γὰρ τὴν σύγχυσιν Βάβελ καλοῦσι.* Sic Augustinus admirandi operis de

Civit. Dei lib. XVI. cap. 4. *Ista civitas quae appellata est confusio, ipsa est Babylon, cuius mirabilem constructionem gentium etiam commendat historia: Babylon quippe interpretatur confusio.* Idem etymon Abydenus scriptor gentilis apud Eusebium agnoscit lib. IX. Praep. Euang. cap. 4. Non inepte Lyra ad laudatum Genes. locum: *Et cessaverunt aedificare: quia quando unus petebat lapides, alter praestabat caementum, vel aliquid simile, et sic credebat unus se derideri ab alio, propter quod mota inter eos est rixa et contentio, et sic opertuit, quod cessarent ab aedificando. Et idcirco vocatum est nomen eius Babel, id est confusio: videlicet iuxta proprietatem Hebraici sermonis mixtio; quod homines ad invicem mixti non intelligebant se mutuo propter multitudinem idiomatum.* Sed quid rei tam apertae diutius immoror? De conditoribus nunc dicere animus est. Et primam quidem huius urbis structuram Semiramidi cum Iustino tribuunt Diodorus Siculus Bibliothec. lib. II. cap. 7. Strabo Geograph. lib. XVI. initio: ex parte Herodotus lib. I. Dionysius Periegetes: Solinus cap. LXX. Pomp. Mela lib. I. Scholiastes Aristoph. ad Aves. Velleius lib. I. cap. 5. Plutarchus de Fort. Alex. lib. II. cap. 8. Hyginus Fab. CCLXXV. Sic et Propertius lib. III. *Persarum statuit Babylona Semiramis urbem.* A Semiramide tamen exstructam esse Babylonem iam olim negavit Berosus in Chaldaicis teste Iosepho lib. I. contra Apion: idem Philonis Byblii et Dorothei Sidonii testimoniis confutavit Iulius Firmicus, quemadmodum id observat Ampliss. noster Conringius Advers. Chronolog. cap. VIII. pag. 41. Idem negat, et Herodotum eo nomine, minus tamen quam par est, perstringit Stephanus *περὶ πόλεων,* cuius verba deinceps in medium afferemus. Alii Nimrodum Babylona condidisse asserunt; et iisdem quoque ipsae sacrarum litterarum pandectae quodammodo adstipulari videntur. Nam de Nimrodo testatur mundi nascentis Historicus Genes. X. vs. 10. quod initium regni eius fuerit Babylon. idem plane hoc ipso Scripturae loco adductus statuit Augustinus de Civ. Dei lib. XVI. cap. 4. idem statuunt Orosius lib. II. cap. 7. idem Georgius Monachus, cuius haec sunt verba: *ὁ Νιμβρὼθ κτίσας τὴν Βαβυλῶνα πόλιν.* Nec aliter Methodius Patarae Episcopus, cuius verba laudat Bulengerus Eclog. ad Arnob. lib. II. cap. 3. Verum enim vero cum Nimrodus ab externis scriptoribus iuxta multorum sententiam Belus appelletur, quemadmodum Exercit. priori ostendimus, hinc forsan factum, ut Belo structuram urbis plures adseruerint. Hinc etiam Curtius lib. V. *Semiramis Babylonem condidit, vel ut plerique credidere, Belus.* Idem vult Abydenus apud Eusebium lib. IX. Praeparat. cap. 4. Nec falluntur forsan illi, qui a Nimrodo sive Belo fundatam, a Semiramide vero, postquam inundationibus Euphratis pene diruta et vastata, instauratam murisque circumvallatam esse scribunt. Sic Ammianus Marcell. lib. XXIII. cap. 20. *Moenia urbis a Semiramide bitumine structa fuisse* ait, *arcem antiquissimum Regem Belum condidisse.* Et Orosius quoque lib. II. cap. 6. *Babyloniam a Nemrod gigante fundatam, a Nino*

*vel Semiramide reparatam* scribit. Et iam ante Augustinus de C. D. lib. XVIII. cap. 2. *Semiramidem putant nonnulli condidisse Babyloniam, quam quidem potuit instaurare.* Iulianus Imperator Orat. II. in laud. Imperat. Eusebiae: *Τότε ἐν Βαβυλῶνι τεῖχος οἰκοδομεῖ πεντακοσίων σταδίων μικρὸν ἀποδέον. Καὶ τὰ περὶ τὴν πόλιν ὀρύγματα καὶ ἄλλα πολυτελῆ καὶ δαπανηρὰ κατασκευάσματα ἐκείνης ἔργα γενέσθαι λέγουσι.* Quae sic vertit Petavius: *Caeterum* (Semiramis) *Babylone murum excitavit quingentorum fere stadiorum, et quae circum hanc urbem fere fossiones aut caeterae id genus magnificae ac sumptuosae structurae sunt, ab ea omnia perfecta dicuntur.* Et dudum ita sensit pater historiae Herodotus, qui Babylonis structuram pluribus Regibus, moenium vero Semiramidi et Nitocri (quam Nabuchodonosori uxorem fuisse censet Conringius Adversar. Chronolog. cap. X. pag. 56.) adiudicat. Ita Avienus Dionysii interpres:

*— — Babylon producitur arce*
*Procera in nubes: hanc prisca Semiramis urbem*
*Vallavit muris, quos non absumere flamma,*
*Non aries penetrare queat.*

Et Ovidius lib. IV. Metam. Fab. 4.

*ubi dicitur altam*
*Coctilibus muris cinxisse Semiramis urbem.*

Quem ad poetam provocat Hieronymus tom. VI. in cap. 2. Oseae: *Nini uxor Semiramis*, inquit, *de qua multa et miranda referunt, muros Babylonis exstruxit:* de qua insignis Poeta testatur, dicens:

*— — quam dicitur olim*
*Coctilibus muris cinxisse Semiramis urbem.*

Verum quid ad ea Propheta Daniel? qui Nabuchodonosorem sic se magnifice efferentem introducit: *Nonne haec est Babylon magna quam aedificavi?* Verum cum saepius fiat, ut nomen auctoris non primo solum fundatori, sed et amplificatori et restitutori tribuatur, quemadmodum Nehemias auctor murorum Hierosolymitanorum dicitur Ecclesiast. cap. XLIX. vs. 15. quos tantummodo refecisse legimus cap. 1. et 2. Nehemiae; ita hoc in loco geminum accidisse puto. Quod probe intellexit minime ineptus S. Scripturae interpres Lyra, cuius haec sunt verba: *Non aedificaverat Nabuchodonosor simpliciter illam civitatem, sed fecerat eam metropolim suae monarchiae, et eam ampliaverat et fortificaverat ad robur regni sui et decorem.* Atque huc pertinent illa Abydeni apud Eusebium, quae Georg. Trapezuntius sic vertit: *De Babylone quoque Abydenus haec scribit: Omnia*, inquit, *illa loca aquis circumtecta fuisse dicuntur. Belus autem regionem siccasse perhibetur et Babyloniam condidisse, quae moenia aquarum illuvione deleta Nabuchodonosorus restituit, quae remanent ad haec Macedonum tempora.* Et post pauca; *Cum principatum Nabuchodonosorus accepisset, continuo Babylonem triplici muro quindecim diebus munivit, et fluvios Armachalem atque*

*Acrachanum ab Euphrate ortos obstruxit: paludem etiam effodit XX passuum altitudinis, parasangarumque XL, portasque in ea fecit, quas Rivotenentes appellabant, quibus apertis Babyloniae campos irrigabant, rubrique maris inundationem obstruxit, et Teredonem urbem ad sustinendos Arabum impetus condidit, et in regia pensiles hortos plantavit.* *Hoc ab Abydeno sumere placuit. Quoniam legitur apud Danielem, Nabuchodonosorem in templo suo ambulantem arrogantia motum dixisse: Annon est ista Babylon magna, quam ego in potentia mea ad laudem gloriae in domum regni construxi: et adhuc ista loquentem eversum fuisse.* Huc usque Eusebius. Neque tamen quisquam negaverit verba Nabuchodonoseris vesanam quandam iactantiam redolere, et plus auctori quam par erat tribuere, ut iam ante praeclare sensit Arnisaeus de Republ. cap. 2. sect. 1. n. 7. Non autem Excell. Conringius Adversar. Chronol. cap. XI. pag. 57. Scaligerum audiendum censet, qui moenia illa ab uxore, quo tempore furore percitus erat maritus, exstructa autumat; cum ante illud tempus iam constructa e Daniele perspicue pateat. Neque ego audiendum censeo Aristaeum apud Eusebium l. c. qui *ἐπὶ Ναβοννίδος τὰ περὶ ποταμὸν τείχη τῆς Βαβυλονίων πόλεως ἐξ ὀπτῆς πλίνθου καὶ ἀσφάλτου κατακοσμηθῆναι* scribit, id est *a Nabonide* (quem Bulengerus Balthasarem esse suspicatur) *muros urbis Babyloniorum, qui iuxta fluvium sunt, ex latere cocto et bitumine constructos.* Neque est, quod Philostratum moremur, qui Apollonii Medeae opus esse perhibet. Sed adhuc quid Stephanus de nostra Babylone scribat audiemus: *Βαβυλὼν Περσικὴ πόλις, μητρόπολις, Σελευκία καλουμένη, Βαβυλῶνος ἀνδρὸς κτίσμα παλαίτατον σοφωτάτου παιδὸς Μήδου, οὐχ ὡς Ἡρόδοτος ὑπὸ Σεμιράμιδος· ταύτης γὰρ ἦν ἀρχαιοτέρα ἔτεσι χιλίοις δύο, ὡς Ἑρέννιος.* Haec autem qui conficta esse non videt, nihil videt. Quod si enim haec ita se haberent, ultra diluvium excurreret Babylonis structura: qua quidem nihil dici potest absurdius, nihil a veritate alienius. Plane quoque a vero absona est illa opinio, quam nescio unde haustam Suidas refert in *Σεμίραμις*. Hanc videlicet Reginam Niniven moenibus cinxisse et mutato nomine Babylonem vocasse, duabus nobilissimis civitatibus absurde in unam confusis. Sed iuvat ipsum audire Suidam: *Σεμίραμις αὕτη βασιλεύσασα τῶν Ἀσσυρίων πρώτη καὶ καταδυναστεύσασα, καὶ πολλοὺς ἀνθρώπους ἀνελοῦσα, πρῶτον μὲν ἐξεῦρε τὰ μέταλλα, τοῖς δὲ αἰχμαλώταις τὴν τούτων ἐργασίαν ἐπέτρεψε, περιέθηκε δὲ καὶ τείχη πρώτη τῇ Νινευί, μετονομάσασα ταύτην Βαβυλῶνα, καὶ τοῖς ποταμοῖς περιέβαλε στόμια* etc. Et tantum quidem de conditoribus clarissimae urbis sufficiant, ad alia mox transituro. Ut autem aequo lectori de mente mea clarius constet, paucis eam repetere lubet. Primum conditorem Babylonis Nimrodum fuisse existimo, quem cum alii Belum Nini patrem fuisse dicant, et huic urbis structuram assignent, eosdem pedibus in meam sententiam ire puto. Sed quia eam urbem exiguam et Euphratis inundationibus forsan dirutam restauravit Semiramis, et longe ampliori murorum circuitu circumvallavit, non immerito tantae urbis

exstructionem eidem adscribi credo: quam postea contemptam ab Assyriorum Regibus, qui praetulerunt ei Niniven, Nabuchodonosor instaurasse eoque sedem regni transtulisse, muros quoque aut plane novos exstruxisse, aut a Semiramide exstructos ampliasse credendus est. Nunc vero ad ipsa urbis moenia propius accedere animus est, quae quidem olim adeo omnium ora atque oculos in se converterunt, ut inter VII orbis miracula adscribi mererentur, ceu praeter Cassiodorum lib. VII. Variar. Hyginum fabula CXXIII. etiam ille versus Martialis, sive quis alius auctor libri de spectaculis, indicat: *Assyrius iactet nec Babylona labor:* placet enim prae vulgata lectione *assiduus* illa Bulengeri emendatio. Sic enim et Antipater: *Ἀσσυρίης χῶμα Σεμιράμιδος.* Sic autem pergit Iustinus:

Murumque urbi cocto latere circumdedit. De lateribus eorumque differentiis pluribus nunc agere plane supervacaneum esse censeo, cum id iamdudum egerit Vitruvius lib. II. de Architectur. cap. III. et ad eum Philander in Animadvers. Plinius N. H. lib. XXXV. cap. 14. et ibidem Dalechampius. Coctum autem laterem, id est massam ex argilla, seu luto, sole vel igne durato, in muris Babylonicis agnoscunt plurimi. Curtius: *Murus instructus laterculo coctili.* Propertius:

*Persarum statuit Babylona Semiramis urbem,*
*Ut solidum cocto tolleret aggere opus.*

Martial. lib. IX. epist. 77.

*Nec latere cocto quo Semiramis longam*
*Babylona cinxit.*

Hygin. Fab. CCXXIII. *Murus in Babylonia quem fecit Semiramis Dercetis filia latere cocto.* Sic Vitruvius lib. I. cap. 5. et lib. VIII. cap. 3. Ovidius et Hieronymus dd. ll. Ita Scholiastes Iuvenalis sat. V. *Babylonem Semiramis coctili latere munivit.* Imo Sidonius ipsam Babylona propterea coctam appellavit carm. IX.

*Non coctam Babylona personabo.*

In Graecia cocto lateri respondet *ὀπτὴ πλίνθος*, cuius in murorum Babyloniorum structura meminere Herodotus lib. I. Diodorus lib. II. cap. 7. Strabo lib. XV. Geogr. Aristaeus apud Eusebium d. l. Eo respexit Aristophanes in avibus: *περιτειχίζειν μεγάλαις πλίνθοις ὀπταῖς ὥςπερ Βαβυλῶνα.* ad quae sic commentatur eruditissimus Scholiasta: *φασὶ γὰρ τὴν Βαβυλῶνα ἀπὸ ὀπτῶν πλίνθων οἰκοδομηθῆναι, καὶ ἀντὶ γύψου ἀσφάλτῳ συνδεθῆναι τὰς πλίνθους.* Atque hinc procul dubio est, quod Iuvenalis sat. X. vs. 170. a figulis munitam urbem dicit, cum Babylonem nominat. Ex quo quidem clare satis patet, lateritios parietes et muros exstruendi artificium esse antiquissimum. Nam et Plinius lib. VII. cap. 56. observationes siderum apud Babylonios lateribus inscriptas esse ex Epigene docet. Quam robusta vero fuerit talis structura, praeter scriptores plurimos, inter quos idem Plinius, qui lib. XXXV. cap. 14. parietes lateritios *aeternos* appellare non dubitavit, antiquissima rudera te-

stantur. Elegans hanc in rem locus est apud Guntherum in Ligurino, quem tamquam huc apprime facientem adscribo:

*Heic praeter validas turres, quibus undique sedes*
*Tuta videbatur, rubeo nitidissima muro*
*Pro saxo laterem validissima turris habebat.*
*Hanc ibi Tarquinium quondam fundasse Superbum*
*Rumor erat, nomenque loco retinente, Superba*
*Illa vocabatur longo iam tempore turris.*

His lateribus conficiendis certi erant apud Romanos praefecti homines, *Tegularii* dicti, de quibus videri potest Christophorus Colerus, *homo* indice Barthio *iudicii et lectionis non contemnendae*, Parerg. cap. XXXV. Subiungit Iustinus:

Harenae vice bitumine interstrato. Varietas huius lectionis valde exercuit viros eruditos. Hanc quam proposui, amat Bongarsius, eo quod in Cuiacii Cod. repererit, et nemo in constructione murorum Babylonicorum harenae aut picis meminerit. Barthio tamen in Animadvers. ad Gallum pag. 65. placet Aldinorum exemplarium lectio, *arenae et calcis vice:* cum sic Vitruvius de iisdem muris disserens lib. I. cap. 5. habeat: *Non enim*, inquit, *uti Babylone abundantes liquido bitumine pro calce et arena ex cocto latere factum habent murum.* Quod autem bitumen interstratum fuerit muris Babylonicis, in eo plerique consentiunt, idque procul dubio propterea factum, ut eo longius duraret coagmentatio. Curtius: *murus instructus laterculo coctili, bitumine interlitus.* Diodorus τὰς πλίνθους εἰς ἄσφαλτον ἐνδησαμένας eleganter scribit. Theocritus Idyll. XVII.

ὅπη πλατὺ τεῖχος
Ἀσφάλτῳ δήσασα Σεμίραμις ἐμβασίλευεν.

Bituminis praeterea in horum murorum exstructione mentionem fecere Herodotus lib. I. Aristaeus ap. Euseb. d. l. Nazianzenus in Monodia in Basilii M. vitam, ubi VII orbis miracula recenset, et plures alii. Huius autem bituminis tantam vim esse scribunt veteres, ut muros ferro quovis solidiores faciat, quemadmodum Xiphilinus Dionis epitomator refert in Ulpio Traiano. Hyginus autem Fab. CCXXIII. loco bituminis sulfur substituit: *Murus in Babylonia latere cocto et sulfure ferreo vinctus.* Barthius quidem loco laudato legendum suspicatur *latere cocto et asphalto*, quod soleat Hyginus Graecis saepius uti. Verum hac mutatione minime opus esse censeo, cum non tantum Plinio teste lib. XXXV. cap. 15. sulfuris et bituminis vicina sit natura, verum etiam Cassiodorus lib. VII. Variar. *sulfuris* meminerit. Ceterum quoniam in hanc mentionem bituminis venimus; forsan non abs re fuerit quaedam de eo dicere. Graecis bitumen ἄσφαλτος dicitur, quod Asphaltitidi lacui, *cui copiosum supernatat*, ut Tacitus loquitur, nomen dedit (quo de lacu plura apud Iosephum lib. IV. et V. Antiquit. Egesippum lib. XIV. cap. 18. Andream Baccium de Thermis lib. V. cap. 13. Maiolum Dierum Canic. Tom. I. Colloq. 12. Barthol. Barrientium in Annotat. sylva cap. 2. et inprimis Fortunium Licetum peculiari disput. eaque ultima Hydro-

logiae Peripateticae, legi possunt) estque nihil aliud *quam corpus minerale ex pinguedine radicali succisque supervacaneis conflatum maxime naturae igneae capax:* sic definiente Libavio III. Sing. lib. I. cap. 1. Duplicis erat generis, aridum alterum, alterum vero liquidum. Iuvat audire Strabonem, sed Latiné loquentem: *In Babylonia etiam bitumen multum nascitur; de quo Eratosthenes dicit, liquidum, quod Naphtham vocant, in Susiano agro nasci: siccum vero, quod congelascere potest in Babylonio, cuius fons est prope ipsam Naphtham: hoc autem inundante ex liquefactione nivium et effusionem in fluvium facit: hic glebae minime coëunt ad aedificia idoneae, quae ex coctilibus lateribus fiunt. Sunt qui liquidum bitumen etiam in Babylone nasci dicunt. De sicco quidem dictum est, quantus sit eius ad aedificia usus.* Pluribus deinde de Naphtha disserit, quae huc omnia arcessere non lubet. Qui plura de nomine eius et mirabili natura scire cupit, consulat Hesychium et Suidam in *Νάφθα.* Scholiast. ad Nicandri Alexipharm. Plutarch. in vita Alex. et Symposiac. lib. V. Quaest. 7. Plinium lib. II. cap. 105. et XXXV. 15. Dionem Nicaeum in Pompeio et Alex. Severo. Tacitum Hist. lib. V. Ammianum XXIII. Brissonium lib. II. de Regno Pers. Bapt. Portam Magiae Natur. cap. X. Olearium Itinerar. Pers. lib. VI. cap. 9. Bellonium Rer. Antiq. lib. III. Salmuth ad Pancíroll. de Antiq. Deperd. tit. 36. Baccium de Thermis etc. Bitumen autem in illis locis passim e terra exaestuare signanter scribit Noster. Non enim placet illa de *erectis statuis* lectio. *Exaestuare* enim proprie est liquidorum cum fervore ebullientium. Sic Virgilius: *Fundoque exaestuat imo.* Suetonius: *Fossas omnes in quas Nilus exaestuat* etc. Sic a Pomponio Mela scribitur: *Garumna obvius Oceani exaestuantis accessibus adaugeri.* Idem verbum Boethio reddunt Sitzmannus et Vallinus, et familiare est Curtio, cuius loca in indicem collegit Freinshemius. Et tantum quoque de Babylonis moenibus dicta sunto, quibus alia non minus digna observatu iungi potuissent, nisi auctoris vestigia premere animus fuisset. Quare etiam de murorum, ut et turrium in iis sitarum altitudine deque ambitus spacio dicere supersedeo. Si quis tamen iis delectatur, disceptantes ea de re audiat Tzetzen Chiliad. IX. 275. Brissonium de R. Pers. pag. 58. Bulenger. Eclog. ad Arnob. Raderum ad Curtium V. 1. Camertem in Solinum, Barthium ad Gallum, et si qui sunt alii. Quod autem quadrigae in iisdem muris sibi obviam factae sine ullo incommodo commeare potuerint, praeter alios etiam confirmant Curtius, Diodorus, Propertius. Quae de hortis Babylonis pensilibus circumferuntur, (quos potius a Nabuchodonosore in gratiam uxoris Medicae, prout testatur Berosus apud Iosephum lib. I. contra Apion, quam a Cyro quodam Rege in gratiam pellicis, veluti ex Ctesia Diodorus lib. II. cap. 10. refert, exstructos censet Herm. Conringius) ut veteres taceam, quos recentiores passim laudant, peti possunt e Brissonio, Bulengero, Radero et Freinshemio laud. loc. De turri Babylonica, quae vulgatissimam illam Giganto-

machiam peperisse videtur, uti id egregie declarat Excell. praeceptor meus, vir πολυμαθέστατος Valentin. Henric. Voglerus Commentar. Mytholog. cap. XV., pluribus disquirunt commentaria antiquorum et recentium in Genesin, Augustinus de C. D. lib. XVI. cap. 4. et in notis Leonh. Coqueius. Eius rudera adhuc superesse itineraria produnt. Certe Hieronymi tempore exstitisse accepimus. Quamquam nobilissimus L. N. a Moltken haec rudera non tam turris ipsius, quam vel murorum Babyloniorum, vel regiae aut templi, vel etiam sepulcri Beli reliquias fuisse existimat, annot. in auctorem Relig. Medici part. I. sect. 21. De hodierna Babyloniae facie nunc ἐπιμέτρου vicem quaedam in medium afferre visum est. Et novam quidem Babylonem in Aegypto ad Nilum quidam geographi collocant. Verum hanc non esse illam, de qua nobis sermo est, quaeque ad Euphratem sita erat, liquido constare arbitror. Plures autem fuisse urbes huius nominis in vulgus notum est, et monet barbari illius aevi sic satis bonus historicus Arnoldus Abbas Lubecens. Chron. Slavor. lib. VII. cap. 9. In Aegypto certe Babylonem agnoscit Stephanus περὶ πόλεων, eamque Ptolemaeus Africae vocat Babylin: estque procul dubio eā, aut in eius locum secessit, quae nunc Cairus, vulgo Alcairus dicitur, quam describunt Leo Africanus αὐτόπτης, Petrus Martyr, Martinus a Baumgarten, Paulus Aemilius, Martinus Crusius, Paulus Iovius, omnes et singuli ab Henrico Bangerto, historico celeberrimo, praeceptore quondam meo optumo et longiori fato dignissimo, in eruditissim. notis ad Arnold. pag. 542. laudati, quibus si vacat Wendelinum iungere poteris de Admirandis Nini cap. XXV. §. 3. Propius ad rei veritatem, neque tamen omni ex parte accedunt illi, qui Bagdad florentissimam ac nobilissimam illam ad Tigridem sitam urbem, quam Scaliger animadvers. ad Eusebium eandem cum veterum Seleucia esse censet, (quo nomine tamen eum reprehendit Edoardus Brerevvodus Anglus in Scrutinio Religion.) eo loco, quo quondam Babylon sita erat, statuunt. Aliud tamen nos docent viri clarissimi, interque eos Adamus Olearius, quem primum honoris caussa nomino. Huius enim verba, prout a Cl. Bunone Latina facta in notis ad Cluveri Introduct. Geograph. pag. 564. dabo: *Ea urbs, quae hodie ad Tigrim est, Bagdad appellata, vulgo eadem habetur quae Babylon. Verum Bagdad illa ad Tigrim iacet, et Babylon fuit ad Euphratem, quae loca sunt multum inter se diversa. Credunt Persae ex Babylone destructa ortam esse Bagdad, quo loco frequentes tum fuerint horti, id quod ex nomine Bag, quod hortum significat, colligunt, ac loci amoenitate homines inductos, ut novam ibidem exstruerent urbem.* Cum Oleario plane consentit Ioh. Cartvvrigthus Anglus in Itinerario, cuius excerpta nobis dedit Ioh. de Laet in libello de Regni Persici statu: *Haec civitas*, inquit, *Bagdad a nonnullis nova Babylon appellatur, quia e veteris, quae haud longe abest, ruinis excitata creditur.* Gemina habet Petrus Teixera in Itinerar. Pers. *Plerique*, ait, *hanc urbem confundunt cum Babylonia; forte quia illius reliquiae non*

*nisi unius diei itinere hinc distent: verum eos falli vel hoc argumento est, quod Babylon apud Euphratem sita fuerit, haec ad Tigridem.* Ex quo quidem manifesto apparet veteris Babyloniae situm a nova, quam Bagdad appellari diximus, unius diei itinere distare. Atque in eo consentiunt auctor Mercurii Gallici et Philippus de S. Trinitate in Itinerario Orientali lib. II. cap. 6. Veterem autem Babylonem in locum incultum et inaccessum esse mutatam et vere draconibus aliisque feralibus bestiis habitaculum fuisse factam, prout Esaias cap. XIII. vs. ult. vaticinatus est, certissimus rerum magister eventus docuit, cum nihil de veteri forma habeat, quam ruinas et cubilia ferarum: quod uberius declarat Vir Cl. et de sacra antiquitate optime meritus Ioh. Cunrad. Dieterichius Antiquit. Sacrar. lib. III. *Hoc quippe tempore*, inquit, *tota in ruinis iacet, factaque μεγάλη πόλις, μεγάλη ἐρημία, inaccessa ob venenatarum bestiarum habitacula, quas Persico nomine Eglo vocari, easque lacertis maiores, bicipites et coloribus variegatas esse Dresserus et Wenceslaus a Budowitz perhibent. Imo Hieronymus suo tempore omnis generis bestias murorum Babylonis ambitu fuisse testatus fuit; nec aliud testatur Beniamin Tudelensis in Itinerar. ubi vide Constant. L'Empereurii notas. Nunc etiam ingens Babylon Bagdado vicina ita exstincta est, ut vix vestigium aliquod appareat, nil habens praeter cicatrices atque vestigia priscae calamitatis, ut dicere oporteat: Iam sedes est et habitaculum draconum, ubi Babylon fuit.* Sed praestat ipsum audire Beniaminem ita de his ruinis disserentem: *Inde Babel unico itinere distat. Haec est antiqua illa Babel iam devastata, quae plateis suis ad XXX milliaria extendebatur. Ubi etiamnum vastatum Nebucadnesaris palatium visitur, eoque homines ingredi verentur propter serpentes et scorpiones locum occupantes.* Quem Beniaminem, licet hominem vanissimum et ex innato gentis vitio longe mendacissimum et futilissimum scriptorem non ignorem, tamen in his minime vanum esse tot gravissimi scriptores ὁμόψηφοι arguunt. *Nam si etiam vises ad ea quae de ruderibus Babyloniae urbis* (verba sunt Excell. Conringii Adversar. Chronol. pag. 58.) *Leonardus Rauwolffius, αὐτόπτης et dignissimus fide testis, patrum memoria scripsit, veneraberis nobiscum divinam veritatem praedictionum Esaiae et Ieremiae de fatali florentissimae quondam urbis excidio.* Et tantum quidem nunc de Babylone sufficiant, quibus si diutius, quam par erat, immoratus sum, veniam ardori meo dabis Lector Benivole, cum mihi ipse, forsan et aliis, quandam quasi epitomam eorum, quae multi sparsim de hac urbe dixerunt, conficere voluerim.

8. Multa et alia praeclara huius Reginae fuerunt. Quaenam illa fuerint, mox docet Iustinus, pluribus autem enarrat Diodorus Siculus, cuius summa capita compendio suo historiae inseruit Christoph. Heidmannus lib. I.

Aethiopiam quoque imperio adiecit. De Aethiopiae situ et partibus multis nunc non agam, ne nimium excrescat haec Exerci-

tatio. Ex recentioribus eam copiose et diligenter descripsit Franciscus Alvarez Lusitanus, qui per sexennium legatus in aula Preto Ioannis Principis Aethiopum commoratus fuit. Exstat etiam liber Demiani a Goes, equitis Lusitani, de fide, religione et moribus Aethiopum, quamquam haec fere omnia luculenter satis laudatus Alvarez sit persequutus.

9. Sed et Indiae bellum intulit. Cuius belli initia admodum felicia, exitum imparem et infaustum fuisse docet Diodorus lib. II. cap. 16. 19.

10. Ad postremum cum concubitum filii petiisset, ab eodem interfecta est. Si vera sunt quae narrat auctor, propudiosam hanc Semiramidem, virtute licet clarissimam, diris omnibus devovendam censeo. Et quis non mecum sentiat? cum scilicet per hoc concubitus et summa, quae parentibus a liberis debetur, reverentia, et naturalis inter concumbentes societatis aequalitas plane tollatur: quod probe intellexit impia Myrrha impio et nefando in patrem amore exarsa, quam sic loquentem introducit Ovidius lib. X. fab. 9. Metam.

*Di, precor, et pietas, sacrataque iura parentum,*
*Hoc prohibete nefas, scelerique resistite nostro.*

Iure igitur hic cum disertissimo Arnobio lib. V. adv. Gentes exclamo: *Etiamne in filium cupiditatis infandae spem cepisti? nec ab illius appetitionis ardore horror te quivit avertere, quem non hominibus solum, sed animalibus quoque nonnullis natura ipsa subiecit, et ingeneratus ille communiter sensus.* Quod de brutis praedicat Arnobius, id certatim decantari video. De equis tale quid memorant Aristoteles Histor. Animal. lib. IX. cap. 47. Varro lib. II. de R. R. cap. 7. Plinius lib. VIII. cap. 42. Aelianus Hist. Anim. lib. IV. cap. 6. Antigonus Hist. Mirab. cap. 59. De camelis gemina produnt Arist. d. l. Auctor libri de Mirab. Auscult. Aristoteli vulgo adscripti cap. 2. Aelian. lib. III. cap. 45. Alb. Magnus de Animal. VIII. Tractat. V. cap. 2. Duo huius rei exempla sunt apud Ioh. Iovianum Pontanum libro de Immanitate, quae huc referre operae pretium esse censeo. Ita autem ille cap. XVII. *Fuit mihi in deliciis catella nomine Capuana, quam etiam versibus celebravi, de genere catulorum eorum, qui camusi dicuntur. Erat eius proles Asterion omnium catulorum formosissimus pariter ac nitidissimus. Advenit tempus gestiendi, eam ego, aliis ne misceretur canibus, in abdito cum Asterione concludi iussi, quo ex utroque soboles procrearetur. Nunquam passa est mater a filio se iniri, et quamvis meis a pueris comprehensa teneretur, nihilo minus ea mordicus pueros a se reiecit, et in filium illata illum dentibus male habuit.* Alterum exemplum ita habet: *Ioannem Vigintimillum Marchionem Giraciensem memini narrantem, fuisse sibi equam apprime nobilem et celeritate ac robore, cumque ineundam eam a filio procuraret, admittere illum ad coitum matrem nunquam voluisse, adhibitaque cum ars fuisset, intecto filio alius pili corio, ornamentisque aliis qui-*

*busdam obvoluto, deceptam matrem passam tandem illum esse. At ubi artem intellexisset, vidissetque ornamenta et corium filio detrahi, tum eam in dolorem ac moerorem versam inedia inde ad paucos dies vitam finiisse. Ut dicere prorsus liceat atque asseverare, quantum illi ipsi* (quos scil. paulo ante memorarat) *a natura hominis descierint ad belluas, tantum duas has belluas a natura ferarum ad humanam se applicuisse.* Quae quidem manifesto satis demonstrant, ipsa nonnunquam bruta, nescio an naturae an quodam naturae instinctu alio, ab his incestis nuptiis abhorruisse. Quamquam non diffiteor rariora haec esse exempla et plerumque evenire, quod Myrrha loc. laud. ait:

*coëunt animalia nullo*
*Cetera delicto: nec habetur turpe iuvencae,*
*Ferre patrem tergo, fit equo sua filia coniux,*
*Quasque creavit, init pecudes caper: ipsaque cuius*
*Semine concepta est, ex illo concipit ales.*

Quo tamen argumento cum usi sunt Diogenes et Chrysippus, ut talia parentum cum liberis connubia natura licere ostenderent, nimis mihi insaniisse videntur: cum minime id semper nobis quod brutis sit concessum. Haec enim nullam foetus sui generatoribus debent reverentiam, et coeco tantum ductu ab illis generati ac nutriti sunt sine ulla institutione aut educatione; quod secus se habere apud homines ad Dei altissimi imaginem conditos manifesto satis patet. Ceterum quod historiam attinet, cum Iustino faciunt Augustinus de C. D. lib. XVIII. cap. 2. *Apud Assyrios regnabat filius Ninus post matrem Semiramidem, quae ab illo interfecta perhibetur, ausa filium mater incestare concubitu.* Et Agathias lib. II. de Bell. Goth. cuius verba laudat ad Augustinum Coqueius. Sic Baptista Mantuanus Eclog. IV. canit: *Concubitum filii longaeva Semiramis ardet.* Neque id mirum in Semiramide, quae etiam equum usque ad coitum adamavit, uti Iuba auctor est apud Plinium lib. VIII. cap. 42. Imo si fides habenda erit Ammiano, prima mares castrasse dicitur: ita enim lib. XIV. scribit: *Ut quaqua incesserit quisquam, cernens mutilorum hominum agmina, detestetur memoriam Semiramidis reginae illius veteris, quae teneros mares castravit omnium prima, velut vim iniectans naturae.* Dubitanter tamen id asserit Claudianus lib. I. in Eutrop. vs. 340.

*seu prima Semiramis astu*
*Assyriis mentita virum, ne vocis acutae*
*Mollities levesque genae se prodere possent,*
*Hos sibi coniunxit similes: seu Parthica ferro*
*Luxuries vetuit nasci lanuginis umbram.*

Alii tamen aliter, quorum sententias vide sis in Brissonio de Regno Pers. pag. 234. Freinshem. in Indice Curtiano, voce *Spado*; Henelio Otii Vratislav. cap. XXXV. et auctore libri qui inscribitur: Eunuchi nati, facti, mystici ex sacra et humana litteratura illustrati, Divione anno 1655. editi, quem nonnulli a Theophilo Raynaudo Ie-

multa confectum esse coniiciunt. Sunt qui scribunt, Semiramidi in more fuisse, ut eos qui forma et decore cunctis praestarent, ad concubitum sollicitaret, verum re peracta omnes, ne eius incontinentia in vulgus emanaret, e medio tulisse: demum etiam tentasse filium et ab eo esse interfectam, vel quod idem fatum timeret, vel tam foedum facinus abominaretur. Orosius tamen lib. I. Histor. cap. 4. *illam incestum cum filio perpetrasse scribit, et ut privatam ignominiam publico scelere obtegeret, praecepisse, ut inter parentes et filios et filias nulla naturae reverentia de coniugiis appetendis observaretur, sed quod cuique libitum esset licitum foret.* Idem fere statuit Constantinus Manasses Annal. *Ὁ δὲ Νινύας ἔλαβε τὴν ἑαυτοῦ μητέρα εἰς γαμετὴν καὶ σύνοικον ἐξ ἐρωτομανίας, ἔρον νοσήσας ἀσελγῆ καὶ παρὰ φύσιν ἔρον, καὶ Σεμιράμιδος αὐτῆς τοῦτο συνθελησάσης, ἐξ οὗ καὶ νόμος γέγονε παρὰ τοῖς Ἀσσυρίοις μητρογαμεῖν καὶ τοὺς θεσμοὺς τῆς φύσεως συγχέειν, τὸ πρᾶγμα δὲ τὸ μυσαρὸν τοῦτο καὶ βδελυκτέον ἐξ Ἀσσυρίων ὁρμηθὲν μετέβη καὶ πρὸς Πέρσας.* Quodsi res se ita habet, plures proh dolor! aemulos utriusque sexus nacta est Semiramis. *Certe apud Persas ius fuit misceri cum matribus*, ut refert Minucius Octavio, et exempla tum apud has, tum alias etiam gentes fuerunt obvia, quae collegerunt Tiraquellus in Leg. IX. Connub. §. 101. item ad Alex. ab Alex. lib. I. 24. Freinshemius ad Curt. VIII. 2. 19. Elmenhorstius ad Minucium Felicem, Iacobus Oiselius in notis elegantiss. ad Institut. Caii. Et pertinent huc illa Myrrhae:

*gentes tamen esse feruntur,*
*In quibus et nato genetrix et nata parenti*
*Iungitur, et pietas geminato crescit amore.*

Verum apud ceteras gentes paulo moratiores detestabiles semper habitae eiusmodi permistiones. Et notum est, quantopere se pollutum crediderit Oedipus, cum huiusmodi flagitium ignarus commisisset. Atque constat Graecos adeo hoc crimen detestatos fuisse, ut integras gentes ac civitates istius modi facinore admisso pollui, eoque expiationibus illas indigere crediderint. Et vero quam graves saepe poenas tanti tamque horrendi sceleris rei severissimo lubidinum vindici Deo dare soleant, plurima alia exempla declarant. Illud demum, quod alibi pluribus demonstrabitur, ex hac historia discere est, maximas virtutes non raro comitari solere vitia insignia. Eleganter Loccenius de Periodis Imperior. lib. I. cap. 3. *Ut malo Punico putrida grana, ita Semiramidi sua quoque vitia inerant; inprimis foeda libido, qua non solum familias, sed etiam filium suum ad concubitum sollicitavit, aliaque indigna perpetravit; ut solet iste sexus, si prostituat pudorem, alia omnia non abnuere.* Diodorus vero Semiramidi, ut videtur, aequior, ita ultima eius tempora describit cap. XX. *Tempore aliquanto post insidiis filii per quendam Eunuchum petita, pristinum Hammonis responsum in memoriam revocat* (id cap. XIV. recensuit; *fore videl. ut ex hominum conspectu abiret, et immortalem ab nonnullis Asiae gentibus*

*honorem adipisceretur, quando filius Ninyas ei insidias struxerit) ideo nihil acerbi in insidiatorem statuit, sed regno ipsi tradito omnibusque legitimo Regi parere iussis, confestim ex hominum conspectu, ut ad Deos iuxta oraculi fidem migratura se subduxit. Sunt qui in columbam conversam fabulantur, compluribus enim columbis in palatium eius dilapsis, una cum illis avolasse creditur: et hinc factum est, ut Assyrii, dum Semiramidem Diis immortalibus accensent, columbam pro Deo honorent. Huiusmodi, prout iam dictum est, Semiramis totius Asiae praeter Indiam Regina, vitae exitum habuit, cum vixisset annos LXII, regnassetque XLII.* Ita Diodorus. Quae autem de columbis ab Assyriis divinis honoribus cultis refert, in id diligentius inquisivere Viri Clarissimi Laurent. Ramirez de Prado in Pentecontarcho cap. XLIV. Seldenus de Diis Syris Syntagm. II. cap. 3. Ursinus in Analect. sacris lib. I. loc. 7. Saubertus de Sacrificiis cap. 23. pag. 596. Schedius de Diis Germ. Syngr. I. cap. 9. Nicol. Loensis Misc. Epiphyllid. VI. cap. 22. Num vero id ex eo factum, quod Semiramidem expositam a columbis enutritam crediderint, an a nomine Semiramidis id unice dependeat, quod iuxta Hesychium *montanam columbam* denotat, an ad aliam quandam originem commode referri possit, aliis disquirendum relinquo. Porphyrius lib. III. περὶ ἀποχῆς Semiramidi columbam in deliciis fuisse scribit. Epitaphium Semiramidis, et quid cum eo actum, enarrat Apostolius Proverb. Graecor. cent. XII. 90. cuius verba Latina adscribo: *Quicunque Rex Persarum pecunia indiguerit, aperiens sepulchrum, quantum voluerit, capiat. Darius illud aperiens pecuniam non invenit, sed litteras sculptas deprehendit: Nisi improbus vir esses et pecuniae inexplebilis, defunctorum sepulchra non movisses.* Eadem fere Plutarchus in Apophthegm. et Stobaeus Serm. X. Herodotus tamen Nitocri tribuit, qui Semiramide posterior est, quod tamen iam tum Berneggerum monuisse video.

11. Filius eius Ninya belli studia deposuit. Illustre hoc loco documentum nobis praebet Ninya, non semper *fortes creari fortibus et bonis;* sed nonnunquam *contingere dissimilem filium generari,* ut loquitur Cassiodorus in Praefat. Unde et Demosthenes dixit: τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν, ὥςπερ εἱμαρμένη εἴη, φαύλους ἀποβαίνειν τοὺς υἱούς. *A viris egregiis, perinde quasi fato id accidat, improbos proficisci filios.* Iam dudum id notavit pater et princeps Poetarum Odyss. E.

*Παῦροι γάρ τοι παῖδες ὅμοιοι πατρὶ πέλονται,*
*Ὡς πλέονες κακίους, παῦροι δέ τε πατρὸς ἀρείους.*
*Aequat rara patrem soboles, sed plurimi ab illis*
*Degenerant, pauci superant probitate parentem.*

Declarat hoc argumentum Aelius Spartianus in Severo Caesare et ita fere usu venisse ostendit, ut viri seu virtute, seu litteris, seu fortunae indulgentia insignes, aut nullos omnino liberos habuerint, aut tales reliquerint, ut magis ex usu rerum humanarum fuerit,

illos absque liberis decessisse. Nimis adeo vera haec sunt, ut propterea in proverbium abierit: Ἀνδρῶν ἡρώων τέκνα πήματα. Quo etiam spectat illud Plauti dicterium: *Num quid aliud fecit, nisi quod faciunt summis gnati generibus.* Istius modi exempla cum in tanta passim occurrant frequentia, neminem praeter degenerem Ciceronem hic sisto. Hic enim ut patrem nactus esset optimum, et ut Velleius dicit lib. II. cap. 34., *ut vita clarum, ita ingenio maximum: ipse tamen ex paterno ingenio nihil praeter urbanitatem habuit,* teste Seneca Suasor. ult. imo ita poculis indulsit, *ut binos congios simul haurire solitus sit,* quod ei Tergilla obiecit apud Plinium lib. XIV. cap. 22. Et sane, si quis per omnium seculorum historiam ire vellet, ingens de degeneribus liberis volumen contexere posset, quemadmodum Zeilerus censet epist. 484. Caussas huius rei alii alias recensent: nonnulli ad naturae indigentiam referunt, quo etiam collineare videtur Philosophus lib. I. Polit. cap. 4., quidam ad malitiam seculi confugiunt; aliqui in positu siderum eas quaerunt. Equidem tamen, si quid video, a negligenti et indulgenti parentum educatione hoc quicquid est degeneris naturae, potissimum dependere puto: *Sicut enim vasa odorem, quo primum fuerunt imbuta, referunt, sic iuvenum animae, quas primum formas imaginatione concipiunt, nunquam aboleri sinunt, ne aliis quidem insuper affluentibus:* ceu prudenter censet Philo libro, *quod liber sit quisquis virtuti studet. Arctiore* igitur *disciplina minor aetas ad probitatem institiamque formetur, quae nisi metu cohibeatur, licentia pariet audaciam, quae ad omne flagitium et facinus evadet:* concludo cum Lactantio Divin. Instit. lib. VI. cap. 19.

RARO A VIRIS VISUS, IN FOEMINARUM TURBA CONSENUIT. Caveat sibi Princeps, et quisquis virtutis stadium decurrere studet, a nimio et intemperanti ac tot tantisque conviciis proscisso mulierum consortio, quod raro aliquid moderabile suadet, et incautos saepius ad extrema quaevis, et tantum non ad tartara detrudere solet. Mulieres enim libidinosas, famosa illa esse crede Sirenum monstra, quarum suavitate si nimium capimur atque illicimur, in iisque honestatis obliti requiem requirimus, quasi in molli strato languido inertique ocio torpescimus, et qui vigili ad virtutem cursu tendere debueramus, dulcia harum carmina perniciose blandientia bibula aure accipimus, illisque capti et consopiti, tum veram animae quietem fugimus, et in exitiale periculum pertrahimur; ut illa, quae de voluptatibus generatim dixit optimus malorum temporum scriptor Clemangius Epist. I. ego ad mulieres verbis paulisper immutatis traducam. Haec ergo feminarum turba procul dubio Ninyam nostrum, ceu plures alios, seduxit, ut illum secessum non dignitati tuendae, sed voluptati velandae, turpique ocio tegendo elegerit. Quamquam forte etiam amicorum suasu in ocium secessisse credendus est, qui ipso delitescente interim summam rerum omnium commodius ad se rapere potuerunt.

12. Posteri responsa gentibus per internuncios dabant. De his *internunciis* vide Brisson. de Regno Pers. lib. I. pag. 18. et 136.

13. Assyrii qui postea Syri dicti sunt. Imo *Syri qui postea Assyrii*, iudicio magni Salmasii Exercit. ad Solin. 1228. quamquam nihil mutandum censet Berneggerus Codicum MSS. consensum secutus, et potius παρόραμα auctoris quam librariorum esse censet. Quamquam ego neque παρόραμα auctoris neque librariorum existimo, secutus sententiam maximi viri Seldeni, qui Proleg. in libros de Diis Syris cap. I. erudite docet, Europaeos regionum Asiaticarum nimium ignaros, tanti nihilominus imperii nomen suspicientes, quicquid a mari Sidonio ad imperii usque sedem patebat, Assyriam dixisse, et incolas Assyrios: deinde Syriam, Syrios et Syros extulisse, haud aliter primam vocabuli syllabam decurtantes, quam qui ex Hispania Spaniam aut Abelione Belinum fecere; inde etiam postea evenisse, ut Assyrios vocem esse barbaram, Syrios autem Graecam docuerint.

Imperium Assyrii mille trecentis annis tenuere. Si quisquam in rebus Chronologicis nodus exercuit viros eruditos, hic certe prae aliis fuit: quippe cum tot sint de amplissimi Assyriorum imperii epocha veterum scriptorum sententiae, quot sunt eorum capita, adeo ut, sic censente Amplissimo nostro Conringio (cuius Adversaria Chronologica fere in hoc nodo Gordio solvendo unice desudant) cap. VI. *difficile sit eandem accurate definire.* Forte autem non incommodum erit variantes sententias huc arcessere, et de iis summi viri iudicium audire. Eundem autem servabimus ordinem, ut a numero omnium maximo exorsi in minimo demum finiamus. Primum igitur locus enumerandus est Iulii Africani, qui in Graecis Eusebianis Scaligeri Assyriaco imperio tribuit annos CIƆCCCCLXXXIV. Sequitur Iosephus Scaliger, qui ab initio Beli ad Sardanapali exitum totidem annos numerat. Diodorus Siculus a Nino ad trigesimam usque progeniem, donec a Medis everteretur, CIƆCCCC plus annis Assyriacum imperium stetisse scribit lib. II. cap. 28. fin. Idem tamen Diodorus lib. II. cap. 21. annos CIƆCCCLX durasse ex mente Ctesiae Gnidii lib. II. tradit, cum quo etiam facit Georgius Monachus. Nunc Iustinum collocamus, qui CIƆCCC annos expressit. Sequitur Castor Rhodius, qui apud Eusebium annos CIƆCCLXXX enumerat. Eusebius vero Assyrios CIƆCCXL annis imperium tenuisse scribit. Velleius lib. I. cap. 5. Assyrios CIƆLXX annis regnasse tradit. Proxime ad Velleium accedit Cephalion, qui in Graecis Eusebianis Scaligeri CIƆ annos habet. Namque εἰς χίλια ἐτῶν mansisse prodit. Denique Herodotus, quem Dionysius Halicarn. fere sequitur, omnium minimum habet numerum, videl. DLXX. *Assyriis*, inquit Herodotus, *annis* DLXX *superiorem Asiam obtinentibus, Medi ab ipsis deficere coeperunt.* Quod igitur ad Iulium Africanum et Iosephum Scaligerum, nimium quantum illi a vero abludunt, adeo ut eorum supputatio longe ultra diluvium excrescat, quod tamen plane videtur esse absonum, uti docet Excell. Conringius pag. 39.

Deinde in altero illo Diodori loco notam unius centenarii irrepsisse coniicit laud. Conringius. Mox altera Diodori sententia succedit, quae cum genuina sit, Ctesiae fabulatoris (quem tamen omnes illi, qui tempore nimis diuturno Assyriaci regni periodum circumscripsere, secuti sunt) tamquam valde suspecta, prorsus abiicienda est. Iustinus noster rotundum Ctesiae numerum expressit, neque illorum LXX mentionem facere voluit. Quo Castorem et qui eum secutus est Eusebium (sic enim censet Scaliger) vel refellas, vel defendas non suppetit. In Velleio maiorem numerum suffarcinare conantur Lipsius et Scaliger, sed minime id ferendum existimat Ampliss. Conringius cap. 3. pag. 30. Idem tamen Conringius Cephalionem et Paterculum millenarium suum per errorem ex Ctesiacis descripsisse auguratur. Cum enim Ctesias, ut habet Diodorus, ultra mille annos iam imperium Assyrios tenuisse tradiderat, cum bellum Troianum oriretur, id forte per incuriam ad Medicam defectionem illi transtulerunt. *Herodotus tamen quod affert, a vero non est alienum:* utor ipsissimis τοῦ πάνυ Conringii verbis: *nempe annos* 510 *ante Medorum defectionem Asiae superioris imperium penes Assyrios fuisse. Incideret vero illo auctore epocha regni illius Assyriaci in periodi Iulianae annum* 3478. *adeoque fere in tempora expeditionis Argonauticae. Haud, inquam, a vero illa sunt aliena, si de imperio per superiorem Asiam loquaris, diu alias autem ante condidisse aliquod regnum Assyrios exstructis urbibus maximis certum est.* Quibus hanc suam sententiam argumentis accurate stabiliat, id nimis longum foret enarrare, et possunt quidem apud ipsum videri. At enim cum omnia et singula aurei huius libelli exempla propter rerum, quae in illo tractantur, nobilitatem dudum sint distracta, ut novam editionem et quidem, ceu speramus, insigniter locupletatam et cum eruditis et cum discendi cupidis Vir Ampliss. propediem communicare velit, ad calcem huius Exercitationis exoptamus.

---

## EXERCITATIO IN IUSTINI LIB. I. CAP. III.

1. Postremus apud eos regnavit Sardanapalus. Intercesserunt sane inter Ninyam et Sardanapalum Reges aliquot; quorum tamen et numerum et nomina pleraque incertae esse fidei, cum alii, tum inprimis Ampliss. Conringius in laudatis Adversariis Chronologicis praeclare docuit. Quod ad numeri diversitatem attinet, ne quid intactum nobis abeat, annorum seriem secuti eam paucissimis absolvemus. Numerat autem Iulius Africanus XLI Reges, Eusebius XXXVI. At Velleius XXXIII. Diodorus Siculus lib. II. cap. 21. ad XXX *hominum aetates*, item *ad trigesimam usque progeniem Assyr. regnum durasse* scribit. Idem Sardanapalum a Nino facit trigesimum. Scaliger quidem ex Eusebianis Graecis Diodoro numerum

quinarium addere mavult, quemodo etiam Diodori Graeca referre Georgium Monachum ad Prolog. H docet Bongarsius. Sed id magnopere improbat Nobiliss. Conringius et in Eusebiana illud πέμπτος irrepsisse autumat. Et licet cum Diodoro facere videatur Cephalion, tamen eius etiam verba mendosa esse Conringius cap. VIII. pag. 40. censet. De nominibus illorum Regum id sciendum, Ctesiam ad Europaeos illa primum transmisisse; nam et Diodorus Sicul. lib. I. cap. 22. et Cephalion in Eusebianis a Ctesia memorata esse testantur. Unde vero Ctesias illa nactus fuerit, in incerto esse, et procul dubio eadem, qua cetera, fide, id est, plane nulla vel vehementer dubia ista recensere merito iudicat laud. loco Conringius. Tradit dein eorum nomina Iulius Africanus, quae tamen diversa et prorsus alia esse a Ctesiacis constat, cum et totos XI Reges praeter Ctesiam numeret. Ex Africano sua descripsit, sed ex ingenio interpolata Eusebius, et ex eo Iornandes aliique, librariorum tamen culpa mutata et deflexa in prorsus alia: quod praeter ceteros etiam Frider. Lindenbrogius in notis ad Iornandem ostendit. Quoniam autem in illorum numero Regum Assyriorum nomina in sacris memorata (quae inter tamen Salmanassaris tantae fuit claritudinis, ut in Tyriorum annalibus Iosephi aetate fuerit superstes) non comparent, admodum incerta fide niti, imo conficta potius quam vera traditione accepta videri, praeclare iudicat Excellentiss. Conringius, in cuius sententiam non possumus non argumenti pondere adducti secedere. Neque tamen mirum alicui videatur, cur tanta scriptorum dissensio, tot sententiarum divortia in his rebus reperiantur; cum et Syriaca Graecis et Latinis parum perspecta fuerint, et ipsa adeo locorum longinquitas ac maxima temporum distantia obstiterint, quo minus accurata cognitione ea comprehendere potuerint.

Sardanapalus. Eusebii Codd. MSS. hunc geminato λ *Sardanapallum* vocant, ceu observavit Scaliger in Animadvers. Euseb. et ad Priapeia pag. 211. quique hoc nomen in obscoenam notam a Graecis detortum putat. Παλλὸς enim et φαλλὸς Graecis vocantur partes illae, quas pudor communis abscondere atque naturalis verecundiae lex iubet; unde *Ithyphallus* et *Phallagogia* festum, in quo proh scelus! phallos ferebant, adorabant, osculabantur in honorem Bacchi. Lucianus lib. de Dea Syria: *Φάλλους Ἕλληνες τῷ Διονύσῳ ἐγείρουσιν, ἐπὶ τῶν καὶ τοῖον δέ τι φέρουσι, ἄνδρας μικροὺς ἐκ ξύλου πεποιημένους, μεγάλα αἰδοῖα ἔχοντες*· et loca alia indicarunt Erasmus Chil. 3. Cent. 3. Adag. 63. Elmenhorstius et Heraldus ad Arnobii lib. V. Puteanus in Genial. Serm. Unde et Pseudantoninus *Σαρδανάπαλλος* dictus, ut est apud Dionem in Excerptis lib. LXXIX. apud Constantinum Porphyrog. quemadmodum id observavit Vossius, qui item se apud Hesychium invenisse scribit, *Σαρδανάπαλα ἀλλοῖα*, ubi restituit *αἰδοῖα*. Verum nos cum eodem Vossio, Berneggero aliisque, tum hic tum alibi vulgatam scriptionem retinendam censemus, cum purum putum sit Assyriacum שרדן־פל *Sardanpal*, quae vox dominum et eversorem significat, cuius posterior vocula etiam

legitur in medio nomine Regis Teglathphal Esar. Hic Sardanapalus autem alio nomine dictus Thonosconcoleros testibus Hieronymo et Eusebio in Chronicis, item Iornande de Regnor. Success. aliquoties. Suidae tamen Conosconcoleros, et si genuina est lectio, Iulio Africano Monosconcoleros audit. Schickardus hunc in Orientalium scriptis Zabum Nodharem ex fratre Tahmasb nepotem describi putat in Tarich pag. 41. 43. Vocatur enim in iisdem *gulosus*, *commessator*, *helluationi deditus*. Et sane ingluviem Sardanapali illa Nazianzeni, nescio unde petita arguunt, quod sibi diuturnioris voluptatis ergo guttur prolixius, quam gruum esse solet, optaverit. Eundem autem forsan eum Assarhaddone in sacris memorato fuisse, coniicit Conringius Advers. cap. 3. pag. 19. Quum enim is a LXX vocetur Ἀσορδᾶν, facile potuit in affine huic nomen transire. *Et vero forte*, pergit Conringius, *audiit ille Asardanpal*, *ut Graecis facile fuerit suum Sardanapalum conficere. Nisi mavis Nabal a suis dictum per contemptum*, *Regem luxu et stultitia perditum.*

Vir muliere corruptior. Nemo fere est scriptorum, qui non cum praefatione vituperii Sardanapalum nominet. Sic Velleius vocat *mollitiis fluentem et nimium felicem malo suo.* Valerius Max. lib. IV. cap. 7. eius *amicitiam in consortione deliciarum et luxuriae contabuisse* scribit. Suidas τὸν τὰ γυναικεῖα φρονοῦντα καὶ περὶ τρυφὰς ἀσχολούμενον. adeo ut Eustathius in Homeri Odyss. VI. pag. 1834. eius nomen in proverbium abiisse, et τρυφητὰς sic appellatos esse commentetur. Quod vero *muliere corruptiorem* auctor noster illum aestimat, id sane in mulierum vituperium vergit, quas fere eo ipso extreme corruptas facit: in quo quidem tot ὁμοψήφους habet, quot *frutices sylvae*, *quot flavas Tibris arenas*, *Mollia quot Martis gramina campus habet:* et quod, mireris, ipsos etiam gravissimos ecclesiae priscae doctores. Sic enim Chrysostomus Homil. XXXII. super verba Matthaei: *Non expedit nubere. Mulier*, inquit, *est amicitiae inimica*, *necessarium malum*, *naturalis tentatio*, *desiderabilis calamitas*, *domesticum periculum*, *delectabile detrimentum* etc. Quae tamen in honestarum mulierum opprobrium minime dicta sunt. Multas enim a talibus vitiis et flagitiis plane alienas et e contrario omni virtutum genere conspicuas reperiri certum est, id quod supra iam indicavimus, et alibi forte fiet pluribus.

2. Medis praepositus. De Medorum gente non est quod nos post tantos heroas, et ut habet adagium, Iliada post Homerum. Praeter Geographos tamen praecipue laudari meretur Iulius Caesar Bulengerus, qui prolixe de illis in Eclogis ad Arnob. lib. II. pag. 171. seqq.

Nomine Arbactus. Varie apud varios hoc nomen effertur, quod iam observarunt alii. Diodoro, Straboni, Athenaeo, Agathiae, Suidae est Ἀρβάκης, apud Velleium mendose *Pharnaces;* sed reclamat Ursinus, et ex historia nummisque Graecis scribendum censet *Arsaces*, cui olim non potuit accedere, post tamen accessit Clar. Ruper-

tus Observat. ad Vellei. Bongarsio quondam placuit *Arsaces.* Quicquid sit, iampridem hoc nomen ambiguum fuisse, docent illa Orosii lib. XIX. et XXII. *Arbacus, quem alii Arbacem vocant.*

Cum admitti magna ambitione aegre obtinuisset. Aditum ad Principem non admodum debere esse difficilem, summo nisu suadent, qui Principis mores et munia dedita sibi opera formanda sumpserunt. *Laudabile est Imperatorem faciles interpellantibus praebere aditus, nec de occupatione caussari,* inquit Ausonius in gratiarum actione. *Ea via est ad conciliandum tibi citra ullos sumptus omnium benivolentiam, qui ex eo te patrem patriae potius quam dominum praedicabunt:* praeclara sunt Basilii Imp. verba ad Leonem filium Exhortat. cap. LI. Laudatur eo nomine Rufo, Ptolemaeus, *qui et pacis artibus quam militiae maior et clarior, modico civilique cultu, liberalis inprimis, aditusque facilis, nihil ex fastu regio adsumserat.* IX. 8. 23. et Gulielmo Tyrio, Balduinus III. Rex Hierosolymitanorum. Hic enim *tanta affabilitatis gratia praeeminebat, ut etiam contemptibilibus personis ex improviso, et nominatim salutationibus dependeret affatum, et ad se ingredi volentibus vel occurrentibus passim mutuae collocutionis aut offerret ultro commercium, aut postulantibus non negaret. Unde tantam sibi plebis et patrum conciliabat gratiam, ut praedecessorum suorum quolibet amplius, utrique classi haberetur acceptior.* lib. XVI. cap. 2. Notatur contra Livio dec. III. 1. 4. Hieronymus Siciliae tyrannus, quod *aditus non alienis modo, sed etiam tutoribus difficilis fuerit.* Sed de his potior alibi disserendi locus. Imprimis autem caveat sibi Princeps, ne proceres summosque in aula ministros et de Republ. optime meritos et populo acceptos hac ipsa aditus difficultate absque illo ipsorum merito offendat et in ultionem sui stimulet: cum vel unius hominis, at subditis cari, publicus contemtus et ignominia totam saepe Rempubl. turbare, et tantum non in gravissimum discrimen adducere possit, quod hic sive Arbaces sive Arsaces Sardanapalum, alios alii, satis superque docuerunt. Ceterum *ambitionis* vocabulum hic genuina et prima significatione sumi, tam clarum esse arbitror, ut nulla id declaratione egeat, nisi quis forte pro gratia et favore seu ἀρεσκεία, qua se Sardanapalo commendarit Arbaces, accipere malit: qua de notione uberius ad Arnobii lib. VII. egit Heraldus.

Purpuram colo nentem. De purpura quae erat ex conchyliorum genere, cuius cruore lanae pretiosae ad vestes inde contexendas tingebantur, omnia vulgata, *nihil scripsisse benigne est.* Quis enim est qui nesciat, *regiae dignitatis assumptae indumentum* fuisse? uti loquitur Lactantius lib. IV. cap. 7. quo uterentur ad eminentiam prae omnibus aliis potestatibus ostendendam: quare etiam pro summo magistratu ponitur ap. Plinium lib. X. cap. 21. et βασιλεῖος, item βασιλικὴ vocatur apud Herodianum lib. I. et VI. Purpura vicem atramenti scripsisse Imperatores Graecos, notavit Pancirollus de Antiq. Deperd. tit. II. et Nicol. Alemannus ad Ἀνέκδοτα

Procopii. Calceis item utebantur purpureis, quod capite huic mori dicato in commentario de *Calceis Veterum*, ἐὰν θεὸς ἐθέλῃ, uberius declarabo. Sic et regii milites habitu purpureo a reliquis distinguebantur, quo de ad Claudian. Barthius pag. 844. Reliqua B. L. cogniturus adeat Fabium Columnam de Purpura, Salmasium Exercitat. Plinian. Salmuth ad Panciroll. d. l. Iohannem Blomium, fautorem colendum, dissertat. pecul. de Purpura et Cocco, Dieterichum Antiquit. S. part. 2. Dalechampium ad Plinium, Georgium Monachum Carmelitam ad Tertullianum de Pudicitia cap. 8.

Invenit eum muliebri habitu. Commoda sane et elegans moveri solet quaestio: num promiscuus habitus tolerandus, sive ut dicam clarius, num viro muliebria, mulieri vestimenta virilia, liceat induere. Non desunt certe, qui negativam acriter tuentur, minimeque id licere credunt, cum praesertim id severa lege Deus prohibuerit Deuteron. XXII. 5. *Non induetur mulier veste virili, neque vir utatur veste foeminea: abominabilis enim apud Deum, qui haec facit.* Quam legem sic explicat Philo περὶ ἀνδρείας: *Voluit lex virum in vestitu suo, ut virum decet, se gerere, quem cum die nocteque circumferat, talis esse debet, ut eum semper decori honestatisque admoneat. Sic et mulieres ornatas pro dignitate, vetat viriles vestes sumere; longe submovens tum effoeminatos viros, tum plus aequo viriles foeminas.* Et Iosephus lib. IV. Antiquit. cap. ult. *Cavete maxime in bello, ut neque mulier habitu virili utatur, neque vir stola muliebri.* Hinc etiam in Concilio Gangrensi can. XIII. adversus hanc legem peccans anathematis fulmine percutitur. Verba sicut referuntur a Gratiano cap. *si quae mulier*, dist. 30. ita habent: *Si quae mulier propter continentiam, quae putatur, habitum mutat, et pro solito muliebri amictu virilem sumit, anathema sit.* Sic Concil. Constantinop. 6. General. can. 62. *Nullus vir deinceps veste muliebri induatur, nec mulier veste virili.* Et sane, praeterquam quod hanc vestium differentiam ipsius sexus discrimen persuadeat, ipsa etiam honestas atque pudicitia, quae alias haud levem iacturam paterentur, unanimi consensu eam inculcare videntur. Hinc etiam Plato, cum Dionysius in convivio iussisset, ut singuli veste muliebri saltarent, id facere recusavit, adiectis trimetris e fabula quadam petitis, quae sic Latine sonant:

*Muliebri ego haudquaquam indui queo stola,*
*Vir natus ipse et ex virili semine.*

Hinc graviter Seneca epist. CXXII. *Non videatur tibi contra naturam vivere qui commutat cum foeminis vestem?* Nec abit Ambrosius lib. IV. ep. 15. ad Irenaeum: *Si vero discutias, incongruum est, quod ipsa adhorret natura. Cur enim homo non vis videri esse, quod natus es? cur alienam assumis speciem? cur mentiris foeminam? vel tu foemina virum? suis unumquemque sexus induit natura indumentis. Denique diversus usus, diversus color, motus, incessus, diversae vires, diversa vox est in viro et foemina. Mendacium et in verbo turpe est, nedum in habitu.* Verum

enim vero, nondum me haec omnia movent, ut simpliciter, et sine ulla cautela haec accipienda esse credam, sic ut nulla vel temporis, vel loci, vel personarum conditio has leges emollire valeat. Libido equidem, si in his talibus spectetur, qualem certe spectavit Sardanapalus, utique removenda et gravissimis poenis coercenda erit. Aliud tamen iudicium esto, cum vel amor coniugialis, vel patriae salus, vel etiam summa in rebus honestis necessitas, quam legibus solutam tradidit antiquitas, hanc vestium mutationem suadeat, aut potius iubeat. Hinc etiam quidam divinae illius legis interpretes eam non tam stricte, sed cum grano salis accipiendam monent. Audiemus hac vice unicum Lyranum, qui ut saepe alias, ita et hoc loco erudite: *Non induetur mulier veste virili. Quod exponunt doctores aliqui, et bene ut credo, quod hic intelligantur, arma, quibus viri utuntur. Unde in Ebraeo habetur: Non erit vas viri super mulierem. et accipitur alibi vas in sciptura pro armatura, unde I. Reg. 20. dicitur de Ionatha, qui tradidit puero arma sua: in Ebraeo habetur:* VASA SUA. *Prohibetur autem hoc, quod mulier non portet arma viri, tum quia indecens mulieri et praesumtuosum; tum quod pro tunc erat, superstitiosum. Quare mulieres gentiles in sacris Martis portabant arma viri et in sacris Veneris portabant ornamenta mulierum et instrumenta earum, utpote colum, fusum et similia; ideo subditur:* ABOMINABILIS APUD DEUM EST, QUI HAEC FACIT. *Abominatio enim in scriptura communiter accipitur pro idololatria seu pro aliquo ad idololatriam pertinente. Si autem litera praedicta intelligitur de veste communi, prohibetur hic talis usus vel potius abusus, qui est occasio libidinis, quod mulier in veste virili possit licentius cum hominibus luxuriam exercere, et similiter vir in veste mulieris quod liberius posset loca secreta mulierum ingredi.* Haec ille. Gerson autem Cancellarius Parisiensis hanc legem iudicialem esse censet, quae non obliget in nova lege, illamque in casibus necessitatis vel evidentis utilitatis vel approbatae consuetudinis vel ex auctoritate et dispensatione superiorum non valere putat; quam quidem sententiam nos in medio relinquimus. Si quis autem plura de hac quaestione scire laborat, Camerarii Oper. Subcisiv. Cent. III. cap. 76. Petri Fabri Semestr. lib. I. cap. 15. Guil. Fornerii Select. lib. I. cap. 15. et Dieterichi Antiq. Sacr. Part. II. evolvere poterit.

CUM MOLLITIA CORPORIS. *Mollitia est omne genus excedentis teneritudinis.* Et sic Velleius extremae teneritatis delicias in Maecenate vocat lib. II. cap. 18. *Simul vero aliquid ex negocio remitti posset, ocio ac* mollitiis *paene ultra foeminam fluens.*

ET OCULORUM LASCIVIA. Quae Petronio *oculorum mobilis petulantia*: Lycurgo Rhetori apud Rutilium Lupum *oculi ad petulantem lasciviam apti:* Nostro simpliciter *oculorum lascivia* dicitur. Oculi certe mobiles et currentes amatorum sunt, ipsamque adeo illorum lasciviam exprimunt. Hinc Silius ubi de Scipione in bivio Herculis constituto, Voluptatem sic inter alia describit:

*lascivaque crebras*
*Ancipiti motu iaciebant lumina flammas.*

Hinc et Gellius eos appellat *ludibundos atque illecebrae voluptatisque plenos* lib. III. N. A. cap. 5. Oculi contra stantes et compositi sedatorum sunt. Silius l. l. de Virtute:

*Alterius dispar habitus, frons hirta, nec unquam*
*Composita mutata coma, stans vultus, et ore*
*Incessuque viro propior.*

Et hanc oculorum constantiam ipsa Sacra Scriptura commendat, imo vero praecipit. Proverb. IV. 25. *Oculi tui recta videant, et palpebrae tuae dirigantur coram te.* ubi in Ebraeo est לְנֹכַח *e regione, recta, directe*, quod LXX reddidere *ὀρθά.* Lutherus commode: *Lass deine Augen stracks für sich sehen.* Cum enim oculos mentis nostrae quasdam quasi fenestras sciamus, et *omnes improbae cupiditates per hos quasi naturales cuniculos introire soleant*, (ceu eleganter loquitur Salvianus lib. III. ubi vide Ritterhusium pag. 96. et confer, si placet, Fabrum lib. III. Semestr. cap. 19. Passeratium et Gebhardum ad Propertium lib. II. eleg. 32.) cum hi, uti canit Propertius, in amore duces esse soleant: (quod licet fere omnibus obvium, passim tamen declarant eruditi, et hos inter Erasmus in Adagiis Chil. I. Cent. 2. 79. Mich. Neander Notis ad Coluthum pag. 70. Claud. Minos Comment. ad Alciati Embl. CXV. Weitzius ad Ovid. lib. II. Trist. eleg. 1. Kornmannus in libello, qui inscribitur: Linea amoris) illos avertere debemus, ne vanitati nimium indulgendo capiantur et accendantur. Egregium est Lipsii monitum: *Oculos primum claude, et averte longe ab illecebroso hoc adspectu, aditus enim mali morbi hinc est: nec amor aut cupido facile irruperit, nisi per geminas has fenestras:* Cent. 1. ep. 22. *Vae* enim *ei qui vadit post oculos suos, quos novit esse filios scortationum*: ut habetur in Proverbio Ben Syrae. At enim, quo nos deducit Sardanapali oculorum lascivia? De amatoriis oculis in gratiam philologiae studiosorum pluribus commentantur Dieterichus in Antiquitat. S. lib. I. pag. 76. Lamb. Alardus ad Val. Flacc. lib. VI. Argonaut. vs. 657. et in Epiphyllid. Philolog. lib. II. cap. 13. Barthius Adversar. lib. III. cap. 17. et praecipue ad Claudian. in Nupt. Honor. et Mariae vs. 7. per plures philyras. Freinshemius tamen hanc oculorum lasciviam referre mavult ad oculos picturatos, tinctaque fuco supercilia, quae Sardanapalo tribuit Athenaeus lib. XII. cap. 17. Nicol. Damascenus in Excerptis Peirescianis pag. 424. Eustathius in Homeri Odyss. *Δ.* pag. 1489. et Medis in more fuisse scribit Xenophon lib. I. et VIII. Cyropaed. ex quo procul dubio hausit Alexander ab Alexandro, qui de illis lib. V. cap. 10. ita scribit: *Medorum mos erat oculis pictis incedere, colorato capillo: quem si quis sequi velit, mihi perinde erit.* Enim vero id quoque novimus, orientalibus populis oculos nigellos in deliciis fuisse, quos forte secuuti sunt Graeci et mox Romani, qui pulvere nigro, his *fuligo*, illis *καλλιβλέφαρον* dicto, supercilia denigrarunt. Veteres non laudo. Hos

enim laudant Elmenhorstius et Stewechius ad Arnob. lib. II. cap. 1. Douza Praecidan. ad Petron. lib. II. cap. 9. Heraldus ad Martial. lib. IX. ep. 38. Schedius de Diis Germ. Syngr. II. cap. 6. et qui nuper de capillis adsciticiis scripsit, Conr. Tiburtius Rango.

PENSA INTER VIRGINES PARTIENTEM. Nisi totus fallor, haec ex antiquitatibus Gynaeceorum deprompta sunt, de quibus erudite multa commentantur Tiraquellus in leg. Connub. X. §. 21. seqq. Barthius Adversar. lib. XLII. cap. 1. Fesselius Adversar. S. lib. IV. cap. 18. Excell. Saubertus Disput. de Haalmah cap. II. §. 10. In his enim virgines lanae praecipue operam dabant, eo quidem modo, ut maior sive aetate sive auctoritate opus inspectaret, et pensa inter reliquas partiretur. Praeter Pollucem, Livium, Propertium ab aliis iam laudatos id indicare videtur Ovidius lib. II. Fastor.

*Inde cito passu petitur Lucretia, cuius*
*Ante thorum calathi, lanaque mollis erat.*
*Lumen ad exiguum famulae data pensa trahebant,*
*Inter quas tenui sic ait illa sono.*

3. INDIGNATUS TALI FOEMINAE TANTUM VIRORUM SUBIECTUM. Sola maiestas est, quae subditos in obsequio erga Principem continet. Haec si cadit, simul cadit imperium. Ad maiestatem autem Principis non exiguum adfert momentum, si eorum gesta et actiones admiratur populus, eaque a superiori quam ab humana Principis indole manare credit. Contemptum autem, quem praecipue a dissolutis imperantium moribus excitari novimus, maximarum saepius turbarum caussam esse, nec raro imperia, potissimum vere tyrannica evertere, hoc ipso Sardanapali exemplo docet princeps prudentiae civilis Aristoteles lib. V. Polit. cap. X. quem iuvat ipsum audire: *Αἱ δὲ διὰ καταφρόνησιν (ἐπιθέσεις γεγένηνται·) ὥςπερ Σαρδανάπαλον ἰδών τις ξαίνοντα μετὰ τῶν γυναικῶν, εἰ ἀληθῆ ταῦτα οἱ μυθολογοῦντες λέγουσιν, εἰ δ' ἐπ' ἐκείνου, ἀλλ' ἐπ' ἄλλου γε ἂν γένοιτο ἀληθές.* Caussam huius contemptus idem eodem capite exprimit: *Ἀπολαυστικῶς γὰρ ζῶντες εὐκαταφρόνητοί τε γίγνονται, πολλοὺς καιροὺς παραδιδόασι τοῖς ἐπιτιθεμένοις. Cum in voluptatibus degant, et contemti fiant, multas coniurantibus praebent occasiones.* Uberius haec possent declarari, sed nolim Aristotelicae purpurae meos adsuere centones. Valde tamen sunt elegantia, quae de hoc argumento ad Florum disserit Zevecotius lib. I. cap. 6. Quod autem ad historiam spectat, non parum de ea dubitat Philosophus, qui quidem per *τοὺς μυθολογοῦντας* Ctesiae latus prae ceteris tangere videtur, ut qui talibus fabulis comminiscendis multum laboraverit; sic etiam censente Ampliss. Conringio cap. I. Adversar. Chronol. pag. 13.

TALI FOEMINAE etc. Viri molles et imbecilles per contemptum mulieres et muliebri genere nominari solent. Sic Catullus *Gallum* appellat *Gallam*, Varro *Heram*. Sic Curionem filium *filiolam Curionis* aliquando vocat Cicero. Caeterum locus hic docere potest,

indignas viro curas muliebres et Minervias ab antiquitate fuisse habitas. Unde lucem capit illa senis indignatio apud Plautum Menaechm. V. 2. 45.

*Serviren' tibi*
*Postulas viros? dare una opera pensum postules,*
*Inter ancillas sedere iubeas, lanam carere.*

Quapropter Eutropium eunuchum, Arcadii Imp. paedagogum, et totius imperii rectorem, ita perstringit prudentissimus poeta Claudianus lib. I. vs. 271.

*quid te turpissime bellis*
*Inseris aut saevis pertentas Pallida campis?*
*Tu potes alterius studiis haerere Minervae,*
*Tu telas non tela pati, tu stamina nosse;*
*Tu segnes operum solers urgere puellas*
*Et niveam dominae pensis involvere lanam.*

Hinc quam aegre tulerit Narses, vir sane strenuus, et ut antiqua habet inscriptio *gloriosissimus*, convicium a Sophia Iustini uxore profectum, quae scripserat, *se ipsius castrati* (vere enim talis erat) *opera in gynaeceo indigere; illic ad colum inter nentes iura daturum, et pensa in quasillos divisurum*; vel inde manifesto constat, quod Augustae non modo haec rescripserit: *Exordiar sane telam, quam nulla Penelope, nec quicquid usquam est muliebrium Sophiarum, retexere potest:* verum etiam odio et ultionis cupiditate accensus Longobardos in Italiam ex Pannonia summa cum Romanorum clade exciverit, uti Diaconus lib. II. de Gestis Longobard. enarrat.

Progressus ad socios etc. Quorum praecipuus *Belesus* seu *Belochus* in veteri historia decantatur, quique σατραπείαν τῆς Βαβυλωνίας (uti loquitur Diodorus Bibl. lib. II. cap. 24.) consequutus est. At enim Excellentiss. noster Conring. hunc Belochum non satrapam sed Regem Babyloniorum fuisse autumat, et eundem cum Merodacho Baladanis, cuius mentio fit IV. Reg. XX. vs. 12. quique ibidem ad Ezechiam tamquam amicum, legatos suos de prodigio retrogradae solis umbrae sciscitatum misisse dicitur. *Quis enim crediderit*, pergit Conringius Adversar. Chronol. cap. III. pag. 19., *ad hostem Assyriaci imperii adeo amicam missam legationem, nisi ab eo, qui itidem in illam rempubl. malo erat animo. Certe praefectus aliquis Regis Assyriorum id nunquam fuisset ausus.* Quae quidem sententia si firmo stat talo, non est quod vir Cl. Christoph. Adamus Rupertus tantopere insultet Besoldo, quod Belochum Babyloniae Monarcham appellaverit. Vide Observat. Ruperti in Besoldi Synopsin minor. cap. III. pag. 50. 51.

4. Non ut vir regnum defensurus. Aliter Diodorus, qui diu se defendisse, et non semel hostium vires fregisse, prolixe docet.

5. Exstructa incensaque pyra. Pyram appellabant veteres et ignem rogi, et struem illam lignorum ad cadaver comburendum paratam. Scholiastes Euripidis in Hecubam: Πυρὴ τὸ πῦρ τὸ ἐπὶ νεκρῷ ἁπτόμενον, καὶ ὁ τόπος, ἐν ᾧ τὸ πῦρ ἅπτεται. Sunt autem

*pyra* et *rogus* synonyma. Glossae Vett. *Rogus*, *πυρὰ νεκρῶν*. *Rogus*, *πῦρ*. Servius quidem discrimen inter ea constituere laborat, dum *pyram* putat esse lingorum congeriem, *rogum*, cum iam ardere coeperit; sed id a Latinis scriptoribus non observari, tum ipsum etiam Servium hac eadem in re seorsim sentire, monet Kirchmannus de Funeribus lib. III. cap. 1. Ingeniose quidem Vossius in Etymologico contra Servium, *rogum* potius *lignorum congeriem ante flammam*, *pyram* vero *struem ubi accensa sit* interpretari laborat: rectene vero an secus, eruditi iudicent.

Et divitias suas. Sardanapali divitias Herodotus quoque praedicat lib. II. ubi simul, qua ratione fures iisdem per cuniculos subterraneos insidiati fuerint, pluribus enumerat.

Se in incendium mittit: hoc solo imitatus virum. Imo minime in eo imitatus est virum, Iustine. Audi quaeso Iosephum, sed Latina loquentem in praeclara illa oratione, quam habuit ad socios, ut eos a voluntaria nece revocaret, quaeque exstat lib. III. de Bello Iudaico cap. 14. et apud Egesippum lib. III. cap. 18. *Timidus est, qui non vult mori quando oportet, et qui vult, quando non oportet.* Et mox: *Quis ignorat foemineae timiditatis esse et muliebris formidinis, ne moriare, mori velle. An quia graviora supplicia exacturus est adversarius, ideo praeveniendum putatis? An viri fortis est semet occidere; imo vero ignavissimi, quantum opinor. Nam et gubernatorem timidissimum puto, qui tempestatem metuens ante vim turbinis navem sponte submergit. Quin etiam propria manu perire a communi omnium animalium natura discrepat, eoque modo in creatorem nostrum Deum scelus admittitur.* Et quae plura ibidem cedro digna reperies, quibus *αὐτοχειρίαν* non viri, sed abiectissimae foeminae animique prorsus enervati esse docet. Sed Christianum, aut rectius Iudaeum excipis. Non hominem sed argumenta inspice. At vero quam facile nobis est alium sufficere. Aristotelem attende; at quantum virum! Ita autem ille lib. III. Eth. cap. 7. *Τὸ ἀποθνήσκειν φεύγοντα πενίαν, ἢ ἔρωτα, ἤ τι λυπηρὸν, οὐκ ἀνδρείου ἀλλὰ μᾶλλον δειλοῦ. Μαλακία γὰρ τὸ φεύγειν τὰ ἐπίπονα, καὶ οὐχ ὅτι καλὸν, ὑπομένει, ἀλλὰ φεύγων κακόν. Mortem sibi consciscere, ut vel paupertatem, vel amorem, vel quidpiam mali fugiamus, fortis viri minime est, sed potius timidi. Mollities enim est res aerumnosas et laboriosas fugere. Neque quisquam hanc mortem sustinet, quod honestum sit, sed quod malum fugere studeat.* Aristotelica sic *παραφράζει* doctus et acutus, et quod hoc in genere caput est, probus valde interpres Eustratius pag. 184. *Nonnulla sunt, quae licet ad ignavum et imbellem hominem spectent, speciem tamen quandam fortitudinis prae se ferunt, ut paupertatis vel amoris vel molestiae alicuius alterius evitandae caussa mortem sibi consciscere. Molestias enim fugere quocumque modo velle, mollis ac languidi hominis est; at mollitia tolerantiae est opposita, atque ob id a forti viro aliena.* Quae quidem Philosophi verba si attentius paulo inspicimus, duo continere

videntur argumenta, quae per syllogismum nobis sic eruere placet. Prior ita se habeat: *Quicunque non potest sustinere molesta, is mollis potius et effoeminatus quam fortis est dicendus. At qui paupertatem, aut amorem aliasque huiusmodi adversitates fugiens se ipse interficit, quaedam molesta sustinere non potest.* E. *is mollis potius* etc. *est dicendus.* Posterius autem argumentum, a fine fortitudinis, quem honestatem esse nemo prudens facile negaverit, petitum est. *Quicunque mortem intrepide quidem adeunt, non tamen honestatis gratia, sed ut malis se subducant, ii neutiquam sunt fortes; sed αὐτόχειρες mortem intrepide quidem adeunt, non tamen honestatis gratia* etc. E. *αὐτόχειρες non sunt fortes.* Et ex hac quidem Aristotelis palaestra plures deinde alios eandem hausisse sententiam monet Lipsius ad Taciti Hist. lib. II. cap. 46. Neque dubito Augustinum eo collimare, quando lib. I. de C. D. cap. 22. mortem voluntariam ad animi magnitudinem nequaquam pertinere luculenter ostendit. Eiusdem Augustini caput XXIII. huc apprime spectat, utpote in quo contra illos disputat, qui ignominiam ab hoste victore alias perpetiendam ut declinent, ab *αὐτοχειρίᾳ* remedium petunt; ubi inprimis Catonis factum perstringit, quod alias certatim enarrant, imo eximiis elogiis ornant Cicero lib. I. Offic. et Tusc. Quaest. lib. I. et lib. IX. Epist. Famil. 18. Seneca Epist. 24. et 67. it. de Tranq. Animi cap. 15. de Provid. cap. 2. Hirtius de Bello Afric. cap. 88. Livius lib. XIV. Dio Cassius lib. XLII. Appianus de Bell. Civil. lib. II. Florus IV. 2. 70. Plutarchus in Vita cap. 89. Gellius lib. XV. 18. Plinius H. N. V. 4. etc. et ex Poetis Horatius lib. II. Od. I. vs. 24. Lucanus lib. IX. vs. 601. *Στωϊκίζει* autem hic Iustinus noster. Stoici enim *αὐτοχειρίαν* aliquando licere putabant, pro patria nempe et amicis, in animi atque corporis insanabalis dolore, in extremo senio, imo rebus etiam lactis et corpore valido: ob damnationem denique publicam, aut quamvis aliam ignominiam iniuriamve. Et hoc quidem Stoicae sectae dogma pluribus erudite explicat, eruditius autem mox reiicit, et minime licere, rationibus et testimoniis declarat Lipsius lib. III. Manuduct. ad Philosoph. Stoicam dissert. XXII. et XXIII. quas dissertationes suo Polymnemoni, operi, ut equidem puto, erudito inseruit, et elegans insuper auctarium adiecit Iohannes Magirus. Ipse tamen Lipsius, quod mireris, *αὐτοχειρίαν* alibi defensurus videtur, dum videlicet ad ista Taciti loc. laud. *Maiore animo tolerari adversa quam relinqui:* se *pro Stoicis scutum habere* scribit, *quod opponat*, *nisi vetaret religio.* Et hoc scutum, exceptionibus tamen nonnullis munitum ex armario suo depromit Cent. II. Epist. Misc. 22. et audacius puta vibrasset in Thrasea suo, ubi locum istum magnifice tractaverat, *nisi iudicia,* et ut ipse appellat, *voces calumniosi aevi* timuisset. Verum, ne quis me tanto viro iniuriam facere putet, legat ea quae habet vir ingenio pariter et iudicio praestantissimus Christoph. Adamus Rupertus dissert. ad Val. M. lib. II. cap. 6. pag. 160. et tum Lipsii dicta vix sine impietatis suspicione legi iudicabit. Ceterum quid miramur

Lipsium? cum et hic forte, perinde ut in aliis pluribus, levitatem suam et inconstantiam (quamvis *de Constantia* tam praeclare, ut nihil supra, scripserit) clare satis prodiderit. Qua quidem in sententia plurimos consentientes habeo, et illos inprimis, qui viri Cl. Thomae Sagittarii Lipsium Protea curiosius inspexerunt. Nobis vero id tenendum est, vocem divinam: *Non occides;* non ad alios tantum, sed ad nos ipsos quoque spectare; atque adeo non licere nobis ex statione nostra, in qua nos Deus Opt. Max. collocavit, summi illius Imperatoris iniussu abire. Graviter et diserte Lactantius lib. III. cap. 18. *Sicut in hanc vitam non nostra sponte venimus, ita rursus ex hoc domicilio corporis, quod tuendum nobis assignatum est, eiusdem iussu recedendum est, qui nos in hoc corpus condixit tam diu habitaturos, donec iubeat emitti; et si vis aliqua inferatur, aequa mente id ferendum est, cum exstincta innocentis anima inulta esse non posset, habeamus vindicem magnum, cui soli vindicta semper integra est.* Ex recentioribus maximopere me affecerunt summi viri Iohannis Freinshemii verba, quae si ex aureis ipsius in Curtium commentariis repeto, me neque scriptionis neque lectorem lectionis poenitebit. *Et certe*, inquit, *omnia exempla, qui sibi manus intulerunt, quot quidem eorum in meam notitiam pervenerunt, exacte considerans, deprehendere visus sum profecta ex quadam animi mollitie, cum officii sui contemptu, quod ab unico illo bono magistro nondum didicerant, aut si didicissent, flagitiose neglexerant. Etiam quae speciosissima videntur, eadem scabie penitus infecta coniicere est. Excedere enim aiunt se vita, ut suo potius arbitrio, quam alieno moriantur, ne contumeliis et doloribus ad iussum alicuius tyranni corpus atque membra praebeant: ut denique ostendant, nihil in se licere quantumvis potenti domino, si ipsi noluerint. At totum hoc quid aliud est, nisi quaedam animi teneritas, qui infirmitatis suae conscientia, quicquid molestum sentit, fugit potius, quam constanter aut perfert aut profligat? falsa persuasione coecatus, hac ratione finem malorum quaeri. Sed o miseros, qui sero deprehendunt, infinitis partibus maiora pluraque supplicia in immortali ista morte, ubi nihil praeter poenam vivit, esse perferenda, quorum effugium alia ulterior mors non reperiat.* Haec Freinshemius. Neque vero exempla Samsonis et Rhazis in sacris memorata quemquem tueri posse satis patet, cum iamdudum quid de iis sentiendum clare exposuerint Augustinus de C. D. lib. I. cap. 21. et 26. et lib. II. contra Gaudentii Epist. alteram cap. 31. Hieronymus Tom. III. Epist. ad Euagrium fol. 38. Isidorus Hispalensis Commentar. in Iudic. cap. 8. alii. Demum ne *αὐτοχειρίας* crimen etiam his in terris impune abiret, *αὐτόχειρες* sepulturae honore ut olim, ita hodie privari solent. Quo refero illa Philosophi lib. V. Nicom. cap. 2. *Καὶ τὶς ἀτιμία πρόσεστι τῷ ἑαυτὸν διαφθείραντι, ὡς τὴν πόλιν ἀδικοῦντι. Hinc etiam quaedam ignominia manet se ipsum exanimantem, ut qui civitatem iniuria afficiat.* Ad quae sic Michael Ephesius pag. 317. *Sed quae animadversio et mulcta in*

*eum esse potest, qui se necabit et non amplius vivit? ea scilicet, ut sepultura civium indignus habeatur, aliquaque alia huiusmodi contumelia afficiatur, quae mortuis inferri potest.* Verum cum hoc argumentum plures iam tractaverint, equidem de eo dicere supersedeo. Sufficiat laudasse H. Grotium lib. II. de I. B. et P. cap. 19. Kirchmannum de Funeribus Rom. Append. cap. 9. Quensted de Sepultura Vett. cap. III. Tantum de *αὐτοχειρίᾳ* dicturis Sardanapali nobis suppeditavit interitus. Denique ad calcem huius Exercitationis Sardanapali, quod fertur, epitaphium ex veteribus, Diodoro, Strabone, Athenaeo, Tzetze, Arriano, Plutarcho, Suida, Cicerone aliisque erutum producere animus erat. Verum postquam Brissonium ad finem lib. I. de Regno Pers. id iam factitasse vidi, ne alienae messi falcem immisisse viderer, ab his curis abstinui. Unius tamen Michaelis Apostolii testimonium Brissonianis addere placet. Ita autem ille Proverb. Cent. XVII. 26. *Ἐν Νίνῳ δὲ ἐπὶ τοῦ μνήματος αὐτοῦ τοῦτ' ἐπιγέγραπται· Σαρδανάπαλος ὁ Ἀναχυνδαράξου παῖς Ταρσόν τε καὶ Ἀγχιάλην ἔθη μὲν ἡμέρῃ μιῇ· Σὺ δ' ἔσθιε, πῖνε, ὄχευε, ὡς τά γε ἄλλα οὐδὲ τούτου ἐστὶν ἄξια, τουτέστι τοῦ τῶν δακτύλων ἀποκροτήματος. Τὸ γὰρ ἐφεστὸς τῷ μνήματι ἄγαλμα ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς ἔχον τὰς χεῖρας πεποίηται, ὡς τ' ἀνακροτεῖν τοῖς δακτύλοις. ταυτὸν καὶ ἐν Ἀγχιάλῳ τῇ πρὸς Ταρσὸν ἐπιγέγραπται, ἥτις νῦν καλεῖται Ζεφύριον.* Quae sic expressit Petrus Pantinus: *Nini autem in ipsius sepulcro hoc inscriptum est: Sardanapalus Anacyndaraxi filius Tarsum et Anchialem una die condidit. Tu autem ede, bibe, Veneri da operam. Nam cetera ne tanti quidem sunt, hoc est, ne digitorum quidem crepitum valent. Statua enim sepulchro imposita manus super caput habens fabricata est, tamquam digitis strepitum edens. Idem Anchialo prope Tarsum inscriptum est.*

---

## EXERCITATIO IN IUSTINI LIB. I. CAP. IV.

1. Post multos deinde Reges. Forte non adeo multi fuerunt Medorum Reges, si recte capimus ea, quae Ampliss. noster Couringius Adversar. Chronolog. lib. III. praeclare disseruit, ubi Herodoti, Dionysii Halicarnassei et Iosephi testimoniis haud diu illud imperium durasse, sed in Rege IV. desiisse, luculenter evincit.

2. Ex naturalibus filiae. Quam Herodotus et Valerius Max. *Mandanen* vocant. Aeliano V. H. lib. XII. 42. est *Μανδάλη*, quem tamen ex Herodoto emendandum censet Bongarsius: quae emendatio etiam probatur Iohanni Scheffero in Not. ad Aelian. *Naturalia* autem dicit Noster partem illam corporis, *per quam sexus foemineum et sobolem prodere et nomen solet acquirere genti*, uti loquitur Arnobius lib. V. Glossae Vett. *Naturalia*, *αἰδοῖα*. Sic Firmicus

lib. VI. Astron. cap. 21. *Si vero sint in tropico . . . faciunt* naturale *mulieris incorrupto aditu glutinatum.* Et lib. VII. cap. 3. *in renibus vero XXVIII. et XXIX. et in* naturali *sola XXX. est collocata.* In utroque enim loco glossema *corpus* delendum censet Ian. Rutgersius Var. Lect. lib. III. cap. 18. Eandem corporis partem *naturam* dixit Cicero lib. II. de Divinat. *Parere quaedam matrona cupiens, dubitans essetne praegnans, visa est in quiete obsignatam habere naturam.* Sic etiam in illo Lucretii, quem tamen nonnulli aliter capiunt:

*Nixibus ex alvo matris* natura *profudit.*

Huius generis alia vide sis apud Barthium Advers. lib. XXI. cap. 10.

Vitem enatam. Herodotus, et qui eum sequuntur, Valerius lib. I. cap. 7. et Sabellicus lib. I. cap. 1. bis somniantem faciunt Astyagem, et primum quidem de urina universam Asiam inundante. Alterius etiam Sidonius meminit carm. II.

*Astyages Cyro pellendus forte nepoti*
*Inguinis expavit diffusum vite racemum.*

Cuius palmite omnis Asia obumbraretur. Nolumus hic ea, quae multi de somniorum caussis et generibus operose disputarunt, recoquere. Num vero hoc ipsum Astyagis ad naturalium, aut ad ea quae praeter naturam accidere solent somniorum classem referendum, dictu non est admodum difficile. Licet enim non negaverim, quod ad illum modum, quo vigilantes de futuris rebus et praeteritis plurima nobis imaginamur, ita per somnum quoque variarum rerum simulacra nobis occurrere possint; ad fatidicorum tamen classem potius, quae non piis tantum, verum gentilibus etiam virtutis exercitio claris Deus O. Max. immisit, hoc ipsum pertinere arbitror. Ut namque aequa lance solem suum et pluviam iustis aeque ac iniustis distribuit, sic profanos etiam de capessenda republ., de gerendis bellis, ceterisque rebus suggesto coelitus somnio instruxit. Neque enim magnorum atque illustrium eventuum praenuncia somnia, quae priscis Heroibus atque Regibus extra ecclesiam visa sunt, omnia, una quod aiunt moneta percutienda, hoc est, nullum ex illis divino, sed cuncta pariter daemonum afflatu futura iis praedixisse sentio. Et cum ex divinorum librorum interpretibus plurimi ad hanc divinorum somniorum classem, Pharaonis, Abimelechi, Nabuchodonosoris exempla referant, eo magis in mea confirmor sententia. Inprimis autem e veteri historia, ut novissima taceam, notari meretur, quod non raro parentes de nascitura sobole sollicti illius fortunam oblata somniorum imagine praedivinarint. Olympias qua nocte Alexandrum concepit, visa per quietem est cum ingenti serpente volutari; apud Nostrum lib. XII. cap. 16. Sic Hecuba Priami uxor Paridem enixura ardentem in Asiae et Europae incendium facem utero se gestare somniavit. Sabellicus lib. I. cap. 1. Dionysii Siculorum tyranni mater somniavit se peperisse Satyriscum. Cicero lib. I. de Divinat. et Valer. M. lib. I. cap. 7. Aliud somnium matris Phalaridis, quod futurae filii crudelitatis indicium fuit, ex-

Pontico Heraclide refert Cicero d. l. Attia Augusti mater praegnans per somnum vidit sua intestina in omnem terrae ambitum explicari, verissimo praesagio per omnem paene terrarum orbem proferendae dominationis. Eiusdem fortunae imagine pater Octavius filium mortali specie ampliorem cum fulmine et sceptro exuviisque Iovis ac radiata corona supra currum laureatum bissenis equis candore eximio trahentibus videre sibi visus est. Sueton. cap. XLIX. Attilae mater uterum gerens, visa est videre in somnis puerum ex se nasci, cui stanti demissus e coelo Mars ensem accingeret, et flagellum divinae iracundiae daret. Bonfin. lib. III. Dec. 1. Et Georgii Castrioti, Scanderbegi vulgo appellati, mater somniabat, se parere anguem, cuius caput ad fines Turcicos, cauda ad Venetos pertingeret. Martinus Barletius libro de Rebus gestis Scanderbegi. Euagrius demum lib. IV. cap. 12. de Mauritio Imp. narrat quod tempore conceptionis ipsius parens in somniis viderit vitem maximam e cubili suo prodeuntem, plurimisque uvis iisque maturis onustam; quod quidem exemplum propter eam, quam habet cum Astyagis somnio affinitatem, praetermittere nolui.

3. Consulti harioli. *Hariolus*, quasi fariolus, a *fando* nomen accepit, vel ab *halando*, quia halitu soleat mortalem animam quasi excludere, ut recipiat divinam: (Donatus in Phorm. IV. 4.) vel denique ab *ara*, quasi *qui aris inhalans numen de nidore concipit;* ut loquitur Tertullianus in Apologet. cap. XXIII. Sane in veteribus glossis vertitur *hariolus* *βωμοσπόπος*, quo etiam Hincmarum collimare puto in Opusc. de Divortio Lotharii et Tetbergae. *Arioli sunt*, inquit, *qui circa aras idolorum nefarias preces emittunt et funesta sacrificia offerunt*, *hisque celebritatibus daemonum responsa accipiunt.* Sequiori genere *hariolas* dixit Plautus Mil. III. 1. 48. *Hariolari* ex Terentio et Tullio notum.

4. Ne paterna maternaque nobilitas nepoti animos extolleret. Ita est. Non parum ad virtutis stimulum generis nobilitas facit, cuius beneficio *quaedam quasi necessitudo nobilibus imposita videtur, ne a maiorum virtute degenerent:* ut praeclare sentit Boethius lib. III. Pros. 5. cui consentit Cassiodorus Var. lib. VIII. ep. 16. et qui primo loco nominandus erat, Aristoteles Rhetor. lib. II. cap. 15. *Εὐγενείας μὲν οὖν ἦθός ἐστι τὸ φιλοτιμότερον εἶναι τὸν κεκτημένον αὐτήν. Πάντες γὰρ ὅταν ὑπάρχῃ τὶ, πρὸς τοῦτο σωρεύειν εἰώθασιν.* Sallustius Iugurth. cap. IV. *Memoria rerum* (a nobiliss. maioribus) *gestarum, ingentem flammam egregiis viris in pectore crescere, neque prius sedari, quam virtus eorum famam atque gloriam adaequaverit;* rectissime statuit. Praeclare hanc in rem Claudianus in laud. Serenae Reginae vs. 34. *Quod si nobilitas cunctis exordia pandit Laudibus atque omnes redeunt in semina caussae: Quis venerabilior sanguis, quae maior origo Quam regalis erit?* Et sunt talia nobilitatis elogia ubivis obvia, quemadmodum nec exempla apud Nostrum desunt: Pyrrhi vide l. XVIII. 1. 2. Hannibalis XXIX. 1. Mithridatis XLII. 2. 3.

Uber porro seges est apud Tiraquellum in locupletissimis de Nobilitate commentariis, ut Gruteri Discursus ad Livium, et Berneggeri Quaestiones ad Tacitum, aliorumque monimenta taceam.

CAMBYSI MEDIOCRI VIRO. Hinc explicat Herodotus responsum illud, quod Croeso oraculum dederat, tum scilicet ipsi ac regno exitium fore, cum mulus in Perside regnaret. Aiunt enim hoc modo indicatum fuisse Cyrum, quod quemadmodum mulus nascitur patre ignobili asino, matre generosa equa, contra quam in hinno fit (Varro lib. II. de R. R. cap. 8. Plinius lib. VIII. cap. 44. Columella lib. VII. 37.) sic Cyrus habuerit matrem Regis Astyagis filiam, patrem vero Cambysen obscuro loco natum. At enim paternam etiam originem antiquam et non minus claram fuisse, Xerxis verba, quae patrem Cambysis faciunt Achaemenidem apud Herodot. lib. VII., declarant: quo de loco quid statuendum egregie ostendit Vir Cl. Christoph. Adam. Rupertus Observ. ad Synops. Besold. cap. V. pag. 83.

UT SUB AVI POTISSIMUM OCULIS. Tantum valet exsecrabilis dominandi cupido, quae ipsius naturae vincula dissolvit, quamque propterea cunctis affectibus flagrantiorem vere dixit Tacitus XV. Ann. cap. 53.

6. NATUS INFANS DATUR OCCIDENDUS HARPAGO. Qui Ammiano lib. XV. est *Harpalus*, nisi est librarii error. Non autem exponi iussus est Cyrus, quae manifesta Valerii Max. oscitantia lib. I. cap. 7. ext. 5. Quem tamen errorem etiam Lipsium Comment. ad Senecam et Iohannem Cluverum in Epist. Histor. errasse, notat saepius nobis laudatus Rupertus ad Besold. cap. III. pag. 59. addito hoc elogio: *Intolerandum in utroque Herodotum tam negligenter et legere et citare.*

7. IS VERITUS SI AD FILIAM. Neque id iniuria veritus est Harpagus. Nam et veteris et nostri aevi historiae docent, non raro caedis administros, graves poenas, quasque ab auctoribus exigere non potuerunt, cognatis dedisse: ne nunc dicam illos ipsos caedis principes, ut a suspicione sceleris se liberarent, executores de medio tulisse. Nobilis est observatio Taciti ad exemplum Aniceti Ann. XIV. 62. 2. quo ministro usus erat Nero ad parricidium: *Levi*, inquit, *post admissum scelus gratia fuisse, dein graviori odio: quia malorum facinorum ministri quasi exprobrantes adspiciuntur.* Et alia eiusmodi observarunt prudentissimi viri Forstnerus et Boeclerus comment. in Ann. Taciti lib. VI. §. 7. Circumspecte igitur agat, cui in mandatis tale quid datum est, videatque num medium investigare possit, quo neutrum offendat, aut si illud non succedit, iniusta imperanti nequaquam obediat. Praeclarum Senecae monitum: *Pars interior mancipii, mancipio dari non potest, ab hac quicquid venit, liberum est. Non enim aut nos omnia iubere possumus, aut in omnia servi parere coguntur. Contra rempubl. imperata non facient, nulli sceleri manus commodabunt.*

PASTORI PUERUM EXPONENDUM TRADIT. Mitior sane Harpago videtur caede expositio, quamquam Paulo IC. lib. IV. de agnosc. lib.

*exponere* idem est quod *necare:* imo Lactantio lib. VI. cap. 20. videtur ipsa caede atrocius. *Quid illi*, inquit, *quos falsa pietas cogit exponere? Non possunt innocentes existimari, qui viscera sua in praedam canibus obiiciant, et quantum in ipsis est crudelius necant, quam si strangulassent.* Strangulasse autem veteres aliquando infantes, tum hoc tum alia testimonia evincunt. Sic lib. V. cap. 9. *Non de nostro sed illorum numero semper existunt, qui natos ex se pueros aut strangulent, aut si nimium pii fuerint, exponant.* Arnob. lib. II. *Vos video procreatos filios nunc feris et avibus exponere, nunc ad strangulatos misero mortis genere elidere.* At de expositione infantum alias uberius; quamvis non pauca iam contulerint Lipsius Cent. I. ad Belg. ep. 85. Dempsterus ad Rosin. lib. I. cap. 1. Cuiacius Observ. lib. XVI. cap. 36. Heraldus lib. I. Digression. ad Tertull. Apolog. VIII. Elmenhorstius et Ouzelius ad Minucii Octavium.

10. Canem foeminam parvulo ubera praebentem. Cedro digna sunt Leunclavii verba lib. I. Hist. Musulm. *Fieri plerumque, ut quo magis impedire homines progressus eorum nituntur, quos coelestis providentia magnis destinavit imperiis, eo faciliorem ipsis ad praefixam divinitus metam perveniendi viam efficiant. Evenit* enim *nihilo secius*, ceu notat ad hoc exemplum Sabellicus, *quod necesse fuit evenire.* lib. I. cap. 1. Nam Deus Opt. Max. id genus exemplis providentiam suam clarissime demonstrat, quamque facile ipsi sit crudelibus hominum conatibus resistere. Veterum huic multa similia reperimus, quibus tamen fabulas, ceu fieri solet, admistas esse reor. Sic *Iovem*, *Platonem*, *Pindarum* ab apibus, *Midam* a formicis, *Habidem* a cerva, *Semiramidem* a columbis, *Romulum* et *Remum* a lupa enutritos accepimus. Et plura huius generis antiquorum monimenta diligentius rimanti sese offerent. Neque enim Tiraquellum ad Alexandr. Freinshemium et Rupertum ad Florum omnia occupasse puto. Signanter Plinius lib. VIII. cap. 17. *Quae de ferarum lacte nutritis, cum essent expositi, traduntur, sicut de conditoribus nostris a lupa, magnitudini fatorum accepta ferri aequius quam ferarum naturae arbitror.* Quicquid tamen horum sit, nescio an vero similior sit Herodoti sententia, quod quia pastoris uxori Medica voce Spaco, quod Latinis *canem* sonat, nomen erat, fabula haec de Cyro a cane enutrito emanarit. Cum Iustino tamen faciunt Lucianus de Sacrificiis et Aelianus V. H. lib. XII. 41.

10. Puerum defert ad stabula. Scilicet ad tugurium. Neque enim stabulum tantummodo pro loco in quem armenta concludi solent, sed etiam pro habitatione quavis accipitur; quo sensu Virgilius dixit: *Ardua tecta petit stabuli.* In specie veteres sic appellabant loca, in quae longo itinere fessi succedebant, quod hospitium vel diversorium dicimus. Glossae Vett. *Stabulum*, πανδοχεῖον. Inde *Stabularius* apud Senecam lib. I. de Benef. cap. 14. et Appulei. Metam. lib. I. item Hieronymum et Optatum, quos hanc in rem laudat Barthius Advers. lib. XXXIII. cap. 12. Glossae: *Πανδοχεύς*,

*stabularius*, *diversoriarius*, *caupo*. Loca etiam, in quibus obscoenae Veneri litabant, eodem nomine veteribus venisse, vel ex Petronio liquet; vel quod in ea hominum turpissimorum colluvies diverteret, vel quod instar pecudum latebras ibidem quaererent, id quod etiam Wovverio notas ad Satyricum scribenti in animo fuisse video.

14. Quia canem Persae sic vocant. Imo vero Medi. Herodotus: *Τὴν γὰρ κύνα καλέουσι Σπάκα Μῆδοι.*

---

## EXERCITATIO IN IUSTINI LIB. I. CAP. V.

1. Puer deinde cum inter pastores esset. Eandem fabulam prolixe enumerat Herodotus. Quid vero de ea sentiendum, verbis Christoph. Adami Ruperti in Observ. ad Synops. Besold. cap. V. pag. 136. exponam. *Videtur*, inquit, *Diodorus* (cuius verba ut in Excerptis Peiresc. habentur, laudaverat) *longe aliud censuisse de Cyri adolescentia, quam quae Herodotus scripta reliquit, fuisse patri ereptum Astyagis imperio et clam educatum in bubulci domo, miraque tandem fortuna accidisse, ut agnosceretur. Haec ut iucunda lectu, sic comoediae quam historiae similiora sunt.* Censet nimirum Rupertus, Diodorum potius et Ctesiam, qui a patre Cambyse Cyrum optime institutum et regiis artibus imbutum tradunt, quam Herodotum audiendos esse. Vix enim fieri potuisse autumat, ut qui tantum imperium condidit, tot bellicosissimas nationes subegit, tam egregiis artibus subditos sibi devinxit, haec in caula et non potius in principali domo didicerit. Habeo equidem, quae Ruperto eiusque argumentis opponerem, sed vetat aetas iuvenilis. Meum ergo, quod tenue esse non ignoro, tanti viri iudicio hac quidem in parte lubens subiicio.

Cyri nomen accepit. Id Persis solem significare, ex Ctesia, Plutarcho, Plethone, iam Berneggerus et qui hunc exscripsisse videtur Guil. Burtonus in *Λείψαν.* linguae Persicae monuerunt. Non immerito autem ridetur Suidas, qui exotici nominis etymon e Graecia petere non dubitavit.

2. Mox Rex inter ludentes etc. Ludum interdum animi speculum esse docemur:

*Καὶ γὰρ ἐπὶ σμικροῖσι νόος διαφαίνεται ἀνδρός*
*Καὶ κύβος ἀγγέλλει βένθος ἐλεφροσύνης.*

*Etenim in parvis animus apparet viri, et cubus indicat fundamentum sapientiae.* ut habet Epigramma IV. lib. 4. Interdum namque solent colludentes pueri imitari ea, quae maxime seria sunt; nec raro animadversum est, eorum ludicris quandam futurae sortis atque conditionis significationem contineri: quem locum elegantibus exemplis cum Muretus in Variis lib. XIII. cap. 9. declaraverit, nobis plura de eo disserendi materiem praeripuit.

REX SORTE DELECTUS. Antiquissimum esse sortitionis institutum nemo nescit, et peculiaribus scriptis illustrarunt Troilus Malvetius et Thomas Gatakerus, ut Dempsteri Paralipom. ad Rosin. taceam. Ludus ille, in quo pueri Regem eligunt, nondum desiit, vocaturque propterea pluribus in locis *das König-Spiel.*

INGENUOS HOMINES SERVILIBUS VERBERIBUS AFFECTOS. More Romano Noster loquitur, flagella generatim vocans verbera servilia. Lege enim Porcia (non Porcii Catonis, sed Porcii Laecae; vid. Anton. Augustinum de LL.) cautum fuisse novimus, ne quis civem Romanem virgis caederet necaretve, uti Cicero, Sallustius, Livius, alii indicant. Et clare Accursius aliique interpretes Digest. lib. XLIX. tit. 14. de Iure Fisci leg. 12. *servilia verbera* interpretantur *flagella.* Hinc *flagella servorum* apud Senecam lib. III. de Ira cap. 28. Iuvenal. Sat. VI. vs. 480. *hic frangit ferulas, rubet ille flagello.* Et Persius Sat. V. vs. 131. servum depingit, quem *ad strigiles scutica et metus egit herilis.* Vid. Lipsium de Cruce lib. II. cap. 3. Quisnam vero sit *ingenuus,* docet Imperator Institut. lib. I. tit. 14. nempe is, *qui statim ut natus est liber est.* Graeci vocant *εὐγενῆ.* Glossarium Graeco-Lat. *Εὐγενής, generosus, ingenuus.* Nempe non semper Graeca vox nobilem significat, in quo falsum Galeni interpretem monuit Brissonius. Homines autem ingenuos sine periculo servilibus verberibus vix affici, pluribus forsan alibi dicemus, et iam ad Valerium Max. quaedam Rupertum dixisse memini.

3. NIHIL MUTATO VULTU. Uti generatim vultus index animi esse solet, ita speciatim eiusdem constantia constantem animum atque intrepidum arguit. *Vultum* contra *qui permutat, fraudem parat, non satisfactionem,* uti loquitur Petronius. Et Blepsidemus apud Aristoph. in Pluto II. 3. vs. 33.

Ἀλλ' οὐδὲ τὸ βλέμμ' αὐτὸ κατὰ χώραν ἔχει
Ἀλλ' ἐστὶν ἐπίδηλόν τι πεπανουργηκότι.

*Sed neque vultum satis fixum habet; et mobiles oculi veteratorium animum palam arguunt.* Hinc Alex. M. *a vultu Philippi medici non movebat oculos, ratus aliquas conscientiae notas in ipso ore posse deprehendi.* apud Curtium III. 6. 10.

FECISSE SE UT REGEM. Simonis Terentiani regulam Andr. II. 25. *Nam antea qui scire posses aut ingenium noscere, dum aetas, metus, magister prohibebant.* non raro exceptiones admittere, tot puerorum et adolescentum animo senili praeditorum exempla declarant. Nimirum *sunt cunabula quaedam et elementa, animique procedente tempore ad summum gloriae culmen perventuri certo cum indolis experimento:* uti loquitur Valerius lib. III. cap. 1. quod totum caput exemplis huius indolis absolvitur. Germanorum nostrorum proverbium est: *Was ein guter Hake werden will, krümmt sich in der Zeit.* quem in sensum Graeci hunc laudant versiculum:

Αὐτίκα καὶ φυτὰ δῆλα ἃ μέλλει κάρπιμ' ἔσεσθαι.

Et praeclarum est illud Ciceronis pro M. Coelio: *Studia in adolescentia, tamquam in herbis significant, quae virtutis maturitas et*

*quantae fruges industriae sint futurae.* Sic ille apud Rutilium lib. I. Itin. vs. 469.

*Non exspectatos pensavit laudibus annos*
*Vitae flore puer, sed gravitate senex.*

ad quae multa huius generis studiose congessit Nobiliss. Barthius. Sic Silius lib. VIII. vs. 465.

*Ductor Piso viros spernaces mortis agebat*
*Ore puer, puerique habitu; sed mente sagaci*
*Aequabat senium atque astu superaverat omnes.*

Et Stiliconem hoc elogio mactat Claudianus lib. I. vs. 40.

*mens ardua semper*
*A puero tenerisque etiam fulgebat in annis*
*Fortunae maioris honos.*

Epiphanium cana consilia in puerilibus annis meditatum tradit Ennodius vita Epiph. De Pompeio Plutarchus: *Τῷ νεαρῷ καὶ ἀνθοῦντι διέφαινεν εἶδος καὶ ἀκμῇ τὸ γεραρὸν καὶ τὸ βασιλικὸν τοῦ ἤθους.* In vigore floreque iuventutis senilis elucebat et regia maiestas. Quo pertinet inscriptio apud Gruterum pag. 207. Luc. Proculo L. F. XVI annos nato, qui nihil cum adolescente commune habuit, senes sapientia anteivit, Sex. Tertullia hoc Monumentum erexit. Mira etiam de Ciceronis, Augustini, Athanasii, Chrysostomi, Origenis, Bernhardi aliorumque praeclara indole narrantur, et quam tempestive illius excellentis indolis egregia documenta dederint. Quos enim Deus ad res maximas gerendas vocat, his quoque eiusmodi indolem nonnunquam dare solet, quae eximiarum virtutum magna exspectatione instructa sit: ut pateat illos divinitus vocari, foveri, adiuvari. Sed de hac indole praeclara ad hunc locum a Cl. Ruperto olim dissertata, nondum autem publici iuris facta anxie desideramus. Unicum tamen ex recenti historia Rodolfi Agricolae de Erasmi Roterodami indole praesagium adfero. Forte ostenderat Hegius Erasmi praeceptor, hospiti Rodolfo scholam ingresso discipulorum scripta: qui cum tyrocinium probaret, praetulit tamen Erasmicum scriptum ceteris, adeoque eo delectatus est, ut cuperet videre puerum. Erat tum ferme XII annos natus, ex quo accersito pauca sciscitatus, considerata figura capitis et oculorum, hortatur eum ad discendum, addito hoc elogio: *Tu eris olim magnus.* Vid. D. Chytraei Orat. de Westphalia.

5. Agitato inter pastores regno. Lucem huic loco dabit Herodotus. Et tangit Iulianus Orat. in Constantii Imp. laudem: *Οὐδὲ τὴν βασιλείαν, καθάπερ ὁ Κῦρος, παίζοντα μιμεῖσθαι.*

Animum minacem. Sic *sensus minaces* dixit Claudian. lib. I. in Rufin. vs. 98.

6. Filium interfecit epulandumque patri tradidit. Graviter de his Thyesteis epulis Ioannes Iovianus Pontanus libro de Immanitate cap. XVIII. *In hoc tam nefario*, inquit, *nunquam ante alias comperto scelere, tragicum illud opportune ex Annaeo obiiciam:*

*Quis Colchus hoc, quis sedis incertae Scytha*
*Commisit? aut quae Caspium tangens mare*
*Gens iuris expers ausa? non Busiridis*
*Puerilis aras sanguis adspersit feri,*
*Non parva gregibus membra Diomedes*
*Epulanda poscit.*

*Nec vero patrem immanitatis damnabimus, quippe qui ignorans deceptusque epulabatur, infelicitatem fortasse suam augurans: verum solem ipsum miramur potius, non retro vertisse gressus suos, non obvolvisse profundissima etiam caligine radios, lucemque obtexuisse squaloribus, ne truculentissimi Regis facinus tam immane videret coenamque adeo exsecrabilem.*

7. In vindictae occasionem distulit. Amor naturalis maximum vindictae incitamentum esse solet, cuius memorabile exemplum ex Puteano ad Valerium lib. IX. cap. 10. notat Rupertus. Qualis autem haec vindicta et quousque licita sit, erudite exponit idem Rupertus ad Vellei. lib. I. cap. 1. §. 3.

8. Dolore orbitatis admonitus. Sic cap. VIII. §. 9. *Orbitatis dolorem non in lacrumas effudit, sed in ultionis solatium intendit.* Firmicus de Errore Prof. Relig. *Dolor ex orbitate veniens nullis solatiis mitigatur.* Arnobius lib. IV. *vulnera orbitatis* et lib. VI. *cruciamenta orbitatis* dixit. Quae quidem omnia nos docent, quam grave orbitatis malum sit, adeo ut etiam Romani peculiarem Deam *Orbonam* colerent, ne orbos faceret: cuius Deae meminere Plinius lib. II. cap. 7. et Arnobius lib. IV. Gravis A. Caesellii vox est apud Valerium lib. VI. cap. 2. *Duae res, quae hominibus amarissimae videntur, magnam mihi licentiam praebent, Senectus et Orbitas.* Quam vocem cum amplius illustraverit Berneggerus ad Nostrum lib. XXVI. cap. 1. §. 8. et Gruterus ad Tacit. Disc. XXXI. non opus est multa huius generis coacervare. Forte tamen non abs re erit, hunc orbitatis dolorem elegantissimis temporum nostrorum scriptoris verbis delineare: *Affectibus humanis omnibus tenerior est aeternitatis cupiditas, quam cum sibi promittere nemo possit, quaerit tamen in posteris, quorum anima etiam morituri credunt se vivere. Iniquissime exspirant, qui frustra affectato paterno nomine nihil sui relinquunt; ii praesertim qui maiorum suorum agmen claudunt ultimi, et non sibi tantum, sed nomini generique parant exequias, quod denique radicitus perire est.*

10. Epistola exinterato lepori inseritur. Sic scriptum in MS. reperit Bongarsius, voce ab interioribus ducta, sed Vossius in Lexico Etymologico mavult *exenterato*, quasi ab ἔντερον derivata. Historiam habent Herodotus lib. I. cap. 123. Polyaenus Strateg. lib. VII. Sabellicus lib. X. cap. 6. Cetera, non leve rei bellicae momentum in litteris occulte transferendis situm esse constat, adeo ut si illae pereant, saluberrima saepe consilia non tantum irrita fiant, verum etiam in proprium mittentis exitium convertantur. Varia igitur hoc fini excogitata sunt strategemata, quae ex Polyaeno,

Frontino lib. III. cap. 13. Casaubono ad Aeneae Poliorcet. Zwingero Theatr. V. H. Vol. VII. lib. 3. Ranzovio Commentar. belli lib. II. cap. 7. aliisque peti possunt. Sic calceis, ocreis, cingulis, baculis, ipsisque adeo tormentariis globulis inseruerunt litteras. Audi Thuanum: *Cornuptus ab ordinibus Belgii Stenvicae in Frisia defendendae praefectus, cum incerta auxilii spe res in urbe turbarent, hanc mittendarum et recipiendarum litterarum rationem commentus est. Globos plumbeos bilibres biforatos fundi iubet, unique epistolam, alteri ex foraminibus igneam materiam apte inserit, ut globi fumantes indicio inde facto facilius percipi possent. Hoc artificio inter obsessos et auxiliares, qui non procul erant, cotidie litterae commeabant.* lib. LXXIV. Eosdem globos tabellarios in obsidione Turinensi regionis Pedemontanae annis abhinc IV et XX adhibitos fuisse accepimus. De columbis tabellariis Maiolus Tom. I. Colloq. 6. et tom. II. Dier. Canic. Colloq. 2. Rob. Keuchenius ad Frontin. lib. III. cap. 13. et qui reliquorum omnium industriam vicit Vir Cl. Henric. Bangertus in edecumatis ad Chronic. Slavor. Arnoldi notis lib. V. cap. 3. Pulchra vero inprimis sunt cedroque dignissima, quae de toto hoc argumento disseruit Sereniss. Gustavus Selenus Cryptograph. lib. VIII. cap. 7.

Ut sub specie venatoris. Qui antiquissimis temporibus servi erant, quod vel ex Sallustio constat, qui in IV. Catil. venationem inter servilia munia refert: *Non fuit consilium socordia atque desidia bonum ocium conterere: neque vero agrum colendo aut venando, servilibus officiis intentum, aetatem agere.*

---

## EXERCITATIO IN IUSTINI LIB. I. CAP. VI.

1. Eadem somnio aggredi iussus est. Forte propterea, quod antiquitas divinitatis quidpiam inesse somniis credebat, monentibus aliis, interque eos Dempstero ad Rosin. lib. II. cap. 2.

2. Antelucano tempore. Nimirum somni impatientem esse decet ad magna adspirantem, et inprimis ductorem exercitus. Iulianus Orat. III. de *Constantii laudibus* imperatoris mores efformans, ipsum somno haud multum indulgentem esse cupit. *Ὕπνῳ τε εἴκων ὀλίγα, καὶ τὴν ἀργίαν ἀποστρεφόμενος. Ἀληθῶς γὰρ οὐδεὶς οὐδενὸς οὐδὲν ἄξιος καθεύδων ἀνὴρ ἢ καὶ ἐγρηγορὼς τοῖς καθεύδουσιν ἐμφερής. Imperator somno haud multum indulgeat, ac desidiam aversetur. Etenim revera nullam ad rem utilis esse potest homo dormiens aut vigilans dormienti similis.* De Aeneae vigilantia Virgilius I. Aeneid.

*At pius Aeneas per noctem plurima volvens,*
*Ut primum lux alma data est, exire, locosque*
*Explorare novos.*

Qualis etiam ille de quo Valer. Flaccus Argon. lib. I. 296. *Impatiens somni ductor manet.* Agesilaum eo nomine commendat Plutarchus in Apoph. quod videlicet *somno usus sit non ut domino, sed eum in omnibus actionibus suis habuerit obedientem.* Et Caesarem Velleius lib. II. cap. 41. *quod somno in vitam, non in voluptatem usus fuerit.* Et plura sane huius generis passim in historiis observare licet: quemadmodum non pauca iam tum observavit Iacobus Andreas Crusius in eruditiss. *de Nocte* lucubrationibus cap. VI. Quantopere autem antelucanum tempus gerendis rebus aptum sit, neminem opinor latebit, nisi cui *pulchrum est in medios dormire dies et ad strepitum citharae cessatam ducere curam,* ut Horatius canit lib. I. epist. 2.

Servum de ergastulo. *Ergastulum,* quod a Graeco ἐργάζεσθαι nomen habet, locus erat, in quo servi vincti operabantur. Philoxenus in glossis: *Ergastulum,* τόπος, ἐν ᾧ δεσμῶται ἐργάζονται. quae verba apud Vossium in Etymol. ita se habent: *Ergastulum,* ἐργαστήριον. item: *Ergastula,* τόποι, ἐν οἷς πεδῆται ἐργάζονται. *Δεσμωτήρια* Isidorus uberius, sed minime verius ita describit: *Ergastula, ubi deputantur noxii ad aliquod opus faciendum, ut solent gladiatores et exules, qui marmora secant et tamen vinculorum custodiis alligati sunt.* Non semel in hac descriptione peccasse Isidorum praeclare ostendit Lipsius in Electis: quae huc omnia referre, nec libet nec licet. Potissimus ergastulorum finis erat agricultura, quemadmodum id multa veterum loca evincunt. Clarissime omnium Florus lib. III. cap. 19. *Hic ad cultum agri frequentia ergastula.* Hinc etiam vincti illi servi *fossores* dicebantur. Lucanus: *Vincto fossore coluntur Hesperiae segetes.* Horatius lib. III. Od. 18. *invisam fossori terram* canit. Talis fossorum imago cernitur in antiqua aerea icuncula, quam in Commentario de Servis exhibet Pignorius. Praefectus huic carceri *ergastularius* dicebatur teste Columella lib. I. cap. 8. quem etiam *ergastulum* vocatum fuisse Nonius ex Lucilio confirmare conatur, quamquam Lipsius servos ipsos, non custodes intelligi, atque idcirco Nonium in eo hallucinari putat. Et recte quidem, cum et Florus lib. IV. cap. 5. *ergastula* pro servis ergastulariis dixerit. Plura non addam, cum omnem *ergastulorum* antiquitatem ex vetustis litterarum monimentis plures iam eruerint, interque eos Barnabas Brissonius Selectarum ex Iure Civili Antiquit. lib. II. cap. 9. Laurentius Pignorius Commentar. de Servis pag. 251. Claudius Salmasius ad Aelium Spartianum. Iohannes Rhodius Notis ad Scribonium pag. 313. et omnium optime Iustus Lipsius Elector. lib. II. cap. 15. ubi ergastulorum origines, finem, locum, homines, modum, distincte edisserit.

Demptis compedibus. Hae erant servis ergastulariis dicatae. Cicero pro Rabirio: *Ille ex compedibus et ergastulo Gracchus.* Iuvenal. Sat. II.

*Squallidus in magna fastidit compede fossor.*

Tibullus Eleg. VII.

*Spes etiam valida solatur compede vinctum,*
*Crura sonant ferro, sed canit inter opus.*

Plautus Captiv. III. 5. 64. *Ducite, ubi ponderosas, crassas capiat compedes.* Et mox: *Iubete huic crassas compedes impingier.* Et V. 1. 24. *In lapicidinas compeditum condidi.* Terentius Phorm. I. 5. 19. *habendae compedes: opus ruri faciundum.* Hinc Florus III. 19. 3. servos hos appellat *catenatos cultores.* et Apuleius *pedes* iis tribuit *annulatos.* Nam et annulorum nomine compedes nonnunquam venire, ex Martiale constat: id quod iam tum observarunt Lipsius l. l. et Kirchmannus de Annulis cap. 1. Rupertus ad Florum lib. IV. cap. 8. pag. 654.

Persepolim. Quae a Nostro XI. 14. 10. Curtio II. 5. 28. Plinio VI. 25. caput Regni Persici; a Diodoro μητρόπολις τῆς Περσῶν βασιλείας appellatur. Curtii digna memoratu verba, postquam incendium huic urbi ab Alexandro illatum recensuerat, haec sunt: *Hunc exitum habuit regia totius Orientis, unde tot gentes ante iura petebant, patria tot Regum, unicus quondam Graeciae terror* etc. Palatium in hac urbe exstruxit Cyrus teste Aeliano lib. I. de Animal. cap. 53. Cuius magnificam structuram describit Diodorus lib. XVII. Rudera huius palatii lustraturus adeat Nobiliss. Ioh. Albrechti a Mandelsloh Itinerar. Orientale lib. I. cap. 5. et conferat in id notas Excell. Adami Olearii.

7. Laetis omnibus. Historiam enumerant Herodotus lib. I. Polyaenus lib. VII. Frontinus lib. I. cap. 11. Strateg. 19. Exemplum autem Cyri aemulantur prudentes belli duces, cum militum animos praemiorum pollicitatione et iucundae vitae post res in praelio bene gestas illecebris excitant. Sic enim fieri solet, ut ad hostiles copias fundendas non parum alacriores reddantur, nihilque intentatum relinquant. Ita Brennus *ad acuendos suorum animos praedae ubertatem omnibus ostendebat.* Iustin. XXIV. 7. 10. *Ad efficiendos milites promptos et alacres,* inquit Cyrus, *nihil mihi magis idoneum videtur esse, quam bonas in eorum animis spes excitare posse.* apud Xenophontem in Cyropaed. Videndum tamen ne hae pollicitationes honestatis limites excedant. Quis enim non damnet illius ducis impietatem, qui stuprorum post exantlatos labores licentiam militibus polliceatur?

Astyages meriti sui in Harpagum oblitus. *Proprium humani ingenii est,* ait Tacitus, *odisse quem laeseris.* Agric. XLII. 6. ideoque diligenter providendum est, ne homini, qui aliqua graviori iniuria affectus est, aut saltim affectum esse sese existimat, magni momenti res procuranda committatur. Tanta enim ultionis cupiditas in animis hominum manet, ut in omnes temporum occasiones excubent, eaque oblata occultam diu iram effundant. Egregius hanc in rem locus est in Musladini Sadi Rosario, monitis et exemplis politicis refertissimo, quem πολυμαθέστατος Adamus Olearius Germanice, Georgius Gentius Latine loquentem fecit. lib. III. cap. 27. *Sapientum sententia est: Cuiuscunque animum offenderis semel, etsi postea*

*centum-beneficia contuleris, a vindicta illius unius iniuriae securus esse nolito. Sagitta quidem eximitur vulneri, sed acceptae iniuriae memoria in animo altissime residet. Quam bene monuit Bechtoschus et Chiltaschus.*

*Si hostem exacerbaveris, securus ne esto,*
*Securus esse nolito, in animi dolores incides,*
*Si te auctore animus offensus fuerit.*
*Lapidem in arcis murum ne proiicias,*
*Fieri quippe potest, ut ex arce lapis quoque ruat.*

10. Ipse Astyages in Persas proficiscitur. Quaeritur a studiosis rei bellicae, utrum conducat, ut Princeps ipse in discrimen praelii descendat, an per duces suos id administrari curet. Affirmant alii multis argumentis, nec sine illis pugnant contrarium sentientes. Nos mediam viam secuti inter bella distinguimus: quae si minoris momenti sunt, si extra imperii fines, si nondum satis firmatus sit Princeps, tutius ducibus committuntur; cum vero hostis ad viscera regni penetrat, et de summa rerum alea iacienda est, et ab unius praelii eventu res ad incitas redactae dependent, summi capitis praesentia requiritur. Tum enim pugnet alacriter et vel victoria vel morte gloriosa praeveniat peiorem fortunam. Et hanc quidem distinctionem etiam Alexandri duces proponunt apud Curtium IX. 6. 14. *Obscura bella et ignobiles pugnas nobis deposcimus: temet ipsum ad ea serva, quae magnitudinem tuam capiunt.* Conf. si placet Gruterum Discurs. in Tacit. XXI. Lipsium lib. V. Polit. cap. 21. Freinshemium ad Curt. III. 2. 1. Berneggerum Quaest. Misc. in Tacit. Germ. LXX. Zevecotium ad Suetonii Iulium cap. 62. Maiolum Dier. Canic. Tom. III. Colloq. 2. Ranzovium Comment. Bell. lib. II. cap. 1. Magirum in Polymn. pag. 823. seqq.

Partem exercitus a tergo ponit etc. Optimo sane consilio Astyages fugae transitum praeclusit militibus; quo ipso ingens post necessitatem pugnandi animus exercitui accessit: cum e contrario, *quanto plus spei ad effugium, tanto minor est ad resistendum animus.* ut inquit Tacitus Hist. III. 18. Eodem consilio infra lib. XXXI. 8. M. Aemilius tribunus militum *ad tutelam castrorum relictus fugientibus minatur, morituros dicens, nisi in praelium revertantur, infestioraque sua quam hostium castra inventuros.* Vide etiam Livium lib. VI. dec. 7. Sic Q. Furius averso exercitu cum occurrisset, affirmavit non recepturum se in castra quemquam nisi victorem; reductisque in aciem suis, victoria potitus est. Et Scipio apud Numantiam cum aversum suum videret exercitum, pronunciavit, sibi pro hoste futurum, quisquis in castra redisset: quemadmodum haec et huius generis alia recenset Frontinus Strategem. lib. II. cap. 8. ubi etiam illud Philippi omnino notandum, qui veritus, ne impetum Scytharum sui non sustinerent, fidelissimos equitum a tergo posuit, praecepitque, ne quem commilitonum ex acie fugere paterentur, perseverantius abeuntes trucidarent. Qua denunciatione cum effecisset, ut etiam timidissimi mallent ab hostibus

quam a suis interfici, victoriam acquisivit. Geminum quoque supplicium apud Val. Max. militibus suis minitatus est Q. Metellus, qui etiam his minis adacti iniquitatem loci et multitudinem hostium superarunt. lib. II. cap. 7. 10. Exemplo veterum, Alexandri inprimis, Curtio et Diodoro testibus; Agathoclis, Iustino XXII. 6. 4. Corcyraeorum, Thucydide III. 13. 22. patrum nostrorum memoria generosus comes Mauritius Nassovius in praelio Neoportensi cum Archiduce, naves omnes a littore iussit abduci, ut omnem fugituris spem salutis praeriperet: cuius etiam consilii beneficio eam victoriam obtinuit, cuius fama, dum mundus erit, omnes horrore simul et stupore percellet. *Acerrima* igitur *virtus est*, *quam ultima necessitas extundit*, inquit Seneca lib. I. de Clement. cap. 12. Et iuxta Valerium, *humanae imbecillitatis efficacissimum duramentum est necessitas*, *quae desperatos in rabiem vertit*, *et plerumque*, *qui penitus de vita desperaverant*, *ex timidis longe pugnacissimos facit:* ut censet Iovius lib. II. Histor. Sed desino, et quae de hac desperatione dici debent, in commodiorem locum differo.

13. Matres et uxores. Refert idem Plutarchus libro de Virtutibus Mulierum cap. 9. et addit, a Cyro proinde lege lata cautum, ut quotiescunque Rex peregre rediens, vel aliunde adveniens Persepolim ingrederetur, singulis matronis aureum donaret nummum: atque huius largitionis evitandae gratia, rarius eam regionem et urbem Principes aliquot adiisse: Ochum vero, hominem extreme avarum, eius ingressu plane abstinuisse: Alexandrum contra bis intrasse et gravidis duplum persolvisse.

15. Hac repressi castigatione. Silius Ital. lib. I.

*Tum pudor accendit mentem, nec conscia fallit*
*Virtus pressa loco.*

*Pudor est qui animos generosos urit*, *et labantes etiam ad virtutem stimulat. Pudor est qui saepe res perditas servavit in praeliis.* inquit Plinius lib. XXXVI. 15. Sophoclis Graeca sunt in Aiace Lorario vs. 101.

*Δέος γὰρ ᾧ πρόσεστιν αἰσχύνη θ' ὁμοῦ,*
*Σωτηρίαν ἔχοντα τόνδ' ἐπίστασο.*

Quae sic vertit Scaliger: *Nam qui timoris et pudoris compos est, hunc posse spera sospitem consistere.* Saepius igitur inclinatas militum acies pudor repressit, cum videlicet duces vel oratione vel factis ipsis in ruborem suos dederunt, et sic a fuga ad pugnam, a pugna ad victoriam revocarunt: quod Syllae et Caesaris exempla demonstrant, quae ex Plutarcho in Sylla cap. XLII. et Appiano de Bello Civil. lib. II. peti possunt.

16. Cui Cyrus nihil aliud quam regnum abstulit etc. At enim Iulianus Orat. I. de Constantii laudibus, id quoque vituperio dignum arguit. Sic enim ille Constantium alloquitur: *Ἆρ' οὐ τοῦτο μὲν ἄμεινον καὶ δικαιότερον προσηνέχθης, ἢ Κῦρος τῷ πάππῳ.* Et postea: *Ὁ δὲ*, Cyrum cape, *ἀφείλετο τὴν ἀρχὴν τὸν πάππον·* quasi quodammodo indignabundus exclamat. Quam quidem

indignationem homine Christiano, qualis tum adhuc erat Iulianus, non indignam esse censeo. Sed plane in Cyrum nostrum iniurius est Isocrates, qui παρ' ἱστορίαν, ut Euagorae caussam duntaxat amplificaret, Κῦρον τὸν πατέρα τῆς μητρὸς occidisse, declamare non erubuit.

Eumque maximae genti Hyrcanorum praeposuit. Sed Xenophon lib. IV. Cyropaed. non adeo magnam fuisse scribit: *Hyrcani*, inquit, *sunt Assyriis finitimi: natio non illa quidem magna: qua etiam de caussa imperio Assyriorum subiecti erant.* Hyrcaniae situm, flumina, gentes, urbesque descripsit Ptolemaeus lib. VI. cap. 2. et tangunt Strabo lib. XI. Solinus cap. XXVII. Curtius lib. VI. 4. 16. Hodiernam eius faciem praeclare delineavit Adamus Olearius Itinerar. Pers. lib. V. cap. 3. cui propterea multum debent Geographorum filii.

17. Hic finis Medorum imperii fuit. Sunt qui Astyagem Darium Medum, quem alii Cyaxarem appellant, genuisse, et in eo imperii Medorum finem fuisse putant. Sed erroneam eorum esse sententiam ostendit Rupertus Observ. ad Besold. cap. IV. pag. 63. sq.

---

## EXERCITATIO IN IUSTINI LIB. I. CAP. VII.

1. Cyrus sororem suam Sybari in matrimonium dedit. Aequum est ut magnis virtutibus magna proponantur praemia. Quodnam autem maius esse potest praemium, quam si Princeps viro humili, aut saltim longe inferiori, quam est ipse, loco nato, insignibus tamen meritis conspicuo, filiam aut sororem in matrimonium collocet? Quod quantopere sit aestimandum, vel haec Davidis verba arguunt: *Num parum videtur vobis generum esse Regis?* I. Reg. 18. vers. 23. Exempla apud omnes fere Historicos sunt obvia, ut non opus sit ea huc transscribere.

Tributariae civitates mutato imperio etc. defecerunt. Acute Tacitus Hist. V. 10. 4. *Simul manere apud exercitus Titum, ad omnes principatus novi eventus casusve utilius videbatur.* Si quod enim rebus novis tempus aptum est, novum certe est imperium. Quemadmodum enim remotis gubernatoribus navim frangi, magnaque et eminentia aedificia subrutis columnis collabi necessum est, sic futurarum calamitatum et imminentium turbarum minus fallax saepe est indicium, quando viri Principes, quorum et prudentia et fortitudine cum pari felicitate iuncta, Respubl. velut suffulta diu stetit, decedunt, aut quod illi habuerant, in alios, quocunque demum modo id fiat, transfertur imperium. Quare non male Alexander apud Curtium VI. 3. 8. *Quid? creditis tot gentes alterius imperio ac nomine adsuetas, non sacris, non moribus, non commercio linguae nobiscum cohaerentes, eodem praelio domitas esse, quo victae sunt?*

*Vestris armis continentur, non suis moribus: et qui praesentes metuunt, in absentia hostes erunt.* Hinc est quod tributarii populi novum imperium belli cladibus non satis domiti aspernentur. Tum enim et vetera, quae olim cineribus quasi obvoluta et subinde exstincta videbantur odia, in maximas erumpunt flammas, et dum nondum paene firmatum est noviter imperantis solium, spes excutiendi iugum crescit, et non raro etiam felicia incrementa capit. Praeterea eos etiam, qui consilio atque ope Principem iuverunt, ab ipso novis copiis alendis aliisque incommodis, quae recens occupatum imperium secum trahit, offendi saepe necesse est. Interdum quoque horum de Principe concepta opinio et affectio nutat, quod vel virtutes, quas in illo exspectaverant, non inveniant: vel se pro meritorum magnitudine ab ingrato Principe parum coli aut beneficiis affici arbitrentur. Quae caussa fuit, ob quam a Ludovico XII. Galliae Rege Mediolanenses defecerunt. Persuaserant enim illi sibi enormem quandam et inexhaustam Regis liberalitatem, et omnium vectigalium immunitatem. Qua cum spe exciderent, amorem in odium verterunt. (Vid. Guicciardin. in lib. IV. Histor.) Quapropter etiam in novo regno accurate omnia et diligenter disponenda et munienda sunt, ne quid praeter opinionem accidat, quodque maioribus periculis ansam praebeat. Et hanc etiam caussam fuisse reor, cur nonnunquam mors Principum tamdiu celata fuerit, donec omnes et singulae res firmando imperio sint dispositae.

Croesi opes et divitiae insignes ea tempestate. Huius divitiae tantae referuntur, ut etiam in proverbium abierint. Meminit illarum Plato in Dialog. Cicero lib. IV. de Finibus. Iuvenal. Sat. XIV. Plinius lib. XXXIII. cap. 3. Tertullian. Apologet. cap. XI. Dio Chrysostom. Orat. LXIV. Auson. Epig. LIII. Suidas in Κροῖσος. Eustath. ad Iliad. Homeri B. pag. 366. Hunc etiam respexisse puto Papinium in Surrentino lib. II. Sylv. 2. vs. 121.

*Vive Midae gazis et Lydo ditior auro.*

4. Cyrus post victoriam bellum transfert in Lydiam. Facilitas ferendi auxilii multorum vires fregit, ipsosque avito imperio exuit. Nisi ergo id aut honestatis ratio, aut summa Reipubl. salus exposcat, minime te alienis bellis immisce. Tristia tot exempla de infelici exitu te docent, melius rebus tuis prospicere. Nam si is, cui in auxilium venis, ditionibus suis plane excidit, proximus tu eris; aut si victo leges praescribuntur, non raro, ne ipse pereat, te a pacis consortio excludere necessum habet. Quod si Ragozius a turbis Polonicis abstinuisset, sibi, posteris, regioni suae, forsan et universae Hungariae finitimisque populis, melius consuluisset. Dignum observatu est, quod de Philippo Seniore Hassiae Landgravio circumfertur. Cum enim ille a quibusdam Imperii statibus ad bellum Alsaticum sollicitaretur, ac inter coenandum obdormisceret, paulo post expergefactus legatos, qui de felici huius belli eventu et insignibus commodis interea disseruerant, Germanicis hisce rhythmis dimisit: *Ist dir wohl, so bleib davon, dass du nicht kriegest bösen Lohn.* Prudenter etiam

fecerunt Heraclienses, de quibus Memnon apud Photium cap. XXXVIII. *L. Murena et Mithridates pro se quisque contra alterum per legatos Heraclienses de auxiliis sollicitabant. Sed cum potentia Romanorum formidabilis videretur ipsis, et Mithridatis etiam vicinitatem timerent, legatis respondent: in tanta bellorum tempestate difficulter se proprios lares tueri, nec dum aliis auxiliari posse.* Atque haec quae dixi illustrat etiam Graecorum adagium, quod est apud Apostolium Proverb. *Ἀνδρὶ Λυδῷ πράγματα οὐκ ἦν, ἀλλ' αὐτὸς ἐλθὼν ἐπρίατο ἐπὶ τῶν κακὰ ἑαυτοῖς ἐπισπωμένων. Κροῖσος γὰρ ἑαυτῷ πολέμιον ἐπεσπάσατο Κῦρον. Viro Lydo non erant negocia, sed ipse veniens sibi coëmit de iis, qui sibimet ipsis mala accersunt. Croesus enim sua sibi culpa Cyrum hostem attraxit.* Et vero iustam huiusmodi bellorum caussam esse vix dubitamus. Si enim eos, qui hostibus res necessarias tantummodo subministrarunt, secundum Grotium pro hostibus agnoscere et debellare licet, multo magis id tum licebit, cum ipsi cum exercitu hostibus in auxilium veniunt.

6. IBI FORTUNA PRIORIS PRAELII IAM PERCULSUM CROESI EXERCITUM etc. Hoc est, quod ad cap. 1. dixi, ad illa Iustini: *Proxima quaeque victoria instrumentum sequentis.* Quam in rem pulchra congessit Freinshemius ad Florum II. 1. 2. Quo etiam illa Cominaei refero: *Dici non potest, quantas secum incommoditates trahat adversum praelium, ubi qui victoriam adeptus est, amplificat suam auctoritatem, et facile quidvis impetrat, et militem habet ad quaevis obsequentem.* Aliam insuper caussam affert Zevecotius observ. ad Flor. II. 1. *Primae Principum victoriae*, inquit, *plerumque sequentes instruunt, et earum sunt caussae, dum victores non suis tantum, sed eorum etiam quos vicerunt, armis reliquos invadunt.* Auctori vero nostro consentit ille apud Thucydid. lib. II. *Ἡσσημένων ἀνδρῶν οὐκ ἐθέλουσιν αἱ γνῶμαι πρὸς τοὺς κινδύνους ὁμοῖαι εἶναι. Virorum qui victi fuerunt, animi ad eadem pericula subeunda pares esse non solent.* Sed de Croesi clade miraque fortuna vid. Herodot. lib. I. Nicolaum Damasc. in Excerpt. Peiresc. pag. 454. quae etiam habentur in Epist. Grotii ad Gallos CX. pag. 307. et tangunt Boëthius de Consol. Phil. lib. II. Pros. 2. Seneca de Tranq. Animi cap. II. Auson. in Ludo VII Sapient.

8. HAEC CLEMENTIA NON MINUS VICTORI QUAM VICTO UTILIS FUIT. Dixi quaedam de victoris clementia Exercitat. II. §. 7. et dixere alii multis. Certe inexpectata eiusmodi clementia, siquidem victi ingenuo sint ingenio, ex inimicissimis coniunctissimos saepe facit; non raro etiam apud victi socios eandem sibi victor parat benevolentiam, qui dum nihil crudelius consultum in victum sentiunt, non habent quod querantur, nil quod victori exprobrent. Quam magnifice ergo suam hanc clementiam depraedicat Alexander apud Curtium VIII. 8. 10. *Veni in Asiam, non ut funditus everterem gentes; sed ut illos quoque, quos bello subegissem, victoriae meae non poeniteret.* Quantivis precii dictum, inquit Freinshemius: cui tamen par illud

Theodorici apud Cassiod. Var. Epist. III. 43. *Nobis propositum est Deo iuvante sic vincere, ut subiecti se doleant nostrum dominium tardius acquisivisse.* Hinc Corn. Scipionem *tum demum victoriam et apud Deos et apud homines minimum invidiae habituram* credidisse, *cum plurimum humanitatis habuisset;* signanter scribit Val. Max. lib. V. cap. 1. Nihil enim tam Deo ac hominibus invisum quam post victoriam impotens animus. Omnes autem clementiae laudes superat me iudice unicus Claudiani versus:

*Sola Deos aequat clementia nobis.*

11. OCCUPATO IN ALIIS BELLIS CYRO LYDI REBELLAVERE. Commodum sane tempus se in pristinam libertatem vindicandi, aut amissa recuperandi; quod vel recentissima exempla testatum fecere.

12. QUIBUS ITERUM VICTIS ARMA ET EQUI ADEMPTI. *Οὐκ ἔχοντες ὅπλα γίνονται σχεδὸν δοῦλοι τῶν τὰ ὅπλα κεκτημένων. Qui arma non habent, facile servi fiunt eorum, qui arma possident.* inquit Philosophus lib. II. Polit. cap. 8. Quare inter cetera continendis in officio gentibus inventa hoc etiam non postremum fuit, ut ferro privarentur, nisi quantum agrorum cultus posceret; cuius rei insigne in sacris exstat exemplum, I. Reg. XIII. 22. cum Philistaeorum cura effectum esset, ut non inveniretur ensis et lancea in manu totius populi, qui erant cum Saule et Ionatha; quo de loco vide quae notavit Cl. Ursinus Analect. Sacr. lib. II. Quaest. 3. *In foedere, quod expulsis Regibus pop. Rom. dedit Porsenna, nominatim comprehensum invenimus*, inquit Plinius lib. XXXIV. 14., *ferro nisi in agricultura uterentur.* Sic Posthumius apud Florum II. 3. 5. Ligures *ita exarmavit, ut vix reliquerit ferrum, quo terra coleretur.* Eadem poena seditiosos Talabrigenses Brutus compescuit, ceu legere est apud Appianum lib. de Bello Hisp. fol. 295. M. Porcius Cos. cum multos subiugasset Hispaniae populos, iique defecissent, arma iis ademit: quam rem adeo aegre passi sunt, ut mortem multi sibimet ipsis consciscerent. Liv. Dec. 4. lib. IV. Sic qui iussu Clementis VII. Anconam nobilem Italiae urbem, ad id usque tempus liberam, per fraudem occuparant, Bernardus a Cara Casalensis Episcopus et Ludov. Gonzaga, summus exercitus Pontificii Imperator, arma civibus omnibus ademerunt. Traianus Decebalo Dacorum Regi pacem flagitanti, ut arma et bellica instrumenta machinasque et artifices traderet, imperavit; teste Dione Cassio. Verum non arma tantum victis ademta legimus, sed interdum etiam materiam, ex qua cudi solent, quin et ipsam cudendi licentiam. Magna enim ubi populi est frequentia et materiae copia in promptu, facile tum arma usui accommoda parari posse certum est.

IUSSIQUE CAUPONIAS ET LUDICRAS ARTES ET LENOCINIA EXERCERE. Hinc etiam natum est proverbium, quod habet Apostolius Cent. XII. 17. *Λυδὸς καπηλεύει. Λέγεται Κῦρος περιγινόμενος τῶν Λυδῶν καπηλεύειν αὐτοῖς προστάξαι. Fertur Cyrus devictis Lydis ut caupones agerent iniunxisse.* Ceterum observari meretur callidum Cyri consilium, quo devictos Lydos in officio continendos esse censuit:

quo de sic ad Taciti lib. I. Annal. Forstnerus: *Tyrannidis mitissimum arcanum est, velle luxui esse deditos, quorum ferocia imperantium arbitrio obstitura timetur: in praecipuis urbibus vasta exstruere theatra, amphitheatra, circos, lacus in quibus saltationes, ludi, naumachiae exerceantur: quarum rerum insana dulcedine ubi semel inescatur vulgus, neque reipubl. curam ullam habere, neque militaris decoris et honesti gloria tangi solet. Tum omne quod vivunt, vino et tesseris impendunt et lustris et voluptatibus et spectaculis; eisque templum et habitaculum et concio et spes omnis circus est maximus.* Ammian. Marcell. 28. Haec ille. Atque hoc arcanum tangens alibi Tacitus, asserere non dubitat, *plus voluptatibus quam armis Romanos adversus subiectos valuisse.* Hist. IV. 65. Sic Agricola instigante feroces illi Britanni paulatim discesserunt *ad delinimenta vitiorum, porticus et balnea et conviviorum elegantiam. Idque apud imperitos humanitas vocabatur, cum pars servitutis esset.* Quo consilio efficitur, ut, quod idem Hist. I. 30. ait, *luxuria liberalitatis specie imponat.*

13. Et sic gens industria quondam potens etc. Elegans in hanc rem est Curtii locus VI. 2. 1. *Sic militarium rerum quam quietis otiique patientiorem Alexandrum excepere voluptates, et quem arma Persarum non fregerant, vitia vicerunt.* Summatim autem id notandum de militibus, eos a labore ac virtute degenerare assuetudine voluptatum: quae sunt verba Taciti Hist. II. 62. 2. Quantopere elanguerit in hybernis Campaniae Hannibalis militum ardor, graviter edisserit Livius lib. XXIII. cap. 18. Eodem modo exercitum suum corrupit Vitellius. de quo Tacitus lib. II. Hist. cap. 62. et 99. Probe igitur attendat imperator illud Claudiani in IV. Cons. Honor. vs. 320.

*Si bella tonant, prius agmina duris*
*Exerce studiis et saevo praestrue Marti.*
*Non brumae requies, non hybernacula segnes*
*Enervent torpore manus.*

Et paulo post:

*Neu tibi regnificis tentoria larga redundent*
*Deliciis, neque imbelles ad signa ministros*
*Luxuries armata trahat.*

14. Fuere Lydis multi ante Croesum Reges. Quinam vero illi fuerint disceptant eruditi. Ubbo Emmius lib. V. Rer. Chronol. Heraclidas primos ibi regnasse autumat; sed Rupertus in Obs. ad Besold. *tam falsum, quam quod falsissimum*, esse scribit. Scaliger primam dynastiam Atyadarum facit, quorum princeps Atys, pater Lydi. Sed Rupertus dynastiam primam in Agrone Nini tertio filio coepisse: alteram fuisse Heraclidarum, ex quibus Princeps Atys, Herculis ex Omphale filius: tertiam Mermnadarum ab Agelao Lamente sive Laomedonte: laud. loc. statuit. Sed in historiis tam remotis nolim ego acrem contentionis serram cum aliquo reciprocare.

Nullus tamen fortunae Candauli comparandus. Sunt qui *fortuna* auferendi casu rescribant, sed invito Cl. Gronovio, qui Observat. in Eccles. Scriptores cap. X. vulgatam tuetur, et utroque modo gignendi casum veteres extulisse plurimis exemplis evincit. Ita mox §. 19. *caedes Candauli.* et lib. III. cap. 7. *consilia Pericli* etc. Historia Candaulis exstat apud Herodotum lib. I. cap. 8. Plutarchum Sympos. I. Quaest. 5. Sabellicum lib. III. Enn. 2. Fulgosum lib. VI. Memorab. cap. 1. Uxorem eius quidam *Tudum*, alii *Clytiam* vocant, *Abro* Abbas vetus scriptor, *Nyssam* Ptolemaeus Hephaestion apud Photium Cod. 190.

15. Hic uxorem praedicare omnibus solebat etc. Nemo stultus amans in sinu gaudere potest. Idem infortunium iactantia sua sibi peperit Collatinus apud Livium lib. I. cap. 57. Nec in alium censum referri merentur Otho apud Tacitum Ann. XIII. 46. item Osmanes apud Leunclavium lib. II. Hist. Musulm. qui non didicerant, duobus in locis mysteriorum religionem esse, in mensa et in thoro. Geminum exemplum annotavit Ianus Nicius Erythraeus (ita enim vocari voluit Iohannes Victorius Roscius Romanus) Exempl. Virtut. et Vitior. LI. Bene ergo Patritius lib. IV. de Republ. cap. IV. monet: *Secreta matrimonii intra cubiculi parietes delitescere debere.*

Nisi matrimonii reticenda publicaret. De extrema voce vide plura in Heraldi animadv. ad Arnob. lib. IV. pag. 173.

Nudam sodali suo Gygi ostendit. Satellitem facit Herodotus: alii amicum fuisse scribunt. Huius alias Gygis annulus celebris est apud veteres, de quo vid. Platon. lib. VI. de Rep. Cicer. lib. III. Off. aliosque a Kirchmanno cap. XIII. de Annulis laudatos: quibus adde Nazianzen. Invect. 1. in Iulian. item Orat. in Laud. Basilii. Apostolium Proverb. Graec. Cent. VI. 60. Herodotus autem, cum historiam Gygis scriberet, *apud Lydos aliosque populos magno probro fuisse* scribit, *etiam virum nudum conspici.* Et recte quidem. Nihil enim aeque valet libidini excitandae quam nudum spectare corpus. Nam brutus et vehemens quidam affectus est libido, et facile concitatur pudendarum rerum spectaculo. Quare etiam apud quasdam gentes turpe habitum fuit, si vel maritus nudum coniugis corpus spectaret. Quod autem Gyges apud eundem scriptorem, *mulierem exuta tunica et verecundiam pariter exuere* putat, id non recte dictum censet Plutarchus, cum castae mulieres posita veste eius loco verecundiam induant.

---

## EXERCITATIO IN IUSTINI LIB. I. CAP. VIII.

2. Scytharum Regina Tamyris. Nomen huius Reginae non excutio. Historiam pete ex Herodoto lib. I. Frontino Strateg. lib. II. cap. 5. Meminit eius Tibullus lib. IV.

*Nec quae regna vago Tamyris finivit Araxe.*

Quae non muliebriter territa. *Muliebriter*, id est, mulierum more. Horat. *Muliebriter expavit ensem*. Cicero: *muliebriter se lacrymis lamentisque dedere* etc.

Transitu Araxis fluminis. Hunc fluvium tam accurate descripsit vir summus Adamus Olearius in Itinerar. Pers. ut reliquorum omnium diligentiam vicerit. E veteribus eius situm utcunque delineant Herodot. lib. I. Strabo lib. II. Solinus cap. XXV. Plutarchus in Pompeio. Mela lib. III. Curtius V. 4. 7. Videndum tamen ne Armenium Araxen cum Persico confundamus.

Faciliorem sibi pugnam intra regni sui terminos rata. An permittendus hosti in regionem nostram, a qua prohiberi possit, transitus; sive, an domi hostis exspectandus, an vero expediat in tempore eidem obviam ire, et si commode id fieri possit, in ipsius regione adoriri; multis disputari scio. Nobis de eo quid videatur, paucis expediemus. Et cum Tamyridi nostrae domi hostem exspectare placuit, placet quae pro ipsa pugnant argumenta, prius exponere. Et primum quidem minori impendio domi bella parari posse videntur, cum fere maiores sumptus, maiusque periculum commeatui extra patriam deportando coniuncta sint, quod non fit quando in nostra ditione bella paramus. Tum enim commeatu et rebus aliis ad res gerendas necessariis sine periculo fere nos munire possimus. Deinde grave est, ut ait Livius, bellum ibi gerere, ubi nullus est portus classi apertus, non ager pacatus, non civitas socia, non consistendi aut procedendi locus: quocunque circumspexeris, hostilia omnia. Meliori etiam fortuna pugnare solet, cui loci ingenium probe est cognitum, et si fortuna forsan adversa, plures abeundi viae, et promptior vires recolligendi occasio; cum contra apud exteros non sit tutum eis habere fidem, qui se itineris comites, duces, et amicos profitentur. Ceterum illi qui domi exspectant hostem, si minus feliciter res procedat, facile totam regionem, quam tanto discrimini exposuerunt, amittere possunt, quandoquidem prima clades non ita illico sarciri, aut novus exercitus, quem militibus recenti victoria exultantibus opponas, comparari queat. Tum vero agri devastantur, bona subditorum diripiuntur, nec horum opera et opibus, si quae supersunt, tuto uti licet: cum semper ad nova pronum sit vulgus, ac quo fortuna, eodem se illius quoque favor inclinet. Ut nunc taceam, in aliena terra victoriam semper ampliorem esse, ac, ut Mamertinus censuit, *tum demum hostes funditus subverti posse, si in propriis sedibus vincantur*. in Paneg. ad Maximinian. cap. VIII. Fortiores insuper videntur, qui provocare non dubitant, et *plus animi est inferenti periculum quam propulsanti*; censente ita Livio Hist. lib. XXVIII. Ex quo non potest non illustre nomen, famaque, qua bella constant, ampla nasci. Feliciter bellum quod domi ferre non poterat, in Africam transtulit Agathocles: gnarus *aliter domi, aliter foris bella tractari. Domi ea sola auxilia esse, quae patriae vires subministrent, foris hostem etiam suis viribus vinci*. Iustin. XXII. 5. 4. Nec minori felicitate Romani Poenorum impe-

tus, quibus domi sustinendis impares erant, in proprio solo fregerunt, ut qui paulo ante pacis leges praescripturi viderentur, ad petendam pacem cogerentur. Ut ergo nobilem hanc quaestionem solvamus, omnes circumstantias probe considerandas censemus. Inprimis autem regionis situs et conditio attendenda erit: quae si vastis solitudinibus constat, nec aedificiorum, nec divitiarum splendore superbit; si aditus difficiles, si ipsa vel arte vel natura satis munita, hostem plerumque tutius exspectabis. Nec Crasso in Parthiam, nec Dario Hystaspis filio aut Lysimacho Pergami Regi bene cessit in Scythas expeditio. Domi pugnam detrectare potes, foris vix potes. Quod si etiam exercitum commeatu prompto alere, et si morbo aut praelio minuatur, commode supplere nequis, satius est, ut domi te contineas, nec te praesenti periculo temerarie exponas. At si bellum sit iustum, et satis tibi sit virium, queis et munita loca tueri, et exercitum instruere possis, si hosti domesticis discordiis diviso aegre pareant subditi, vel is alibi forte occupetur, aut ad vim repellendam sit imparatus, teque non tam cito suspicetur invasurum, audacter invade, et quod Germani dicunt, equos tuos alienis septis alliga. Certe sic hostis rationes ac consilia perturbabis, et cibum in alieno solo dulciorem, cumque hilari labore parabilem deprehendes. Turcae sane, quod dolendum! contra Christianos multas res bello praeclare gesserunt, non domi eos opperiendo, sed consilia atque adeo cogitationes eorum antevertendo. Quare nunc hanc, nunc illam provinciam adorti, Christianos ita defatigatos tenuerunt, ut ad ipsos oppugnandos nihil temporis reliquum habuerint; hacque ratione immensum terrarum spacium suo subiecere imperio. O si et nostris idem semper animus fuisset, nec in sua viscera saevire maluissent! dudum, ubi nunc Muhamedana regnat impietas, Christiana sacra iterum florerent. Plura non addo, nisi quod ingeniosissimi Zevecotii observationes ad Sueton. Caesarem, tamquam huc apprime pertinentes, inspiciendas moneam.

Hostibus obiectu fluminis fugam difficiliorem. Fluminis obiectu fugam hosti admodum difficilem esse, vel nupera Turcorum ad Rabnitium clades non sine insigni totius Christiani orbis emolumento edocuit.

4. Simulato metu quasi refugiens. De fugae simulatione, cuius beneficio magnus etiam exercitus circumventus et ad internecionem caesus, ne ego multa dicerem fecit virorum Clariss. diligentia Zvingeri Th. V. H. Vol. 7. lib. 3. Berneggeri in Tacit. Quaest. 26. 28. Ruperti ad Flor. I. 3. 4. De Parthis hoc strategemate celebribus dicam alibi.

7. Cyrus saucios opprimit. Adeo verum est illud Iuvenalis Sat. XV. 47.

*facilis victoria de madidis et*
*Blaesis atque mero titubantibus.*

Hoc modo devicti sunt Histri. *Cum* enim *Cn. Manlii castra cepissent, opimaeque praedae incubarent, epulantes ac ludibundos ple-*

*rosque ac ubi essent prae poculis nescientes*, *Appius Pulcher invadit. Sic cum sanguine et spiritu male partam evomuere victoriam.* quae sunt verba Flori II. 10. ad quem gemina notavit Rupertus: at confer Fridericum Fornerium de Temulentia et Ebrietate lib. I. cap. 12. Unde sane nescio an consultum sit militi praelium inituro, aut urbem occupaturo, tantum adusti vini praeberi, ut neque pes neque manus recte suum officium facere queat. Licet enim tales ferociam nonnunquam ab ebrietate sumant, difficultates tamen et pericula non ea qua par est attentione considerant, nec rite propterea ea declinare hostique nocere possunt. Quid enim hoc aliud, quam iniquissimo tempore et loco praestantissimos milites mactandos hosti tradere?

9. ET QUOD GRAVIUS DOLENDUM, UNICO FILIO. Filius enim unicus unice diligitur; quia ab eo salus paternae familiae unice dependet. *Μουνογενὴς δὲ πάϊς σώζει πατρώϊον οἶκον.* ut canit Hesiodus. Quo spectant illa Homeri lib. IX. Iliad.

*Καί με φίλησ᾽ ὡσεί τε πατὴρ ὃν παῖδα φιλήσῃ*
*Μοῦνον, τηλύγετον, πολλοῖσιν ἐπὶ κτεάτεσσιν.*

et lib. XVI. Odys.

*Ὡς δὲ πατὴρ ὃν παῖδα φιλοφρονέων ἀγαπάζει*
*Ἐλθόντ᾽ ἐξ ἀπίης γαίης δεκάτῳ ἐνιαυτῷ*
*Μοῦνον.*

Et ista Tullii Philipp. IX. Est autem ita affectus, ut nemo unquam unici filii mortem magis doluerit, quam ille moeror patris. Nec male Nonnus VI. Dionys. vs. 31.

*Μουνοτόκοι γὰρ*
*Τηλυγέτους διὰ παῖδας ἀεὶ τρομέουσι τοκῆες.*

qui unam sobolem genuerunt, unicos ob liberos semper trepidant parentes.

ORBITATIS DOLOREM IN LACRYMAS EFFUDIT. Ad quas alias sic satis promptae sunt mulieres, usque adeo ut ploratus ipsis fere armorum instar esse soleat. *Fletus*, ut ait Cicero, *muliebri ingenio additus*. Tusc. Q. lib. II. Caussam eius rei volunt esse tum humoris halituumque in earum corporibus proventum largiorem, tum animorum quoque ad tristitiam faciliorem commutationem.

HOSTES RECENTI VICTORIA EXULTANTES CIRCUMVENIT. Si qua in bello cautione opus est, ea certe post victoriam adhibenda erit, ne quod saepius accidisse legimus, victoribus iterum eripiatur victoria. Nam dum hi incuriosius omnia agunt, et quod Noster ait, *recenti exultant victoria*, saepius *victis redit in praecordia virtus*, ut nihil tale cogitantibus hostibus superveniant, et palantes ac praedae inhiantes trucident. Prudenter Claudian. IV. Cons. Honor. vs. 334.

*multis damnosa fuere*
*Gaudia: dispersi pereunt, somnoque soluti:*
*Saepius incautae nocuit victoria turbae.*

quem locum luculentis exemplis declarat Barthius pag. 661. Hinc etiam civitates recens captas non alia magis occasione, quam hostium securitate receptas esse legimus; quomodo Franciscus Sfortia Brixiam aliquot post diebus, quam capta erat, recepit. Nocuit eadem securitas Maximiliani I. Imper. exercitui, A. C. CIƆCDXCIX. qui victoria adversus Helvetios parta negligentius et ordinibus desertis domum rediens, ab iisdem Helvetiis, qui se recollegerant, caeditur, et ita variante Martis alea, uno eodemque die exercitus et victus et victor exstitit. Gerhard. de Rhoo in Austr. lib. II.

10. Propter vulnus acceptum. Vulnus pro clade saepe Noster, item Tacitus, Florus, Valerius, Saxo.

Cyrum ad angustias usque perduxit. Hostem, qui in angustiis vexari possit, in loca plana non admittendum esse, multorum scriptorum auctoritate evincere laborat Scipio Ammiratus Discurs. Polit. ad Tacit. XVIII. 1. qua de re nobis libro II. si Deus volet, agendum erit.

12. Ne nuncius quidem tantae cladis superfuit. Eiusmodi memorabilia ad Flori III. 11. 10. et in Indice ad illum congessit Freinshemius: vide etiam Iustinum XXIV. 8. 16.

13. Caput Cyri amputatum in utrem humano sanguine repletum coniici regina iubet. Extremum saevitiae genus est insultare mortuis; quo spectat illa Puteani exclamatio: *O detestabile et abominandum facinus, in mutum et quod peius, in mortuum saevire! Saltim melioribus conditionibus ursae, leones, tigres nobiscum agunt. Ferae sunt, sed eorum tamen crudelitas, ut volunt, mortuum haud attingit. In putris massae laniena, in effosso vitaque casso corpusculo, tamquam cruenti vultures lividis rostris haeremus, ut ambitio et vindicta satientur.* Capiti Crassi reciso aurum liquidum in rictum oris infusum quis nescit? Vid. Florum III. 11. 11. et quae ibidem notat solertiss. Freinshemius. De saevitia Fulviae in caput Ciceronis vid. Petr. Crinitum lib. I. de Hon. Discipl. cap. 8. et lib. III. de Poet. Latin. cap. 57. et meminit Hieronymus in Rufinum his verbis: *Nec magnopere glorieris, si facias, quod faciunt scorpiones atque cantharides. Fecerunt hoc et Fulvia in Ciceronem et Herodias in Iohannem.*

Satia te sanguine quem sitisti. Id est, vehementer desiderasti. Solent enim hoc sensu Latini usurpare, sicuti id exemplis perquam multis declarant Elmenhorstius ad Arnob. lib. I. Rittershusius ad Salvian. lib. IV. in Paralip. Et Graecum διψῆν eodem sensu usurpari docet Heraldus ad Arnobium pag. 24.

De sepulchro Cyri prolixe Brissonius in calce lib. I. de Regno Pers. quem vide. Graecus versus ita habet:

Ἐνθάδ' ἐγὼ κεῖμαι Κῦρος βασιλεὺς βασιλήων.

---

## EXERCITATIO IN IUSTINI LIB. I. CAP. IX.

1. Cambyses offensus superstitionibus Aegyptiorum. Aegyptiorum summa olim erat superstitio, qua boves, feles, canes, scarabaeos aliaque id genus bruta animantia pro numinibus colebant: quam ipsi etiam gentiles, ut e Christianis Clementem Alexandrinum, Tertullianum, Minucium Felicem, Firmicum, Hieronymum, Athanasium, Athenagoram aliosque taceam, salse perstringunt. Cicero lib. V. Tusc. Quaest. *Aegyptiorum morem quis ignorat? quorum imbutae mentes pravitatis erroribus; quamvis carnificinam prius subierint, quam ibim, aut aspidem, aut felem, aut canem, aut crocodilum violent.* Lucanus lib. VIII.

*Hunc genuit custos Nili crescentis in arva*
*Memphis, vana sacris.*

Iuvenalis Sat. XV. *Quis nescit — — qualia demens Aegyptus portenta colat?* Et quis non irridendos censeat Aegyptios, cum hortensia olera, porrum, cepe, allia, numinum vicem venerarentur? quod iterum notat Satyricus:

*Porrum et cepe nefas violare ac frangere morsu.*
*O sanctas gentes quibus haec nascuntur in hortis*
*Numina!*

Non immerito ergo Aegyptus *idololatriae ac superstitionis mater appellatur* in Decret. Causs. 26. Quaest. 2. cap. *sed et illud.* et a Sarisberiense lib. I. de Nugis Curial. cap. 10. Nec minus recte dixit Hieron. in Esaiam cap. 46. fol. 149. *Nulla gens ita idololatriae dedita fuit et tam innumerabilia portenta venerata est, quam Aegyptus.* Ceterum utrum Princeps vi et ferro ad amplectendam certam religionem populum cogere, eique repugnantem persequi et supplicio afficere debeat, disputari scio. Nobis placet Lactantii sententia e lib. V. Inst. Div. cap. 19. petita: *Non est opus vi et iniuria, quia religio cogi non potest; verbis potius quam verberibus res est agenda ut sit voluntas.* Et paulo post: *Defendenda est religio non occidendo sed moriendo, non saevitia sed patientia, non scelere sed fide. Illa enim malorum est, haec bonorum. Et necesse est bonum in religione versari, non malum. Nam si sanguine, si tormentis, si malo religionem defendere velis, iam non defendetur illa, sed polluetur atque violabitur. Nihil enim tam est voluntarium quam religio: in qua si animus sacrificantis aversus est, iam sublata, iam nulla est.* In quam sententiam etiam Tertullianus: *Non est religionis religionem cogere velle; cum sponte suscipi debeat, non vi, cum et hostiae ab animo lubenti postulentur.* Et notarunt alii, vix ulli unquam bene cessisse usurpatum in conscientias imperium. Vide Conringii nostri Exercitat. de Maiestatis Civilis Auctoritate circa Sacra.

Apis ceterorumque Deorum. Inter bruta animalia monstrosa illa et ridicula superstitione ab Aegyptiis culta praecipuus erat bos:

quem tamen geminum fuisse ex Strabone lib. XVII. Aeliano Hist. Anim. lib. X. cap. 8. Plutarcho de Iside et Osiride docemur. Scilicet alter *Mnevis* nuncupatus *ab Heliopolitanis in honorem solis cultus; alter vero* Apis *dictus* et a Memphitis in honorem lunae pro numine habitus. Erat autem Apis, non coitu pecoris (ita nugabantur) sed coelesti igne seu radiis lunaribus conceptus, colore nigro, quadrato in fronte candore, macula dextro lateri ingenita et corniculantis lunae imaginem referente conspiciendus. Hoc bove mortuo, sive potius post aevi spatium in sacris libris praescriptum ad Nilum necato, *alius quaerebatnr et reperiebatur vitulus coloris eiusdem* (quae verba sunt Augustini de C. D. lib. XVIII. cap. 5.) *albis quibusdam maculis similiter insignitus.* Neque dubito cum Augustino partum huius bovis daemonis praestigiis adscribere. Cum autem inventus esset Apis, solemni pompa Memphim Aegyptiorum regiam deduci a sacerdotibus solebat, pueris in sacro illo comitatu carmen honori Numinis gregatim praecinentibus, multumque erat ob natum et repertum Deum et publicum gaudium, imo πανδαισία sive lautissimum convivium, ut scribunt Suidas et Apostolius Prov. Graec. Cent. III. 85., instruebatur. Quam ridicula autem religione eum coluerint Aegyptii, vel inde patet, quod eo mortuo etiam capillum posuerint, scribente Luciano in fine libri de Sacrificiis, cum alias, si Herodoto fides habenda, lugentes non tonderentur. Quin adeo sanctus erat hic bos, ut eius sepulchrum indicare piaculum fuerit: Arnob. lib. VI. *Nec exactam desiderat curam, quam poenam constituerit Aegyptus in eum qui publicasset, quibus locis Apis iaceret absconditus.* Meminere autem huius Apis scriptores plurimi, interque eos Herodotus lib. III. Diodorus Biblioth. lib. I. Cicero lib. I. de N. D. Plinius lib. VIII. cap. 46. Solinus cap. XXXV. Mela lib. I. cap. 9. Lucianus in Concilio Deor. Tacitus Histor. V. 4. 2. Spartianus in Hadriano. Ammianus lib. XXII. Dio lib. LI. Macrobius Saturn. lib. XXI. Suetonius in Tito cap. V. Athenaeus lib. VII. Porphyrius περὶ ἀποχῆς lib. IV. Libanius Sophista in Encomio bovis. E Poetis Ovidius lib. II. Amor. Eleg. 13. Lucanus lib. IX. vs. 157. Papinius Sylv. lib. III. vs. 107. Tibullus lib. I. Eleg. 7. Claudianus IV. Cons. Honorii vers. 576. E Christianis Minutius Octavio. Arnob. lib. I. Athanas. libro contra gentiles. Nazianzenus ad Nemes. item Orat. II. in Iulian. Basilius in Noemum. Orat. VI. Eusebius lib. XI. Chronic. et lib. II. Praepar. Euang. cap. 1. Clemens Alexandrin. Paraenes. Et ab hoc Aegyptiorum bove veterum doctorum nonnulli originem traxisse volunt vitulum illum aureum, quem Israelitae sibi in deserto erigebant colebantque. Vid. Philon. lib. III. de vita Moysis, et lib. de specialibus legibus. Lactant. lib. IV. cap. 10. Tertullian. adv. Iudaeos lib. I. Ambrosium in Epistol. ad Rom. cap. 1. et lib. I. de Poenit. cap. 6. Hieronym. ad cap. 4. Oseae. Ruffin. ad Amos. lib. I. id quod plurimis declarant viri celeberrimi Seldenus de Diis Syris Syntagm. I. cap. 4. Vossius lib. I. de Idololatria cap. 29. Dilherrus Disput. Philol. Tom. I. VIII. Saubertus de Sacri-

ficiis cap. XXII. Dieterichus Antiquit. S. lib. I. Schedius de Diis Germ. Syngr. I. cap. 4. et qui peculiari libro de vitulo aureo egit Moncaeus. Occidit autem Cambyses Apin, perinde ut Ochus fecit, testibus Aeliano V. H. lib. IV. cap. 8. et lib. VI. cap. 8. et Suida in ὦχος.

3. Ad Ammonis quoque nobilissimum templum. Nobilissimum hoc templum ultra Cyrenem in extimo sinu apud Garamantes in vastis solitudinibus et campis torridis situm fuit: ad quod sole exurente aestu flagrantissimo, per immensas arenarum moles, vastamque planitiem calori et siti infestam iter vix cuiquam tolerabile erat. Meretur ea de re legi Curtius, qui Alexandri iter eo institutum diserte describit lib. IV. cap. 7. Templum autem illud oraculo Iovis Ammonis admodum nobile erat; cuius nomen alii derivant a Graeca voce ἄμμος, quae arenas denotat, quemadmodum Festus, Plinius, et vulgo Graeci et Latini sentiunt: quibus subscribit Dausqueius ad Silium III. vs. 667.: alii vero ab Aegyptia voce Ἀμοῦν deducunt, quod occultatum significare ex Manethone prodit Plutarchus de Iside cap. X. et tangit Celsus apud Origin. lib. V. Quidam tamen ab eiusdem nominis pastore ortum volunt, ut auctor est Eustathius ad Dionys. vs. 212. Quamquam mihi rectius sentire videntur, qui et oraculi et ipsius nominis originem ad Chamum Noachi filium referunt; quod eo magis mihi videtur verisimile, quo certius constat posteritatem Chami ea loca insedisse; ut argumenta reliqua, quibus haec sententia suffulta est, praeteream. In Scripturis eius nominis aperte fit mentio Iesaiae XXX. vs. 15. Ierem. XLVI. vs. 25. Nahum. III. vs. 8. ubi מבא אמון : אמון מבא : המון בא : et apud Ieremiam quidem Amon de No nihil aliud videtur esse ac Deus Amon, cuius honori templum fuit consecratum in urbe No: quae exinde et composito nomine in reliquis locis vocatur Hamon No et No Amon, quamquam אמון et המון interpretum alii tumultum, quidam multitudinem, caeteri nutricium reddiderint: nonnulli etiam nomen regis esse voluerint: quemadmodum id praeclare observavit Vir Cl. Iacobus Ouzelius in elegantibus ad Minucium Felicem observationibus pag. 120. Cultus autem in hoc templo fuit Iupiter Ammon sub forma arietis cornuti. Hinc passim apud poetas *corniger Ammon* audit. Vid. Ovid. lib. III. de Arte fin. et lib. XV. Metam. Fab. 6. Lucan. lib. IX. vs. 514. Silium Ital. lib. III. et IX. Punic. Valerium Flacc. Argon. lib. IV. Claudian. lib. IV. de Cons. Honor. vs. 143. Et ita conspicitur in nummo argenteo Cyrenaeorum pervetusto, adducto ab Yvone Villiomaro, hoc est Iosepho Scaligero Animadv. in loc. controvers. Rob. Titii lib. VIII. cap. 24. Eadem forma exhibetur in nummo Traiani, teste Schotto de Relig. priscorum, et in alio eiusdem Imperatoris, quem Dausqueius ad Silium III. 9. exhibet, arieti insidens exprimitur. Neque alio ex fonte fluit, quod Alexander M. qui Iovis Ammonis filius dici voluit, cornutus in nummis conspiciatur; quo de videsis Ursinum Analect. Sacr. lib. I. cap. 34. Cur autem Ammonem cornutum finxerint in incerto est. Macrobius lib. I. Saturn. cap. 21.

eo vim ingentem solis denotari putat. Aliter Servius in IV. Aen. *Iovi Ammoni templum cum simulacro cum cornibus arietinis constitutum, quod ideo fingitur, quia satis eius sint involuta responsa.* Alii tamen ad potentiam Chami et posterorum eius denotandam id factum fuisse asserunt: quo et ipso simul antiquitatis et stirpis regiae insigne repraesentaretur.

Qui tempestatibus et harenarum molibus oppressus interiit. Historiam habent Herodotus III. 26. Plutarchus Alex. cap. XLVI. qui tamen addit LM. fuisse arenis ex Cambysis copiis oppressa. De eadem Seneca N. Q. lib. II. cap. 30. sic philosophatur: *Aliquando Cambysen ad Ammonem misit exercitum, quem arena austro mota et mora nivis incidens texit, deinde obruit. Tunc quoque veri simile est fuisse tonitrua fulminaque attritu arenae se affricantis.* Interea hoc exemplum evidenter docet sacrilegia raro impunita abire, cuiusmodi alia occurrunt apud Valerium, Florum, Livium, et quos non alios? quae uti transscribere nihil attinet, sic eo diligentius consideranda sunt, ut appareat, cum etiam ii, qui res idolis suis ac deastris consecratas religionis contemptu rapuerunt, tantas poenas dederint, quanta duriore plaga coercendi sint ii, qui neglecta contemptaque vera religione rebus sacris manus iniiciunt. Sed cur apud Ethnicos punita sunt talia? Non male sensit Seneca VII. de Benef. 7. *Punitur quia tanquam Deo facit. Opinio illum nostri ac sua obligat poenae.* Certe clarissimis quibusdam viris ita videri video.

6. Erat difficile, ut parceret suis etc. Exstincta erga divinum Numen reverentia nullum tam immane flagitium est quod locum inveniat. *Pietate* enim *sublata fides etiam et societas humani generis, et una excellentissima virtus iustitia tollitur:* merito exclamat Cicero lib. I. de N. D. Et *Deos qui contemnit, haud dubie nihil aliud quoque magni faciet*: inquit ad Augustum Maecenas apud Dionem Cassium lib. LII.

7. Magum quendam. De Persarum Magis omnia occuparunt Brissonius de Regno Pers. Bulengerus in Eclogis ad Arnob. Tiraquellus ad Alex. ab Alex. De eorum nomine Burtonus Λείψαν. linguae Persicae, Iacob. Ouzelius ad Arnob. aliique.

8. In femore graviter vulneratus occubuit. Notat Herodotus lib. III. Cambysem perstrinxisse gladio suum femur, in ea scilicet parte, in qua prius ipse tamquam opportune ad feriendum Apim Deastrum percusserat. Ex quo, si vera est fabula, perspicere est, quam verum sit illud:

*Per quod quis peccat, per idem punitur et idem.*

Exempla sunt et in sacra et in externa Historia ubivis obvia; et quid Perillo evenerit, septuennibus pueris notum est.

11. Apud Persas persona Regis sub specie maiestatis occulitur. De hoc Persarum instituto uberius Brissonius de Regno Pers. lib. I. At enim num Principes, ut venerabiliores existant, a vulgi consuetudine penitus arcendi sint, non immerito hoc loco quaeritur. Si Valerium Maximum audimus: *Quicquid in excelso*

*fastigio positum est, humili et trita consuetudine, quo sit venerabilius, vacuum esse convenit.* lib. II. cap. 6. Quod quidem viri docti a Valerio in Tiberii gratiam, qui minime comis erat Imperator, scriptum esse coniiciunt. Hic enim, ut scribit Suetonius, *integra aetate ac valetudine e medio secessit, ut vitato assiduitatis studio auctoritatem absentia tueretur.* Si Livium: *Continuus adspectus minus verendos magnos homines ipsa satietate facit.* lib. XXXV. cap. 10. Si Apuleium: *Parit conversatio contemptum, raritas conciliat admirationem.* Quapropter Velledam, fatidicam apud Germanos, regiae dignitatis virginem, *coram adire alloquique negatum. Arcebantur adspectu, quo venerationis plus inesset.* Pericles quoque, ut auctor est Plutarchus, cum se ad Rempubl. capessendam accinxisset, ne nimia familiaritate sui contemtum amicorum animis propinaret, convivia et omnem id genus comitatem atque convictum plane vitavit, adeo ut toto eo tempore, quo in Rep. versatus est (quod sane longum fuit) ad nullius amicorum coenam venerit. Quin etiam veritus, ne continua praesentia satietatem sui apud populum gigneret, quasi per intervalla in concionem venit, non de quacunque re oblata orationem habens, neque semper ad multitudinem progrediens, sed tum demum sui copiam faciens, cum magna aliqua res operam ipsius requireret; reliqua amicis et sociis oratoribus submissis expediebat. Philippus II. Hispaniae Rex postquam secesserat in Curiale sui conspectum perraro, nec temere Hispanis exhibebat: nec quisquam vel potentissimus in adspectum admittebatur, nisi cui longissimo tempore postulanti id in summi favoris gratiam concedebat. Verum enimvero licet minime me fugiat, nimia familiaritate auctoritatem Principis labascere, et ut Paulus IC. ait, ex aequali conversatione contemptum nasci, quo peccasse memorantur Iulianus Imp. apud Ammianum lib. XXV. et Henricus III. Galliae Rex apud Thuanum lib. LXVI., tamen id quoque tam certum est quam quod certissimum, nimiam gravitatis speciem non raro superbiae titulo suspectam esse, eandemque animos subditorum a Principe facillime abalienare posse. Ideoque hanc auctoritatem humanitate temperandam censeo. Id quod egregie calluisse Fridericum Daniae Regem, passim non sine elogiis memorant Historici. Saepius enim amicos, quasi seposita Regis persona, ad sales et iocos et in quae liberior animus ruit, provocabat; monens iucunda agerent, et tempori genioque indulgerent, dum Rex abesset. Postquam satis lusum fuerat, recepta gravitate regia: Heus amici, inquit, mittamus nugas; nam Rex rediit. Non igitur maiestas humanitatem excludit, et bene dixit Nicolaus quidam senex apud Diodorum lib. XIII. *Τοὺς φιλανθρώπους ἀφηγουμένους βεβαίως ἀγαπῶντες ἀεὶ συναύξουσι τὴν ἡγεμονίαν. Eos qui cum benevolentia praesunt, diligunt* (subditi) *et incrementum semper capit eorum dominatio.* Et sapienter Plinius ad Maximum scripsit lib. VIII. Epist. ult. *Male terrore veneratio acquiritur: longeque valentior amor ad obtinendum quod velis quam timor; nam timor abit, si recedas,*

*manet amor: ac sic ut ille in odium, hic in reverentiam vertatur.* Vide annon amor etiam reverentiam parare possit? Et si Poëtis hic locus est, audi Claudianum, sed Poëtam prudentissimum de VI. Cons. Honor. vs. 60.

*Alternos cum plebe iocos, dilectaque passus*
*Iurgia, patriciasque domos, privataque passim*
*Visere deposito dignatus limina fastu.*
*Publicus hinc ardescit amor, cum moribus aequis*
*Inclinat populo regale modestia culmen.*

quo etiam spectant illa eiusdem Poëtae:

*O quantum populo secreti numinis addit*
*Imperii praesens species, quantamque rependit*
*Maiestas alterna vicem!*

Sane Piccartus, qui peculiari oratione, quam in Philosophia Altdorphina ab interitu vindicavit Vir Cl. Ioh. Paul. Felwingerus, omne hoc argumentum exsecutus est, et rationibus non contemnendis, minime expedire Principi, ut se oculis subditorum subtrahat, praeclare asseruit: cuius disquisitionis summa huc potissimum redit: quod Rex subditis suis conspicuus esse debeat, qui Dei inconspicui vicem in his terris gerat, qui populi necessitatibus succurrat, ius eidem dicat, et accepta ab invisibili Deo imperandi prudentia recte et sine cuiusquam querela praesit. Atque si ibi sit, ubi eum esse maxime oporteat, si scilicet in templis sacra procuret, in iudicio ius dicat, in bello pro salute patriae decertet, nihil ei verendum esse ut contemnatur, ut potius tanto magis admirabilis gravisque subditis futurus sit. Nec vero posse Principem, si domi veluti a se ipso obsessus claususque delitescat, et paucissima videat audiatve, tantam sibi, quae a rebus agendis unice dependeat, acquirere prudentiam: qua tamen si careat, auctoritatem facilius decoquere possit. Praeterea ipsorum subditorum virtutem tantum non elanguescere, si Princeps eos ignoret, cum caeteroquin eius oculus et adspectus animos ad virtutem acuat, vires accendat, ac vitae sanguinisque merces pulcherrima reputetur testimonium Principis. Caussas autem cur Persicus iste error paulatim serpere potuerit et alias quoque aulas inficere, tres potissimum affert, quorum una est imperantium infirmitas et imperitia; altera eorundem male sibi consciorum metus; et tertia demum aulicorum, remoto Principe, regimini inhiantium perfidia, qui, ut clare indicat Lampridius, *perdunt Principes suos, cum a populo summovent, claudentes eum et agentes ante omnia ne quid sciat, internuncii sunt, sed aliud saepe, quam respondetur, referentes.* et clarius adhuc Vopiscus: *Colligunt se IV aut V in aulis atque unum consilium ad decipiendum imperatorem capiunt, dicunt quid probandum sit: imperator qui domi clausus est, vera non novit, cogitur tantum hoc scire, quod illi loquuntur, facit iudices, quos fieri non oporteat, amovet a Republ. quos debebat retinere.* Quae res movit optimum Imp. Rodolfum I. Habsburgicum, qui cum submoveri a satellitio suo tenuiores quosdam ad se viam affectantes

videret, non sine stomacho edixit: *Per Deum! sinite homines ad me venire: non enim ideo sum ad imperium vocatus, ut in arcula includar.* Eandem Traiani comitatem celebrat Paulus Diaconus lib. X. Hist. Misc. cap. 4. Nam amicis eum culpantibus, quod nimium circa omnes communis esset, respondit: talem se Imperatorem esse privatis, quales esse sibi Imperatores privatus optasset. Et Hadrianus Caesar, teste Aelio Spartiano cap. XX., in colloquiis etiam humiliorum civilissimus fuit, detestans eos, qui sibi hanc voluptatem humanitatis, quasi servantes fastigium Principis, inviderent. Concludo ergo aureo dicto Xenophontis: *Νομίζων αἰσχρουργίᾳ μὲν τὸ ἀφανίζεσθαι πρέπειν, τῷ δ' εἰς κάλλος βίῳ τὸ φῶς μᾶλλον κόσμον παρέχειν.*

12. Magi ad favorem populi conciliandum tributi et militiae vacationem permittunt. Prudenter Tacitus: *Novum imperium inchoantibus utilis est clementiae fama.* Hist. IV. 63. 2. Hinc magnum novo Principi favorem et benevolentiam conciliat in subditos liberalitas, utpote tributorum et militiae vacatio ad certum tempus permissa; qua de Bodinus de Rep. lib. VI. ita disserit: *Prudentissimi Principis est ineunte imperio extraordinaria superioris Principis tributa aut tollere, aut certe magna sui parte mitigare: ac potissimum populo rogante, imo ne rogante quidem: nec Roboami desipientis factum imitari, qui iuniorum perniciosissima consilia secutus, non modo subditorum rogationibus non aequievit, verum etiam crudeliorem se futurum propalam minatus est quam pater antea fuisset: ex quo decem tribuum orta defectio est ac novi regis creatio.* Eiecto Tarquinio a Patribus *multa blandimenta per id tempus data: annonae inprimis habita cura: et ad frumentum comparandum missi alii in Volscos, alii Cumas: salis quoque vendendi arbitrium, quia impenso pretio venibat, in publicum omni sumtu adempto concessum privatis; portoriis quoque et tributo plebe liberata*; teste Livio lib. II. Ita Cappadocibus in formam provinciae redactis a Romanis *quaedam ex regiis tributis deminuta, quo mitius Romanum imperium speraretur.* Tacit. Ann. II. 56. 4. De Macedonibus gemina Livius XLV. 18. et apud Nostrum Mithridates *debita civitatibus publica privataque remittit, et vacationem quinquennii concedit.* XXVIII. 3. 9. Sic Agricola *animorum provinciae prudens, doctus per aliena experimenta, frumenti et tributorum auctionem aequalitate munerum mollire* voluit. Tacitus cap. XIX. Etiam cum imperii sui primo quinquennio Nero virtutis adhuc studium prae se ferret, illud quoque, teste Tacito XIII. 50. 1., laudi ipsi datum fuit, *quod dubitavit, an cuncta vectigalium omitti iuberet, idque pulcherrimum donum generi mortalium daret.* Non raro tamen id ab illis fieri consuevit, qui pessimis artibus imperium ad se rapuerunt: idem enim horrendo isto regicidio infamem Cromwellium factitasse edocti sumus. Quicquid tamen sit, hac ipsa tributorum imminutione, ut cetera taceam commoda, id demum assequuntur Principes, *ut postea subditi necessitate ita iu-*

*bente ad dandum paratiores sint*; quam rationem tangit Cassiodorus IV. Varior. 36. his verbis: *Providentissimi Principis est graviter imminutis relinquere tributariam functionem: ut redivivis studiis ad implenda solemnia recreentur, qui pressi damnorum acerbitate defecerunt. Nam si fessus minime relevetur, necessitate cernitur iacere prostratus. Melius est enim praesentia damna contemnere, quam exiguo quaestu perpetua commoda non habere.*

15. Quia singulae separatim recludantur. Hunc locum ita accepit Brissonius lib. I. de Regno Pers. pag. 78. quasi id ex instituto Persarum perpetuo factum fuerit, cum tamen clare satis indicet Herodotus III. 26. id tum primum a Mago nove introductum fuisse. Pellicum autem turbam, sive, ut Curtius loquitur, greges istis Persarum regibus fuisse, ex pluribus scriptoribus docemur; nec hodie id desiisse testis est Cl. Adamus Olearius Itinerar. Pers.

17. Mago Cambyses aures utrasque praeciderat. Apud Persas *aures more regio pro delictis secari solitas*, scribit Ammianus lib. XXX. et vide quae de hoc supplicio notarunt Brissonius de R. P. lib. II. pag. 267. Freinshemius ad Curt. V. 5. 6. Henelius Otii Vratislav. cap. XVII.

19. Septem tantum conscii fuere huius coniurationis. Ita est: septem fuere coniurationis socii, ut est apud Herodot. III. 78. quorum etiam meminit Florus III. 5. 1., non septem fuere Magi, qui post mortem Cambysis regno praefuerunt, uti confundit Ammianus lib. XXIII. quamquam et Valerius Maximus septem Magorum meminit lib. III. 2.

Qui ex continenti. Notari merentur Forstneri dicta ad Tacit. Annal. IV. 2. *Periculosa consilia quo accuratius perpenduntur, eo segnius constitui atque expediri solent, fitque plerumque ut omnes coniurationes, quibus conficiendis aliquid spacii intercedit, evulgentur. Quod eo magis fit, si inter plures inita sit coniuratio. Cum enim cuncta praemio et metui pervia sunt, difficillime secretum inter tot homines reticeri potest.* Haec ille. Ideoque in his consiliis *decreta factis iungenda*, ut ait Velleius II. 18. et ut Tacitus nervose: *Nullus cunctationi locus est in eo consilio quod non probatur nisi peractum.*

20. Nec ipsis quidem animus in auxilium defuit. Qui tamen male sibi consciis plerumque deesse solet. Verum enim illud est Ovidii lib. I. Fastor.

*Conscia mens ut cuique sua est, ita concipit intra*
*Pectora pro facto spemque metumque suo.*

## EXERCITATIO IN IUSTINI LIB. I. CAP. X.

2. Erant virtute et nobilitate ita pares etc. Hinc est quod Valerius Max. lib. VII. cap. 3. *Darium sex adiutoribus eiusdem dignitatis assumptis pactum cum praeclari operis consortibus fecisse* scribat; quem locum sic feliciter restituit Ianus Casp. Gevartius Elect. lib. I. cap. 1. eoque hanc correctionis gloriam Ruperto, ceu ipse fatetur Dissert. ad Valerium, praeripuit. Quod vero ad sententiam auctoris nostri, verum videtur illud Vitellii effatum apud Tacitum Hist. lib. V. 6. *minore discrimine sumi Principem quam quaeri*: quod quidem discrimen eo maius esse solet, quo maior est principatum ambientium numerus, maximum vero, si virtute et nobilitate sint ita pares, ut difficilem ex illis electionem aequalitas faciat; quo ipso latus inimicitiis saepe aperitur campus, quae ad internecionem plerumque saeviunt. Et sane tum vix melius sortitione remedium adhiberi potest, cum etiam secundum sapientissimi Regis dictum *contradictiones comprimat sors, et inter potentiores quoque diiudicet*. Proverb. XII.

5. Solem Persae unum Deum esse credunt. Cum ex tot aliis scriptoribus liquido constet, Persas non hunc solum habuisse Deum, sed et plures alios, facile largior Freinshemio Comment. ad Curtium III. 3. 11. hunc locum ita explicandum esse, ut verba *unum Deum* non velint solum atque unicum, sed unum potius ex Diis, ut istud *Deum* sit secundus pluralis numeri casus. Colebatur autem Sol apud Persas potissimum sub Mithrae nomine. Strabo Geogr. lib. XV. *Τιμῶσι τὸν ἥλιον ὃν καλοῦσι Μίθραν*. quod pluribus declarant Brissonius de Regno Pers. lib. II. Vossius de Idolol. lib. II. cap. 9. Dempsterus ad Rosin. lib. II. cap. 8. Reinesius Epist. LXIX. pag. 644. seqq. Saubertus de Sacrific. cap. XXIII. Schedius de Diis Germ. Syngr. lib. 4. Wowerius Not. ad Firmic. de Errore Prof. Relig. Bernartius fin. lib. I. Theb. Statii, Bulengerus Eclog. ad Arnob. lib. II. cap. 4. Habuere autem Persae hanc heliolatriam cum pluribus gentibus communem; cum Phoenicibus, Aegyptiis, Assyriis, Babyloniis, Sabaeis, Arabibus, Aethiopibus, Marmaricis, Poenis, Graecis et Romanis, aliisque fere toto orbe populis, quemadmodum testimonia probatae fidei scriptorum evincunt; et probat id prae ceteris vir magnus, licet cum maximis comparandus, Gerard. Io. Vossius lib. de Idololatria; cuius scrinia compilare nolim. Inquirenti vero mihi in caussas, cur prae ceteris astris solem veteres divinis honoribus affecerint, videntur Pagani et magnitudine eius infinita, et singulari pulchritudine, ac aequali illo minimeque interrupto eius motu, ut et mirandis in haec inferiora operationibus capti fuisse, ut honorem, quem conditori eius et opifici deberent, creaturae attribuerent: quamquam non desunt, qui per Solem illos Deum ipsum indigitare voluisse censeant, quibus omni ex parte consentire nequeo. Intolerandus vero error Philippi Cluverii, qui lib. I. Germ. Antiq. cap. 29.

priscos Germanos per Solem, Vulcanum et Lunam, quos invocasse illos Caesar prodit, unum verum Deum in Trinitate intellexisse scribit: quod idcirco merito refellunt Vossius lib. I. de Idolol. cap. 37. et Ioh. Henr. Meibomius Comment. ad Iusiurand. Hippocratis.

Et equos eidem Deo sacratos ferunt. Vide Brisson. et Bulengerum laud. loc. Saubertum de Sacrific. pag. 580. quod etiam de Armeniis et Massagetis praedicant Herodotus fin. lib. II. et Xenoph. *Ἀναβάσ.* lib. IV. De sacris maiorum nostrorum equis vide quae scribit Tacitus Germ. cap. 10. et quae ibi notarunt viri docti. Sed praeterquam quod Persae soli equos sacros alebant, etiam *sacerdotes ei destinabant.* Iustin. X. 2. 4. *per solem iurabant.* Aelian. V. H. lib. I. cap. 33. Plutarch. Artaxerx. *nec unquam ante ortum Solem exercitum movebant.* Curt. III. 2. 3. et III. 3. 8. etiam Soli dicatis locis pepercere, quemadmodum Delus et Ephesus expertae, ut interpres Aristoph. in Irenam et Cic. Verr. I. tradunt.

8. Ex desiderio foeminae hinnitum statim edidit. Cardanus de Rer. Variet. lib. VII. cap. 32. aliquot hinnitus species facit, inter quas est etiam ille, qui fit ex desiderio sociae; qua de re equisones viderint. Addit autem Herodotus et eius fide forsan Valerius, equi custodem manum in equae genitalia demissam post, cum ad statutum locum devenissent, naribus equi admovisse, eoque odore irritatum, hinnitum edidisse. An vero nove hoc praesagium a Persis excogitatum, an illis quoque aliqua in hinnitu religio, perinde ut Germanis olim, equidem non determinaverim. Colerus tamen not. ad Valer. eo fere inclinat. Ceterum equos hinnitu alacriore et ferociore fremitu praelium inituris victoriam portendere etiamnum persuasum esse militibus, testatur Peucerus de Divinatione lib.

Ut confestim equis desilierint. Qui mos honorem superiori exhibendi olim erat in usu. Sic Arnob. lib. VII. *Ut si quispiam viso potentissimi nominis viro via decedat, assurgat, caput revelet, vehiculoque desiliat, tum deinde salutet acclinis.* Et Sallustius V. Hist. apud Nonium: *Quibus de caussis Sullam in victoria Dictatorem sibi equo descendere, sibi uni adsurgere de sella.* Tacitus Ann. XV. 28. *Et viso Corbulone Rex prius equo desiliit.*

11. Regnum tam levi momento in unum collatum est. *Quantum imperium,* inquit Valerius, *quam parvo interceptum est vaframento.*

13. Praeter formam. Formae decus si adest, aliquid ad auctoritatem principis facere arbitror; praesertim apud tales, ubi *in corporum maiestate veneratio est, quique magnorum operum non alios capaces putant, quam quos eximia specie donare natura dignata est:* ut habet Curtius VI. 5. 29. Attamen vim et administrationem regni in forma sitam, tantum abest ut concedam, ut contra, si absit, et modo prudentia aliisque virtutibus instructus sit Princeps, facilem eius iacturam censeam.

14. Darius regalibus nuptiis regnum firmaturus. Saepe Principibus in matrimonio commodo non auctoritatis tantum, sed et

ipsius principatus fulcrum situm esse constat. Hinc etiam Perdiccas, ut viribus auctoritatem regiam acquireret, ad nuptias Cleopatrae sororis Alex. M. et alterius quondam Alexandri uxoris intendit: Noster XIII. 6. 4. Hinc Tacitus de Agricola: *Domitiam Decidianam splendidis natalibus ortam sibi iunxit, idque matrimonium ad maiora nitenti decus ac robur fuit.* Spectavit hoc quoque Clemens VII. in Alexandro nepoti stabiliendo principatu Florentino. Iungi enim illi fecit Caroli V. filiam, ut soceri maiestate Florentinos in officio contineret. Plura Clapmarius de Arcan. Rerumpubl. lib. IV. cap. 9. et Piccartus Observ. Historico-Polit. Decad. VI. cap. 3.

15. ZOPYRUS DOMI SE VERBERIBUS LACERARI IUBET. Vid. Herod. III. 153. Plutarch. Apophth. cap. 3. Polyaen. Strateg. lib. VII. Frontin. Strateg. III. 3. 4., qui tamen Zopyrum eam operam Cyro navasse scribit, item Aristid. Orat. κατὰ τῶν ἐξορχουμένων. Suidam in Ζώπυρος. Nazianzen. Orat. II. in Iulian. Apostol. Prov. Graec. Cent. IX. 68. et XI. 61. Fulgosum lib. VII. cap. 4.

16. TRANSFUGAE TITULO BABYLONIAM PROFICISCITUR. Transfugis non temere credendum est, cum, si mala fide id faciant, multum nocere possint. Sic enim *Tarquinius Gabios* Flor. I. 7. Frontin. III. 3. Plin. XIX. 8. Valerius M. VII. 4. 2. Polyaen. I. 8. *Mazeres Crassum* Flor. III. 11. 7. *Rhadamistus Mithridatem* Tacit. Ann. XII. 44. alii alios in ultimum discrimen deduxere. Cuiusmodi plura exempla sedulo collegerunt Zwingerus Th. V. H. Vol. 7. lib. 8. Freinshemius ad Curtium IV. 6. 15. et idem cum Raperto et Zevecotio ad Flor. lib. I. cap. 7. Zevecotius porro ad Suetonii Iulium cap. 75. Unum tamen his ex Saxonis Hist. Dan. lib. II. petitum addere placet, ubi Frotho *permutata cum ancillulis veste, peritam se pugnandi puellam simulat, depositoque virili cultu foemineum aemulatus, transfugae titulo oppidum petit. Illic omnibus curiosius exploratis postridie emisso comite exercitum affore iubet, portasque sua pandendas opera pollicetur. Taliter elusis vigilibus urbs somno sepulta diripitur, securitatis poenas interitu luens, desidiaque sua quam hostium virtute miserior. Nihil enim in re militari perniciosius animadvertitur, quam per ocium metu vacuum solutis neglectisque rebus nimia fiduciae praesumtione torpescere.*

Non immerito autem hoc loco quaeritur, num factum istud Zopyri honestum, an vero inhonestum fuerit, ac propterea vel laudem vel vituperii notam mereatur. Plerique fere, qui illud descripsere, insignibus Zopyrum extollunt elogiis: et Plutarchus quidem ipsum eo nomine virum bonum appellare non dubitavit. Attamen si aequa lance rem perpendimus, contrarium sentientibus calculum nostrum non possumus non adiicere. Licet enim finis eius bonus et honestus fuerit, tamen media eo facientia inhonesta et illegitima fuisse videntur. Neque vero ipsius in Regem fides, in eos ad quos transfugerat perfidiam satis puto excusabit.

# COMMENTAR. IN LIB. II.

## CAP. I.

1. QUAE SATIS AMPLAE MAGNIFICAEQUE FUERUNT. Eadem verba usurpat et Sallustius Catil. 8. 2. de Atheniensibus. Scythicum autem Darii bellum et Herodoto occasionem dedit res Scythicas altius repetendi, initio lib. IV. BONGARS. — Adde Diodor. Sicul. II. 43. Arrian. IV. princ. Niceph. Gregoram lib. II. post princ. BERNEC.

PRINCIPIUM AB ORIGINE REPETENDUM EST. Lactantius lib. IV. 10. *Nunc a* principio *totius sacramenti* origo *narranda est.* WOPKENS.

2. NEC VIRORUM IMPERIO. Uterque Cod. MS. Voss. vocem postremam ignorat, ut nec in suis invenit Bongarsius. GRONOV. — Vocem *imperio*, quam a duobus Vossii abesse, nec in suis invenisse Bongarsium notat Gronovius, recte quoque omnes nostri ignorant. WOPK. — Vocem *imperio* ignorant sec. Leid. Reg. Thuan. Bodl. Periz. Coll. N. nec male. Vide Cl. Oudendorpium ad Suetonium de Illust. Gramm. cap. 17. ABR. GRONOV.

QUAM FEMINARUM. Scilicet, *ne quis sexus a laude cessaret*, ut ait Florus I. 10. 9. BERNEC.

3. AMAZONUM. De quibus multa Diodor. Sicul. II. 44. Appianus in Bell. Mithrid. Noster infra cap. 4. et alii. Alb. Krantzius lib. I. Hist. Suecicae cap. 6. eas origine Gothicas, hoc est, Germanas fuisse contendit. At Strabo II. pag. 348. et Arrian. lib. VII. pag. 156. hoc mulierum genus unquam exstitisse negant. De his accuratissime Reineccius tom. I. pag. 219. BERNEC. — Amazonum quinam veterum mentionem fecerint, easque exstitisse vel affirment, vel negent, studiose observavit et ad Curtii VI. 5. 24. docuit Freinshemius. VORST.

5. SCYTHARUM GENS ANTIQUISSIMA. Herodotus tamen IV. 5. ipsos Scythas ait dicere, *νεώτατον ἁπάντων τῶν ἐθνέων εἶναι τὸ σφέτερον.* Et de gentis antiquitate Aegyptios non cum Scythis, sed cum Phrygibus certasse refert II. 2. quod confirmat in Eutropium Claudianus II. 261. Sed Marcell. XXII. 34. *Aegyptiam gentem*, inquit, *omnium vetustissimam, nisi quod super antiquitate certat cum Scythis.* BONGARS. — Similem contentionem inter Athenienses et Argivos memorat Isocrates Panathenaico. BERNEC. — Damascius in vita Isidori Philosophi apud Photium Bibl. Cod. CCXLII. pag. 1027. *Αἰγύπτιοι τοίνυν ὅτι μὲν παλαίτατοι ἀνθρώπων εἰσὶν, ὡς ἀκοῇ γινώσκομεν, ὀλίγου τὶ πάντων οὐδεὶς οὕτω ἐστὶν ὀψιμαθὴς, ὡς οὐχὶ πολλῶν ἀκήκοε λεγόντων τε καὶ γραφόντων.* ABR. GRONOV.

CONTENTIO. Quam pluribus exponit Otho Heurnius in Indico cap. 13. BERNEC.

VETUSTATE FUERIT. Angl. *fuit.* Cic. Orat. pro Marcello: *Quanquam iste tuus amicus nunquam his angustiis contentus fuit.* Vide Vallam II. Eleg. 21. SCHEFF.

6. NON MODO PRIMAE GENERARE HOMINES. Pro *non modo non.* Cic. II. de Offic. 13. *Non modo illi invidetur aetati, verum etiam*

*fatetur.* Vid. Mureti Var. Lect. X. 7. Sic infra IX. 2. 6. Cic. pro Cluent. 34. 8. Liv. XXIX. 19. 11. BERNEC. — Ita IX. 2. 6. *Ne sumtum quidem viae, non modo officii pretia dederit.* pro *non modo non officii pretia dederit.* Sed hoc interest, quod *non modo* hic sequitur, *ne* antecedit; cum in altero illo *non modo* antecedat, *ne* sequatur. Rursus XI. 8. 4. *Non spes modo remedii, sed nec dilatio periculi inveniretur.* pro *non modo non spes remed.* Atque ita passim et alii. Livius I. 40. *Regnare advenam, non modo vicinae, sed ne Italicae quidem stirpis.* VORST.

GENERARE HOMINES. Ita mox infra n. 18. Persuaserunt enim olim sibi profani Gentiles, ut etiamnum hodie Sinenses, homines initio cum ceteris animantibus, non a Deo conditos, sed e terra, stirpium ad instar, ortos. Vide Diod. Sicul. I. 7. Eo spectat Atheniensium gloriatio, quam Diogenes Cynicus iis cum muribus et lumbricis communem dicebat, esse se αὐτόχθονας, hoc est, ut Noster infra II. 6. 4. ait, *eodem innatos solo.* Sed huius profanitatem sententiae refutat Lactantius de Falsa Relig. II. 12. BERNEC. — Sic paulo post: *Quanto prior quaeque pars terrarum siccata fuit, tanto prius animalia generare coepisse.* Virgilius II. Georg.

*Cum primum lucem pecudes hausere, virumque*
*Ferrea progenies duris caput extulit arvis.* VORST.

TUERI. Cic. XIII. Fam. Ep. 11. *Sarta tecta aedium sacrarum locorumque communium tueri.* et I. in Verr. 50. *Aedem Castoris P. Iunius habuit tuendam.* ICtus Valens in L. 12. D. de Legat. III. *Stichus liber esto et ut eum heres artificium doceat, unde se tueri possit, peto.* Eadem ratione *tutelam* usurparunt optimi quique, ut infra XVI. 3. *In tutelam classis tributum describere.* et Senec. ad Helv. 9. *Terra vix ad tutelam incolentium fertilis.* et Celsus in L. 30. D. de Legat. II. *Reip. lego in tutelam viae.* GRONOV. — *Tueri* idem hic est quod *alere, sustentare.* Cicero pro Deiot. *antea alere maiores copias poterat, nunc exiguas vix tueri potest.* Nepos Epamin. *amicorum in se tuendo caruit facultatibus.* VORST.

8. NULLA TERRA FERACIOR. Fertilitatem Aegypti praedicant et Isocrates in Laudat. Busiridis, Iosephus Bell. Iud. V. 11. et Egesippus IV. 27. Tacit. Hist. III. 5. Plin. Paneg. cap. 30. et 31. cum aliis. BERNEC.

9. UBI EDUCARI FACILLIME POSSENT. Sic et Iuntina. Non audiendi sunt illi codices, qui expungunt *facillime.* Aegyptiorum hoc fuit argumentum: Credibile esse, ibi primos homines prodiisse, ubi facillime potuerint propter coeli et soli benignitatem educari. *Facillime* est in magna rerum affluentia, quas ibi fert terra in tutelam hominum. Illa soli foecunditas, quam praedicant Aegyptii in verbis praecedentibus, significatur. Porcius Latro in vita Terentii:

*Nihil Publius*
*Scipio profuit, nihil illi Laelius, nihil Furius.*
*Tres per idem tempus agitabant nobiles facillime.*

Ipse Terentius Adelph. III. 4.

*Quam vos facillime agitis, quam estis maxime*
*Potentes.*

Theocritus Idyll. XI. 7.

Οὕτω γοῦν ῥᾷϊστα διᾶγ' ὁ Κύκλωψ ὁ παρ' ἡμῖν.
*Sic Cyclops apud nos facillime vixit.*

Graev. — Angl. non agnoscit *facillime*, et sane priora docent argumentum Aegyptiorum hoc fuisse, homines primum natos ibi, ubi primum potuerint educari, in Aegypto, quia tum nondum fuerant inventa vestimenta contra frigus. De facilitate vel difficultate educandi sermo fuit nullus. Scheff.

11. Animalia quaeque generasse. Iuntina sic recte, quod et Oxonienses MS. fidem secuti probarunt. vulgo: *animalia quoque generasse.* Graev. — Ita tert. Leid. Coll. N. ed. Ald. Iunt. verum reliqui MSS. et vett. edd. *an. quoque.* Abr. Gronov.

13. Quanto coelum etc. *Ingenia hominum ubique locorum situs format.* Curtius VIII. 9. 26. *Positio coeli corporibus habitum dat.* Tacit. Agric. cap. 11. Quem locum insigniter illustrat Gruterus Dissert. XLV. ad Tacit. Addendus Erasmus Adagg. *Mores hominum regioni respondent.* et Veget. I. 2. Bernec.

Ingenia duriora. Ingenium durum hoc loco est, firmum, solidum et quod seu spe seu metu haud facile permoveatur. Faber.

14. Illuves aquarum. Gronov. ad Liv. I. 4. scribendum censet et hic et in cap. 6. huius libri, *eluvies;* quia *illuvies* sordes sint exterius adspersae, *eluvies* vero inundatio. Graev. — Alii emendant *eluvies.* Vide quae notabo ad cap. 6. Scheff. — Magl. ed. Rom. *alluvies aq.* Avus ad Livium lib. II. cap. 4. malebat, *aq. eluvies:* quas voces iungit Lactantius lib. VII. cap. 16. *Interibunt* (civitates) *non modo ferro et igni, verum etiam terrae motibus adsiduis et eluvie aquarum.* Abr. Gronov.

Sive ignis — cuncta possedit. Seneca lib. VI. de Benef. cap. 22. *Ignis cuncta possideat, quem deinde pigra nox occupet.* Abr. Gronov.

Utriusque primordii Scythas origine praestare. Errare illos puto qui huic lectioni acquiescunt, cum *primordium* et *origo* idem sint. Id quoniam verum est, si quis dixerit, Scythae utriusque primordii origine praestant Aegyptiis, rem ridiculam dixerit; tantundem enim est ac si dicat, *utriusque primordii primordio* etc. Quod ut ineptum est, ita et explodendum iudico. Sic autem emendari hic locus posset: *utriusque primordii Scythas ratione praestare Aegyptiis.* At *ratio* et *argumentatio* idem plane valent, et ita Cicero millies locutus est. Itaque hoc dixerit Iustinus: sive ab aqua sive ab igne argumentum duxeris etc. Scythae vincant necesse est. Ceterum paulo superius, ubi legitur *illuvies*, scribendum omnino, *eluvies*, ex observatione et iudicio Gronovii. Faber. — Quia *primordium* et *origo* idem sint, *primordii ratione* legendum putabat Faber. Sed caussa ista emendandi nulla est, quoniam passim sic ἰσοδύναμα

iungi solent, ut modo vidimus in his, principium *ab* origine *repetendum est.* Atque ita lib. XX. 2. *Sed* principio originum *Metapontini . . pellere caeteros . . statuerunt.* Lib. XXII. 1. *Non honestiorem pueritiam, quam* principia originis *habuit.* Lactantius VI. 10. *Foedus illud inter homines a* principio ortus *sui initum.* Arnobius contra Gentes I. pag. 16. *A principe rerum fonte* ortus *sui* originem *ducere.* et lib. II. pag. 67. *Ortus necesse est habeant, et* exordia nativitatis *et vitae.* Conferri huc etiam possunt talia: Livius IV. 8. *Idem hic annus censurae initium fuit, rei a parva* origine ortae. Lib. III. 54. *Ubi prima* initia inchoastis *libertatis* vestrae. Lib. IX. 40. *Inde* natum initium *dicitur fori ornandi ab aedilibus* etc. Lib. XXXVIII. 1. Principio *a gente Athamanum* orto. Itemque huc istud genus pleonasmi pertinet, quod vidimus lib. I. 9. 13. et alibi. WOPKENS.

15. SI IGNIS PRIMA POSSESSIO RERUM FUIT. Id est, si ignis primo omnia possedit. Estque hic *possessio* pro possessore. VORST.

CALORE SOLIS EXAESTUET. Rom. *aestuet.* Periz. ed. Bechar. *exaestuat.* Ald. Iunt. *exaestuent.* ABR. GRONOV.

17. QUOD SI OMNES QUONDAM TERRAE SUBMERSAE PROFUNDO FUERUNT; PROFECTO EDITISSIMAM QUAMQUE PARTEM, DECURRENTIBUS AQUIS, PRIMUM DETECTAM; HUMILLIMO AUTEM SOLO EANDEM AQUAM DIUTISSIME IMMORATAM. Quod iam a me proferetur, id, opinor, non negligenter transilierint, qui sciunt bene et accurate legere. Postquam in priore parte periodi dixit Iustinus, *decurrentibus aquis*, in altera ponit, *eandem aquam;* idque cum nimis nimisque vitiosum sit, scriptum ab eo fuisse existimo non *eandem*, sed *stantem;* quae huic rei, qua de agitur, valde propria est, nisi si *stagnantem* malis, quod magis etiam proprium fuerit; nam aqua stagnans est aqua reses. VORST. — Faber volebat *stantem* vel *stagnantem aquam*, quod non concoquebat enallagen numeri in his *decurrentibus aquis* et *eandem aquam.* Sed ita Cicero Academ. I. 11. *Cumque* perturbationem *animi illi ex homine non tollerent* etc. *Cumque* eas perturbationes *antiqui naturales esse dicerent* etc. Ubi pluribus hanc formam vindicavimus. Sulp. Severus H. S. I. 11. *Qui cum* somnia *sua ad Ioseph retulissent, futura ex* somnio *coniectans* etc. WOPK.

19. SCYTHIAM ADEO EDITIOREM. Virgil. II. Georgic. vs. 240.

*Mundus ut ad Scythiam Riphaeasque arduus arces*
*Consurgit, premitur Libyae devexus in Austros.*

Sed constat inter Mathematicos, in globo nullum esse alio editiorem locum. BONGARS.

20. AEGYPTUM AUTEM (QUAE TOT REGUM etc. Mirum quomodo hic locus, si ita legatur, sit intelligendus. Ut primum seposita parenthesi, verba ordinemus: *Aegyptum autem nec posse videri hominum vetustate ultimam, quae sive exaggerationibus regum, sive Nili trahentis limum, terrarum recentissima videatur.* Quis horum verborum sensus, scire velim. Parenthesis adhuc obscurior, maxime in his verbis: *Nihilominus coli, nisi excluso Nilo, non potuerit.*

Quidam pro *excluso* reposuerunt *expulso;* verum eadem obscuritate manente sensus. Ego quod ad haec ultima verba attinet, coniunctionem *nisi* expungerem: sed lectores iudicent; nam ego me explicare non possum, indicare tamen dignum existimavi operae pretium. GLAREAN.

AEGYPTUM etc. Strato quidam apud Strabonem lib. I. pag. 34. *Aegyptum* ait τὸ παλαιὸν θαλάττῃ κλύζεσθαι etc. BONGARS. — Et sane, quod statuerunt veteres, Aegyptum ex limo, quem Nilus vehit, accumulato et exaggarato natam, exinde *Nili donum* eam appellarunt. Eustath. in Dionys. Perieg. pag. 31. pr. Videndi Herodotus II. 5. Aristot. Meteor. I. 14. Plin. II. 35. Senec. Nat. Quaest. VI. 26. Quibus contradicit Brodaeus Miscell. III. 5. ubi ait, nec decem quidem mundi aetates ad spatium istud humo explendum sufficere. BERNEC. — Sed falsissimam esse hanc opinionem pluribus docet Bochartus Geograph. Sacrae IV. 24. GRAEV.

TOT FOSSIS CONCISA. Sic merito Gronovius legendum censet ex antiquis editionibus, suffragante Iuntina. Eadem in verbis praecedentibus: *adversus vim decurrentium aquarum tantis instructa molibus.* optime, si veteres libri adsentiuntur. Vulgati: *adversus vim incurrentium aquarum tantis structa molibus.* Sed Aegyptum struere molibus, quam Latine dicatur, viderint, qui vulgatam defendunt. GRAEV. — Lego cum Iuntina ed. et MS. Dorv. 1. et 2. *Tantis instructa molibus*, i. e. munita, apparata. WOPKENS. — *Decurrentium* Coll. N. ed. Bech. Ven. Flor. Med. Paris. Ald. Iunt. *extructa* Bodl. *instructa* Magl. Coll. N. eaedemque editiones: idque vulgato recte praefert Cl. Graevius. Versa vice apud Plinium lib. XXXV. cap. 14. pro *instruuntur*, quod dant editiones, MSS. exhibent *struuntur.* *Quid? non in Africa Hispaniaque ex terra parietes, quos appellant formaceos, quoniam in forma circumdatis utrimque duabus tabulis inferciuntur verius quam struuntur, aevis durant incorrupti imbribus.* ABR. GRONOV.

TOT FOSSIS CONSCISSA. Antiquiores typis expressi *concisa:* quod magis placet, neque mutandum fuisse videtur. Legendum ita iudicat et Gronovius ad Plin. XXXIV. 8. citatque illud Caesaris III. B. G. *Pedestria itinera concisa aestuariis.* VORST. — Alii et Gronovius *concisa* legunt, quod et Vorstio probatur. Ego nihil mutem. SCHEFF. — *Concisa* praeter ed. Rom. Bechar. Ven. Flor. Med. Paris. Ald. Iunt. etiam MS. Med. Thuan. sec. quart. a pr. m. quint. Leid. Bodl. ABR. GRONOV.

CUM HIS ARCEANTUR, ILLIS RECIPIANTUR AQUAE. Huc respiciens Isocrates in laudatione Busiridis, *Aegyptios* dixit *imbrium simul et siccitatum, quorum aliis Iupiter promus condus est, per se ipsos potestatem habere*: dum scilicet Niloticas aquas, quae vicem imbrium Aegypto praestant, pro arbitrio vel fossis in agros suos derivant, vel obiectis molibus arcent. BERNEC.

NISI EXCLUSO NILO. Cl. Iensius editioni Graevianae adscripse-

rat: „*Effuso Nilo*, Ortwinius. *Extuso*, Henninius in literis ad „nos III. Kal. Decembr. CIƆIƆCCI.“ Abr. Gronov.

Hominum vetustate ultimam. Terra *hominum vetustate ultima* est, quae prima homines habuit. *ultimum* enim etiam illud dicitur quod est omnium primum. Virgilius VII. Aeneid. *Tu sanguinis ultimus auctor.* Cicero pro Archia: *Pueritiae memoriam recordari ultimam.* Vorst.

Aggerationibus regum. Inde Titulus Codicis *de Nili aggeribus non rumpendis.* Cicero *moles* vocat *oppositas fluctibus*, Officior. II. 4. Bongars.

Quae sive exaggerationibus regum, sive Nili trahentis limum terrarum recentissima videatur. Edidit ita Berneccerus secutus, credo, Bongarsium. At Gronovius ad Senecae Herc. Oet. vs. 1260. Codd. MSS. et meliores Editiones ait habere sic: *quae aggerationibus regum, sive Nili trahentis limum;* ut prius *sive* absit; quomodo infra lib. IX. *Ducenta millia Persae, eo proelio, sive naufragio, amiserè.* et lib. XXXVIII. *Eosque variis exhortationibus ad Romana bella, sive Asiana, incitat.* et lib. XLII. *Captivi ex Crassi, sive Antonii, exercitu recollecti.* Porro in antiquioribus Editionibus Becharii et Sichardi reperio *exaggerationibus;* ut si una vox. At Berneccerus maluit *ex aggerationibus;* cuius causa non apparet. neque enim Latine dici videtur, *Aegyptus terrarum recentissima videtur ex aggerationibus regum*, sed, si vocula *ex* locum habere debeat, dicendum fuerit, *ex aggerationibus regum apparet, Aegyptum terrarum recentissimam esse.* Ceterum *aggerationibus* vel *exaggerationibus regum Aegyptus terrarum recentissima videtur*, recte dicitur. est enim *aggerationibus* pro *propter aggerationes.* Vorst. — Non placet quod existimant, *exaggerationibus* coniunctim legendum. Neque proba coniectura, quando putant haud Latine dici, *exaggerationibus*, et si praepositio adhibenda esset, scribendum fore *ex aggerationibus regum apparet.* Debet certe, etiam si vel coniunctim legatur, ablativus regi non a verbo, sed a praepositione, sive apposita, sive subintellecta, quod iam dudum Sanctius et ex ipso Scioppius docuere. At vero ea alia non potest esse, quam *ex* praepositio. Quod quodammodo agnoscunt ipsi, quando ablativum reddunt per *propter aggerationes.* Quid enim hoc est aliud, quam *ex aggerationibus?* Quomodo non uno loco apud alios etiam illud *ex* usurpatur. Neque si legatur divisim, illud *apparet* quidquam valet hoc loco. Stant per se, *terra ex aggerationibus regum, terra ex aggerationibus Nili*, significantque talem terram, quae est terra, quae terra extitit et facta est ex aggerationibus, seu quod idem est, per aggerationes, sive propter aggerationes istas. Scheff. — Melius cum Gron. ad Senecam Herc. Oetaeo 1260. ex MSS. legas *quae aggerationibus regum, sive Nili* etc. atque ita quoque nostri quatuor codices. Elegans autem usus verbi *trahere* pro vehere, secum adducere. Sallust. Iugurth. cap. LXXVIII. *Limum arenamque et saxa ingentia fluctus* trahunt. Ta-

citus Ann. XII. 57. *Vis aquarum prorumpens proxima* trahebat. Vetus Int. Iudicum. V. 21. *Torrens Cison* traxit *cadavera eorum.* et Apocal. XII. 15. *Et misit . . aquam tamquam flumen, ut eam faceret* trahi *a flumine.* WOPKENS. — Quart. Leid. *quae a generationibus.* ed. Rom. *quae aggregationibus*, pro *quae aggerationibus*, quomodo edidit Bongarsius, probante Avo ad Senecam Herc. Oet. vs. 1260. Particula *sive* priore loco etiam abest a Med. Magl. sec. tert. Leid. Bodl. Thuan. Periz. ed. Ven. Flor. Med. Paris. Ald. Iunt. ABR. GRONOV.

NILI TRAHENTIS LIMUM. Angl. quoque hoc modo, sed observat notator, alibi legi *trahens*, quod intelligendum foret de terra, et videtur hoc convenientius. Terra enim debet trahere, ut evadat maior, non flumen. Nisi velis dicere, illud *trahentis* esse positum non pro *attrahentis*, verum *abstrahentis.* SCHEFF. — Ceterorum librorum lectio *Nili limum trahentis* longe est verior et certior. *Nili limum trahentis* est id ipsum quod Diodorus Siculus de hoc fluvio dicit, *τοῦ Νείλου τὴν ἐξ Αἰθιοπίας ἰλὺν καταφέροντος.* Nili ex Aethiopia limum secum ferentis. Curtius III. 11. de Marsya: *Inde diffusus circumiectos irrigat campos, liquidus, et suas undas trahens.* lib. IV. 9. de Tigri: *Multorum torrentium non aquas solum, sed etiam saxa secum trahens.* GRAEV.

## CAP. II.

1. PONTO, ET AB ALTERO. Coniunctio deest in septem MSS. ed. Rom. ABR. GRONOV.

MONTIBUS RIPAEIS. Non temere factum, quod scripserit librarius; ita iusseram et ita scribi debet, non *Riphaeis*, quod ille tamen Pseudo-Servius probat, nugator mirificus. Ita *trophaeum* in omnibus fere libris reperias, et error est tamen ridiculus, etiam si ita Gallice pronuncietur. FABER.

PHASI FLUMINE. Ita legendum etiam contra libros, qui habent *Ithasi.* De Phasi vide Plinium VI. 4. et Solin. cap. 20. et libellum de Fluminibus nomine Plutarchi editum. De Scythis praeter Herodotum lib. IV. vide Diodorum Siculum lib. II. et Strabonem lib. VII. ubi eorum integritatem multis praedicat, de qua Horatius III. Ode 24. Vide et pauca apud Marcellin. XXII. 19. et confer quae XXXI. 5. et seqq. de Hunnis scribit et Alanis, quos cap. 7. *discurrere* ait *latrocinando et venando.* Ita enim videtur locus ille supplendus. BONGARS.

4. IN PLAUSTRIS. *Ἁμαξόβιοι. Plaustra* autem ait *coriis tecta*, pro quo Marcellin. lib. XXII. habet *corticibus*, nescio an recte. BONGARS. — Unde Scythae ἁμαξόβιοι et ἁμαξοβῖται, hoc est, *in plaustris viventes.* item ἁμάξοικοι, *domos suas in plaustris habentes.* BERNEC.

CORIIS. Vix inhibeo manum rescripturientem *corticibus:* quae vox e *curribus*, quod *coriis* in MS. quodam suprascriptum Bongar-

sius affirmat, facili literarum ductu formatur. Certe plaustra Scythica *corticibus* tecta facit et Amm. Marcell. XXII. 19. Idemque, XXXI. 6. *Alanos* ait *vagari superedentes plaustris, quae operimentis curvatis corticum* (tanquam imbricibus) *per solitudines conserunt.* Hippocrat. de Aëre, Locis, et Aquis pag. 74. 12. tradit currus illos Scythicos coactilibus ex lana crassa compactis esse obductos. Ibidem alia multa de victu cultuque Scytharum invenias. BERNEC.

QUIBUS, CORIIS IMBRIUM. Cantabr. *curribus imb.* omisso pronomine relativo, quod etiam abest tert. Leid. Periz. ABR. GRONOV.

5. IUSTITIA GENTIS etc. *Δικαιότατοι ἀνθρώπων* Homero Iliad. XIII. 6. Strabo VII. pag. 209. et Arrianus IV. pr. Ideo infra XII. 1. 17. *gentem innoxiam* dicit. BONGARS. — Ceterum de priscis Romanis similiter Sallust. Catil. cap. 9. *Ius bonumque apud eos non legibus magis quam natura valebat.* de Germanis Tacitus cap. 19. *Plus ibi boni mores valent, quam alibi bonae leges.* Idemque in universum de vetustissimis mortalium, Annal. III. 26. Burdelot. in Petron. pag. 276. BERNEC.

INGENIIS. *Ingenium* vocat, quod paulo post *naturam.* Naevius:

*Ite actu in frondiferos lucos, ubi*
*Ingenio arbusta nata sunt, non obsita.*

Notavit ad Ausonium Scaliger I. 23. Petronius: *Crines ingenio suo flexi.* Tacit. Annal. III. 26. *Cum honesta suopte ingenio peterentur.* alii. BONGARS. — Sallust. Hist. lib. III. *Pugna ingenio loci prohibebatur.* et lib. V. *Insulae suopte ingenio alimenta mortalibus gignunt.* ita Florus II. 6. 27. et II. 17. 5. BERNEC. — Paulo post: *Hoc illis naturam dare.* Ergo *ingenium* hic pro natura. Qui vocabuli usus et apud alios observatur. VORST.

6. QUID SALVUM ESSET. Ita Vett. Editt. Manuscriptorum traduces. Melius, opinor, quam quod Bongars. edidit, *quid inter silvas superesset?* Nam ratio ista generalis est, non silvarum propria. Adde quod non in *silvis* [ubi vehiculorum incommoda vectio] sed planitie morari soliti Scythae. unde *campestres* eos vocat Horat. III. Od. 24. BERNEC. — MSS. *quid inter sylvas superesset.* Editiones veteres: *quid salvum esset.* quas sequitur Berneccerus. Sed *inter sylvas*, quod retinent omnes MSS., non erat eiiciendum, sed reponendum suo loco cum Iuntis, apud quos recte legitur, *Nullum scelus apud eos furto gravius, quippe sine tecto munimentoque pecora et armenta inter sylvas habentibus quid salvum esset, si furari liceret?* Haerent hic viri eruditi sine caussa. Nam *inter sylvas* Latinissime dici pro *in sylvis* non puto exemplis hoc declarandum, cum obvia sint et trita. Nec frustra *inter sylvas* additur. Quid salvum esset, si furari liceret, cum sine tecto munimentoque in sylvis perpetuo degant cum pecoribus, *in sylvis*, inquam, in quibus facilius fures possunt latere, et grassari minore cum periculo in illic agentium bona. Hinc semper sylvae et luci fuerunt receptacula latronum, aliorum facultatibus et vitae insidiantium. Propterea cal-

lium et saltuum cura Romanis mandabatur magistratibus. Haec itaque verba, *inter sylvas*, augent id quod dixerat, Scythas non furari, quamvis furandi fenestram quasi aperiant sylvae, in quibus cum pecoribus vivant semper sine ullo tecto et munimento. MSS. quoque tres Anglicani stabiliunt hanc scripturam, quamvis *inter sylvas* non his verbis adiecta sint, sed sequentibus. Sic enim in illis extare testantur Oxonienses: *sine tecto munimentoque pecora et armenta habentibus, quid salvum inter sylvas superesset, si furari liceret?* Et sane haec quoque non potest damnari lectio, quamvis illorum librorum, quos Aldus et Iunta sunt secuti, sit elegantior. Graev. — Antiquiores Editiones Iuntarum, Becharii, aliaeque, *sine tecto munimentoque:* quod magis placet. Porro pro *quid salvum esset*, Bongarsius ediderat *quid inter silvas superesset.* Quod adeo non probatum fuit Berneccero, ut *τὸ inter silvas* prorsus elimininaret. Verum genuinum illud satisque commodum esse, dummodo inter proxime praecedentia consistat, ostendit Editio Iuntarum, quae, ut Cl. Graevius testatur, sic habet, *sine tecto munimentoque pecora et armenta inter silvas habentibus quid salvum esset?* Vorst. — Bongarsius ex MSS. pro his ediderat, *quid inter silvas superesset.* Graevius reponit, *pecora et armenta inter silvas habentibus quid salvum esset?* quod et Vorstio probatur. At ego vellem, respondissent obiectioni Bernecccerianae, qui dicit non ex eo nihil potuisse salvi esse, quod haberent pecora inter silvas, sed generatim, quod haberent sine munimento, et iccirco illud *inter silvas* otiosum esse. Addo, quod ne satis quidem commode dicatur *armenta habere inter silvas*, pro *in silvis.* Mihi lectio Bongarsii videtur optima, sed paulo aliter explicanda, quam accepta est a Berneccero, videlicet ut illud *superesse* non intelligamus simpliciter, sed eum respectu ad victum, quem vult nullum potuisse habere, si furta fuissent frequentia; et addit rationem, quia habitabant inter silvas, ubi nulla alia dabantur alimenta, quam ex solis pecoribus. Ut quid tale voluisse Nostrum credam, facit quod in MSS. legatur, *pecora et armenta et alimenta habentibus*, vel *pecora et alimenta habentibus;* liquet enim, praecessisse quid de alimentis, quod ostenderit non potuisse ea haberi sublatis pecoribus in ista silvarum feritate. Unde quoque putem locum totum ita esse scribendum: *quippe sine tecto munimentoque pecora et armenta alimenta habentibus, quid inter silvas superesset, si furari liceret?* Eleganter *armenta habentes alimenta*, de iis, qui pecora sua et armenta adhibeant in alimenta, qui alimenta ex iis capiunt. Scheff. — In nostris quatuor et plerisque aliis illud *inter silvas* transponitur, atque hoc modo legitur: *habentibus quid inter silvas superesset, si f. l.?* In Dorv. 2. et 3. aliisque *pecora et alimenta.* Franeq. *pecora et armenta alimenta:* quod congruit cum Schefferi coniectura, qua putat scribendum . . *pecora et armenta alimenta habentibus quid inter silvas superesset* etc. Ego vero hariolabar *pecora et armenta habentibus quid alimenti inter silvas superesset, si f. l.?* Wopkens. — Ed. Bech. omittit *τὰ inter*

*silvas.* Magl. tert. quart. Leid. *et armenta alimenta habentibus quid inter silvas superesset:* quam scripturam coniectura adsecutus fuit Schefferus. Med. Periz. *armenta habentibus q. i. silvas superesset.* Coll. N. *alimenta habentibus quid salvum esset.* In Chronico Reginonis, qui sub anno DCCCLXXXIX. hoc caput et partem sequentis transcripsit, legitur: *quippe sine tecti munimento pecora et armenta, alimentaque habent.* Abr. Gronov.

7. Aurum et argentum non perinde aspernantur. Ita Vett. omnes. Tacit. de Germanis cap. 5. *Possessione*, inquit, *et usu* (auri et argenti) *haut perinde afficiuntur.* Bongars. — Editiones quaedam veteres, et e Bongarsianis MSS. unus, forte melius, *perinde aspernantur ac reliqui mortales appetunt.* Qualis antithesis est etiam L. I. C. Theod. de Ann. et Tribut. *Auferri id sibi cum tanta instantia depoposcit, quanta alii poscere consueverunt.* Bernec. — Iuntae cum nonnullis MSS. et Edd. *Aurum et argentum perinde adspernantur, ac reliqui mortales appetunt.* Adstipulantur tres Anglicani. Graev. — Melius et elegantius impressi libri et manu descripti: *aurum et argentum perinde aspernantur, ac reliqui mortales appetunt;* vera lectio, et quae in textum ipsum operis recipi debuit. Faber. — Antiquiores editiones, ut Iuntarum, Becharii, aliaeque sic, *perinde aspernantur ac reliqui mort. appetunt.* Nec aliter unus MSS. quos Bongarsius vidit. Et mihi quidem hoc genuinum videtur. Vorst. — Iuntae ac alii, *argentum perinde aspernantur, ac*, quod probant Berneccerus, Graevius, Vossius, me non repugnante. Scheff. — Quint. Leid. et Bongars. Regino: *aurum et argentum non perinde ac reliqui mortales appetunt.* Quart. Leid. *perinde ut reliqui.* Abr. Gronov.

8. Lacte. Inde Homero Iliad. XIII. vs. 6. *γαλακτοφάγοι, lactivori.* Strabo lib. VII. et XI. addit carne, et caseo, equino maxime. Bongars.

9. Lanae iis usus etc. Sic lego: *Lanae iis usus ac vestium ignotus, quamquam continuis frigoribus urantur. Pellibus tamen ferinis aut murinis utuntur.* Particula *et* interposita ante *quamquam* totam loci sententiam turbat, quae plana fit ea sublata. Salmas.

Lanae iis usus ac vestium ignotus: et quanquam continuis frigoribus urantur, pellibus tamen ferinis aut murinis utuntur. Locus sine dubio corruptus. *Quanquam* enim et *tamen* non bene hic opponuntur. quod quivis videt. Bongarsius pro *tamen* rescripsit *tantum.* Acidalius vulgatam lectionem retinet, et *tamen* idem hic quod *tantum* esse existimat. Neuter eorum recte. Ex mala interpunctione et *est* in *et* mutato laborat locus. Itaque, me auctore, sic lege: *Lanae iis usus ac vestium ignotus est, quanquam continuis frigoribus urantur: pellibus tamen ferinis aut murinis utuntur.* Nihil planius. Boxhorn. — MS. Anglicanus: *lanae iis usus ad vestitum ignotus.* Sed haec interpolavit sciolus, qui nescivit per *ἓν διὰ δυοῖν lanae ac vestes* dici pro *laneae vestes.* Nullis utuntur

laneis vestibus, ut Graeci, Romani, ac pleraeque gentes, sed pelliceis tantum. Huius schematis ignoratio viros doctos quoque in errorem induxit, ut haererent in sequentibus, *pellibus tamen ferinis aut murinis utuntur*. ibi non male Iuntae pro *utuntur* scribunt *vestiuntur*, sed male pro *ferinis* reposuerunt *felinis*. *Ferinae* pelles sunt maiorum animalium, ut luporum, ursorum; *murinae* vero minorum, ut vulpium, leporum, cuniculorum, ut recte monuerunt viri docti. Graev. — Sic legerem: *Lanae iis usus ad vestem ignotus*. id est, vestibus utuntur quidem, sed non laneis, at pelliceis tantum. Falsum enim est veteribus illis Scythis vestium usum ignotum fuisse. Dices, vestes non habebant, sed pelles, queis pro veste utebantur; at hoc minus vere asseratur; nam braccas illud genus habebat; quin etiam vestem aliquando ad oculos usque adducebant, ut se a nimia frigoris immanitate tutarentur, in quam rem tam certus quam infelix testis esse potest Ovidius. Dein, si quis, neglecto aut ignoto lanae usu, sese pellibus tegat, an ille adeo vestem habuisse negabitur? At non habet laneam? Sed pelliceam habet. Qui serica aut bombycina veste utitur, non ideo nulla veste uti dicetur, quia laneam non habet. Faber. — Lego cum Salmasio, *quanquam cont. fr. ur.* expuncta vocula *et*, quae erat ante *quanquam*. Quod *urere* et frigus dicatur, etiam aliunde notum. Vorst. — Notat Vorstius, hoc *tamen* non opponi proximo, *quanquam urantur*, sed praecedenti, *vestium usus ignotus*, quod probum est. Sed omittit illud *et* ante *quanquam*, quod et Graevius facit. Quia tamen retinent antiqui libri, propterea scribendum censeo: *Lanae iis usus ac vestium ignotus est*, *quanquam continuis frigoribus urantur*. *Pellibus tamen* etc. Scheff. — Male contra fidem codicum, quibus etiam nostri omnes succinunt, copulam *et* omiserunt ante *quanquam*: ac bene etiam pro *tamen*, *tantum* legitur in Dorv. 1. aliisque. Scripsit ita haud dubie Iustinus: *Lanae iis usus ac vestium ignotus*, *et quanquam c. f. urantur*, *pellibus tantum ferinis aut m. u.* Porro illud *lanae ac vestium* non dicitur, ut cum Gronov. ad Liv. I. 32. putat Graevius, per ἓν διὰ δυοῖν pro *lanearum vestium*: vult enim Iustinus, nec laneis nec cuiuscunque alius materiae vestibus usos fuisse Scythas, quanquam continuis frigoribus urerentur. *Nudi, pellibus* (ferinis murinisve) *amicti* erant, ut loquitur Noster lib. XLIII. 1. 7. de simulacro Panos. Wopkens. — Med. Magl. sec. tert. quart. Leid. Bodl. Coll. N. ed. Ienson. Rom. Bech. Ven. Flor. Med. Paris. Ald. Iunt. *et quanquam continuis*. Bechar. *frigoribus utantur*. Coll. N. et C. C. ed. Rom. *pellibus tantum*, quomodo ex coniectura legebat Bongarsius. Ald. Iunt. *felinis*. Dein Coll. N. ed. Bech. Ven. Flor. Med. Paris. Ald. Iunt. *marinis vestiuntur*. Regino: *Et quanquam continuis frigoribus afficiuntur*, *pellibus tantum felinis aut murinis induuntur*. Abr. Gronov.

Pellibus tamen. Malim *tantum*. Pelles Nomadicas merces commemorat Strabo lib. II. de Hunnis Marcellinus *indumentis*, inquit, *operiuntur linteis*, *vel pellibus silvestrium murium consarcinatis*.

Bongars. — Mallet Bongarsius *tantum:* sententia certe requirit. Sed Val. Acidalius ad Vell. Pat. II. 28. 5. contendit et isthic et alibi passim in veterum scriptis *tamen* accipi quandoque pro *tantum*. Ipse viderit. Est hoc sensu apud Frontinum I. 1. 4. Liv. XXIX. 35. Ulpian. Tit. XXII. §. 9. Bernec. — Seneca Epist. XCI. *Non hodieque magna Scytharum pars tergis vulpium induitur ac murium, quae tactu mollia et impenetrabilia ventis sunt?* Hincque lucem accipit Claudiani versus ille:

*Castra cruore natant, moritur pellita iuventus.*

Prudentius autem huiusmodi pellitas vestes *mastrucas* videtur vocare, dum lib. II. contra Symmachum sic canit:

*Tentavit Geticus nuper delere tyrannus*
*Italiam patrio veniens iuratus ab Istro,*
*Has arces aequare solo, tecta aurea flammis*
*Solvere, mastrucis proceres vestire togatos.*

Neque aliud intellexit Caesar de Bell. Gall. dum nescio quos populos *rhenonibus* ait vestiri solitos. Sunt enim et hi nihil aliud, quam detractae feris pelles, ut recte tradit Isidorus. Mod. — Vir magnus *marinis* hic legendum suadet, cum et in Tacit. Germ. cap. 17. sit *de pellibus belluarum, quas exterior Oceanus gignit*. Vix persuadet: magis Turnebus Adversar. XV. 23. *mures* antiquos intellexisse non tantum domesticas illis bestiolas omnia rodentes ac penori infestas, sed et silvestres ferasque bestias minoris formae pelle commendabiles: quo in genere sunt *Martes* et *Hermelinae*. Facit huc illud Senecae Epist. XC. 38. *Magna Scytharum pars tergis vulpium induitur ac murium, quae tactu mollia et impenetrabilia ventis sunt.* Eginhardus in vita Caroli M. *Ex pellibus lutrinis vel murinis thorace confecto humeros ac pectus hieme muniebat.* Ammianus XXXI. 3. Hunnis item *indumenta* tribuit *ex pellibus silvestrium murium consarcinatis:* ubi Notas eruditissimas V. C. Fr. Lindenbrogii vide. Ceterum de pelliceis tegumentis huc pertinentia multa, nec aspernanda, congessit Hieron. Magius Miscell. III. 7. Bernec. — In quibusdam codicibus legitur *felinis*, pro *ferinis*. Totum autem hunc locum sic emendavit Cl. Salmasius: *Lanae iis usus ac vestium ignotus, quanquam continuis frigoribus urantur. Pellibus tamen ferinis aut murinis utuntur.* Scythas enim, sive Parthos, murinis pellibus, conficiendis tunicis usos fuisse, testatur Hesychius: *Σίμωρ παρὰ Πάρθοις καλεῖταί τι μυὸς ἀγρίου εἶδος, οὗ ταῖς δοραῖς χρῶνται πρὸς χιτῶνας.* Huiuscemodi tunicas *μυωτοὺς* appellabant. Sed non possum hic praeterire, quae de hoc animali ad me perscripsit vir divinus Cl. Salmasius: De Simore, inquit, verum est, quod tibi in familiari sermone dixi, hodieque a Persis hoc nomen dari animalculo cuidam parvo feli non dissimili. Arabes سمّور *Simmor*, cuius pellem calidiorem esse corpori humano, quam cuiuslibet alterius animalis, scribunt, sed nec eodem modo praeparari. Puto esse, ut illud animal describunt, quam Martem Zibellinam vulgo

appellamus, Hungari et Poloni, Germanique, *Sobel*, vel *Zobel*. Sed ut feli similis sit haec bestia, non ideo tamen admiserim scripturam, quam in quibusdam scriptis Iustini exemplaribus reperiri ais, *felinis aut murinis*. Quis enim non videt, ab imperito aliquo esse excogitatam, qui cum videret, murinas ibi pelles nominari, statim putavit *felinas* pro *ferinis* dicendas, quas auctor una commemoraret? Atqui certum est veteres Latinos murium nomine, cum *murinas pelles* dixere, et feles ipsos, omne genus domesticos ferosque comprehendisse, et maiora etiam animalia, quorum pelles ad vestitum usurparentur. Cum pantheras Romani mures Africanos vocarunt, nonne earum pelles murinas posse vocari verisimile est? Puto tamen Iustinum per *murinas pelles* intellexisse minorum omnium animalium, ut sunt martures, meles, feles feri, vulpes, simores Parthici, et alia. per *ferinas* vero, grandiorum ferarum, ut sunt lupi, leones, leopardi, et similia. Ammianus Marcellinus XXXI. 2. notat, *Hunnos indumentis operiri linteis, vel ex pellibus silvestrium murium consarcinatis.* Ad quem locum Henr. Valesius scribit has pelliculas odoratas fuisse, et citat Hieronymi verba, quae de alio plane muro intelligenda. Nam animal Moschi etiam mus est, et Zibethum quoque murem appellarunt, sed eorum pellibus ad vestitum non sunt usi, et silvestres illi mures, ex quorum pellibus sibi vestes Hunnos consarcinasse tradit Marcellinus, de martibus vel marturibus accipiendi, et vulpeculis, quarum hodieque in illis pelles ad amictum expetuntur, et in alium orbem, nostrumque, inde importantur. Hactenus Salmasius. Voss. — Quidam MSS. habent *felinis*, quod est, cur non videtur contemnendum. Et certe mures etiam sunt ferae, adeoque pelles eorum ferinae. Nihil tamen temere mutandum, quia *ferinae* pelles hic intelligendae de feris maioribus, ut *murinae* de minoribus. Scheff. — Quod adversum huic est, id non in proximis illis *quanquam continuis frig. urantur;* sed in paulo remotioribus apparet; et quidem in his: *Lanae iis usus ac vestium ignotus.* Et fit sane ut *tamen* ipso periodi initio ponatur. ut II. 4. 30. *Receptaculum tamen habuere castra sociorum.* et XXIX. 4. 9. *Omnibus tamen propediem auxilium se missurum pollicetur.* Vide et Nepotem II. 8. 1. et Valerium Max. VIII. 1. 10. Porro pro *utuntur* ex antiquioribus editionibus malim legere *vestiuntur*. ut hoc sit pro *vestiunt se*. Ita *lavari* dicunt pro *lavare se*, et *exerceri* pro *exercere se*, et infinita id genus alia. Vorst. — Mallet *vestiuntur* Vorstius. Atqui praecesserat *vestium usus ignotus iis*. Si vestium usus ignotus fuit, ergo ne vestiebantur quidem: hoc enim verbo ille vestium usus exprimitur. Retinendum ergo illud *utuntur*, et accipiendum de usu qualicunque, qui in vicem vestimentorum adhibebatur. Hoc vult, non habuisse arte quadam confectas vestes, sed pelles illas quoquo modo iniecisse corpori, eis corpus quoquo modo circumdedisse, atque ita defendisse a frigore. Scheff.

Morum quoque iustitiam edidit. Hoc est, peperit. Cic. *qui nihil possunt dignum hominum auribus efficere atque edere.* Apud

eundem est *edere magnam ruinam*, *edere fructum*. Iuntina tamen: *morum quoque iustitiam dedit*. et Oxonienses ex duobus MSS. *morum quoque iustitiam addidit*. Sed *addere iustitiam* Latinis genus loquendi est insolens. Graev. — Quamvis *edere*, pro parere, facere, non sit alibi infrequens, ideoque scripturam hanc probet Graevius, praestat tamen, cumque Iustini more unice congruit verbum *dedit*, quod hic in Iunt. et Dorv. 1. et 3. est. Lib. III. 5. *Messenii autem non timorem res, sed aemulationem mutuam* dedit. Lib. XII. 11. *Tantam . . huic exigendi supplicii constantiam disciplina militaris* dabat. Lib. XLI. 4. *Huius defectionis impunitatem illis duorum fratrum . . discordia* dedit. Sic lib. VII. 5. 2. lib. XIII. 5. 13. et alibi. Nec, pro insolenti Latinis loquendi genere, reiicere vir laudatus debuit *iustitiam addidit*, quod ex duobus MSS. ediderunt Oxonii; quum *addere* sic passim pro dare occurrat. Sallust. Cat. cap. 58. *Compertum ego habeo, milites, verba virtutem non* addere. ubi consule Intt. uti et quae infra ad cap. IV. huius libri observabo. Wopkens. — Med. Magl. sec. Leid. Periz. ed. Iens. Rom. Bech. Ven. Med. Paris. Ald. Iunt. *dedit*. Ita Saxo lib. XIV. pag. 250. *Ita Erico et populi favor et pueri maiestas vires regias dedit*. Ed. Oxon. *addidit*. Utroque modo loquitur Hegesippus lib. V. cap. 12. *Iudaeis desperatio audaciam dabat: Romanis gloriae cupiditas virtutem addebat*. Abr. Gronov.

Quippe ibidem divitiarum cupido est. Med. sec. quint. Leid. Bodl. et Vincentius lib. I. cap. 88. *quippe ibi div.* Periz. ed. Rom. Mediol. Ald. Iunt. *q. div. cupido ibi est*. Abr. Gronov.

11. Moderatio et abstinentia. MSS. *moderatio abstinentiaque*. Abr. Gronov.

13. Neque plus hominum ferrum et arma, quam naturalis conditio fatorum raperet. Infra VI. 8. 8. *Qui partim fato, partim ferro periere*. et XXXIX. 4. 6. *Spiritum non fato, sed parricidio dedit*. Ergo *fato perire*, *fato spiritum dare*, et *naturalem fatorum conditionem rapere aliquem*, illud est, quod nos dicimus *natürliches Todes sterben*. Tacitus Ann. II. 71. 2. dicit *fato concedere*. Vorst.

14. Quod Graeci — consequi nequeunt. Periz. *nequiverunt*. Abr. Gronov.

Incultae barbariae. Oxonienses ex uno Codice malunt *incultae barbariei*, et mox pro *proficit*, ex duobus *profecit*. sed causae nihil est ut ab aliis Codd. et Vulgatis discedamus. Graev.

## CAP. III.

1. Quaesivere. Hoc est, acquisivere, pro composito simplex. Ita supra I. 9. 13. Vell. Paterc. II. 18. 7. et alii. Bernec. — *Quaerere* pro acquirere frequens Nostro. ut II. 4. 9. *pace armis quaesita*. Cetera loca vide in Indice: ubi et alios sic locutos invenies. Vorst.

2. Turpi fuga. Eadem prope verba infra VII. 8. 1. Vorst.

4. Zopyriona. Cum Graeci scribant *Ζωπυρίων*, et in antiquioribus typis expressis, imo et MSS. quibusdam nomen hoc per Z scriptum reperiatur, non video cur scribendum potius sit *Sopyrion*, quomodo hic et alibi edidit Berneccerus. Vorst. — Adstipulatur ceteris Iuntina. Graev.

6. Parthicum et Bactrianum imperium ipsi condiderunt. Haec verba omnino delenda; sunt enim petita ex huius libri initio, ubi sic scriptum est: *quippe cum ipsi Parthos Bactrianosque condiderint.* ubi studiosus aliquis ad imam paginam, ut fit, quia phrasis ipsa esset paulo insolentior atque minus consueta, *condere Parthos*, *condere Bactrianos*; glossema suum addidit: id est, *parthicum et Bactrianum imperium ipsi condiderint.* quae verba posterius in contextum operis sine iudicio recepta sunt. Ut ut erit, ut ut iudices, sunt isthaec expungenda; et fontem ipsum erroris videor aperuisse. Ad id confirmandum quod a me dictum est superius, delendam esse scilicet lineam illam, *Parthicum et Bactrianum imperium ipsi condiderunt*, hoc apprime facit, quod in impressis quibusdam legitur, *Mox Parthicum et Bactrianum* etc. ubi nemo non videt, isthuc *mox* ex barbaria illorum seculorum natum esse, pro *modo*, seu *paulo superius* etc. Quo glossemate studiosus, aut alios, aut se ipsum, ad locum illum superiorem remittebat; at tu, lector, cogitabis. Faber.

7. Gens et laboribus et bellis aspera. Hoc genus loquendi, ut perquam Auctori nostro, sic et aliis Scriptoribus placuit, nempe ἓν διὰ δυοῖν. Pro quo XIII. 1. *labores bellicos.* Sic tamen et Ovid. III. Met. 32.

*Martius anguis erat cristis praesignis et auro.*

Et Virg. XI. Aen. 126.

*Iustitiaene prius mirer, belline laborum?*

Supra cap. 2. *Lanae ac vestium usus.* et XII. 6. *Quantum fabularum et invidiae.* Gronov. — MSS. aliqui *et laboribus et bellis*, quod non displicet, ob emphasin oppositionis, quae perit paene per omissionem coniunctionis alterius, cum praesertim *labores* significatione strictiori notent molestias in pace, ex incerto isto cultu agrorum et laboriosa pastione pecorum, de quibus cap. praec. Scheff.

Nihil parare. *Parare* pro *parant;* infinitum pro finito. Sic et XXXVI. 4. 2. et XLI. 3. 8. Vorst. — *Parare* pro *parant*, inquit Vorstius. Mallem ego cum sequenti *concupiscunt* construere. Scheff. — Tres Anglicani *paravere.* Graev.

Nihil victores etc. Supra I. 1. 7. Pulchra in hanc rem dissatio Phil. Camerarii Hor. Subcis. Centur. I. 78. Bernec.

8. Primus Scythis bellum indixit. Oxonienses ex uno codice ediderunt, *bellum intulit.* Graev.

Vexoris. Ita boni libri: alii *Vixeris:* quidam *Besoxis.* Orosius MS. I. 14. *Vesoges.* Florentina editio hoc loco et I. 1. 6. supposuit *Sesostres*, contra libros, opinor, quia Herodotus lib. II. refert,

eum Scythas subegisse. Iornandi est *Vesosis*. Bongars. — Med. quint. Leid. MS. Bongars. *Besoxis*. Editiones, quas vidit Bongarsius, et Ald. *Sesostres*. Lege, *Sesostris*. Idem nomen pro *Vesosis*, *Vexoris* vel *Vexosis*, quomodo legitur in MSS., restituerunt Viri docti supra I. 2. 6. Abr. Gronov. — Lege quoque hic, ut supra, *Sesosis*. Sed miror equidem, quod Iustinus hic dicat, Scythas vicisse Sesosin, sive Sesostrem, et in regnum repulisse; cum Herodotus, Dicaearchus, Diodorus Siculus, et alii prodiderint hunc Scythas subegisse, omniumque, quas adierit, gentium fuisse victorem. Trogum tamen secutus est Valerius Flaccus lib. V.

*ut prima Sesostris*
*Intulerit rex bella Getis, ut clade suorum*
*Territus, hos Thebas, patriumque reducat ad amnem;*
*Phasidos hos imponat agris, Colchosque vocari*
*Imperet.* Voss.

Lenonibus. Hanc vocem omnes, praeter unum, veteres agnoscunt, et probat P. Danielis MS. Glossarius. *Leno, id est, mediator*, inquit. *qui apud Italos dicitur Ambassator. Unde Trogus Pompeius in secundo Historiarum: Praemissis lenonibus, qui hostibus parendi legem indicerent.* Bongars. — Nec abeunt glossae Isidori. Neque vero mirandum *lenones* flagitii propudiique ministros, de re honesta usurpari: sicut contra *conciliator* et *conciliare*, voces honestae, ad hoc turpe ministerium postea sunt traductae. Nam et Plato in Gorgia, coquo oratorem assimilat. Certe Socrates apud Xenophontem in Convivio testatur, uno *lenocinio* se confidere vel maxime. ea est ars conciliandi amicitias. Atqui ea Legati ars est inter praecipuas. vide Burdelot. in Petron. pag. 203. m. Bernec. — Reposuerunt Oxonienses ex tribus MSS. veterum editionum scripturam, *missis primo legatis*, quam et Iuntina agnoscit. Sed cum *lena* in bonam accipiatur partem pro conciliatrice, ut apud Ovid. *Maxima lena mora est;* et *lenocinium* apud Nostrum XI. 12. *Nec a se quicquam factum in hostis adulationem, nec quod in dubios belli exitus, aut in leges pacis sibi lenocinia quaereret.* hoc est, quae facilius sibi pacem sint conciliatura, et veniam impetratura. et *lenocinari* saepe. Cic. de Orat. *ipsa sollicitudo commendat eventum, et lenocinatur voluptati:* cur ergo non *leno* quoque in bonam accipiatur partem, pro pacis conciliatore? Igitur non repudianda lectio, quam in antiquissimis libris eruditi viri invenerunt. Graev. — Scribendum est *legatis*, non *lenonibus*. Cur ita sentiam duae res faciunt. Prior, quod iam dicet Iustinus, *Scythae legatis respondent*, non *lenonibus;* altera quod ita in duobus MSS. legitur. Aliud item est amplius quod moneam: pro *missis primo*, legendum *praemissis;* ut lib. IX. *Scythica bella aggreditur, praemissis legatis.* Quare autem isthuc *primo* non placeat, facile videas. Si enim *primo* ponas, oratio postulat ut addas, *mox*, *dein*, *post paulo*, et quae sunt eius generis. Faber. — Antiquiores editiones, *missis prius legatis*. sed Bongarsius subiecit *lenonibus*, quod in omnibus

MSS. praeter unum, id reperiret. Ipse tamen Iustinus mox et *legatos* appellat. Vorst. — Tert. Leid. *primum.* sec. quint. et Med. cum Bodl. Periz. Coll. N. ed. Ienson. Rom. Bech. Mediol. Ald. Iunt. Orosio lib. I. cap. 14. atque Freculpho I. 11. 16. *prius.* Reg. a pr. m. et pr. Leid. *leonibus:* Reliqui MSS. et Reg. a sec. m. praeter tertium Leidensem, qui a vulgato stat, dant *legatis;* eamdemque vocem exhibent edd. Ienson. Rom. Bech. Ald. Iunt. aliaeque. Orosius et Freculphus: *leges dicerent.* Med. tert. quint. Leid. Bodl. Coll. N. *legem dicant.* Abr. Gronov. — Cum novem MSS. ex quibus *legatis* pro *lenonibus* restituit A. Gronovius, faciunt etiam tres Dorvillii. Cur autem Faber *praemissis legatis* legeret, non satis illa valet ratio, quod post *primo*, *deinde*, *mox* aut tale quid sequi deberet. Lib. XII. 7. *Quod* primo (i. e. ante) . . *distulerat.* Liv. XXXIX. 32. *Et ab repulsis eo magis debitum, quia* primo *negatus erat, honorem repetentes.*

Legem dicerent. Eodem modo Liv. XXIII. 49. *Neminem alium quam ipsos legem dicturum.* Gronov.

10. Tam opulenti populi ducem. Non prorsus damnandum, quod Dorv. 3. habet *tam opulento populo ducem.* Frontinus Strat. II. 5. 10. *Alexander* dux (sic enim malim, quam *rex*) Epirotis *adversus Illyrios . . quosdam ex suis* etc. Dictys Cret. IV. 9. Queis dux *Alexander cum reliquis fratribus militem ordinat, atque adversum pergit.* et lib. III. 10. *Meges etiam et Agapenor, alter* Echinadibus imperator, *Agapenor Arcadiae.* Quod olim iam contra Vindigium defendimus. Wopkens.

Stolide. MS. *colendi.* Unus *italido*, quod ad vulgatam lectionem proxime accedit, quam sequutus est Orosius. Hic locus explicat, quod Scythicus legatus apud Curtium VII. 8. 27. ait *suis patuisse iter usque in Aegyptum.* Bongars. — MSS. plures hic habent *colendi*, aliquis et *italido*, unde suspicabar Nostrum forsitan scripsisse *calide*, eo sensu, quo imprudenter, incogitanter, et praecipitanter factum denotat, et quomodo *calida consilia* ipse Cicero usurpat. Sane illud *stolide* durius videtur, quam ut negotio huic conveniat. Scheff.

11. Belli certamen. Alii habent *bello*, unde quis coniiciat, id verbum hic intrusum ex glossa, cum praesertim paulo ante praecedat idem vocabulum in istis, *occupasse bellum.* Scheff. — Quia modo praecesserat vox *bellum*, et in quibusdam MSS. est *bello*, intrusum illud verbum de glossa putabat Schefferus. Sed quod *bello* saepe dicitur pro in bello (vide ad lib. XVI. 3. 5.) hinc facile a librariis *bello* rescribi potuit. Et ad recursus istius modi vocum saepissime connivendum in Iustino aliisque, maxime quidem ubi non vehementius, quam hoc in loco, lectoris aurem offendunt. Vide infra ad cap. VI. 16. *Belli* autem *certamen* rursum dixit Noster lib. XVII. 3. et lib. XX. exeunte. Cicero de Finib. V. 8. *Nos grave* certamen belli *cladem que tenemus.* Plancus Cic. Famil. X. ep. 18. Si . . *ipse a* certamine belli *tam necessarii me removissem.*

Livius XXXVI. 19. *In ipso* certamine pugnae. Ovidius Metamorph. XII. 180.

*Qua tibi militia, cuius* certamine pugnae
*Cognitus?*

Hegesippus V. 4. *Domestico foedere sequestrata civilium* bellorum certamina. Id genus sunt *dimicatio praelii*, *belli discrimen* et alia. Conferatur etiam Livius lib. V. 32. Bellum *numero hostium ingens*, certamine *haud sane asperum fuit.* Lib. IX. 39. *Gladiis pugna coepit*, *et* . . *ipso* certamine *accensa est.* Lib. XXI. 60. *Nec magni* certaminis *ea* dimicatio *fuit.* Plin. VI. epist. 13. *Quantum nos in ipsa* pugna certaminis *maneat.* ubi frustra est Cortius, observante etiam doctissimo G. O. Reitzio in Specim. Pseudosynon. Wopkens.

12. Igitur non exspectaturos Scythas, dum ad se veniatur. *Dum* pro donec, ut apud Terentium Andria V. 6. 13. *Longe est nos illum exspectare*, *dum exeat.* et Eunucho V. 6. 16. *Nec exspectetis*, *dum exeant huc.* Sallustium fragm. I. 14. *an exspectatis*, *dum exercitu rursus admoto*, *ferro atque flamma urbem invadat.* Paulum ICtum L. 63. D. ad Leg. Falcid. *nec expectandum est*, *dum vendat.* Infra XIII. 2. 6. *nec exspectandum*, *dum reges nascerentur.* ubi ed. Rom. *ut reges;* nec aliter hoc loco ed. Bech. Ven. Flor. Med. Paris. Ald. Iunt. *ut ad se veniatur.* Ita infra h. l. cap. 11. 12. *nec exspectandum*, *ut ab hoste circumvenirentur.* Tacitus lib. I. Hist. cap. 33. *non exspectandum*, *ut compositis castris forum invadat.* Curtius lib. IX. cap. 3. init. *Exspectabant*, *ut duces principesque ad regem perferrent* etc. Abr. Gronov.

Ultroque praedae ituros obviam. Elegantius *nobis obviam ire praeda* dicitur, quam *nos praedae obviam ire;* videturque ideo cum prisca ed. et Dorv. 1. 2. legendum h. *prodituros obviam*, ut *ultro obviam procedere* dixit lib. XIV. 6. Iustinus. Cicero pro Murena cap. XXXIII. *Multi* obviam prodierunt *de provincia decedenti.* Philipp. Orat. II. cap. XXIV. *Quam ex oppidis municipales* . . obviam *necessario* prodeuntes . . *Volumniam consalutabant.* ad Famil. III. ep. 7. . . *Ut tibi* obviam prodire *possem* . . . *An ego tibi* obviam *non* prodirem? Cum vulgata tamen lectione confer Florum III. 8. *Sed quum venientem* . . *classem prospexissent*, praedamque *putantes*, *ausi etiam occurrere.* Wopkens.

13. Nec dicta, res morata. Ita Florus III. 3. 9. *Nec segnius quam minati fuerant* etc. Bernec. — Ovid. IV. Metam. 549.

*Res dicta sequuta est.*

Et Apoll. Rhod. IV. Argon. 103.

Ἔνθ' ἔπος ἠδὲ καὶ ἔργον ὁμοῦ πέλεν ἰσσυμένοισιν.

Gronov. — Livius II. 65. *Conclamant se ituros*, *clamoremque res est secuta.* Ovidius Metam. IV. 549. *Res dicta secuta est.* Quem locum iam adscripsit Gronovius. Wopkens.

Quos cum tanta celeritate venire Rex addidicisset etc. *Audivisset* habet Dorv. 3. Primus autem et secundus cum Bodleiano

*didicisset*, quod genuinum esse puto. Atque ita pro *viderunt* ex Dorv. 1. et 3. *didicerunt* libenter substituerem in his infra cap. IX. *Quos ubi* viderunt *quatridui teneri religione* etc. Frequens autem Iustino verbum *discere* pro rescire. Sic rursum cap. X. *Quod ubi primum* didicit *Demaratus rex* etc. lib. V. 9. *Quod cum displicere . . Therameni* didicissent etc. et alibi. Wopkens. — Med. Magl. sec. quint. Leid. Coll. N. ed. Iens. Rom. Bech. Ven. Flor. Med. Ald. Iunt. *didicisset*. Ita infra XXVII. 1. 4. *cum ad se interficiendam missos didicisset*. et XXIX. 4. 11. *quem ad Romanos sociorum animos sollicitare didicerat*. Abr. Gronov.

In regnum se recepit. Angli ex tribus MSS. *in regnum trepidus se recepit*. Sic et editio Iuntina. Graev.

15. Asiam perdomitam vectigalem fecere. Hegesippus lib. V. cap. 16. pag. 355. ed. Colon. *Nostri sacerdotales infulas Babyloniis vectigales fecere*. Saxo lib. VIII. pag. 147. 41. *Iutiam vectigalem effecit*. Abr. Gronov.

16. Per legatos denuntiantibus. *Denuntiantium*, Iuntae et MS. Graev. — *Per legatos denuntiantibus*, id est, *cum illae denuntiarent*, idque per ablativum liberum et absolutum, ut vocant. Scio quidem ex regulis artis scribendum fuisse *denuntiantium*, sed et sic alibi locutus est Iustinus, ut XVIII. 1. *Additis Samnitium et Lucanorum precibus, et ipsis auxilio indigentibus*. ubi manifeste dicere debuisset *indigentium*, si praecepta Grammaticae, quam animi sui iudicium, sequi maluisset Iustinus; sed aliter eum locum interpretari debes, sic videlicet: *cum et ipsi Lucani auxilio indigerent*. Ita VI. 2. *Sed Cononem seditio* militum *invadit . . . eo instantius debita* poscentibus, *quod* etc. En tibi et aliud exemplum XXX. 3. *Huc accedebat quod* Romani *Poenis, et Annibale superato, nullius magis arma metuebant*, reputantibus, *quantum motum Pyrrhus parva manu Macedonum in Italia fecisset*. Vides, *Romani . . . . . reputantibus*; quod posterius abstractum est et divulsum a suo subiecto, *Romani*: neque hoc loco variant editiones ullae, neque Codices MSS. Et tamen istud *reputantibus* pro corrupto haberi debere crederes, nisi hanc loquendi consuetudinem secutus esset Iustinus. Addo amplius, quod ego inprimis animadvertendum arbitror: ut interdum ablativis liberis utitur Iustinus, ita et nominativis. XXII. 4. *Huius consilii non minus admirabile silentium quam commentum fuit, populo hoc solum* professus, *invenisse se victoriae viam* etc. Ibi enim *professus* nominativus est absolutus. Ita et alibi: *Haec* considerans, *pigere* eum *coepit*. pro, *Cum haec consideraret, tum eum pigere coepit*. Est quoque aliud exemplum in VII. cuius haud equidem commemini satis. At in XI. 7. hoc expressum est, et disertum: Percontatus *eam quem potissimum augurem consuleret*, illa *respondet* etc. Denique et multa eius generis apud Homerum literarum parentem animadverti; sed in hoc oppido Graecos characteras non habeo queis uti possim nisi invitus. Faber. — Aliquis Cod. MS. et antiquiores typis expressi, ut Iuntarum, Becharii et alii, habent

*denuntiantium:* id quod Graevio et placet. Et assentirer ipse, nisi auctorem et alibi casu sexto participii ita usum, et casum sextum pronominis subaudiendum reliquisse scirem. Infra VIII. 5. 10. *Verentibus ne ipsae lacrymae pro contumacia haberentur.* Rursus XXIII. 2. 5. *Ex qua desperatione bellum inter filium nepotemque eius, regnum iam quasi mortui vindicantibus, oritur.* ubi Graevius ex editione Iuntina legere mallet *vindicantes.* Sed vide plura id genus infra in Notis ad VIII. 5. 10. Vorst. — Alii *vindicantium.* Sed mutandum nil videtur. Consule Vorstium h. l. Scheff. — Licet *denunciantium* elegantius cum Orosio I. 14. Iunt. et MSto, quibus etiam Dorv. 1. et 3. consentiunt, legat Graevius; recte tamen Vorstius ac Faber ablativum istius modi absolutum hic adservant, et illustrant ex lib. VI. 2. 11. lib. VIII. 5. 10. lib. XVIII. 1. 1. lib. XXIII. 2. 6. et lib. XXX. 3. 2. Quibus addi potest lib. XIII. 2. *Ceterum, occiso Alexandro, non . . securi fuere, omnibus unum locum* competentibus. i. e. s. fuere, unum locum competentes. et cap. 5. *Quod plurimi non legibus pulsi patria, sed per factionem principum fuerant,* verentibus *iisdem principibus* (sic maluit quam *verentium*) *ne revocati* etc. Vulg. Lucae Euang. IX. 34. *Et timuerunt,* intrantibus *illis in nubem.* i. e. dum intrant in nubem. Actorum Ap. III. 13. *Quem vos quidem tradidistis, et negastis ante faciem Pilati,* iudicante *illo dimitti.* Liv. XLIV. 11. extr. *clamorem alacres gaudio repente tollunt,* aliis *parte alia in urbem* irrupturis. ubi Gron. coniiciebat, *alii . . irrupturi.* Vide et quae infra ad lib. XXIV. 3. 7. *Denuntiantibus,* pro illis denuntiantibus, per ellipsin itidem sibi amatam dixit Iustinus. Lib. VII. 3. *Quae ut venerunt, petulantius* contrectantibus (eas Persis,) *filius Amyntae Alexander rogat patrem* etc. ubi plura damus. Wopkens. — Magl. *denuntiantes.* sec. tert. Leid. Periz. ed. Ienson. Rom. Bech. Ald. aliaeque, *denunciantium.* Orosius lib. I. cap. 15. et Freculphus d. l. *ubi per XV annos sine pace immorati, tandem uxorum flagitatione revocantur, denuntiantium.* Uterque tamen scripsisse videtur *denuntiantibus,* quomodo scriptum in duobus Florentinis Orosii, et secundo Leidensi Freculphi. Abr. Gronov.

Nec passuras, ut in posteritatem. Freinshemius rescribit ita, *nec passuras in posterum, ut* etc. Bene, ut puto. si tamen Iustinus ita scripsit, qui non ubique nimis bene. Bernec. — Io. Peyraredus, nobilis Aquitanus, legit, *nec passuras, ut sine posteritate* etc. Voss. — Freinshemius legi mallit, *in posterum;* idque ante *ut,* hoc modo: *nec passuras in posterum, ut Scyth. g. per fem. intercidat.* Verum quia nullus MS. qui sic habeat, laudari potest, retinendum potius *in posteritatem.* Quod tamen nihil aliud hic esse potest quam *in posterum, deinceps.* Vorst. — Cogitandum, an non a Iustini manu fuerit, *in posteram aetatem,* post compendiose scriptum, *in poster. aetatem,* mox coniunctim *posteraetatem,* et sic factum *posteritatem.* Scheff. — Coniiciunt pro *in posteritatem* rescribendum *in posterum, sine posteritate,* vel *in posteram aetatem.*

Sed *in posteritatem* hic dicitur pro in posteram aetatem; ut Cicero in Verrem lib. III. 55. *Cum vero . . salus urbis atque exercituum nostrorum* in posteritatem *istius avaritia interierit*, *saltem* etc. Catilin. Orat. I. cap. XII. *Certe verendum mihi non erat*, *ne quid hoc parricida civium interfecto*, *invidiae mihi* in posteritatem *redundaret*. et cap. IX. *Tametsi video . . quanta tempestas invidiae nobis*, *si minus in praesens tempus . . at* in posteritatem *impendeat*. ubi immerito Wasseus ad Sallust. pag. 158. reponebat *in posterum*. Confer Tacit. Annal. VI. 46. *Quippe illi non perinde curae gratia praesentium*, *quam* in posteros *ambitio*. Vide et lib. XI. 6. Wopkens. — Freinshemius malebat, *in posterum*, et Schefferus, *in posteram aetatem*. Praestat vulgatum. Cicero Orat. III. in Verrem cap. 55. *cum res frumentaria*, *commeatus*, *copiae*, *salus urbis atque exercituum nostrorum in posteritatem illius avaritia interierit*. Abr. Gronov.

17. His igitur Asia per mille quingentos annos vectigalis fuit. pendendi tributi finem Ninus rex Assyriorum imposuit. Hoc etiam arripere poterant isti Praeadamitarum somniatores. Hinc enim planissime conficitur, Scythas invasisse Asiam meridionalem annis mille quingentis (non adeo multi desunt) ante diluvium universale; quod quale sit omnes videre possunt: cum illa eluvies acciderit anno mundi M. DC. LVI. et post paulo regnarit conditor ille Assyriorum Ninus. Sed haec, uti dicebam superius, inter fabulas referre, quam inter certa et stabilia veteris historiae monumenta multo fuerit consultius. Nam isthuc plane verum est, Ethnicorum antiquitatem totam pene fabulosam esse; quod primi illi Ecclesiae Christianae Doctores multis saepe argumentis probavere. Faber.

18. Pendendi tributi finem — imposuit. Sic Hegesippus IV. 33. *Vix* finem necandi *furentibus militibus* imposuit. Quinctil. Declam. CCCXXIX. *Bene scilicet de republ. meruit*, *quod aliquando* finem imposuit *harum* calamitatum. Valer. Max. I. 8. 2. *Cum* finem *tanti et tam diuturni* mali *neque divina misericordia*, *neque humano auxilio* imponi *videret*. ubi non est, cur Vorstius mallet ex quodam MS. *tanto et tam diuturno malo*. Sulpicius Severus Epist. IV. cap. 10. *Ego . . praemonui*, *vae his qui iungunt domum ad domum*, *ut* modum cupiditatis imponerem. ad quem loca alia. Wopkens.

## CAP. IV.

1. Duo regii iuvenes. Totum hunc locum confer cum Oros. I. 15. Et de Amazonibus quaedam Herodot. IV. Multa Diodorus II. et Strabo II. qui haec fabulosa iudicat. Vide et Ammianum XXII. et Eustathium in Dionysium, et Stephanum in Ἔφεσος. Bongars. — Y*linon* Orosius, ubi haec excerpsit, id est, lib. I. cap. 15. vocat *Plinon*. Estque ita in antiquioribus quoque typis expressis. Vorst.

Ylinos et Scolopitus. Meliores MSS. *Scolopitos*, vel *Scolpitos*, terminatione Graeca, quam in priori nomine etiam adhibuit auctor. Abr. Gronov.

2. Cappadociae ora. Orosius *Cappadociae Ponticae ora*. Legendum ex MS. *Pontique*. Bongars.

Thermodonta. Hinc et Ovid. IV. ex Ponto Epist. 10.

*Et tu femineae Thermodon cognite turmae.*

Et Propert. III. Eleg. 2.

*Qualis Amazonidum nudatis bellica mammis*
*Thermodonteis turba lavatur aquis.*

Gronov. — Iuntae: *Thermodoonta*. Utrumque dicitur, *Thermodon* et *Thermodoon*. Graev. — Diodorus Siculus IV. 16. *In Pontum vela facit* (Hercules) *et Thermodontis fluvii ostiis invectus prope Themiscyram urbem, in qua regia Amazonum erat, castra ponit.* Stephanus *περὶ Πόλ.* *Θεμίσκυρα πόλις ἣ ἐστιν ἀντίον Θερμώδοντος, καὶ οἱ οἰκοῦντες τὴν χώραν Θεμισκύριοι.* Legendum autem non ut quidam edidere, *Themiscyreos*, sed *Themiscyrios*. Id enim et analogia requirit, et, ut Bongarsius in V. L. notavit, habent codices MSS. Sed et Orosius praedicto loco habet, *campis Themiscyriis sibi subiectis*. Sed idem Orosius *τὸ subiectos* non recte cepisse videtur; neque enim Iustinus ipse habet *sibi subiectos Themiscyrios campos*, sed *subiectosque:* ipsumque encliticum *que* argumento est, Iustinum *τὸ sibi* non addidisse. Vorst. — Coll. N. *in Cappadociam Pontice ora*, vitiose pro *in Cappadociae Ponticae ora*. *Cappadocia Pontica ἡ πρὸς τῷ Πόντῳ Καππαδοκία* a Strabone lib. XII. init. dicitur. Orosius ex duobus Flor. ed. Ven. et Freculphus, *in Cappadociae Ponticae ora*. Ed. Ven. Flor. Med. Paris. Ald. Iunt. *Thermodoonta*. Orosius, *Thermodoontem*. Freculphus, *Thermodontem*. Otto Frisingensis lib. I. Chron. cap. 23. *in Ponti et Cappadociae oris iuxta Thermodoontem consedere*. Abr. Gronov.

3. Ibi per multos. Bodl. *Hi per m.* Abr. Gronov.

6. Singulare omnium seculorum exemplum. Auxere remp. sine viris. Cum MSS. omnino omnes praeferant: *exemplum ausae remp. sine viris.* aut certe, *exemplum agere semper sine viris:* ausim reponere: *singulare omnium seculorum exemplum ausae. Auxere remp. sine viris.* ut ita dixerit *audere exemplum* Iustinus, ut *audere pugnam* Tacitus Ann. XIII. lib. Virgilius vero, *audere in proelio*. vide Novantiquas nostras Epist. XCIX. Mod. — Secutus sum nixam fide MSS. emendationem Fr. Modii, nisi quod post *ausae* punctum in subdistinctionem mutavi. *Audere exemplum* eo modo dicitur, ut apud Tacitum Annal. XIII. 36. 1. *audere pugnam:* et alibi, *audere codicillos*, *machinas*, *oppugnationem*, *stuprum*, *ultionem* etc. Ceterum, non tam vero quam huic narrationi similia, de puellis Bohemicis, Velasca duce, principatum in viros occupantibus, habet Aen. Sylvius Bohem. cap. 7. Bernec. — Gronovius ex vestigiis MSS. legit: *Singulare omnium saeculorum exemplum ausae, rempublicam agere sine viris, iam etiam cum contemtu virorum se*

*tuentur:* aut, quod elegantius existimat: *singulare omnium saeculorum exemplum ausae, rempublicam sine viris, iam* etc. Observ. IV. 14. Graev. — Antiquiores editiones *ausae* non habent. Quod autem Modius in MSS. id observasset, in textum recepit Berneccerus, observavit et Gronovius. Sed miratur idem, quod Modius et Berneccerus non offensi fuerint τῷ *auxere*, idque simul consistere posse crediderint; cum et ratio et MSS. Codices illud improbent. Codices MSS. uti Bongarsius in Variis Lect. testatur, habent, *exemplum ausae semper agere sine viris*, et *ausae rempublicam augere sine viris.* Unde Gronovius legendum putat, *singulare omnium saeculorum exemplum ausae, rempublicam agere sine viris.* Phrasi *rempublicam agere* usi et alii. Iul. Capitolinus Antonino Pio: *Maxime cum et semper rempublicam bene egisset Antonius.* Vopiscus in Probo: *Exemplar agendae reip.* Illud *auxere*, quod editiones veteres habent, quodque Bongarsius et Berneccerus retinuere, conflatum videtur ex eo quod in Codd. MSS. apparet, *ausae agere.* Vorst. — Probo emendationem Gronovii legentis, *ausae rempublicam sine viris* etc. et illud *auxere* natum suspicor ex praecedenti *ausae*, pro quo supinus librarius fecit *auxe*, cui deinde ex sequenti voce alius syllabam *re* adposuit. Sed mox in verbis *virorum se tuentur*, illud *se* expungo, cum alias oratio non recte cohaereat. Scheff. — *Ausae* ignorant Dorv. 1. et 3. In Franeq. et aliis est, . . *exemplum ausae, semper agere sine viris:* unde mihi vero simile fit, a Iustino fuisse . . *exemplum, ausae remp. regere sine viris* etc. *Remp. regere* malim, quam quod aliis placuit *r. agere*, quia illud recurrit lib. V. 10. 4. alterum vero nusquam apud Nostrum. Elegantiam vero habet appositio illa *singulare exemplum*, hoc est id quod erat singulare exemplum. Tacitus Ann. IV. 28. *Saevitiae* exemplum *atrox, reus pater, accusator filius . . . in senatum inducti sunt.* et Histor. III. 56. *Nam* rarum *illi caelo, siccitate . . . in offensum iter properavit.* Ammian. Marc. XVI. 5. *Primum igitur factuque* difficile, *temperantiam sibi indixit.* S. Severus H. S. lib. II. 19. *Tum vero foedum* spectaculum, *per universam urbem . . diis litabatur.* Cic. Tusc. I. 43. *Ut aliquid etiam dicendum de humatione et sepultura existimem:* rem *non difficilem, his praesertim cognitis, quae . . dicta sunt.* Livius lib. XXXIV. 46. rem *in asperis praeliis saepe tentatam, signa ademta signiferis in hostes iecerunt.* Lib. VIII. 13. *Ut statuae equestres eis, rara illa aetate* res, *in foro ponerentur.* Sic ille lib. IV. 34. lib. V. 47. et alibi. Aliaque huius formae exempla iam memini adnotasse ad Dictyn Cret. lib. IV. 3. Ceterum in Franeq. et Dorv. 1. et 3. non male *se* abest ante *tuentur*, ut subaudiatur *rempublicam.* Wopkens. — Med. *exemplum ausae, rempublicam sine viris:* quomodo legendum suspicabatur Avus, cuius alteram coniecturam, *rempublicam agere sine viris*, firmat Magl. codicis scriptura, quamvis corrupta, *auxere agere rempublicam sine viris.* Idem MS. sec. Leid. omittunt pronomen reciprocum. Ald. Iunt. *sing. o. s. ex-*

*emplum, auxere rem p. s. viris, iam etiam o. o. v. t.* ABR. GRONOV.

7. VIROS INTERFICIUNT. Inde *Αἰόρπατα*, hoc est, *ἀνδροκτόνοι* Herodot. IV. 110. BONGARS.

9. PACE ARMIS QUAESITA. Saxo lib. II. pag. 249. 27. *Ericus quaesitam armis pacem iustitiae ornamentis excolere cupiens.* ABR. GRONOV.

NE GENUS INTERIRET. Angl. *ne gens interiret.* quod est ex glossa. Nam vocem *genus* ita usurpat et in sequentibus, ubi servat et Angl. *genus Scytharum esse.* Sic Nepos in Regibus 2. *Ex Macedonum genere duo.* Sic alibi saepissime. GRAEV.

CONCUBITUM FINITIMORUM. Oxon. *concubitus finitimorum.* GRAEV. — Decem MSS. ed. Rom. et Vincentius lib. I. cap. 96. *concubitus.* Ita infra III. 4. 6. *quibus promiscuos feminarum concubitus permisere.* et XXXVII. 3. 7. *in concubitus amicorum proiecta.* Orosius et Freculphus: *externos concubitus ineunt.* ABR. GRONOV.

10. INTERFICIEBANT. Aliter Iornandes Getic. cap. 8. *Quicquid partus masculini edidissent, patri reddebant* etc. Qua ratione adhuc hodie praecipuas Africani Regis Monimopatae legiones, quas ex mulieribus in certam aliquam insulam detrusis conscribit, femellas sibi reservare, masculos patribus transmittere scribit Eduard. Lopez lib. II. de Regno Cong. cap. 9. BERNEC.

IN EUNDEM IPSIS MOREM. Ita in MSS., credo, legit Bongarsius. Ante ipsum editum fuerat *in eundem ipsum morem.* Est autem *in eundem ipsis morem* pro *in eundem morem in quem ipsae;* et quidem per Graecismum: quo de Vechnerus in Hellenolexia agit. Graeci dicunt *ταὐτὸ ἐκείνῳ*, eorumque exemplo Latini, *idem illi.* Lucretius III. *Eadem aliis sopitus quiete est.* Horatius ad Pis. *Invitum qui servat idem facit occidenti.* Vide et lib. nostrum de Latinit. mer. susp. pag. 227. VORST. — Bech. *in eundem ipsum.* Ald. Iunt. *in eundem ipsarum m.* ABR. GRONOV.

11. DEXTERIORIBUS MAMMIS. *Dexterior* pro dextero, et similiter *sinisterior* pro sinistro dicunt. Sic et XXXI. 8. 6. *dexterius cornu.* Galba in Epist. 30. lib. X. Epist. Cic. *Dexterius cornu, sinisterius cornu.* Varro II. de Re Rust. *Dexterior pars cervicis.* Vide et Suetonium Tib. 6. VORST.

IACTUS IMPEDIRETUR. Decem MSS. *impediatur.* Ed. Rom. Orosius atque Freculphus, *impedirentur.* ABR. GRONOV.

UNDE AMAZONES DICTAE SUNT. Med. Magl. quatuor Leid. Peris. Orosius et Freculphus omittunt verbum substantivum. Ita III. 4. 7. *Ex his nati, ob notam materni pudoris, Partheniae vocati: qui cum* etc. De origine vocis *Amazones* praeter alios quoque agit auctor Historiae Troianae in Catalogo Bibliothecae Uffenbachianae part. II. pag. 115. *Τροΐαν πρότερον μὲν ἐπόρθησεν Ἡρακλῆς ὁ Ἀλκμήνης καὶ Ἀμφιτρύωνος ἢ Διός, εἶτα αἱ Ἀμαζόνες* (leg. *εἶτα τὰς Ἀμαζόνας*) *αἳ γυναῖκες ἦσαν οὕτω καλούμεναι, διὰ τὸ μὴ ἔχειν μαζὸν δεξιόν. ἀπέτεμον γὰρ αὐτὸν, ἵνα μὴ ἐν ταῖς τοξείαις προσι-*

*σταιτο, ἢ ἐν νηπίᾳ τῇ ἡλικίᾳ μύδρῳ ἔκαιον τὸ μέρος τῆς ἐκφύσεως τοῦ μαστοῦ.* Scholiastes Homeri Iliad. I. vs. 189. *Ἐκλήθησαν δὲ (Ἀμαζόνες) οὕτως, διὰ τὸ τὸν δεξιὸν μασθὸν ἐκτέμνεσθαι αὐταῖς, ὡς ἐμποδίζοντα ἐν τῷ τοξεύειν.* Alter Scholiastes MS. Biblioth. Leid. *Παρὰ τῷ Θερμώδοντι αὗται ᾤκουν, ἅς φασιν ἐπὶ πυριπνόων ἵππων μαχομένας ληΐζεσθαι τοὺς περιχώρους· Ἀμαζόνας δὲ παρὰ τὸ μὴ ἔχειν τὸν ἕτερον τῶν μαζῶν, (ἐπυράκτουν γὰρ αὐτὸν πρὸς τὸ μὴ ἐμποδίζεσθαι ἐν τῇ τοξείᾳ) ἢ παρὰ τὸ μὴ χρῆσθαι μάζαις, χελώναις δὲ καὶ ὄφεσι καὶ σαύραις.* Abr. Gronov.

12. Marthesia et Lampeto. Scribe *Marpesia et Lampedo.* Graecis *Μαρπησσία καὶ Λαμπεδώ.* Haec Lampedo inter Pleiadas olim relata est: sed postea alia in eius locum substituta est. Verum haec nos alias. Voss. — MS. unus Bongarsii, *Marcesia.* Legendum *Marpesia*, ex Iornande et veteribus editionibus. Diodor. Siculus IV. 16. *Marpen* videtur appellare. Recte Vossius *Lampedo*, et sic Iuntina. Ceterum et Oxonienses ex uno MS. pro *duae in his reginae* reposuerunt *duces iis fuere.* Graev. — Dixeram librario scribendum esse *Marpesia*, nec dixeram modo, sed et manu ipse mea praenotaveram; id tamen neglectum fuit. Sequi autem veras lectiones decrevi, quae fide vel historiae vel fabulae nituntur, alias nil moror. Inde est quod infra excudendum curavi, *Otrera* pro *Orithyia*, quod et falsum est et contra fidem historiae. Poterat tamen et *Otrere* scribi et *Otrereia*, quemadmodum dicimus *Penelope*, *Penelopa*, *Penelopea* et *Penelopeia*, atque alia ad eam formam; de qua Graeculi Magistri ad fastidium usque. Ceterum seu *Lampedo* scribas, seu *Lampeto*, nil sane interest; imo et *Lampito* legi posset. At hoc nequeo tacere: cum et *Otrera*, et *Lampeto*, et *Hippolyte*, et *Penthesilea* etc. *Menalippe*, et *Antiope* etc. nomina omnia sint Graecanicae originis, vel hinc facile appareat, quae de Amazonibus dicuntur, ea esse otiosorum hominum somnia; nil aliud. Quomodo enim Graecae appellationes ad Scythas? Itidem plane ac si quis e Turcis principibus Bernardus aut Willelmus diceretur, aut Bertrannus. Faber. — In Codd. MSS. Orosii et, unde is excerpsit, Iustini, legi *Marpesia*, testatur Franc. Fabricius. Et vocat quoque ita Iornandes. Sed et ipsi Graeci *Μαρπησσίαν* vocant. Alterius reginae nomen in antiquioribus typis expressis est *Lampedo:* et in auctoribus Graecis item *Λαμπεδώ.* Vorst. — Angl. *duces iis fuere.* placet. Scheff.

Vicibus gerebant. Hoc *vicibus* mihi est suspectum, cum nec positum sit suo loco, si cum *alternis* cohaeret, quod arbitrantur. Ego potius existimo ex glossa natum, qua quis illud *opibus*, per *viribus* exposuerat. Ex *viribus* deinde ab emendatore quodam factum *vicibus.* Locum totum denique sic distinguo: *quae in duas partes agmine diviso, inclytae iam opibus gerebant bella solae, terminos alternis defendentes.* Gerebant bella solae, id est, solitariae, una quaevis per se sine societate alterius, idque alternis, dum alternis defendunt fines. Scheff.

Digitized by Google

Solae terminos. Scribe *soli* h. e. ditionis. Freinshem. — Freinshemius *soli*, id est, *agri*, *finium*, *regionis*. Faber. — Angl. *soli*. Probarem si adiectum haberet cuius soli. Nam sic simpliciter positum est ambiguum, de patrione an peregre quaesito debeat intelligi. Vide notas nostras. Scheff.

Alternis. Scil. vicibus. Ita Vett. editiones. Bong. *alterno*, quod nescio an idem sit cum alternatim. Paulo ante pro *solae terminos* Freinshemius legit, *soli*, hoc est, ditionis. Valde probabiliter. Bernec. — Ait Bernecccerus ad *alternis*, pro quo Bongarsius *alterno* edidit, subaudiendum esse *vicibus*. Sed diserte idem illud hic apparet, et modo traiectum videtur. Quid si ergo legamus, *Alternis vicibus gerebant bella?* Pro *solae* in antiquioribus editionibus est *sollicitae* aut *sollicite*. Sed Freinshemius conieeit pro *solae* legendum esse, *soli*, id est, regionis, *terminos defendentes*. Vorst. — Frustra est Vorstius, dum legendum coniicit *alternis vicibus gerebant* etc. Columella de Re Rust. II. 9. *Atque illa* vicibus *annorum requietum*, *agitatumque* alternis *et quam laetissimam volunt agrum*. *Alternis* autem pro alternis vicibus dixit Min. Felix cap. XXI. cum aliis, quos huc contulit Cl. Abr. Gronovius. Cum Freinshemio autem omnino legerim *soli terminos*, suffragante etiam MS. Oxoniensi. *Solum* pro regione, sede, lib. XXVIII. 2. 8. et alibi dixit Iustinus. Wopkens. — Med. sec. Leid. Coll. N. ed. Rom. *soli terminos*, quod coniectura adsecutus fuit Freinshemius. Bech. *sollicitae t. a. d.* Ald. Iunt. *solae alternis t. d.* Tert. quint. Leid. *alternos*. quart. Reg. Coll. C. C. ed. Rom. *alterno*. Utrumque peius vulgato. Lucretius lib. IV. vs. 791.

*Mollia mobiliter quum alternis brachia mittunt.*

et lib. VI. vs. 569. de ventis:

*Nunc quia respirant alternis, inque gravescunt,*
*Et quasi conlecti redeunt, ceduntque repulsi.*

Seneca de Vita beata cap. 5. *quem voluptates doloresque ncertissima dominia impotentissimaque alternis possident*. Idem epist. 37. *Hos tam graves dominos interdum alternis imperantes, interdum pariter, dimittet a te sapientia*. et Epist. 72. *Hic deprimitur alternis et extollitur, ac modo in coelum allevatur, modo defertur ad terram*. et Epist. 95. *Ceteri decidunt subinde et reponuntur, et inter omissa appetitaque alternis fluctuantur*. Statius lib. I. Theb. vs. 410.

*paullum alternis in verba minasque*
*Cunctantur.*

ubi Scholiastes: „*Alternis*, mutua vice verborum, adverbium pro „invicem. Virgilius (Ecl. III. vs. 59.):

„*Alternis dicetis.*“

Lactantius I. 10. 5. de Castore et Polluce: *eosdem alternis vivere, alternis mori narrant*. Euanthius de Tragoedia et Comoedia: *sed primo una persona substituta est cantoribus, quae respondens alter-*

*nis choro, locupletavit variavitque rem musicam.* Glossae: *Alternis*, ἀνὰ μέρος, ἀμοιβαδόν. Abr. Gronov.

13. Et ne successibus. Inde votum Alexandri apud Curtium VIII. 8. 28. *Utinam Indi quoque Deum esse me credant. Fama enim bella constant* etc. De D. Augusto Philo Iudaeus lib. de legatione ad Caium: *Accepit divinos honores, non quod probaret: sed quia videbatur hoc postulare amplitudo Imperii, cui veneratio quaedam parabatur his artibus.* Videndus omnino D. Augustinus de Civit. Dei III. 4. ubi de sententia Varronis, *utile esse, ut se homines ex diis genitos mentiantur.* Bernec.

Genitas se Marte. De una tantum id narrat Diodorus, cuius nomen non exprimit: et Apollonius II. Amazonas Martis et Harmoniae Naiadis genus esse tradit. Quae hic *Marthesia* dicitur, eam Iornandes *Marpesiam* vocat. Bongars. — Hyginus cap. 30. Hippolyten, et cap. 112. Penthesileam Martis et Otrerae filiam facit. Vorst. — Cum tribus Dorv. malim *genitas se a Marte p.:* quomodo lib. XII. 7. *Filiumque* ab *eo* genitum *Alexandrum nominavit.* Lib. XXXV. 1. Genitus*que* ab *Antiocho rege* dicitur. Lib. XLII. 2. *Comite . . Medio privigno* ab *Aegeo rege Atheniensium* genito. Wopkens.

14. Maiore parte Europae. Inde est, credo, quod Poëtae Amazonas *Threicias* vocant, et sagittas item *Threicias* illis tribuunt. Vorst.

Asiae. Sueton. Caes. 22. 4. *Magnam* inquit *Asiae partem Amazonas tenuisse quondam.* Asiam accipe minorem, non illam, quae tertia pars Orbis habetur. Bernec. — Asiae minoris puta: in qua, ut sequitur, novas quoque civitates condidere. Vorst.

15. Ibi Epheso multisque urbibus conditis. *Otriram* Amazona, Martis uxorem, templum Dianae condidisse prodidit Hyginus cap. 223. et 225. Vorst.

Dimittunt. Edd. vett. *remittunt.* Vorst.

17. Orithya. Sic est in omnibus scriptis libris et impressis quibusdam. Vulgo *Otrera*: et apud Apollonium lib. II.

Ἀμαζονίδων βασίλειαι,
Ὀτρήρη τε καὶ Ἀντιόπη.

Sed in hac historia mire variant auctores. Vide Plutarchum in Theseo, et Diodorum II. et IV. Pausaniam in Atticis. Bongars. — Amazonis hoc nomen transpositis litteris corrumpitur. Scribendum enim *Otriria* pro *Orithya.* Graecum est Ὀτρήρη Apollonio, pro quo alii dixere Ὀτρήρεια, ut Καλλιόπη Καλλιόπεια. Inde *Otreria* vel *Otriria* Trogo. Grotius hoc certissimum habet. Nam *Orithya* Atticum nomen est. Salmas. — Thuan. a sec. m. Coll. N. Orosius et Freculphus, *Sinope.* Salmasius malebat *Otriria*, idemque placebat Munkero ad Hygini Fab. 163. Abr. Gronov. — In MS. supra scriptum erat, legendum esse, *Sinope.* Et sic quoque legerunt sequioris aevi scriptores, huius compilatores. Sinopen Amazonum unam fuisse, et ab ea urbem dictam, testatur Andreas apud Etymo-

logici magni auctorem, in voce Σινώπη. Ὁ δὲ Ἄνδρων φησὶν, μίαν τῶν Ἀμαζόνων φυγοῦσαν εἰς Πόντον παρὰ τὸν βασιλέα τοῦ τόπου, πίνουσάν τε πλεῖστον οἶνον προσαγορευθῆναι Σινώπην. Μεταφράσει δὲ τοῦτο σημαίνει τὴν πολλὰ πίνουσαν. Atqui non Σινώπη significat τὴν πολλὰ πίνουσαν, sed Σανάπη, quomodo ei scribendum fuerat. Auctor Scholiorum ad II. Apollonii Rhodii librum: Ἐπεὶ δὲ οἱ μέθυσοι σανάπαι λέγονται παρὰ Θρᾳξὶν, ῇ διαλέκτῳ χρῶνται καὶ Ἀμαζόνες, κληθῆναι τὴν πόλιν Σανάπην. ἔπειτα κατὰ φθορὰν Σινώπη. Sic scribendum. Hesychius: Σανάπην τὴν οἰνώδη Σκύθαι. Sic lege. Vulgo enim conspurcatissimus locus iste Hesychii. Voss. — Recte vidit Bongarsius legendum, *Otrere*. Corrupte apud Hyginum Fab. CLXIII. *Othrepte* dicitur. Graev. — Becharius edidit *Ottera:* et rectius Sichardus *Otrera*. At Bongarsius in Codd. suis MSS. reperit *Orithya*, idque pro altero substituendum putavit, quem Berneggerus et alii sunt secuti. Iudicium Salmasii est, Amazonis istud nomen *Orithya* transpositis literis corruptum esse ex *Otreria*; ipsum vero *Orithya* esse nomen Atticum. Vide notas Berneggeri posteriores ad hunc locum. Apollonius lib. II. manifeste Ὀτρήρην vocat. Neque aliter Hyginus. ut cap. 112. *Penthesilea Martis et Otrerae filia.* alibi tamen una litera mutata *Otriram* vocat. ut cap. 223. et 227. *Amazon Otrira Martis coniux.* Rursus cap. 30. *Hippolyten Amazonem Martis et Otrirae reginae filiam: cui reginae Amazoni balteum detraxit, tum Antiopam captivam Theseo donavit*, Hercules puta. capite 163. ubi plures Amazones recensentur, corrupte *Otrepte* dicta videtur pro *Otrere*. Vorst. — Codex Anglic. *Otreria*, ut optime coniecit Salmasius. Graev.

18. Tantum additum gloriae et famae Amazonum est. Nec male in Dorv. 1. *Amazonibus*. Sallustius Catil. cap. LIV. *Huic severitas* dignitatem addiderat. et Iug. cap. XVIII. *Nomen gloriamque sibi* addidere. cap. LXXIII. *At illi alteri generis humilitas* favorem addiderat. Silius Ital. X. 225.

*Magnamque cadens leto* addidit *uno*
Invidiam *Cannis*.

*Gloriam dare* eodem sensu dicitur lib. VIII. 2. *Incredibile quantum ea res apud omnes nationes Philippo gloriae dedit.* Wopkens.

Rex, cui duodecim stipendia debebat. De duodecim certaminibus, quae tanquam stipendia Euristheo debebat Hercules, ut immortalitatem consequeretur, legendae fabulae, et Diodor. IV. Bongars. — Servius ad illa Virgilii lib. VI. Aeneid.

*Tartareum ille manu custodem in vincla petivit.*

*Hercules*, inquit, *a prudentioribus mente magis, quam corpore fortis inducitur, adeo ut duodecim eius labores referri possint ad aliquid. nam cum plura fecerit, duodecim ei tantum adsignantur propter agnita duodecim signa.* Ludit autem egregie in his Seneca de morte Claudii, ubi de eodem Hercule ait: *Putavit sibi decimum tertium laborem venisse.* Caeterum praeter ea, quae Servius affert deprompta ex capsis magni illius oratoris Isocratis, notandum etiam

hic illud videtur, *stipendium* non tantum illud esse, quod victis imponitur tributum vel aes militare, aut annos militiae; velut cum decem duodecimve stipendia aliquem meruisse dicimus: sed etiam, quod hic locus indicat, militiam et laborem ac aerumnam ipsam, non secus atque apud Horatium Epod. Ode XVII. ubi legere est:

*Quae finis? aut quod me manet stipendium?*
*Effare, iussas cum fide poenas luam.*

Mod. — Hic duodecim Herculis labores *stipendia* XII. sine controversia vocantur. Unde *poena* et *labor* dicitur. Horat. Epod. XVII.

*Quae finis? aut quod me manet stipendium?*
*Effare: iussas cum fide poenas luam.*

Haec Turnebus Adversar. XXX. 27. De duodecim porro laboribus seu certaminibus, quae rex Eurystheus instinctu Iunonis imperabat Herculi, casibus eum obiecturus, legendae fabulae, et Diodorus Sicul. IV. Tangit etiam Plin. Panegyr. cap. 14. fin. et alludit Seneca in Apocolocynt. *Putavit sibi decimum tertium laborem venisse.* Bernec. — Liv. XXX. 28. *Annibalem exercitum aequalem stipendiis suis ducere.* et Sallust. Iug. 65. *Homo veteris prosapiae ac multarum imaginum et nullius stipendii.* Haec autem *stipendia* Cicero II. Fin. 35. vocat *aerumnas.* Virgilius *labores.* alii *expeditiones.* Gronov. — *Duodecim stipendia* vocat, quae alii *duodecim labores* et *certamina* appellant. Et *stipendiorum* vox consentanea ei quod mox sequitur verbo *debere. Stipendium* enim inter alia tributum significat, quod ut debitum gentes devictae pendunt. Suetonius Caes. 25. *Omnem Galliam in provinciae formam redegit, eique quadringenties stipendii nomine imposuit.* Hinc *provinciae stipendiariae* dicuntur, quae tributum pendunt. Vorst.

Quasi impossibile. Hanc vocem qui damnant, ii mihi fastidiosuli et delicatuli videntur, cum eam usurparint et Apuleius et Quintilianus, cuius apud me auctoritas, ut debet, semper gravissima erit. Faber.

19. Eo igitur profectus. Ed. Bech. Ven. et quinque aliae: *Igitur eo prof.* Abr. Gronov.

Profectus longis novem navibus. *Longae naves*, ut Isidorus XIX. 1. ait, *dictae eo quod longiores sint ceteris.* Erant autem naves bellicae, et ab onerariis discernebantur. Livius XXV. 22. *Bomilcar centum triginta navibus longis et septuaginta onerariis profectus est.* Caesar V. B. Gall. 25. *Naves longas paululum removeri ab onerariis navibus ac remis incitari iussit.* Vorst.

Inopinantes adgreditur. Orosius et Freculphus: *ex improviso adgredi, et insperatas circumvenire maluerit.* Pr. Leid. Freculphi, *et imparatas.* Abr. Gronov.

20. Duae tum sorores Amazonum regna tractabant. Antiquiores typis expressi, *duae ex quatuor tum sorores.* quod ei quod sequitur, satis est consentaneum. Sequitur enim, duas sorores Antiopae, Menalippen et Hyppolyten, captas esse. Fuere igitur istae quatuor, Antiope, Otrere, Menalippe et Hippolyte. Vorst. — Iun-

tina stat quoque pro hac lectione. GRAEV. — Ed. Bech. *Duae ex quattuor tunc sorores A. r. tr. Antiope et Ottera, quarum Ottera.* Coll. N. *et Oretria, quarum Oretria.* ed. Iens. Rom. Ald. Iunt. *et Orithya: quarum Orithya* (Ald. Iunt. utroque loco, et paullo ante, *Orithyia*) *foris b. g.* Simili pronominis constructione utitur auctor paullo post: *Paucae usque tempore Alexandri Magni duravere. Harum Minithya* etc. et XXXIII. 8. 11. *Post discessum deinde legatorum, quorum Africanus dum inspicit urbem* etc. ABR. GRONOV.

SED ORITHYA FORIS BELLUM GEREBAT. Haud pro reiiculo habendum, quod in duobus Dorv. habetur, *quarum Orithya* pro *sed O.* ut mox: Harum *Minithya . . brevi tempore cum omni Amazonum nomine intercidit.* Livius XLIV. 17. Consulum *Aemilio Macedonia, Licinio Italia* evenit. Aurel. Victor Orig. G. R. cap. VIII. *Sed* eorum *Potitio . . ad comedenda exta admisso, Pinarius* etc. Lactant. de Ira Dei cap. XI. *Quod cum vetustissimi Graeciae scriptores, . . tum etiam Romani . . docent;* quorum (i. e. exque his) *praecipue Euhemerus ac noster Ennius, qui* etc. ubi male Heumannus emendabat *quorum praecipui* scil. sunt. Boëtius Cons. I. 4. Quorum *Basilius . . in dilationem nostri nominis alieni aeris necessitate compulsus est.* Sic vulgo melius, quam in aliis libris, *quorum unus Basilius* etc. WOPKENS.

21. APPLICUIT. Reg. Thuan. Peris. Ald. Iunt. *applicuisset.* ABR. GRONOV.

ANTIOPA NIHIL HOSTILE METUENTE. Saxo lib. XIV. pag. 286. 26. *Tunc Absalon Rugiam nihil hostile metuentem cognoscit.* ABR. GRONOV.

22. REPENTINO TUMULTU EXCITAE. Idem lib. XV. pag. 368. 32. *Hac fama Scaniae populus excitus.* ABR. GRONOV.

23. SORORES CAPTAE SUNT. Illud *captae sunt* MSS. non agnoscunt, et praecedit proxime, *captaeque,* itaque rectius, et elegantius, cum omittitur. SCHEFF. — Assentior Scheffero, qui *captae sunt* perperam repetitum hic existimat, cum id ἀπὸ κοινοῦ ex verbis proxime praecedentibus sit repetendum: quod cum et MSS. confirment, quid est cur dubitemus veterem, eamque sanam lectionem reponere? GRAEV.

MENALIPPE. Ald. Iunt. et Freculphus: *Melanippe,* probante Munkero ad Hyginum Fab. 186. et Antoninum Liberalem Fab. 8. Scholiastes Homeri Iliad. *Γ.* vs. 188. *Μελανίππη καὶ Ἱππολύτη, θυγατέρες Ἄρεος, τῶν Ἀμαζονίδων προηγούμεναι τῆς στρατιᾶς.* ABR. GRONOV.

24. OBTENTA IN PRAEMIUM CAPTIVA etc. Forte legendum *obtentam in praemium captivam* etc. ut habent quidem multi ex antiquis Codd. sed immedice retinent *eandem,* quae vox tum delenda est. GRONOV. — Non opus est, cum Viro summo tentare *obtentam in praemium captivam in m. s.* Quemadmodum et immerito sollicitantur haec lib. XXVI. 1. Arcessitis servis, *iubet obserari fores.* et

lib. XXXIX. 3. *Itaque* vocatis *ipsa* militibus, *mittit*, *qui sororem confoderent.* Tu consule commentatores ad ista Quinctiliani XI. 1. *Nam et* filia nata, *meretrix eam mater pudicam esse voluisset.* Flori IV. 12. 28. Defuncto *ibi fortissimo* iuvene, *ipsi . . senatus cognomen ex provincia dedit.* Sallust. Iugurth. cap. LXIII. Mario *per hostias diis* supplicante, *magna atque mirabilia portendi haruspex dixerat.* Caesar Gall. VII. 4. Convocatis *suis* clientibus, *facile incendit.* Sic optimo iure defendisse mihi quondam videor Dictyn Cret. II. 19. *Ex omni praeda . .* excepta *Eetionis* coniuge *. . Agamemnoni obtulere.* Nec repudianda omnium fere MSS. scriptura Valer. Maximi III. 7. 1. Prolato *ab eo* libro, *quo . . refelli inimicorum accusatio poterat*, *discerpsit.* Nihilque mutem in his Taciti Ann. XV. 30. *Et rogitante rege causas . . cuncta in maius extollens*, *admiratione prisci moris affecit.* Wopkens.

25. Menalippen captivam sorori reddidit, et pretium arma reginae accepit. *Pretium* pro mercede, λύτρῳ, ut saepe. Fuit autem balteus. Hyginus cap. 30. *Hippolyten Amazonem*, *Martis et Otrerae filiam: cui reginae Amazonum* (sic enim legendum videtur) *balteum detraxit*, *tum Antiopam captivam Theseo donavit.* Diodorus IV. 16. Herculem de captivis Antiopam Theseo donavisse; Menalippen vero balteo sese redimentem liberam dimisisse scribit. Vorst. — Orosius et Freculphus: *et arma reginae pretio redemtionis accepit.* Pr. Leid. Freculphi, *pretium.* Abr. Gronov.

26. Hortatur comites. Antiquiores typis expressi addunt *in ultionem:* quod genuinum esse, nec abesse posse videtur. Vorst. — Angl. auctius *hortatur comites in ultionem.* Puto esse hoc augmentum ex glossa. Nam et alibi Noster illud *hortari* ponit ita absolute, ut XI. 3. 1. *In transitu hortatus Thessalos fuerat.* Scheff. — Iuntina cum veteribus editionibus nonnullis, *hortatur comites in ultionem*, quod probat Vorstius, et Oxonienses receperunt ex tribus MSS. in quibus invenere. Sed non dubito, quin haec verba *in ultionem* a sciolis et indoctis descriptoribus fuerint addita, qui ignorarunt *hortari* simpliciter esse confirmare, animare. Iustin. XI. 1. *Queis rebus velut medela quaedam interventus Alexandri fuit*, *qui pro concione ita vulgus omne consolatus*, *hortatusque pro tempore est*, *ut et metum timentibus demeret*, *et spe omnes impleret.* Iñ seq. XI. cap. 3. *In transitu hortatus Thessalos fuerat.* et XIV. 3. *Eumenes*, *qui auctor cladis erat*, *nec aliam spem salutis reliquam habebat*, *victos hortabatur.* C. Nep. Miltiad. 6. *Ut in decem praetorum numero prima eius imago poneretur*, *isque hortaretur milites*, *praeliumque committeret.* Sane sapit sequiorum temporum Latinitatem *hortari in ultionem.* Trogus, et qui eius premit vestigia, Iustinus scripsisset, credo, *hortari ultionem*, aut *ad ultionem.* Poëtis tamen testimonium, ni fallor, denuntiare possunt, qui veterum editionum lectionem tuendam suscipiunt. In auctuario notarum suarum Schefferum quoque vulgatam defendere video. Graev. — Med. Magl. sec. quint. Leid. Bodl. Coll. N. et C. C. ed. Ienson. Bech.

Ven. Flor. Med. Paris. Ald. Iunt. addunt *in ultionem*. Abr. Gronov. — Recte omnino MSS. cumque his tres Dorv. *hortatur comites in ultionem, frustraque* etc. Quod etiam Vorstio placuit. Et illa *frustraque* etc. facile probant, ad ultionem stimulatas ab Orithya comites. Temere autem Graevius ait, sequiorum temporum Latinitatem sapere phrasin *hortari in ultionem*, Iustinumque potius scripturum fuisse *hortari ultionem* vel *ad ultionem*. Ita enim rursum lib. XXVI. 1. *Contractos domum fidissimos amicorum* in *vindictam patriae* hortatur. Livius XLIII. 19. Hortarentur *Gentium in amicitiam secum et cum Macedonibus iungendam*. Lucanus VII. 370.

*Credite, pendentes e summis moenibus urbis,*
*Crinibus effusis* hortari in *praelia matres.*

Sic *in pacem cogere* infra XXXII. 4. 8. *In bellum hortari* lib. XXXI. 4. Wopkens.

Non tam bellis, quam rapinis pateant. Saxo lib. XIV. pag. 287. 14. *periculo se quam rubori patere malle.* et pag. 350. 6. *ceterum insidiarum periculis patere malle.* Saresberiensis lib. VII. Policrat. cap. 2. init. *Cum et professio scissa sit, et pro parte tam risui pateat, quam errori.* Abr. Gronov.

27. Sagillo rege Scythiae. Med. *Sagulo.* sec. quart. quint. Leid. *Sagilo.* pr. tert. Coll. C. C. *Sagino.* Abr. Gronov.

Cladem virorum. Quod viri earum conspiratione populorum per insidias trucidati essent, ut scribit supra II. 3. 4. Vorst.

Assecutasque virtute. Angl. *per virtutem.* Alterum est ex glossa. Lectio vulgata mihi genuina videtur. Scheff.

28. Mittit cum ingenti equitatu filium Panasagorum. Periz. *cum ingenti exercitu.* Coll. N. *Phanasseorum.* ed. Bech. Ven. Flor. Med. Paris. Ald. Iunt. *Penaxagoram.* Paullo ante Bodl. *motus ille tanta domestica gloria.* Periz. *motus illa tanta d. g.* Abr. Gronov.

31. Penthesilea. Servius ad illud Virgilii:

*Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis*
*Penthesilea furens.*

*Furentem ideo*, inquit, *dixit, quia sororem suam in venatione confixit, simulans se cervam ferire. Sed hoc per transitum tangit; nam hic furor bellicus intelligitur, aut furens, quia maiora viribus audebat. Haec autem Martis et Otreris filia fuit, quam Achilles cum adversus se pugnantem peremisset, post mortem eius adamavit, honorificeque sepelivit.* Haec, inquam, ad illum Virgilii locum Servius noster manu exaratus Fuldensis, non Pseudo-Servius ille vulgatus, apud quem pleraque et meliorem horum partem non invenias. Mod. — Amazonum regina, quam auxilio Troianis venisse proditum, et ab Achille occisam. Quam cum, sepulcro ut condecorarent, Graecis persuadere vellet Achilles, atque Thersites eidem opprobria obiiceret, ictu pugni occisus. Tunc Diomedem, Thersitae cognatum, in Scamandrum fluvium proiecisse cadaver Pen-

thesileae proditum est. BERNEC. — At Penthesileae tamen nusquam meminit Homerus. Sed Virgilius I. Aeneid.

*Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis*
*Penthesilea furens, mediisque in millibus ardet,*
*Aurea subnectens exertae cingula mammae*
*Bellatrix, audetque viris concurrere virgo.*

Cum autem multa ab Homero mutuatum esse Virgilium pueri sciant, hoc quoque ex eodem fonte haustum esse crederent; sed moniti non facient. Hic nuper gravissime erravit vir clarissimus inter scriptores nostros, quem parcam appellare. FABER. — *Penthesileam* hanc ipsius Otrerae et Martis filiam fuisse proditum est. Vide Hyginum cap. 112. VORST.

32. INTERFECTA DEMUM PENTHESILEA. Med. reg. pr. sec. quart. quint. Leid. Bodl. Reg. Coll. N. Periz. *int. deinde P.* Eaedem particulae supra I. 9. 18. et apud Vincentium quoque miscentur. ABR. GRONOV.

USQUE TEMPORA. Angl. *usque ad tempora.* Nil arbitror mutandum. Noster statim ab initio: *terminos usque Libyae perdomuit.* Et paullo post 5. 8. *usque tempora Iancyri regis.* locutione simillima. GRAEV. — Periz. *usque in tempora.* Bodl. Col. N. Bech. Ald. Iunt. *usque ad tempora.* Sed vulgatum auctori usitatius est, ut paullo post: *usque tempora Iancyri.* Adde infra h. l. 7. 7. V. 2. 11. VII. 1. 4. ABR. GRONOV.

33. HARUM MINITHYA SIVE THALESTRIS. Sec. Leid. Ald. Iunt. *Harum Thalestris*, probante Graevio ad XII. 3. 5. ABR. GRONOV.

CONCUBITU ALEXANDRI PER DIES XIII AD SOBOLEM EX EO GENERANDAM OBTENTO. Ita emendavi dudum ex Curtio meo, qui ait: *Tredecim dies in obsequium desiderii eius absumti sunt.* nec hic tantum ita emendavi, sed et XII. 3. ubi male antea legebatur: *Ob hoc triginta diebus otio datis, ut visa est uterum implesse, discessit.* Vide notas meas ad Curtii Rufi lib. VI. MOD. — Infra XII. 3. 5. et XLII. 3. 9. Curt. VI. 5. 42. BERNEC.

## CAP. V.

1. SCYTHAE AUTEM TERTIA etc. Vide Herodotum initio IV. qui non *octo annos*, sed *viginti octo*, domo afuisse Scythas narrat: quod sane probabilius est. Hic tamen contra consensum librorum nihil muto. BONGARS. — An eadem cum his? certe simillima sunt, quae Sal. Neugebaueris Commentar. Moscoviae sub finem cap. 3. refert ex Annalibus Russorum, ubi de *Chlopigored*, hoc est, *servorum castro*, quem in locum servi ab heris in fugam versi se receperunt. Vide Arnis. de Rep. pag. 186. f. BERNEC. — Consentaneum ei quod supra II. 3. 1. scribit, *imperium Asiae Scythas ter quaesivisse*, id est, acquisivisse. VORST.

CUM ANNIS OCTO. Herodotus IV. annis XXVIII. Scythas domo abfuisse scribit. Cumque Iustinum, ipsumque Trogum, ex antiquiori-

bus hausisse haec necesse sit, non absurdum fuerit hic mendum statuere, et legere *annis viginti octo*. Vorst.

Liberis abfuissent. In MS. quodam legitur *liberis longe fuissent*, quod eruditius est, quam ut scribae aut glossatori possit tribui. Sed neglexerunt, ut suspicor, qui hoc genus loquendi nescivere, ac substituerunt notius. Plinius Panegyr. 25. *Exspectatum est provisumque, ne quis aeger, ne quis occupatus, ne quis denique longe fuisset.* Scheff. — Franeq. pro *abfuissent* habet *fuissent*, de qua solenni librariorum permutatione consule Erud. van Staveren ad Nepot. Milt. cap. IV. 2. et Bunemann. ad Lactant. I. 5. 11. Quod si simplex verbum recipiamus, cum Scheffero ex quibusdam MSS. mallem *longe fuissent*. Wopkens.

3. Qui reversos cum victoria dominos etc. Illud *cum victoria* delendum, nam et minus Latinum est, et ex linea inferiore huc translatum fuit per incogitantiam exscriptoris. Faber. — Recte Latinissimeque, qui victores, vel cum victoriae nuntio insignibusve revertuntur, *cum victoria reverti* dicuntur, falliturque plane Tan. Faber, cum minus hoc Latinum esse, ideoque illud *cum victoria* delendum statuit. Livius XXXVII. 16. *Et Romani* cum *haud incruenta* victoria *ad naves redierunt.* Vellei. Paterc. II. 40. *Penetratae* cum victoria *Media, Albania, Hiberia.* Similiter *cum pace* dixit Dictys Cret. II. 12. *Mentorenses supplices et* cum pace *ad Graecos perveniunt.* Vulg. Int. Iudicum XI. 31. *Mihique occurrerit revertenti* cum pace *a filiis Ammon.* Ac sine praep. *cum* Eutrop. Hist. Rom. II. 2. *Qui usque ad urbis Romae portas* bello *venerant.* ubi tamen in quibusdam MSS. est *cum bello.* Mamertinus Paneg. cap. XI. *Iam milites vestri ad Oceanum pervenere* victoria. Flor. II. 1. *Totum denique orbem terrarum bellis* victoriisque *peragravit.* Liv. XXXV. 12. *Peragratusque orbis terrarum* victoriis *eius gentis referebatur.* et lib. XXX. 17. *Numidiam omnem egregia* victoria *peragratam.* Plin. Paneg. cap. LVI. *Ignotasque terras* victoria *sequi.* Confer quae noto ad Dict. Cret. II. 47. *Onusti praeda atque* victoria *ad naves digrediuntur.* Wopkens.

4. Dominorum iure. *Dominiorum* forte scripsit Noster, ut Seneca II. Nat. Quaest. 32. *ius dominiumque.* Gronov. — Non esse, cur hic rescriberemus *dominiorum*, recte observavit Io. Arntzenius ad Aurel. Vict. Epitomen cap. V. quia ita Lactantius V. 6. *Ut . . quasi* iure dominorum *perculsis ac paventibus imperarent.* Ovidius Epist. III. 154.

*Me modo, sive paras impellere remige classem,*
*Sive manes*, domini iure *venire iube.*

Ad quem locum etiam Heinsius attulit hunc Paulini Nolani Poëm. X. 63.

*Totusque nostra* iure domini *vindicat*
*Et corda et ora et tempora.*

ubi forte legendum *Totaque nostra* etc. quemadmodum *a* aliquando

ante *que* produci, observavit Barth. ad Statii Theb. Argum. V. Rursum Ovidius Epist. XX. 80.

*Ignoras tua iura, voca: cur arguor absens?*
*Iam dudum* dominae iure *venire iube.*

Sic enim cum Francio illic legerim pro *dom. more.* Wopkens. — Avus ad Senecam de Const. cap. 13. legendum coniecit, *dominio rum.* Coll. N. *nec armorum, sed dominorum more iure vincendos.* Abr. Gronov.

Verbera in aciem, non arma adferenda. Iuntae cum aliquot editis iuxta et MSS. libris: *non tela ferenda.* quod miror mutatum ab editoribus recentioribus. *Tela* sunt quaevis arma, ut ICti notarunt. Pro *sica* posuit Cicer. I. Catil. pro *hasta* Ovid. XIV. Metam. pro *cornu uri* idem XI. Metam. pro *lapide* id. pro *venabulo* Valer. Max. VI. 3. pro *funda* Liv. XXVIII. *Fundis ut nunc plurimum, ita tunc solo eo telo utebantur.* Plin. IX. 45. *Solidas habent ungulas, quae non sunt cornigera: igitur eis telum ungula est.* Ovid. VI. Metam. 686. de Borea:

*Quid enim mea tela reliqui,*
*Saevitiam et vires iramque animosque minaces?*

Graev. — In collectione variantium Lectionum positum est, *non tela,* quod quidem scio esse Latinissimum, et Graevio summo nostro probari; tamen inclinat animus ut editionem vulgatam retineam, ob haec opposita scilicet: *non armorum iure, sed dominorum, verbera illis,* ergo *non arma adferenda.* Id quod artifices Rhetorici haud improbabunt. Nam figuram sequi debuit Iustinus, qui et Rhetor fuit, (ut ex infinitis pene locis olfecisse videor;) quod facere non poterit, nisi si iisdem verbis utatur. Faber. — In antiquioribus editionibus, Iuntarum puta, Becharii, Sichardi, imo et in quibusdam MSS. pro *arma* est *tela.* Estque vox ea satis commoda. *Tela* enim cuiuscunque generis arma dicunt, quibus occidi aliquis aut prosterni potest. Nec tantum quae eminus iaciuntur, sed et quibus cominus pugnatur, ipsique gladii et secures, *tela* dicuntur. Nepos Datam.: *Telum quod latebat protulit, nudatumque vagina veste texit.* Vorst.

5. Postquam ad hostem accessere. Ita MSS. undecim, ed. Rom. Bongars. ut infra XI. 14. 11. ed. Med. Ald. Iunt. *se quoque ab hostis crudelitate vindicaret.* et XXXI. 6. 8. sec. Med. *priusquam ad hostem deficerent.* Abr. Gronov.

6. Perculerunt. Ita MSS. Herodotus IV. 4. *οἱ δ' ἐκπλαγέντες.* Bongars.

Fugamque etc. capesserent. Sic VI. 8. *Spartani fugam capessunt.* Gronov.

7. Partim ferro, partim suspendio vitam finierunt. Ita infra IX. 7. 12. XVIII. 6. 7. atque Saxo lib. II. pag. 7. 49. *senectute vitam, non ferro finiit.* In Periz. penultima vox desideratur, ut apud Tacitum lib. VI. Ann. cap. 50. *sic Tiberius finivit.* Abr. Gronov.

8. Iancyri. Ea est sex MSS. constans lectio. Hunc regem Orosius II. 8. vocat *Attyrum*. MS. *Accirum*. Herodotus IV. 123. *Ἰνδάθυρσον*. qui et *Σκώπασιν* et *Τάξακιν* duarum aliarum Scythiae partium reges commemorat. Ctesiae cap. 17. *Σκυθάρκης* dicitur: *Antriregyrus* Iornandi in Geticis cap. 10. Bongars. — Apud Iornandem tamen pro *Antriregyrus* Gruterus e MSS. Palatinis *Iancyrus* substituit. Apud Herodotum vero *Ἰνδάθυρσος* forte pro *Ἰνδάθουρος*, et apud Nostrum *Iancyrus* pro *Indatyrus*, vel *Idanthyrus* scriptum ait Cl. Salmasius ad Solin. 846. A. 1. *Ἰδανθούρας* est nomen illius Scythici regis apud Clementem. Bernec. — Omnino scribendum, *Idantyri*. Herodoto est *Ἰνδάθυρσος*, ut et Arriano lib. VII. Straboni *Ἰδάνθυρσος*. Plutarcho in Apophthegmatibus, *Ἰδάθυρσος*. Multis enim vocabulis inseritur *εὐφωνίας* ergo, et plenioris toni, *τὸ N*, ut *Ἀτέας Ἀντίας, Ἄμισος Ἄμινσος*, Thymodas Thymondas, Indigetes Indigentes, Carpetani Carpentani, Callatia Callantia, et sexcenta eius generis. Voss. — Ex tribus MSS. Angli reposuerunt *Ianthyri*. ut nullum dubium sit, legendum esse cum Salmasio et Vossio *Idanthyri*, aut *Indathyri*. Graev. — Is. Vossius legendum censet *Idantyri*. Quod ante et Salmasio visum fuerat in Exerc. ad Solin. pag. 846. Et facit huc nonnihil nomen *Ἰανδύσου*, Scytharum regis, quod ex Arriani Parthicis memorat Photius. Ceterum in lib. Rerum Indicarum ex Megasthene Arrianus *Ἰνδάθυρσιν* Scytharum regem nominat. Quod nomen nihil fere discrepat ab eo quod in lib. IV. Herodoti legitur, *Ἰνδαθύρσου* puta. Vorst. — Ed. Ald. Iunt. Med. *Lanthini*. Magl. *Anthiri*. *Lanthinum* hunc Scythiae regem in impressis Iustini exemplaribus vocari, sed id nomen in suo Cod. MS. desiderari, monuit Fabricius ad Orosium lib. II. cap. 8. sec. Leid. *Iamiri*. quart. et Bodl. *Iamcyri*. Orosius II. 8. *Attyro regi Scytharum*: tres MSS. Florent. ed. Veneta, *Atyro*. Freculphus I. 4. 1. *Antyro regi Gothorum Scythiae degentium*. Abr. Gronov.

9. Cum filiae eius nuptias non etc. Hanc tamen iniustam belli caussam recte decernit H. Grotius de Iure Belli et Pacis II. 22. 7. Gronov.

10. Et armatis septingentis millibus hominum Scythiam ingressus. Freculphus: *cum sexcentis millibus armatorum*. Lege ex utroque MS. Leid. et Orosio, *cum septingentis m*. Herodotus lib. IV. cap. 87. *τουτέων μυριάδες ἐξηριθμήθησαν χωρὶς τοῦ ναυτικοῦ ἑβδομήκοντα σὺν ἱππεῦσι· νέες δὲ ἑξακόσιαι συνελήχθησαν*. Diodorus Siculus lib. II. cap. 3. Darium *μετὰ ὀγδοήκοντα μυριάδων* Scythiam ingressum fuisse refert. Abr. Gronov.

Interrupto ponte Istri. Med. Magl. pr. quart. quint. Leid. et Orosii duo MSS. Florent. atque Freculphus, *Histri*. nec aliter infra IX. 2. 11. Med. Magl. pr. tert. Leid. Periz. Item XXXII. 3. 12. uterque Med. Magl. pr. tert. quart. quint. Leid. Periz. *Histrum*. et IX. 2. 1. Med. pr. sec. tert. quint. Leid. Periz. et tres MSS. Florent. Orosii lib. III. cap. 13. *Histrianorum*. et XXXII. 3. 12. uter-

que Med. Magl. pr. Leid. Periz. *Histris*. Ibid. §. 13. praeter Periz. qui cum tert. quarto Leid. dat *Histriorum*, iidem exhibent *Histrorum*. et §. 15. duo Med. Magl. pr. quart. quint. Leid. Periz. *Histrique*. Apud Orosium quoque lib. I. cap. 2. MS. Florent. *Histriam*. et IV. 22. tres Flor. dant *Histri* et *Hister*. Abr. Gronov.

Amissis octoginta millibus. Magl. Coll. N. ed. Bech. Med. Paris. Ald. Iunt. *nonaginta*. Abr. Gronov.

12. Inde Asiam et Macedoniam domuit. Hem nova res et plane inaudita. Nam unde redit Darius? Scythia Istriana. Ita est. Qua transeundum ipsi fuit? An per Asiam et Macedoniam? Nil magis falsum nec ridiculum magis. Legendum igitur est: *Inde Thraciam et Macedoniam domuit*. Circa hanc vocem bis quoque erratum fuisse infra demonstrabimus, cum eo deventum fuerit. Faber.

Ionas. Herod. VI. init. Bongars. — Reusneri Isagoga pag. 209. Bernec.

navali praelio. Vincentius lib. IIII. cap. 34. *navali bello*. Abr. Gronov.

13. Ioniis. Ald. Iunt. *Ionibus*. Eaedem quoque infra V. 2. 9. pro vulg. *Ionios* praeferunt *Ionas*. Rom. *Iones*. Abr. Gronov.

## CAP. VI.

1. Verum etiam ultra gesti fidem peracta sunt. Malim retinere vulgatam lectionem, *patrata sunt:* quod elegantissimo cuique veterum pro *perficere* in usu fuit. Quintil. VIII. 3. *Ductare exercitus, et patrare bellum apud Sallustium dicta sancte et antique, ridentur a nobis.* Idem Sallustius de Rep. ordinanda: *Ea magis fortibus consiliis, quam bonis praeliis patrata sunt.* et Tacitus, nescio quo loco: *Si patrandae neci venenum mitteretur.* Mod. — Bongarsius *peracta sunt*. Sed monitu F. Modii retinuimus vulgatam hactenus lectionem. *Patrare* pro *perficere*, elegantissimo cuique veterum in usu fuit, ut Sallust. Catil. 56. 5. *incepta patrare*. Liv. XXV. *patrare facinus*. Tacit. II. Annal. 82. *patrare necem*. Bernec. — Notari hoc potuit, neque attigissem nisi alii non attigissent; nimirum istud *gerendi* in notione passiva sumtum est. Sic alibi de quodam Macedonum Principe: *Athenas quoque erudiendi gratia missus*. pro, *ut erudiretur*. Ita *videndi* Virgil. pro, *dum videtur, dum aspicitur*: *Uritque videndo femina*. neque aliter Plautus et Terentius, optimi dicendi magistri, olim loquebantur. Faber.

Ultra gesti fidem patrata sunt. Ita Velleius lib. II. cap. 114. *Hiems emolumentum patrati belli contulit*. et Livius XXVIII. 41. *Egregiam istam palmam belli Punici patrati petis?* Quum vero Bongarsius ex suis MSS. quibus accedunt undecim nostri, ed. Rom. Ald. Iunt. ediderit *peracta sunt*, illum sequi malui. Neque aliter loquitur auctor infra XXII. 8. 6. *dum reliquiae belli peraguntur*. ubi *patrantur* non invenuste dicere potuisset, quemad-

modum Velleius lib. II. cap. 123. init. *reliqua belli patraturus.* Lucanus lib. I. vs. 691.

*Impiaque in medio peraguntur bella senatu.*

Statius lib. III. Sylv. I. 55.

*Annua veloci peragunt certamina lustro.*

In aliis veteribus editionibus, ut Bech. Ven. Flor. Mediol. Paris. non *patrata*, sed *parata* legitur. Abr. Gronov.

Effectu maiora quam voto fuere. Infra XXV. 4. 1. *Nec eo, ad quod votis perveniendum fuit, erat contentus.* De votis bellicis Brissonius lib. I. Form. Vorst.

Paucis origo urbis. Impressi veteres habuerunt *verbis* pro *urbis*, quod fortasse repudiari non debuit. Certe illud *crevere* nec ad *urbis* nec ad *origo* potest referri. Quemadmodum nec quod sequitur, *soli gloriantur.* Scheff. — Sed quia refragantur MSS. non est loco movenda lectio vetus. Sequentia sensum respiciunt, non verba, ut saepissime apud Nostrum et alios. Graev. — Quia illud *crevere*, et quod porro sequitur, *soli . . . gloriantur* incommodius refertur ad vocem *urbis*, hinc Schefferus malebat *paucis verbis origo* (sc. eorum) *rep. est*: prout cum impressis veteribus etiam tres Dorv. habent, dum in Franeq. est *p. orbis origo.* Sed illud *urbis*, pro urbe ac rep. Atheniensium, hic deserendum optimo iure negabat Graevius; et mirum similem ἀκυρολογίαν Scheffero non fuisse observatam in his §. 4. *Quippe non advenae neque passim collecta populi colluvies originem* urbi *dedit; sed* (ipsius cives sunt) *innati solo, quod incolunt, et quae illis sedes, eadem origo est.* Ita lib. V. 1. *Tantum odii* Athenienses . . *contraxerant. Darius quoque rex Persarum, memor paterni avitique* in hanc urbem *odii* etc. Sic veraces quoque videntur duo Dorv. aliique codices in hac scriptura infra cap. XIV. *Athenienses quoque in spem pacis amicitiamque regis sollicitat, spondens incensae* eius urbis (vulgo *eorum urbis*) *etiam in maius restitutionem.* Liv. XXXVIII. 29. *Quatuor menses obsidionem* Same *sustinuit. Quum ex paucis quotidie aliqui* eorum *caderent* etc. ubi plura huius formae exempla dat Gronovius. Wopkens.

2. A sordidis initiis ad summa crevere. Ald. Iunt. *ad summam.* Coll. N. *a sordidissimis ad summa cr.* Abr. Gronov.

4. Quippe non advenae. Iuntae: *advena.* Graev. — Ald. Iunt. *advena.* Periz. *quippe neque advenae.* Abr. Gronov.

Eodem innati solo. *Indigenae, αὐτόχθονες, γηγενεῖς: terrigenae* Ausonio in Catalogo urbium:

*Nunc et terrigenis patribus memoremus Athenas.*

Cicero pro L. Flacco cap. 26. *Athenarum urbs vetustate ea est, ut ipsa ex sese cives suos genuisse dicatur.* Bongars. — Adde Platonem in Menexeno, Thucyd. I. 1. 8. Demosth. Orat. Funeb. et Euripidem Ione. Quidam tamen colonos Saitarum Athenienses dictitabant. Diodor. Siculus I. 28. Bernec. — Pro *in eodem innati solo,* vel, *eidem innati solo.* Horatius; *Neglectis urenda filix innascitur*

*agris.* Ceterum antiquiores editiones simplex *nati* habent; quomodo et sup. II. 1. 9. legitur, *ibi primum homines natos videri debere, ubi educari facillime possent.* Quod autem homines terris generatos veteres crediderint, apparet etiam ex iis quae supra I. 1. 6. et 18. auctor de Aegyptiis scribit, *praedicasse eos, terras ceteras non potuisse primas generare homines.* Privatim vero de Atheniensibus prodidere alii, esse eos *αὐτόχθονας, γηγενεῖς, terrigenas.* Vorst.

5. Primi. De Atheniensium inventis Lucretius VI. init. Aelianus Var. Hist. III. 38. Cicero pro Flacco cap. 36. Bongars. — Ut et Paus. in Atticis. Strabo XIX. Thucyd. I. Vellei. Paterc. Diod. Sic. I. Euseb. Chron. et alibi passim. Oxon.

Serere frumenta. Inde *frugum parens* haec urbs appellatur a Floro III. 5. 16. Bernec.

Glandem vescentibus. *Glandem* in Codd. credo MSS. reperit Bongarsius; ideoque sic scribendum putavit. Antiquiores typis expressi habent *glande.* Alteram tamen constructionem et infra XLIV. 4. 11. reperias. Habentque talia et alii. Vide indicem v. *Vesci.* Vorst. — Magl. sec. quint. Leid. Peris. Bodl. et C. C. *glande vesc.* Ita infra XLIV. 4. 11. ed. Ald. Iunt. *ex agresti cibo mitiore vesci.* Adde II. 2. 9. et XLI. 3. 3. Coll. N. *glandes vesc.* Abr. Gronov.

6. Literae certe. Qua caussa Diodorus XIII. 27. pr. Athenas vocat *κοινὸν πάντων ἀνθρώπων παιδευτήριον, communem omnium hominum scholam.* Thucydides II. 8. 38. *παίδευσιν τῆς Ἑλλάδος, Graeciae informatricem.* Cicero de Oratore I. 4. *doctrinarum omnium inventrices.* et IV. famil. epist. 12. *nobilissimum orbis terrarum gymnasium.* Bernec. — Mirum, quam hic varient MSS. omnes. in plurimis Codicibus legebatur *Ceriae.* In MS. Lugdunensi, quem vidi, legebatur, *literae gregrecerte.* Unde ego coniiciebam, *literae egregiae certe, ac facundia et hic civilis ordo disciplinae* etc. Quas *literas egregias* vocet Iustinus, nemo non videt. Voss. — Noli dubitare quin verissima sit lectio, *literae, ceremoniae, ac facundia* etc. Hanc lectionem praefert etiam codex Thuanaeus. Voss.

Literae certe et facundia et hic civilis ordo disciplinae. Corrupte ita haec leguntur in Franeq. *Literaria quoque facundia et civilis ordo disciplinae.* Sed recte pronomen *hic* ante *civilis ordo disciplinae* omitti puto. Workens. — Vocula *hic* deest in sec. Leid. ed. Ald. Iunt. Abr. Gronov.

7. Regem habuere Cecropem. De statu et mutationibus Reipublicae Atheniensium, multa paucis Strabo lib. IX. Vide et quae Paterculus I. 2. Primum regem faciunt Cecropem: alii Actaeum, sive Actaeonem *αὐτόχθονα:* Pausanias Atticis, Eustathius in Dionysium, alii. De variis appellationibus Atheniensium, praeter iam citatos, vide Herodot. VIII. 44. Bongars.

Ut omnis antiquitas fabulosa est. Infra IV. 1. 8. Bernec. — Fabulosum, hic certe, non idem est quod falsum, quod com-

mentitium; sed id, quod etsi verum est, fabulas tamen in sese admistas habet, aut de quo multae fabulae narrantur. Hinc est quod IV. 1. legas: *Nec mirum si fabulosa est loci huius antiquitas, in quem res tot coiere mirae.* Sic et apud Horatium *Hydaspes fabulosus*:

*vel quae loca fabulosus*
*Lambit Hydaspes.*

non quod Indiae fluvius non sit Hydaspes, (nam e veteri Geographia constat, eius regionis fluvium esse Hydaspem) sed quod de illo multa fabulati essent, vel Poëtae vel illi nugatores Graeculi, qui aut Alexandri, aut Bacchi, aut Persei, (si illuc quoque Perseus) expeditiones scriptis suis prodiderant. Neque vero aliter Horatius, cum alicubi scripsit: *me fabulosae columbae texerunt.* Neque, iterum dico, aliter, cum cecinit:

*Iam te prement nox, fabulaeque Manes.*

id est, Manes, de quibus boni viri tam multa sibi in animo finxere, ut aliis terriculamenta obiicerent. Ridiculus enim esset Horatius, si quem ab eo premi diceret quod esset nihil, id est, si esset fabula. Faber.

Biformem. *Διφυῆ.* Eusebius et Hieronymus in Chronicis. Plutarchus de Sera Num. Vind. cap. 11. Eustathius in Dionys. Vide et Diodorum I. 28. de Pete Mnesthei patre. Bongars. — Plures huius appellationis rationes habet Suidas in *Κέκροψ.* Bernec.

8. Athis. Scribe *Attis.* Bernec. — Scribe *Atthis.* nam *Ἀτθίδα* vocant Graeci. Vide Apollodor. III. et alios. Voss. — Med. Bodl. quint. Leid. ed. Ven. *Attis.* Flor. Paris. Ald. Iunt. *Atthis.* *Ἀτθὶς* etiam dicitur Straboni lib. IX. pag. 397. et Pausaniae lib. I. cap. 2. Eustathius in Dionysium Periegeten V. 423. *Ἀττικὴ δὲ ἡ κατὰ Ἀθήνας χώρα λέγεται, καὶ Ἀτθίς· τοῦτο μὲν ἀπὸ Ἀτθίδος τῆς θυγατρὸς Κραναοῦ.* Abr. Gronov.

Cuius filia Atthis. Eleganter Dorv. 1. et 2. voce *filia* transposita, exhibent *cuius Atthis filia.* Augustin. de Civitat. Dei XVIII. 21. *Et eos postea . . ab* eius *Acca* uxore *nutritos, quamquam* etc. Cicero Nat. Deor. III. 15. *Leucotheam, quae fuit Ino, et* eius *Palaemonem* filium. pro Archia cap. 3. *Erat . . . iucundus C. Metello, illi Numidico, et* eius *Pio* filio. ubi *pio* minuscula *p* scribendum putabat Heumannus, quod alioqui dici debuisset *et eius filio Pio:* frustra omnino, uti perperam etiam, invitis omnibus libris, transponenda haec Lactantii ipsi videbantur, de Opif. cap. XIX. *Non a parentibus dari animos, sed ab uno eodemque* omnium *Deo* patre. Adde quae infra ad XXXII. 1. 5. Wopkens.

9. Amphictyon. Vett. *Amphictyonides.* Vulgo *Amphitryon:* et ita Orosius MS. I. 9. Verum nomen ex Pausania restituit Fr. Fabricius in Orosio, et Iustino. Et ex MSS. emendanda est editio Chronicorum Eusebii, quae *Amphitryonem* quintum Atheniensium regem facit; quum sit *Amphictyon III. Athen.* Errori causam prae-

buit *Amphitruo* Thebanorum rex, vulgo notior *Amphictyone*. De tempore diluvii Deucalionis discrepat ab Auctore nostro Varro, et Eusebius, quod notavit Augustin. XVIII. de Civit. Dei 10. Bongars.

Amphictyon regnavit. Sec. Leid. addit, *anno s. ante urbem conditam octingentesimo decimo*. Ald. Iunt. *Post hunc Amphictyon anno scilicet ante urbem conditam oct. d. regnavit*. Abr. Gronov.

Minervae urbem sacravit. Hegesippus lib. I. cap. 35. *ut homini templum sacraret*. Abr. Gronov.

Nomen civitati Athenas dedit. Atqui Theseum Athenis dedisse nomen, auctor est in eius vita Plutarchus. Rursum Hyginus Fab. CLXIV. et CCLXXV. Minervam Athenas et condidisse et ex suo nomine sic appellasse dicit. Vid. Scalig. in Euseb. pag. 26. pag. 2. Bernec.

10. Aquarum illuvies. Gronovius, ut supra cap. 2. ita hic legi malit *eluvies*. Vorst. — Valde dubito, ut hic quid mutari debeat, et pro *illuvies eluvies* scribi. Sane ut eluvies est excursus et effusio aquarum, ita quid impediat, cur illuvies sit incursus et infusio earum, haud dispicio. Et quae uno loco effluunt, eas alio loco influere, necesse est. De quibus influentibus quia usurpatur *inundatio*, cur non et *illuvies* usurpari posset, equidem haud intelligo. Sed obiicitur, *illuviem* significare sordes extrinsecus aspersas. Verum cum hoc notat, oritur a *lavo*, quasi *illuvies sordium a non lavando*, inquit Agraetius. At cum illud alterum, a *luo*, quod est idem atque *fluo*, quod ex *interluo*, *circumluo* et similibus apparet. Illuvies sane apud Nostrum etiam est cap. 2. neque ulla in his locis scripturae varietas in codicibus antiquis reperitur. Scheff.

Graeciae. Orosius I. 9. *Thessaliae*. Bongars.

11. Aut ad regem Thessaliae Deucalionem ratibus evecti sunt. Melius foret *aut qui ad regem* etc. Sed forma illa durior quidem, at satis usitata est, ut vidimus ad Cicer. Tuscul. V. 3. Vellei. II. 6. et Lactant. lib. V. 3. Saepiusque se nobis obtulit in Augustini de C. D. libris. Wopkens.

A quo propterea genus hominum conditum dicitur. Alii *genus humanum*, quod non adspernor. Sic enim et Cicero dixit in Verrem: *Quod est aliud in illa provincia genus humanum?* Notandum autem ad illud, *quos refugia montium receperunt*, quod scribit auctore Servio ad illa Virgilii lib. III. Aeneid. 578.

*Fama est Enceladi semustum fulmine corpus*
*Urgeri mole hac*.

Varro: *In diluvio confugisse aliquos ad montes cum utensilibus, qui bello postea lacessiti ab his qui de aliis veniebant montibus, facile ex locis superioribus vicerunt. Unde fictum, ut dii superiores dicerentur, inferiores vero terrigenae, qui quia ex humillimis ad summa reptabant, dicti sunt pro pedibus habuisse serpentes*. Mod.

12. Erechtheum. Vett. in hoc nomine varie corrupti sunt. Ab hoc rege Homerus Iliad. II. 547. Athenienses vocat δῆμον Ἐρεχθῆος. Hic a Pausania, Eusebio, quem Augustinus de Civit.

Dei XVIII. 11. sequitur, dicitur *Erichthonius.* Quod hic ait *per ordinem successionis*, repugnat Pausanias Atticis, quem vide et Diod. I. 29. qui eum ait Aegyptium fuisse. BONGARS. — Sec. Leid. *Erioteum.* Coll. N. ed. Bongars. *Erichtheum.* Chronicon marmoreum Oxoniense a Cl. Vossio ad h. l. laudatum epoch. 13. *ΒΑΣΙΛΕΥΟΝΤΟΣ ΑΘΗΝΗΣΙΝ ΕΡΙΧΘΕΩΣ.* epoch. 14. et 15. *ΒΑΣΙΛΕΥΟΝΤΟΣ ΑΘΗΝΩΝ ΕΡΙΧΘΕΩΣ.* ABR. GRONOV.

SATIO APUD ELEUSIN A TRIPTOLEMO REPERTA EST. Hoc Buzygi heroi Attico tribuunt alii. Vide Plinium lib. VII. Hist. cap. 56. et Hesychium in *Βουζύγης*. Epimenidi quoque adscribit hoc Ausonius in Epistolis:

*Hoc si impetratum munus abs te accepero,*
*Prior colere quam Ceres.*
*Triptolemon olim sive Epimenidem vocant,*
*Aut Bulianum Buzygem.*

Ita legendi hi versus. Quis enim sit *Medes*, neminem scire puto: neque etiam quare Buzyges Tullianus dicatur. Omnino ita scribendum *Bullianus*, sive *Bulianus*, a Bulia civitate Attica. Recte autem hic Iustinus frumenti sationem repertam esse ait sub Erechtheo, non sub Erichthonio, ut alii ferme omnes, Erechtheum cum Erichthonio eundem facientes, cum hic quartus, alter vero septimus Atheniensium rex fuerint. Marmor Arundelianum: *ΑΦ ΟΥ ΔΗΜΗΤΗΡ ΑΦΙΚΟΜΕΝΗ ΕΙΣ ΑΘΗΝΑΣ ΚΑΡΠΟΝ ΕΦΥ τε ΥΕΝ ΚΑΙ ΠΡ .... ΠΡΑ .... ΩΤΗΔ .... τρ ΙΠΤΟΛΕΜΟΥ ΤΟΥ ΚΕΛΕΟΥ ΚΑΙ ΝΕΑΙΡΑΣ ΕΤΗ ΧΗΔΔΔΠ ΒΑΣΙΛΕΥΟΝΤΟΣ ΑΘΗΝΗΣΙΝ ΕΡΙΧΘΕΩΣ ΑΦ ΟΥ ΤΡΙΠΤολεμος ..... ΕΣΠΕΙΡΕΝ ΕΝ ΤΗι ΡΑΡΙΑι ΚΑΛΟΥΜΕΝΗι ΕΛΕΥΣΙΝΙ ΕΤΗ ΧΗΔΔΔΔΠ.* Raria, in qua primum Triptolemus seminasse hic dicitur, est campus in Eleusine. Stephanus: *Ῥάριον πεδίον ἐν Ἐλευσῖνι, καὶ Ῥαρία γῆ, καὶ Ῥαριὰς, ἡ Δημήτηρ.* Male apud Hesychium: *Ῥάριων, παιδίον,* pro *πεδίον.* Nomen hoc inditum erat illi campo a patre Rharo. Hesych. *Ῥάρος, ἰσχυρὸς, καὶ ὄνομα τοῦ Τριπτολέμου πατρός.* Filius hic erat Cranai, ut idem alibi; *Κραναοῦ υἱὸς Ῥάρος.* In hac tamen inscriptione Triptolemus, non Rhari, sed Celei filius fuisse dicitur. Et sic quoque Pausanias. Alii autem Celeum regem Eleusinis faciunt, Triptolemo coaevum, alii pauperem hominem. Similis quoque variatio in nomine matris, quae hic Neaera dicitur, cum aliis quoque Metanira, Polymnia, et Deiope vocetur. VOSS.

APUD ELEUSIN. Magl. sec. quint. Leid. ed. Flor. Med. Paris. Ald. Iunt. *Eleusina.* Ven. *Elusina.* *Eleusina* a recto casu *Eleusin.* Cicero lib. VI. ad Att. ep. 1. *Audio Atticum προπύλαιον Eleusine facere.* et epist. 6. *cum iam Appius de Eleusine non cogitet.* Apuleius lib. V. Met. pag. 111. ed. Pric. *Eleusinis Atticae sacrarium.* Ravennas anonymus lib. IV. cap. 9. *Athenas, Eleusina.* Ita MS. Leid. Vulgo, *Athenae, Eleusinae.* *Eleusina* etiam hoc loco Iustino

restituit Munkerus ad Albricum cap. 11. et *Eleusin* pro *Eleusis* Iulio Firmico Avus Observatt. in Script. Eccles. cap. 9. pag. 96. Abr. Gronov.

Noctes Initiorum. Quod, ut ex praecedentibus intelligitur, apud Eleusin illud factum fuit, *Eleusina sacra* infra II. 8. 1. dicuntur. Quodque in honorem Cereris agitata fuere, *mysteria Cereris* infra V. 1. 1. et *Cerealia sacra* Velleio I. 4. 3. appellantur. Vorst.

Cum Medo filio. Vide infra XLII. boni libri *Medio*. Bongars. — Bong. *Medo*. Sed retinuimus lectionem, quam ipso Bong. teste MSS. bonae notae agnoscunt, quaeque etiam XLII. 2. 16. exstat. Sic *Medea* MSS. etiam est *Media*. Bernec. — Antiquiores typis expressi *Medo:* quod et Bongarsius retinuerat. Berneccerus tamen maluit *Medio;* quoniam in MSS. quibusdam sic esse testatur Bongarsius, et quia infra XLII. 2. 16. ita legitur. Reputandum tamen erat, quod Strabonem, Stephanum atque Eustathium, *Medum* eum vocasse Bongarsius monuit. Vorst. — Magl. sec. quint. Leid. Coll. N. ed. Bech. Ald. Iunt. aliaeque, *Medo:* nec aliter infra XLII. 2. 13. Med. Magl. Periz. ed. Rom. Ald. Iunt. Ibid. cap. 3. 6. *Medus* pro *Medius* dant iidem MSS. cum Coll. N. et quatuor Leid. eaedemque editiones et Bech. *Μῆδος* etiam dicitur Straboni lib. XI. pag. 526. Abr. Gronov.

15. Demophoon qui auxilium. Hic variat historia. Mnesthei Atheniensium regis anno XVIII. captam Troiam auctor est Eusebius: at Homerus in Catalogo navium Iliad. II. 552. et Diodorus lib. I. eundem faciunt Atheniensium ducem. Collocatur autem inter Theseum et Demophoontem. Bongars.

16. Dorienses. Herodotus V. 76. Vide et Valerium Max. V. 6. et Augustinum de Civit. Dei XVIII. 18. Pausanias Atticis et Achaicis, Orosius I. 18. *Peloponnenses* vocant, et Eusebius in Chronicis: Velleius Paterculus I. 2. *Lacedaemonios:* quae eadem sunt. Fuit autem Codrus Melanthi exsulis filius: Plutarchus de Exsilio cap. 24. Strabo lib. IX. Hunc locum transscripsit Saresber. Policrat. IV. 3. Bongars. — Historia, praeter auctores citatos, ex his quoque petenda: Cicerone Tuscul. I. 48. Amm. Marcellino XXII. 13. Polyaeno Strategem. I. Tzetze Chil. I. Hist. 4. Lactantio III. 12. Servio ad Eclog. Virg. IV. Bernec.

Simultatum. Med. pr. quart. quint. Leid. ed. Salmur. *simultatium*, ut *civitatium*, *adfinitatium*. Abr. Gronov.

De eventu proelii oracula consuluerunt. *De eventu belli* alii, quod probo. aliud enim longe est *vincere bello*, aliud *vincere proelio*. illudque prius est de quo fere oracula consuli solent, cum victus proelio, saepe victorem postea vincat, *victus bello*, in victoris sit potestate. Mod. — Magl. Thuan. Coll. N. ed. Ald. Iunt. *de eventu belli*. Saresberiensis lib. III. cap. 1. pag. 214. stat a vulgato. Paullo post Coll. N. ed. Med. Ald. Iunt. *cum ventum esset in bellum*. Abr. Gronov. — Rarius *praelium* pro bello (in quo plura possunt accidere praelia) sumitur, ideoque non immerito Modius cum aliis

libris mavult *de eventu belli;* quod mutari ideo a nugatore potuit, quia vox *bellum* iam praecesserat. Sic autem Noster rursum lib. III. 5. *Lacedaemonii de* belli *eventu oraculo Delphis consulto, iubentur ducem* belli *ab Atheniensibus petere.* Supra cap. 3. *Ducem stolide adversus inopes occupasse* bellum, *quod magis domi fuerit illi timendum, quod* belli *certamen anceps . . damna manifesta sint.* ubi geminatio ista immerito sollicitatur a Scheffero lib. XV. 2. ext. bellumque *communibus viribus instruunt. Cui cum C. interesse propter finitimum* bellum *non posset* etc. vide et lib. V. 10. extr. Florus II. 15. *Cum* bellum *sederet. . . de fine* belli *tractatum.* Livius XLI. 15. *Sub finem Istrici* belli, *apud Ligures concilia de* bello *haberi coepta.* et cap. 28. *Non tamen* belli *consilia omisit, imo . . iam inchoavit* bellum. vide lib. XLII. 29. Atque ita repetitur vox *missus* infra lib. XVIII. 3., 9. *origo* lib. II. 6. 3. *insidiae* lib. XLIII. 4. 8. et infinita talia. WORKENS. — Non erat, quod lectionem vulgatam Vir doctissimus sollicitaret. *praelium* enim et *bellum* hic faciunt paria, quemadmodum *bellum* minime raro pro *praelio* Graecis et Latinis ponitur. Sic ipse Iustinus lib. III. cap. 6. §. 7. *interiecto deinde tempore post reditum suorum aucti et classis et militum robore praelium reparavere.* Dictys lib. I. cap. 15. *tum communi consilio super conditione praelii iusiurandum interponi hoc modo placuit.* Vid. Cortius ad Iulium Exsuperantium de bello civili cap. 3. Atque hanc quidem significationem nominis *praelium,* qua est *bellum,* frustra in Fabri Thesauro quaesiveris. DRESIG.

17. RESPONSUM, SUPERIORES FORE, NI REGEM. Saresberiensis: *responsum est, superiores fore, nisi r.* ABR. GRONOV.

18. CUSTODIA REGIS PRAECIPITUR. Bodl. *custodia Atheniensium regis praec.* ABR. GRONOV.

19. PANNOSUS. Sumta veste lignatoris, ut vult Polyaenus: pastoris, ut Velleius. *Famularem vestem* vocat Cicero: quomodo et in Valerio legendum censet Modius, pro *familiarem.* BERNEC.

SARMENTA. Quasi sarpimenta. Liv. VI. 10. *Fascibus sarmentorum ex agro collectis.* Varro I. Rei Rust. 31. *ut vitis firmiore sarmento e terra exeat.* Cic. II. de Nat. Deor. 21. *Sarmenta vitium.* Dionys. Hal. VII. Ant. Rom. 10. *Φακέλλους φρυγάνων κομίζων.* et Polyaen. I. Stratag. 24. *Σχῆμα φρυγανιστῆρος λαβών.* Thucyd. III. pag. 119. *Ἐξελθόντες ἐπὶ λαχανισμὸν καὶ φρυγάνων ξυλλογήν.* Festus: *Sarpta vineta, putata, unde et virgulae abscissae sarmenta.* Hinc apparet error Becmanni, qui perperam *sarmentum* ab *sarrire* deducit, cui et *sarmenta* sunt quisquiliae scopis collectae; imo sunt virgae, et vimina. *Sarriuntur* enim agri, *sarpuntur* vineae. Vid. Salmas. ad Solin. pag. 1350. GRONOV.

QUI ET RESPONSO DEI, ET PRAECEPTIS HOSTIUM COGNITIS, PERMUTATO REGIS HABITU, PANNOSUS, SARMENTA COLLO GERENS. Saresberiensis: *qui responso Dei, et p. h. c. mutato regis habitu, sarmenta c. g.* ABR. GRONOV.

20. Ibi in turba obsistentium, a milite, quem falce astu convulneraverat, interficitur. Idem: *in turba obs. a milite, quem falce percusserat, int.* Vox *astu* desideratur in MS. Coll. N. Verbum *convulnerare* etiam occurrit apud Hegesippum lib. I. cap. 45. *tot parricidiis convulneratur.* Ita MS. et margo edit. Gualtheri. Abr. Gronov.

Falce astu convulneraverat. Angl. vocem *astu* omittit. Scheff.

Cognito. Sebisius legit *agnito.* Latinitas certe poscit. Sic II. 8. 4. — Sed probum est *cognito.* Sic Liv. XXIV. 16. 6. Adde Varronis versum citatum infra II. 12. 7. Bernec.

# CAP. VII.

2. Administratio reipublicae annuis magistratibus. Paterculus I. 2. et Eusebius in Chron. post mortem Codri principes aiunt constitutos, quos mors finiebat: multis autem post annis constitutos annuos magistratus. Bongars. — Hoc loco graviter errat Iustinus, qui non meminerit post Codrum Melanthi filium fuisse primo Archontas perpetuos, dein decennales, dein annuos, a quo errore procul abfuisse Trogum Pompeium deierare possim. Vide omnino librum Ioannis Meursii, viri inter Batavos doctissimi; ei libro materia de Archontibus: opus est exactissimum, et tanto viro dignissimum. Faber. — Quod post ultimum regem Codrum *magistratus* illico *annuos* collocat, id minus recte factum dignoscitur. Reges enim secuti fuerunt Archontes, primo quidem tredecim perpetui, deinde septem decennales. Vorst. — In MSS. legitur *annua*, ex qua varietate colligo esse verum, quod notavit Meursius in Archont. Athen., excidisse aliqua hoc loco, verbaque quibus agebatur de Archontibus perpetuis et decennalibus ante magistratus annuos, desiderari. Scheff.

3. Nullae leges. Ex Plutarchi Solone et aliis notum, Draconis legibus usos Athenienses ante Solonem. Vide A. Gellium XI. 18. Bongars.

Libido regum. Supra I. 1. 2. Bernec.

4. Vir iustitiae insignis. Magl. Coll. N. ed. Rom. Bech. Ven. Flor. Paris. Ald. Iunt. *iustitia.* Infra V. 2. 6. *Erat enim et aetatis flore, et formae veneratione, nec minus eloquentia etiam inter Athenienses insignis.* et VI. 8. 3. *nec postea virtutibus, sed cladibus insignes fuere.* Virgilius lib. V. Aen. vs. 10. *Insignem pietate virum.* Lactantius lib. V. cap. 12. *insignis scelere et audacia.* Saxo lib. XIV. pag. 249. *utque fortitudine fuerat, ita iustitia insignis apparuit.* Abr. Gronov.

Qui velut novam civitatem legibus conderet etc. Sic Livius I. 19. *Urbem novam conditam vi et armis, iure eam* (forte *iam*) legibus*que ac moribus de integro* condere *parat.* Wopkens. — Ed. Rom. *qui v. n. c. l. conderet. Hic tanto t. i. pl. senatumque egit, ut, cum si q. p. a. o. tulisset, et alteri disciplituram*

*videret, ab u. p. gr. traheret.* Ald. Iunt. *qui v. n. e. l. conderet, tanto t. i. p. senatumque egit, ut, si quid pro a. o. tulisset, et alteri displ. videretur, tamen ab utr. p. gr. tr.* Vocem *temperamentum* eodem sensu adhibuit Saresberiensis lib. VIII. cap. 14. *Aequitatis admirabili temperamento se inter misericordem patrem et iustum legislatorem partiens.* Abr. Gronov.

5. Tanto temperamento. Dicere enim solebat, τὸ ἴσον πόλεμον οὐ ποιεῖν. Vide Plutarchi et Laërtii Solonem; eiusque de legibus praeter ceteros Herodotum I. 29. et II. 177. Emendandus Ammian. XVI. *Ex Rhetris Lycurgi, id est, Axonibus.* Leg. *et Axonibus.* ut *Rhetrae* Lycurgi, ita *Axones* Solonis. Plutarch. Bongars.

Ut ab utrisque. Similem moderationem Livius tribuit Fabio III. 1. 4. et mensariis VII. 21. 8. et Ovid. de se Trist. II. 96.

*Res quoque privatas statui sine crimine iudex:*
*Deque mea fassa est pars quoque victa fide.* Bernec.

6. Inter multa egregia illud memorabile fuit. Med. Coll. N. Bodl. *i. m. egregia et illud.* Ed. Rom. *inter egr. multa et illud.* Bech. Ven. Flor. Med. Paris. Ald. Iunt. *i. m. egregia et istud.* Abr. Gronov.

7. Salaminae. Quart. Leid. *Salaminiae.* ed. Ald. *Salaminis.* Infra XLIV. 3. 2. *atque ibi urbem nomine antiquae patriae Salaminam condidisse.* ubi etiam *Salamina* praeferunt ed. Med. Ald. Iunt. cum MS. Coll. N. sec. tert. quart. Leid. Eadem varietas occurrit apud Plinium lib. V. cap. 31. *Salamis, Amathus.* MS. Leid. *Salamina, Amathus.* Ampelius cap. 6. *Aegina, Salamina, Coos.* Saresberiensis lib. VIII. cap. 6. pag. 557. *Xerxes apud Salaminam vix una nave evasit.* Porro Ald. Iunt. *usque ad interitum civitatis.* Abr. Gronov.

8. Capital. Θανάτῳ ζημιοῦσθαι Plutarch. Solone 10. Festi mutilator Paulus: *Capital facinus, quod capitis poena luitur.* Ea est plerisque locis apud bonos auctores veterum librorum scriptura. Bongars. — Ita iam pridem correxeram non hic tantum, sed etiam apud Silium meum:

*Praevetitum namque et capital committere Martem*
*Sponte viris.*

ubi antea ineptissime legebatur:

*Praevetitum capiti poena committere Martem.*

Et sic Plautus Men. *Tametsi capital fecerit, facile asservabis.* vel, ut alii allegant, *Numquam hercule effugiet, tametsi capital fecerit.* Lucilius lib. XXVI.

*Facile deridemur, scimus capital esse irascier.*

Mod. — Valerius Maximus V. 1. ext. 1. *id ei salutare futurum dicens, quod apud Persas capital exstitisset.* Curtius lib. VIII. cap. 9. *quas* (arbores) *violare capital est.* L. Seneca lib. IV. de Benef. cap. 38. *quo* (decreto) *cavetur, ne miseros tecto iuvare capital sit.* Confer notam Avi ad M. Senecae Controv. VIII. Abr. Gronov.

9. Censendo. Verbum illud proprie dicitur de Senatore, quum sententiam dicit de eo quod sibi videtur. *assentiri* vero, si alienam sententiam probat; quem verbi usum varii indicant auctores, ut Seneca de Tranquill. animi cap. 3. *Qui de pace et bello censet.* Plin. IV. Ep. 9. *Consurgere ad censendum.* Sueton. Claud. 20. *Per taedium ac dissensionem diversa censentium.* et Liv. III. 40. *Censendo enim quoscunque magistratus esse, qui senatum haberent, iudicabat.* Gronov.

Aut censendo sibi periculum afferret. Ita antiquiores typis expressi. Bongarsius τὸ *periculum afferret* expunxit, edixitque, *ne aut tacendo parum reipublicae consuleret, aut censendo sibi:* ut τὸ *parum consuleret* ad utrumque referatur. Mihi, si ipse auctor ita voluisset, idem videtur scripturus fuisse hunc in modum: *ne aut tacendo reipublicae, aut censendo sibi parum consuleret.* Nunc quia τὸ *parum consuleret* in priore commate est, in posteriore aliquid aliud, et quidem τὸ *periculum afferret*, positum voluisse videtur. Vorst. — Sed MSS. et quos Bongarsius et Angli viderunt, adversantur, in quibus *periculum sibi afferret* non reperiuntur. Graev. — Franeq. et margo Dorv. 3. cum priscis editionibus . . *aut censendo sibi periculum afferret.* Liv. XXIX. 1. *Ea militia multos labores, magna* pericula allatura *videbatur.* Hegesippus lib. V. 19. Periculum *itaque virtus* attulerat . . *si eventus bellantem deseruisset.* Lactantius lib. VI. 11. *Casibus, qui* periculum *vitae homini* afferunt. Arnobius contra G. lib. I. *Nihil nocitura ei qui fecit*, periculum allatura *sed vobis.* Et licet id non incommode abesse possit, alibi tamen istiusmodi περισσολογίαις utitur Iustinus, ut videmus ad lib. XXXVI. 1. *Tantumque contemtum . . quantum odium ex superbia pater* habuerat, *contraxit.* Wopkens. — Magl. ed. Rom. Bech. Ven. Flor. Med. Paris. Ald. Iunt. *aut censendo* (Magl. *consulendo*) *periculum sibi afferret.* Thuan. *aut censendo sibi offenderet.* Abr. Gronov.

Dementiam. Inprimis versutum et callidum factum Solonis vocat Cicero de Offic. I. 10. Versus eius vide apud Laërtium. Totam historiam quaere apud Plutarchum in Solone cap. 10. etc. Meminit et Pausanias in Atticis, et Aelianus VII. 19. ubi interpres *δύο νεῶν Μεγαρίδων κρατήσας* male vertit, *captis duobus templis,* cum sit, *duobus Megarensium navibus potitus.* Vide etiam Frontinum IV. fin. Controversiam de Salamina insula exponit Strabo lib. IX. ubi de Megara. Bongars.

Subitam dementiam simulat. Id saepe ab hominibus prudentibus feliciter factum, observat Vir Eruditiss. S. I. Stephanius ad Saxon. Gramm. III. pag. 49. Wopkens.

Cuius venia. Ita *Drusus alienationem mentis simulans quasi per dementiam funesta Tiberio imprecatur.* Tacit. Annal. VI. 24. *Octavius quidam valetudine mentis liberius dicax.* Suet. Iul. 49. §. 5. Bernec.

11. Factoque concursu. Haec Graece expressit S. Lucas in

Act. Apost. XXIV. 12. *ἐπισύστασιν ποιῶν*. Cavere enim solent leges ne concursus fiat, quo publica quies violari possit. ut L. 4. D. ad Leg. Iul. de Vi priv. *Legis Iuliae de vi privata crimen committitur, quum coetum aliquis, vel concursum fecisse dicatur, quo minus in ius quis produceretur.* et apud M. Senec. Epit. Controv. III. 8. *Qui coetum et concursum fecerit, capital esto.* ratio autem huius cautionis est apud Liv. XXXIX. 15. Gronov.

Insolitis sibi versibus suadere populo coepit. Salamis inscribebatur poëma illud Solonis, et constabat centum versibus: quorum principium habes apud Plutarchum in Solone, et Diogenem Laërtium, quamvis aliter: sed minus recte. Versus, quibus maxime persuasit populo, apud Diogenem exstant. Sic vero sunt legendi:

*Εἴην δὴ τότ' ἐγὼ Φολεγάνδριος, ἢ Σικινίτης,*
*Ἀντί γ' Ἀθηναίου, πατρίδ' ἀμειψάμενος.*
*Αἶψα γὰρ ἂν φάτις ἥδε μετ' ἀνθρώποισι γένοιτο,*
*Ἀττικος οὗτος ἀνὴρ τῶν Σαλαμιναφετῶν.*

non, ut vulgo, *τῶν Σαλαμῖν' ἀφέντων*. Voss.

## CAP. VIII.

1. Megarenses. Eadem Frontin. Strateg. IV. 7. 44. et prolixe Aeneas in Polioreetico cap. 4. Bernec.

Memores illati Atheniensibus belli et deserti. Haec lectio non potest tolerari. Megarenses non bellum intulerant Atheniensibus, sed Athenienses inflammati a Solone Megarensibus. Itaque cum nec belli illati nec deserti possint dici memores fuisse, recte MSS. Anglicani pro *deserti* scribunt *veriti;* quibuscum sentit Iuntina: sed illa legit quoque *memores illati ab Atheniensibus belli.* quod si est ex antiquis codicibus, probo; sin, vulgata lectio non est sollicitanda. eiusdem enim est sententiae. Nec haec ellipsis infrequens est optimis scriptoribus. Tac. I. Annal. *Sed veteris populi Romani prospera vel adversa claris scriptoribus memorata sunt.* hoc est, a claris scriptoribus. Sic et locutus est Suetonius, aliique idonei Latinae linguae auctores. Graev.

Et deserti. Belli puta. Ita quidem Bongarsius, ex Codd., credo, MSS. Mihi tamen magis placet quod in antiquioribus typis expressis, qui et ipsi utique codices MSS. referunt, legitur, *et veriti ne frustra arma movisse viderentur.* Vorst. — Vett. alii legunt *deserti* pro *veriti*, minus apposite. Oxon. — Puto nil mutandum. Est enim *deserere bellum* genus loquendi Nostro familiare. Nec hic locus illi *veriti*, cum ubi quid veremur, ab agendo absistimus. At illi revera bellum omiserant. Scheff. — Miror, Graevium *Atheniensibus* accipere pro, ab Atheniensibus, vel cum Iuntina (quacum etiam duo Dorv. congruunt) *ab Atheniensibus* legere; quum de bello, a Megarensibus Atheniensibus quondam illato, loqui Iustinum, facile appareat ex his, *ne frustra arma movisse viderentur*, i. e. bellum in Athenienses sumsisse. Merito igitur, complurium suorum MSS. au-

ctoritate, *et deserti* edidit Abr. Gronovius, prout etiam Franeq. et Dorv. 1. et 2. repraesentant, pro *et veriti*, quod Graevius Vorstiusque anteferebant. Wopkens. — Med. Magl. Reg. Bodl. pr. quart. Leid. Periz. *et deserti*, *ne fr. sec.* in margine, atque quint. *et di-serti:* ut infra h. l. cap. 12. 19. *deserto bello.* V. 2. 10. *eatenus bellum sustinendum, ne inopia deseratur.* IX. 2. 5. *ne inopia bellum deserere cogatur.* et XX. 5. 10. *bellum quod lue deseruerant.* Abr. Gronov.

Eleusinis sacris. Quae et *noctes initiorum* autori II. 6. 13. et *mysteria Cereris initiorum sacra* V. 1. 1. et *Cerealia sacra* Velleio I. 4. 3. Bernec. — Supra II. 6. 13. *noctes initiorum* dicuntur, atque apud urbem Eleusin agitatae dignoscuntur: obque eam causam *Eleusina sacra* hic et appellantur. Ipsa quoque Ceres, in cuius honorem celebrata fuere, a Virgilio I. Georg. *Eleusina mater* vocatur. Vorst.

In eleusiniis sacris. Bechar. *in Eleusinis sacr.* Abr. Gronov.

2. Pisistratus iuventutem in insidiis locat, iussis matronis. MSS. plerique Bongarsii, et duo mei antiquissimi, *in insidiis locarit*, *iussitque matronis* etc. Lego, *in insidiis locavit*, *iussitque matronis* etc. Mod. — Polyaenus et alii nonnulli Soloni id strategema tribuunt, non Pisistrato. Sed conciliat haec Plutarchus in Solone, qui docet, utriusque ope id gestum esse. Voss.

In accessu hostium. Quali accessu? ad matronas, credo. At cautum erat per insidias, ne accederent, quippe quae inopinantes et tantum quod egressos e navibus occupabant, ut apparet ex sequentibus. MS. quidam habet, *etiam in excessu*, hoc est, etiam cum viderent, ex navibus descendere in terram. *Exscensus*, verbum vere nauticum et proprie ad hunc locum pertinens. Livius XXII. *Itaque ad Honoscam profecti, exscensu e navibus in terram facto, quum vi urbem cepissent, captamque diripuissent, Carthaginem inde petunt.* Vide plura in de Mil. Nav. nostra. Huius verbi alterum *accessus* glossa videtur. Scheff. — Mirum in modum vitilitigat Schefferus, ut immodicae suae novandi lubidini indulgeat. *In accessu hostium*, hoc est, dum hostes Athenas accedunt. Wopkens.

3. Captarum matronarum praeberent. Penultimam vocem ignorat Med. Abr. Gronov.

Megaram contendit. MSS. et Iuntae: *Megara contendit.* Recte. vide Gronov. ad Liv. XXXI. 22. Graev. — *Megara* legendum, non *Megaram*, monet Gronovius ad Liv. XXXI. 22. Estque ita sane in MSS. ut ipse observavit Bongarsius. Et habet quoque ita editio Iuntina, uti testatur Graevius. Quod autem maximum, ipsum quoque Nostrum infra XIII. 5. 10. numero plurali *Megaris* scripsisse video. Plautus quoque Mercatore: *Sed quam capiam civitatem, cogito, potissimum, Megara, Eretriam, Corinthum.* Ipsi quoque Graeci τὰ Μέγαρα dicunt. Vorst.

4. Paullum a capienda urbe abfuit. Med. a pr. m. quart. quint. Leid. ed. Bongars. *afuit:* ut supra h. l. cap. 5. 1. ex eadem

ed. et Med. a pr. m. *afuissent.* Cicero lib. IV. ad Famil. epist. 3. *Etsi enim afui.* Ita MS. Pomponius L. 22. Quibus modis ususfr. *et illa afuerit.* Paulus L. 39. ex Quibus c. mai. *Is qui reipublicae causa afuturus erat.* et L. 17. §. 3. de Usur. *reipublicae causa afuit.* Iulianus L. 41. ex Q. c. mai. *reipublicae causa afuit.* et in fine eiusdem Legis, *r. p. c. afuit.* ubi quaedam Edd. praeferunt *abfuit* contra fidem MS. et ed. Florent. Papinianus L. 13. ad Municip. *Si alter ex magistratibus toto anno afuerit.* Ulpianus L. 69. de V. S. *cui rei dolus malus aberit, afuerit.* Macrobius lib. I. Saturn. cap. 2. *a quo* (convivio) *te afuisse non opinor.* Symmachus lib. X. epist. 59. ex MS. *nam certe iusto diutius afuisti.* Abr. Gronov.

5. Ita megarenses. Vett. omnes, *Dorenses.* inepte et ἀνιστορήτως. Irrepsit forte ex superioribus. Bongars.

6. Pisistratus. Praeter Plutarchum in Solone, et Herodotum I. 59. lege Val. Max. I. 3. et VIII. 9. Aelian. VIII. Hist. Var. 16. Qua autem ratione Pisistratidarum tyrannide liberati sint Athenienses, docet Herodotus V. 63. et Pausanias Laconicis. Bongars. — Diodor. XIII. 95. Bernec.

Quasi sibi, non patriae vicisset. *Sibi* pro *in suum commodum.* Cicero II. Philip. *Num sibi soli vicit?* Curtius VI. 11. 29. *Non enim sibi, sed hosti esse occisuros Alexandrum.* Vid. Ind. Freinshemii in Florum voc. *Sibi.* Est etiam ubi *sibi* aliique dativi denotant detrimentum et damnum. Cicero II. 18. ad Fam. *Sin quod offenderit, sibi totum, nihil tibi offenderit.* Vorst.

7. Laceratoque corpore. Coniunctionem scripti quidam non agnoscunt; mox pro *advocata* habent *vocataque.* Suspicor, a prima manu sic se habuisse omnia: *quippe voluntariis verberibus domi affectus, lacerato corpore in publicum progreditur, ac vocata concione, vulnera populo ostendit.* Scheff.

Progreditur: advocata concione etc. Med. sec. quint. Leid. et Vincentius lib. III. cap. 18. *egreditur:* idemque paullo post, *conqueritur.* Ed. Bech. Ven. Flor. Mediol. Paris. Ald. Iunt. *et advocata.* Abr. Gronov. — In altero Voss. erat *advocat concionem.* Gronov. — Leg. cum Iuntina: *et advocata concione.* Mox eadem: *multitudo credula incenditur.* Graev.

9. Et invidiosa oratione. Pro *oratione* in Dorv. 3. est *relatione*, ut lib. XXX. 4. relatione *rerum recentissimarum suos stimulabat in iram.* Sed alterum moveri non opus est. Sallust. Catil. cap. LI. 10. *Scilicet quem res tanta atque tam atrox non permovit, eum* oratio accendet. Iugurth. cap. LXXXI. *Ibi fide data et accepta, Iugurtha Bocchi animum* oratione accendit: *Romanos iniustos* etc. ubi frustra est, ut passim, Cortius. Wopkens.

10. Per annos triginta tres. Ex his septendecim tantum annos in potestate urbem habuit: sedecim in exsilio egit. Aristot. Polit. V. 12. Bernec. — Med. Magl. *triginta quatuor.* Sec. quint. Leid. Bodl. ed. Bech. Ald. Iunt. aliaeque, XXXIIII. Abr. Gronov.

## CAP. IX.

1. Diocles, alter ex filiis. Nescio quid Iustino evenerit, ut quem omnes unanimi consensu Hipparchum vocent, ille Dioclem appellet. Neque tamen, eum in re notissima lapsum esse, crediderim, cum nullam huius erroris causam videam. Voss. — Mirum quod filium Pisistrati, qui post patrem tyrannidem tenuit, *Dioclem* vocat: nec apparet quos secutus sit auctores. Herodotus sane et Thucydides unum filium Pisistrati *Hipparchum*, alterum *Hippiam* vocant; et *Hipparchum* quidem illum, qui fuit interfectus. Videsis Herodotum V. et Thucydidem VI. Vorst. — Nomen proprium abest a MS. Coll. N. nec male. Abr. Gronov.

Stuprata virgine, a fratre puellae interficitur. Frater ille fuit Harmodius, qui quidem socium habuit Aristogitona, ut ex modo dictis auctoribus apparet. Sed non ob virginem stupratam, sed alio modo indigne eam habitam, et quidem quod a ministerio gestandi in Panathenaicis canistri submota per Hipparchum fuerat, quodque ipsum virginis fratrem Harmodium Hipparchus de stupro appellarat, interfectum hunc prodidit Thucydides VI. a quo nec Aristoteles discrepat V. Polit. 10. At Plato in Hipparcho ne hanc quidem veram caedis Hipparchi causam fuisse censet; quamvis vulgo ea iactata fuerit: sed quod nobilis quidam Harmodium primo et Aristogitonem sapientiae causa admiratus atque sectatus fuisset, post vero Hipparcho familiaris factus eosdem contemsisset. Ceterum de Hipparchi studio literarum, deque amore eius in literatos multa in eodem Dialogo Plato, ex eoque Aelianus VIII. Var. Hist. 2. commemorat. Vorst.

2. Alter Hippias nomine cum imperium pat. teneret. Non male haec congruunt cum narratione Thucydidis, qui lib. VI. diserte dicit, non Hipparchum, ut plerique opinantur, sed Hippiam, qui natu fuerit maximus filius Pisistrati, principatum tenuisse: itemque cum narratione Herodoti, qui Hipparchum Pisistrati filium, Hippiaeque tyranni fratrem ab Aristogitone et Harmodio interfectum scribit. Mirum autem, quod, cum non ipsum tyrannum Hippiam, sed fratrem eius Hipparchum Aristogiton et Harmodius interfecissent, eos tamen Athenas tyrannide liberare conatos auctores scribunt; quodque effigies illis aeneae statutae fuerunt, quae ad tempora usque Xerxis duravere, cumque ab hoc in Persiam deportatae fuissent, a Seleuco demum in pristinas sedes sunt reportatae. Inter fragmenta Alcaei est aliquod ex quo apparet, quantopere de Hipparcho occiso Athenienses gratulati fuerint. Verba haec sunt, sed Latine versa: *In myrti ramo gladium gestabo, sicut Harmodius et Aristogiton, cum tyrannum occiderunt, et ut Athenae aequabili iure uterentur, effecerunt. Charissime Harmodi, nondum es mortuus, sed in beatorum insulis te aiunt esse* etc. Vorst.

3. Qui cum per tormenta conscios caedis nominare coge-

RETUR. MSS. mei constanter abnuunt τὸ *caedis:* neque mihi eo opus hic videtur. Nonius: *Scius et Conscius hoc differunt*, inquit, *quod Scius secum*, *Conscius cum alio scius est.* unde sequitur absolute recte poni. praesertim cum talis est oratio, quae ex praecedentibus et sequentibus lucem accipere potest. MOD. — Modius vocem *caedis* suos MSS. constanter abnuere dicit: nec est sane necessaria. BERNEC. — Apud Vincentium prave editum est, *consocios caedis.* et dein: *utrum aliquis de consociis superesset.* ABR. GRONOV.

4. QUAERENTI TYRANNO, AN ADHUC ALIQUI CONSCII ESSENT, NEMINEM AIT SUPERESSE. In antiquioribus typis expressis Codd. postrema casu recto et verbo finito expressa reperiuntur hoc modo: *Nemo*, *ait*, *superest*, *quem amplius mori gestiam quam ipsum tyrannum.* VORST. — Impressi quidam habent *reliqui*, pro *aliqui.* Et sequitur in responsione, *neminem superesse*, quod convenit non cum *esse* simpliciter, sed cum *reliquum esse.* Videndum igitur, annon scripserit Iustinus, *an adhuc reliqui aliqui conscii essent.* Potuerunt sane scribae stolide alterum vocabulum propter similitudinem, ut supervacuum, facile omisisse. SCHEFF. — Iuntina stat ab illis vetustioribus editionibus, quas laudavit Vorstius. GRAEV. — Med. Magl. sec. quint. Leid. Bodl. *nisi ipsum tyr.* ed. Bechar. Ald. Iunt. *nemo*, *ait*, *superest*, *q. a. mori gestiam*, *q. i. t.* Vincentius: *neminem esse*, *quem mori vellet*, *praeter ipsum tyrannum.* ABR. GRONOV.

5. POST VINDICTAM PUDICITIAE. Unus Anglicanus: *post vindicatam pudicitiam.* GRAEV. — Concinnius MS. Bodl. *post vindicatam pudicitiam* etc. ut lib. XXII. 8. *Nam* post occisum *Hamilcarem Gisgonis filium*, *novus eo a Poenis missus exercitus fuerat.* Lib. XXVIII. 2. *Qui Alexandri Magni* post *Persas Indosque* devictos . . *edicta spreverint.* Lib. XXXIX. 3. *A nullo* . . post victum *hostem in foeminas saevitum.* Sic enim recte tres Dorv. pro vulgato *post victoriam in f. s.* Livius XLV. 14. *Missum eum ab L. Paulo* post devictum *Persea in Africam cum equitibus suis.* WOPKENS.

6. CUM ADMONITA CIVITAS LIBERTATIS ESSET. Saxo lib. V. pag. 78. f. *quo dicto Ericus propulsandae fraudis admonitus.* ABR. GRONOV.

TANDEM HIPPIAS REGNO PULSUS. Tribus annis post interfectum fratrem Hipparchum tyrannidem tenuit; quarto autem accepta fide publica Sigeum et inde Lampsacum ad Aeantidem profectus est, et illinc ad Darium regem Persarum; ut ex Thucyd. lib. VI. scire licet. VORST.

8. AUXILIUM A LACEDAEMONIIS. Per *Φειδιππίδην ἡμεροδρόμον.* Herodotus VI. 105. Probus in Miltiade. Meminit et Plato III. de Legibus. De quatridui religione, Lycurgi legem commemorat Lucianus de Astrologia. Vide et Strabonem lib. IX. Confer cum auctore nostro Orosium II. 8. BONGARS.

PETIVERUNT. MSS. omnes habent *perduraverunt.* Quare suspicor, Iustini esse *postulaverunt.* quod tanquam minus usitatum

alius exposuit per *petiverunt*. Sane verbo isto sic consuevit uti Nepos quoque, praesertim ubi petitio est vehemens, sicut fuit hoc in loco. SCHEFF. — Med. Magl. Periz. ed. Ven. Flor. Paris. Ald. Iunt. *socia tunc civ*. Eaedem edd. cum Bechar. Med. et MS. Magl. *petierunt*. Schefferus malabat *postulaverunt* pro *perduraverunt*, quod in omnibus MSS., uno excepto, se reperisse testatur Bongarsius; idemque praefert Thuaneus: at quart. Leid. a reliquis discedens suffragatur coniecturae Schefferi, quae tamen non necessaria est. Cornelius Nepos Miltiade cap. 4. *Hoc tumultu Athenienses tam propinquo tamque magno permoti, auxilium nusquam, nisi a Lacedaemoniis, petiverunt*. ABR. GRONOV.

9. QUOS UBI VIDERUNT QUATRIDUI TENERI RELIGIONE. Isthaec religio a lunae observatione erat; nam quemadmodum semper post exortum solem Persae agmen movebant, ita et Lacedaemonii lunam sequebantur, aut crescentem, aut plenam, ubi aliqua expeditio suscipienda erat. Unicum arbitror esse huius rei testem. Is Pausanias. Si fallor, ubi unicum dico, alius me moneat. FABER. — Periz. *quos ubi didicerunt*, ut supra h. l. 3. 13. Magl. ed. Rom. *quatriduanae religionis otio teneri*. Thuan. a sec. m. *quatriduanae teneri rel. otio*. Orosius et Freculphus: *cum detineri quatriduanae religionis otio compertum haberent*. Apud Freculphum post *detineri* inepte additur vox *Persas*, eamdemque retinet Vincentius. Ita enim ille: *Interim cum viderent Persas quatridui religione teneri, nacta occasione, non exspectatis Lacedaemoniis*. ABR. GRONOV.

NON EXSPECTATO AUXILIO, INSTRUCTIS DECEM MILLIBUS CIVIUM. Etiam illud *auxilio* abest ab omnibus tam Bongarsii, quam meis MSS. et absit sane, ut dixerit Iustinus, *non exspectato, instructis decem millibus* etc. et quemadmodum Sallustius: *Audito, consulem in Ciliciam tendere*. neque enim semper scriptores, praesertim ut optimus quisque est, servant in his Grammaticos canones. MOD.

IN CAMPOS MARATHONIOS. Marathonem, Atticae urbem, ad quam pugnatum est, Pomponius Mela lib. II. *magnarum et multarum virtutum testem* cognominat. De pugna Marathonia (quam Plutarchus a trecentis auctoribus descriptam affirmat) porro consulendi Herodotus lib. VI. Pausanias lib. I. Aemilius Probus in Themistocle et Miltiade, A. Gell. XVII. 21. BERNEC. — Pro *in campum Marathona*, ut Nepos loquitur. Nimirum ex nominibus propriis locorum formantur adiectiva, eaque aliis vocabulis latioribus adiiciuntur. Ad hunc modum dicitur *Parnassia rupes* pro *rupes Parnassus*, *urbs Romana* pro *urbs Roma*, *flumen Acherusium* pro *flumen Acheron*. VORST. — MSS. habent, *campis Marathoniis*, quod non contemno. Debet autem commate distingui a sequentibus, ut sit sententia, egressos adversus tot hostes, qui tum erant in campis Marathoniis constituti. SCHEFF. — Magl. Thuan. Bodl. quart. Leid. *in campis Marathoniis*. Periz. *in campis Marathonis*. Orosius et Freculphus: *campis Marathoniis proruperunt*. ABR. GRONOV.

DUX BELLI. Στρατηγός, unus ę decem. *Πολέμαρχος* autem

erat *Καλλίμαχος Ἀφιδναῖος*. Herodotus VI. 109. et Pausanias Laconicis. Bongars.

Auctor non exspectandi auxilii. Saxo lib. X. pag. 235. 35. *committendi praelii auctorem agere postulatus.* et lib. XVI. pag. 374. 35. *Eumque dividendi inter pupillos regni auctorem habiturus.* Abr. Gronov.

Quem tanta fiducia ceperat, ut plus. Idem lib. IV. pag. 62. 49. *Tanta autem Atislum fiducia ceperat, ut* etc. lib. XIV. pag. 312. 19. *quem tanta fiducia ceperat, ut plus remedii in celeritate quam in sociis duceret.* Abr. Gronov.

11. Citato cursu. Sic et infra XI. 15. 3. Parique modo *citato gradu* XI. 2. 5. *citato impetu* IV. 1. 9. et *citato itinere* V. 8. 13. Est autem *citato* idem quod *incitato.* Qua ratione Livius *citato equo vadere* dicit, et Caesar *citare equum* pro *incitare.* Vorst.

Eius. *Suus* legit Acidalius ad Vell. Paterc. II. 55. 2. Bernec. — Acidalius optime: *nec audaciae suus eventus defuit.* id est, suum eventum audacia habuit, scilicet qualem sperari aequum fuit. Faber. — Angl. vocem *eius* non exhibet. Graev. — Acidalius ad Vellei. II. 55. legebat *nec audaciae suus eventus defuit.* Sed recte se habet alterum, hoc sensu: nec audacia ista optato eventu caruit; quae vis vocis *eventus* latere viro eruditissimo non debuit. Suetonius in Vespas. cap. VII. *Palam pro concione utrumque tentavit, nec* eventus *defuit.* Lucanus IV. 730.

*Fraudibus* eventum *dederat fortuna.*

Frontinus Strat. II. 5. 30. *Quod is strenue quidem, sed sine* eventu, *eo natus est.* Hegesipp. V. 19. *Periculum itaque virtus attulerat . . si* eventus *bellantem deseruisset.* Sulp. Severus H. I. 25. *Hebraeos* . . eventum pugnae . . *virtuti suae daturos.* ubi alia exempla damus. Alibi id *fortuna*, *effectus*, *exitus felix* vocatur. Ut Livius XXXVIII. 16. *Audacique incepto praeter omnium opinionem affuit* fortuna. Lib. XXXVI. 19. *Quae tentata . . sine ullo haud parum audacis incepti* effectu *fuerant.* Valer. Maximus lib. III. 2. 20. *Ego certe aut speciosam optavi mortem, aut* felicem *audaciae exitum.* Wopkens. — Pronomen *eius* abest Coll. N. Saxo lib. III. pag. 49. 5. *nec audaciae eventus defuit.* Coniecturae Acidalii legentis *suus* pro *eius* album calculum adiiciunt Faber et Cl. Burmannus ad P. Lotichii Poëmata lib. IV. eleg. 2. 49. Abr. Gronov.

13. Multae suppressae. Angl. *multae submersae*, per glossam manifestam. Liv. XX. 9. *Duae primo concursu captae erant Punicae naves, quatuor suppressae.* Scheff. — Med. Magl. sec. quint. Leid. Bodl. *submersae.* ed. Rom. Ald. Iunt. *summersae.* Verbum substantivum ignorant Ven. Flor. Mediol. Paris. Ald. Iunt. Abr. Gronov.

15. In quo iam etc. De eodem Themistocle praeclare Aelianus III. Var. Hist. 21. Vere quippe Vopiscus in Probo cap. 3. fin. *Neminem*, inquit, *unquam pervenisse ad virtutem summam iam ma-*

*turum, nisi qui puer seminario virtutum generosiore concretus, aliquid inclitum designasset.* BERNEC.

THEMISTOCLIS ADOLESCENTIS GLORIA EMICUIT. Ed. Rom. *enituit;* idemque in suo MS. exstare testatur Cl. Dorvilius in Miscell. Observ. Vol. I. pag. 170. [„Nam fere dicuntur *enitescere*" inquit Dorvillius „quae excellunt inter caetera; *emicant*, quae subito pro„veniunt, et in altum surgunt: *emicat* virtus antea non cognita: *eni„tet* virtus unius inter plures. Ita lib. XXIX. 1. *Magna indoles virtu„tis in his pueris* enituit. Rursus lib. XLIII. 3. *in tantum* enituerunt. „ubi forte *emicuerunt* ferri posset. Cic. pro Murena cap. 14. *Quo „quidem in bello virtus* enituit *egregia M. Catonis.* Ut mihi vix „temperem, quin accedam I. G. Graevio ap. Florum lib. IV. 2. 40. „ex Codd. legenti: *quo tempore egregia virtus Scaevae centurionis* „enituit. quamvis ibi C. A. Dukerus doceat *emicuit* in similibus fere „casibus usurpari. Certe in locis ab ipso adductis Curtii et Ho„ratii facile praetulerim verbum emicare." FR.] Livius lib. XXII. cap. 27. *in tantum suam felicitatem virtutemque enituisse.* Saxo lib. XI. pag. 221. 11. *sed et clandestina eius virtus perlucidis postmodum experimentis enituit.* ABR. GRONOV.

INDOLES FUTURAE IMPERATORIAE VIRTUTIS. Est sane ita in antiquioribus typis expressis Codd. Sed Bongarsius pro *virtutis* scripsit *dignitatis;* quod, credo, in quibusdam MSS. ita reperisset. Mihi tamen factum istud haud probatur. Fit sane, ut Codd. MSS. etiam in his quae manifeste inepta aut falsa sunt, consentiant: ipseque etiam Bongarsius plurima id genus repudiavit. Vide modo II. 8. 5. II. 9. 20. XII. 14. 7. XIII. 1. 5. Quid ergo? Non solis Codd. MSS. praesertim si unus modo atque alter sit, est standum; sed stylus quoque auctoris et *συνέπεια* consideranda. Quoniam igitur observo auctorem infra XXIX. 1. 8. scripsisse *magna indoles virtutis enituit;* ipsaque *indoles* rectius virtuti, ut quae internum quid est, quam dignitati congruit: nihil dubito id quod in antiquioribus typis expressis est, resumere, et hic item scribere *indoles virtutis* pro eo quod Bongarsius scripserat *indoles dignitatis.* Observo et alios ita scribere. Nepos Eumene: *Fulgebat iam in adolescentulo indoles virtutis.* VORST.

16 CYNAEGIRI. De quo praeter Herodotum VI. 114. Valerius III. 2. et Ammianus XXVI. 23. qui eum, et Callimachum, vocat *Medicorum bellorum fulmina.* BONGARS. — Cynaegirum imitatus est Acilius in navali pugna ad Massiliam, teste Sueton. Iul. 68. 9. BERNEC. — Med. quint. Leid. ed. Bechar. *Cynegeri.* Similiter apud Herodotum ex MS. Med. VI. 114. *Κυνέγειρος.* ABR. GRONOV.

17. MANUM. Hanc vocem ignorat 1. MS. Voss. GRONOV.

19. NON DUABUS MANIBUS AMISSIS. Rectius fortasse et hic est quod in antiquioribus typis expr. reperitur *ambabus man. amissis.* VORST. — Magl. Coll. N. ed. Rom. Bech. aliaeque, *ambabus.* ABR. GRONOV.

VELUTI ET RABIDA FERA. Magl. *veluti rabida.* pr. quart. Leid.

*et velut rab.* Med. Bodl. Thuan. sec. quint. Leid. Periz. cum vetustis editionibus et Bongars. atque Bernec. *et veluti.* ABR. GRONOV.

20. DUCENTA MILLIA. Herodotus e barbaris ἑξακισχιλίους καὶ τετρακοσίους, ex Atheniensibus vero centum nonaginta duo cecidisse auctor est. BONGARS. — Sex millia ducenta tantum scribit Herodotus VI. 117. sed eorum scilicet, qui praelio occubuerunt: Noster naufragio haustos adiicit, quorum ingentem fuisse numerum, etiam ex Diodoro XI. 12. et 13. colligitur. Itaque pro *sine naufragio,* quod omnes habent editiones, monitu Freinshemii rescripsi *sive naufragio*, quod nisi recipimus, nimiopere discordabit ratio. BERNEC. — *Sive naufragio* Berneccerus ait se monitu Freinshemii rescripsisse, cum omnes editiones haberent, *sine naufragio.* Sed observo antiquiores editiones Becharii, Maioris, Sichardi adhuc peius, et quidem *sine navigio*, habere. Illud *sine naufragio* est fortasse a Bongarsio, qui ex Codd. MSS. ita scripserit pro *sine navigio.* Ceterum τὸ *sive naufragio* laudat et Gronovius in Notis ad Senecam Tragicum; eoque inter alia probat, quod *sive* non semper geminetur, sed subinde modo semel ponatur. VORST.

21. CECIDIT ET HIPPIAS. Idem confirmat Cicero lib. IX. ad Attic. Epist. 12. BONGARS. — Et Tertullianus adversus Gentes. Suidas vero, nescio quo auctore, tradit, ex hac pugna Hippiam elapsum, fuga in Lemnum pervenisse; et ibidem oculis captum, effluente per illos sanguine, acerba morte periisse. BERNEC.

CONCITOR. Quidam *conditor*, vulgo *concitator*, ut et initio libri V. Sed illud MSS. approbantibus malo. Tacitus Annal. IV. *Missosque in Galliam concitores belli.* BONGARS.

## CAP. X.

1. CUM BELLUM RESTAURARET. Recepi cum Oxoniense editore ex membranis Anglicis: *cum bellum instauraret.* Gaudeo hunc naevum ex Iustino Codicis veteris ope deletum esse. Nam τὸ *restaurare* ignorant meliores Latinae linguae auctores. GRAEV. — MS. Coll. N. Orosius lib. II. cap. 9. et Freculphus tom. I. lib. IV. cap. 1. *instauraret.* atque ita infra III. 5. 2. Med. Magl. Bodl. sec. quint. Leid. ed. Ald. Iunt. Orosius lib. I. cap. 21. *bellum instaurant*, et Coll. N. *instauravit.* et XX. 5. 6. ed. Ven. *bellum velut ex integro instaurat.* Item XXXI. 3. 8. eadem cum Flor. Paris. *bellum Italiae instauraturum.* et Ven. Paris. Mediol. XXXVII. 1. 8. *ut maior clariorque resurgeret instaurando praelio.* Vulg. *in restaurando bello resurgeret.* ABR. GRONOV. — Contra Graevium nimium hic et alibi festinantem, verbum *restaurare* adserueram, cum otium mihi huius rei ab A. Gronovio factum viderem. Hinc etiam, invito Iustino, lib. III. 5. editum puto *bellum instaurant*, quum in quatuor nostris aliisque sit *b. restaurant.* WOPKENS.

2. ARTEMENES. Herodotus VII. 2. Ἀρτοβαζάνην vocat. et hanc controversiam vivo patre motam, et ab ipso Dario iudicatam esse

refert. Idem paulo post *Achaemenem* nominat Darii filium, Xerxis fratrem. Plutarchus in Artaxerxe cap. 2. ab Arsica, qui postea Artaxerxes dictus est, et Cyro eandem quaestionem renovatam scribit, et Darii contrariam huic sententiam commemorat. BONGARS. — Cuius quidem sententiae posterioris aequitatem (ut scilicet aetate primi praeferantur) exemplis, legibus, rationibusque confirmant P. Greg. Tholosanus de Republ. lib. VII. cap. 9. et Arnis. lib. II. cap. 2. sect. 11. Adiungenda Francisci Hotomanni illustris quaestio 2. BERNEC. — Plutarcho in Apophthegmatibus, et libro de Amore Fraterno, est Ἀριαμένης. Et sic in MS. Iustini, Voss. — Alii ex Graecis scriptoribus et MSS. Iustini emendarunt *Ariamenes*, quod magis Persisum videtur quam illud prius; est enim plane Graecanicum. FABER. — Iuntina: *Artobozanes*. GRAEV.

EX HIS ARTEMENES etc. §. 8. MATERNO TAMEN SE IURE ET AVITO VINCERE. Med. sec. quint. Leid. *Ariamenes*. Periz. ed. Rom. *Artamenes*. Ienson. Med. *Arthemenes*. Ven. *Archamenes*. Flor. Paris. *Arimenes*. Ald. Iunt. *Artabazanes*. Adde notam Bongarsii. Hunc locum quoque imitatur Saxo lib. XI. pag. 213. 37. *Qui etsi virtuti maturior videretur, se tamen naturae ordine, aetatisque privilegio vincere.* et lib. II. pag. 42. 24. *quippe regnum eius avito sibi iure competere.* ABR. GRONOV.

NATURA IPSA GENTIBUS DEDIT. Quid dedit gentibus natura? regnum: at de hoc non quaestio hoc loco. MSS. habent, *cum gentibus assignavit*, vel *assignarent*. Lectionem genuinam puto esse, *regnum sibi vindicabat, quod ius et ordo nascendi, et natura ipsa cum gentibus assignarit.* Veteris lectionis sensus est, ius illud de maximo natu ad regnum admovendo, dedisse gentibus ordinem nascendi. At vero nulla verborum istorum est sententia. Quomodo enim ordo iste gentibus hoc dare potuit? Non itaque hoc agitur, ut appareat, quid gentibus dederit ius illud, sed unde ius illud acceperit Artemenes. Id autem secundum lectionem nostram intelligitur factum ex causa triplici, primo ordine nascendi, secundo natura, tertio gentibus, seu gentium consuetudine. Quae sententia optima locoque huic est maxime accommodata. SCHEFF. — Nihil hic mutem. Sensus est, ius illud succedendi parenti natu maximo filio dedisse et ordinem nascendi, quia primus provenerat, et naturam ipsam apud omnes gentes. Naturale enim est, ut minor natu frater maiori pareat, non vero maior minori: quod eveniret, si minor maiori anteferretur in successione et hereditate paternorum bonorum, in primis regni. *Ius hoc dedit gentibus natura*, est, ius hoc omnibus gentibus insevit natura, ut seniores praeferrentur iunioribus. GRAEV.

3. CONTROVERSIAM NON DE ORDINE, SED DE NASCENDI FELICITATE REFEREBAT. Saxo lib. XI. pag. 213. 36. *si non eum dignitate posteriorem sors ipsa nascendi fecisset.* et paullo post: *quem nascendi serie priorem sciat.* ABR. GRONOV.

IN REGNO IAM REX PATER SUSTULERIT. Isthaec verba delenda *in regno:* est enim puerile et redundans, dicere, Pater meus *iam rex*

*in regno* me primum sustulit. Nam si quis *iam rex* liberos tollat, quid opus est addere *in regno*. Rogabis, unde tamen illa verba huc intrusa sint; ex glossemate scilicet, quod istis verbis (*iam rex*) superadditum fuerat, id est, *in regno*. Faber. — Impressi quidam sine dubio meliores secuti codices, habent *in regnum*, quod valde placet. Nempe lectio vulgata huius loci nihil habet aliud, quam quod praecessit, *se regi primum natum*. Atqui non de eo agebatur his verbis, sed de illo, quod hinc sequitur, natum nempe regi, regnum quoque debere habere. Docetque hoc ipsa quoque oppositio; praecedit namque de ceteris, *non regnum sibi vindicare posse*, cui proinde tanquam diversum debebat subiici, se regnum vindicare posse sibi, non vero, se a rege natum esse. Subiicietur autem, si pro *in regno*, legemus *in regnum*. Nam *sublatus in regnum*, est, sublatus propter regnum, regni causa, ut regnet, qualis utique sibi vere vindicare potest regnum. Error videtur natus ex eo, quia olim fuit scriptum *in regnom*, pro *in regnum*, vetusta consuetudine, quod scriba imperitus intelligere non potuit. Scheff. — Iuntina quoque, *in regnum*. Graev. — Haud iniuria *ταὐτολόγον* illud *in regno iam rex* offendebat Fabrum et Schefferum, quorum ille bigam *in regno* delebat, hic vero cum Iuntina legebat *in regnum iam rex pater s.* Atque hoc potius, quod etiam Dorv. 1. et 3. habent, genuinam Iustini scripturam esse arbitror: ut *in regnum* idem fere sit, quod *in spem regni* dicitur lib. XXIII. 2. *Ille* in spem regni *susceptos relinqui in egestate lugebat.* ubi vide notanda. Curtius III. 11. *Acceperat in sinum filium* . . in spem *tantae furtunae genitum.* et lib. IV. 14. *Ochum* in spem *huius imperii genitum*, *illos principes* . . *vinctos habet.* Ex quibus locis augureris forsitan legendum, *in regni spem rex pater sustulerit*. Confer tamen Lucanum VII. 642.

*Proxima quid soboles aut quid meruere nepotes*
In regnum *nasci* etc.?

Livius I. 34. *Puero post avi mortem* in *nullam* sortem *bonorum nato.* Wopkens. — Ald. Iunt. *se esse primum*, *quem in regnum rex pater sustulerit*. Magl. Coll. N. ed. Rom. aliaeque vett. etiam dant *in regnum*, quod tuetur Schefferus. Abr. Gronov.

6. Avo quoque materno. Med. quint. Leid. Bodl. *ita avo q. m.* Abr. Gronov.

8. Et si in aequo. Antiquiores editiones praepositionem *in* omittunt: videturque id elegantius. Vorst. — Angl. *itaque si.* Forte iungendum utrumque, *itaque et si.* Scheff. — Iuntina quoque *in* omisit. Graev. — Coll. N. *Itaque si in aequo.* ed. Rom. *ita si in aequo.* Abr. Gronov.

Materno tamen se iure. Immo magis potentia matris, quam iure. ut iam ostendit H. Grotius II. de Iure Belli et Pacis 7. 19. Gronov.

9. Hoc certamen concordi animo ad patruum Artaphernem. Herodotus lib. VII. ab initio, ait Darium patrem ante in Graeciam expeditionem, de hac contentione protulisse sententiam, ac Xerxem

declarasse regem, nihil de Artapherne commemorans, quod quidem est magis verisimile. GLAREAN.

ARTAPHERNEM. Ita ex Herodoto emendavi. Veteres habent *Ariafernem*, facili lapsu. Uni supra scriptum, legendum esse *Tisaphernem*. BONGARS.

10. NEC VICTUS DOLUERIT. Coll. N. ed. Rom. Bech. Ald. Iunt. aliaeque, *indoluerit*. ABR. GRONOV.

CREDULA. Freinsh. *crebra* mallet: cum suspecta, iucunda esse non possint. Si tamen *credula* retinemus, videri queat ita legendum: *iucunda quoque inter se, non solum credula*. BERNEC.

ET IUCUNDA QUOQUE INTER SE, NON SOLUM CREDULA. Ita rursus antiquiores editiones. Bongarsius nescio qua de causa mutavit sic: *iucunda quoque inter se non solum, sed credula convivia habuerunt*. Iucunda inter se convivia habere omnino plus est quam credula habere. Possunt enim credula esse, quae non adeo iucunda sint. At iucunda esse nequeunt, nisi et credula sint. Quare rectius τὸ *non solum* τῷ *credula* quam τῷ *iucunda* adiectum putabitur. VORST. — Angl. *et iucunda quoque inter se non solum, sed crebra convivia*. Scio, quomodo hic *credula convivia*, ut vulgati habent, accipiant. Sed an sic Latini unquam usurpaverint, hoc vero nescio. Deinde credula fuisse convivia hoc sensu cur significandum fuerit, non video, cum antecedentia omnia monstrent, odia inter ipsos fuisse nulla, et idcirco nullas diffidentiae alicuius caussas. Itaque Anglicum rectius. Habuerunt, ait, non solum iucunda inter se convivia, sed iucunditatem illam crebro frequenterque renovarunt conviviis repetitis. SCHEFF. — Pedibus ego quoque in hanc irem sententiam, et emendationem eruditissimi Freinshemii amplecterer; is enim primus coniecit legendum esse *crebra*; si libri veteres annuerent. Sed cum in omnibus, quos Bongarsius, Modius aliique evolverunt, nec non in Iuntina, melioribus editionibus aliis constanter legatur *credula*, non puto id reiiciendum, quamvis translationis huius ab hominibus ad res exempla in ista voce vix alibi occurrant. Alia ratio, quae praeter significationem vocis affertur, cur *credula* debeat immutari, mihi non probatur. Quamvis enim de regno ambigentium videatur animus fuisse concors, pro ingenio tamen humano, solent competitores imprimis regni semper alteri diffidere et vereri, ne alter *spem vultu simulet*, *premat alto corde dolorem*, et malit quacunque ratione licet fronte laetissima molestum rivalem amovere, quam incerto controversiae exitu suspensum cruciari. GRAEV. — Ex sententia Virorum summorum *credulus* de rebus vix ac ne vix quidem reperitur. At humani hic quid passi videntur homines eruditissimi. nam *credulus* duplicem habet significatum, proprium et improprium seu metonymicum. proprie de hominibus, qui facile credunt, dicitur. improprie autem et per Metonymiam effecti pro caussa de rebus, quae faciunt, ut homines credant facile, usurpatur. atque hunc improprium sensum tametsi Lexica pro more suo ab illo proprio non distinguunt, tamen omnino ita se rem habere exempla cla-

rissima declarant. Tibullus II. 1. 1. (non vers. 19. ut habet Fabri Lexicon):

*Finirent multi leto mala. credula vitam*
*Spes fovet, et melius cras fore semper ait.*

quid hic *spes credula* aliud, nisi quae facit, ut homines credant, fore aliquando melius? Ovidius Heroid. VII. 21.

*Credula res amor est, utinam temeraria dicar*
*Criminibus falsis insimulasse virum.*

quem locum iterum male Fabri Lexicon dicit inveniri apud Ovidium Metam. VII. 831. ubi ne minimum quidem huius rei apparet vestigium. Quemadmodum vero apud Ovidium amor ideo *res credula* vocatur, quod facit, ut homines credant, sic eadem est ratio loci, de quo agimus, Iustini, ubi *credula convivia* ea dicuntur, quae faciunt, ut credamus illi et fidamus, quo cum convivamur. Dresig. — Nihil hic mutandum arbitror, eleganterque *credula convivia* dicuntur, in quibus nihil inter se doli suspicantur convivae; neque enim semper de credendi vel confidendi facilitate culpanda haec vox usurpatur. Horatius IV. Oda 1.

*Me nec faemina, nec puer*
*Iam, nec spes animi* credula *mutui*
*Nec certare iuvat mero*
*Nec vincire novis tempora floribus.*

Val. Maximus IX. 15. Ext. 2. *Barbarum quemdam . . pene totius Orientis civitatum et gentium* credula *suffragatione fultum* etc. Et voci *convivium* saepe epitheta iunguntur conviviis propria, ut *hilare poculis convivium* dixit Phaedrus. Wopkens. — Ed. Rom. *iuc. quoque inter se convivia non solum, sed credula habuerint.* Magl. Coll. N. *iucunda quoque inter se non solum convivia, sed crebra* (Coll. N. *solum sed crebra convivia*) *habuerint.* Bodl. *non solum crebra conv. hab.* Pro *credula* Freishemius quoque malebat *crebra.* Abr. Gronov.

Iudicium quoque ipsum sine arbitris, sine convicio fuerit. Vincentius lib. III. cap. 36. *sine arbitris vel. c. f.* Saxo lib. XI. pag. 213. 39. *Igitur fraternae contentionis certamen sine arbitris aut iudicibus, solis partium suffragiis gerebatur.* Abr. Gronov. — Postrema verba Vincentius Bellovacens. in speculi historialis lib. III. cap. 36. ita legit: *sine arbitris, sine consciis fuerit.* Bene: priori *arbitris* respondet postremum *consciis.* *Arbitri* sunt, qui praesentes sunt et audiendi potestatem habent; *conscii*, qui non adsunt quidem, sed tamen, quid rei geratur, sciunt. Heusinger.

11. Tanto moderatius tum fratres inter se maxima regna dividebant etc. Usus est eodem quasi epiphonemate, certe simili formula concepto, XV. 2. ubi ait: *Tanto honestius tunc bella gerebantur, quam nunc amicitiae coluntur.* Mod.

12. Quinquennium instruxit. Vulgo *per quinquennium*, et Orosius II. 9. sed antiqua scriptura recta est: infra XII. 3. 1. *Triduum luctum indixit.* Lex XII Tabul. *Usus, aucteritas fundi, bi-*

*omnium esto.* Quintilianus Declam. 196. *Ex lege in exsilium quinquennium missus est.* Notavit Iac. Cuiacius, cum interpretaretur Titulum Cod. de Usucap. pro Empt. vel pro Transact. Bongars. — Haudquaquam hanc lectionem, cum Bongarsio, praetulerim isti trium Dorv. aliorumque MSS. *bellum . . per quinquennium instruxit*, quomodo et Orosius II. 9. Atque ita solet Iustinus. ut lib. V. 1. *bellum* per biennium *cupidius quam felicius gerunt.* lib XXI. 1. *tributa populo* per triennium *remitti.* Non recte etiam huc trahit Bongarsius lib. XII. 3. 1. ubi vide. Wopkens. — Tres tantum annos in isto apparatu Xerxem consumsisse, inquit Diodorus. Iulianus vero ὁ παραβάτης Oratione I. de Laudibus Constantii, inquit, τὸν Ξέρξην χρόνον ἐτῶν οὐκ ἐλάσσονα δέκα πρὸς τὸν πόλεμον ἐκεῖνον παρασκευάζεσθαι. Quod esse non potest, cum sexto anno, ex quo regnum adeptus est, bellum in Graecos moverit Xerxes. Voss.

Bellum a patre coeptum — quinquennium instruxit. Ald. *soceptum.* Iunt. *accaeptum.* Novem MSS. ed. Rom. Ald. Iunt. aliaeque cum Orosio lib. II. cap. 9. et Vincentio lib. III. cap. 37. *adversus Graeciam per quinquennium instruxit.* Abr. Gronov.

13. Demaratus. Herodotus fine libri VII. Fugam eius ad Persas explicat lib. VI. cap. 70. Bongars. — Adde Senecam de Beneficiis VI. 31. Bernec.

Ne inopinato bello opprimerentur. Saxo lib. XIV. pag. 261. 14. *inopinatum hostem opprimere.* lib. XVI. pag. 376. 11. *subiti inopinatique belli fama perculsus.* Abr. Gronov.

In tabellis ligneis. Sic infra XXI. 6. 6. Bernec.

Magistratibus perscribit. Nec illud probare possum, quod cum antiquiores editiones haberent *magistratibus*, Bongarsius maluit *magistratui.* Etsi enim nec illud probem, quod Gronovius ad Liv. XXXIV. 61. in Addendis scribit, *magistratum pro collegio vel numero hominum, consilium publicum constituentium, dicere nostri seculi esse* (aliud enim vel ex Nepotis Lysandro intelligi potest, ubi ephori non singuli, sed universi *maximus magistratus* dicuntur): tamen quia antiquiores editiones *magistratibus* numero plurali habent, idemque et in MSS. quibusdam a Bongarsio observatum fuit, ac praeterea à stylo Iustini id alienum non est, mutatio facienda fuisse non videtur. Vide sis supra II. 7. 2. et infra III. 3. 2. quo itidem posteriore loco Modius ex uno Cod. Fuldensi legi mavult *magistratui*, quam *magistratibus;* verum itidem sine causa. Vorst. — Iuntae, aliaeque editiones: *magistratibus.* uti et paulo post, *magistratibus Spartanorum tradere*, approbante Gronovio. Magistratus enim in numero unitatis nunquam consilium publicum, seu collegium, sed semper unum hominem, magistratum gerentem, aut officium notat. Sic cap. 15. huius libri: *Magistratibus scribit Atheniensium.* et III. 3. *Regibus potestatem bellorum, magistratibus iudicia.* Non aliter veteres et idonei Latinae linguae auctores. Nec est, ut nos moveat exemplum, quod ex C. Nepote ad hanc observationem convellendam affert eruditissimus Vorstius. Id enim repugnat et ipsius Nepotis et

ceterorum omnium idoneorum scriptorum melioris seculi consuetudini, quibus *magistratus* in unitatis numero non nisi unum hominem significat; quando vero de collegio loquuntur, utuntur numero multitudinis. In Pelopida *maximum magistratum obtinere* dicitur Polemarchus, unus homo: contra de collegio in eadem vita: *Diem legerunt, quo maximi magistratus simul consueverunt epulari.* et sic perpetuo. Hinc et *magistratum capere*, *gerere*, dicitur unus homo. Nullus itaque dubito et in Lysandro legendum esse *maximos magistratus*. saepe enim librarii et correctores, secuti nostri temporis depravate loquentium consuetudinem, id corruperunt, ut in his Iustini locis, etiam contra veterum librorum fidem; aut per *maximum magistratum* intelligitur Ephorus natu maximus, seu primus, cui libellum hunc tradidit, qui postea cum suis eum communicavit collegis. Graev. — *Magistratibus* recte Gronovius, Graevius, Vorstius, quos vide. Scheff. — Angl. *magistratui scribit.* A glossa, qua compositum pro simplici hic usurpatur, indicabatur. Hirtius apud Sueton. Iul. 56. *Nos etiam quam facile aut celeriter eos* (commentarios Caesaris) *perscripserit*, *scimus.* Nep. Datame 5. *Haec Pandates perscripta ei mittit.* Scheff. — Ed. Flor. *perscripsit.* Ald. Iunt. *praescribit.* Vincentius: *omnia in tabulis ligneis perscribit, et ceram superducta cera delet.* Orosius lib. II. cap. 9. *per tabellas primum scriptas, deinde ceratas, suis prodidit.* Abr. Gronov.

Easdemque cera. Nam si cera indueatur, non ita olet, ac si liquida superfundatur. Hoc est quod dicit Polyaenus, Demaratum ἐς πτύχα ἀκήρωτον γράψαντα ἐπικηρῶσαι. Quamvis Herodotus aliter. Doctissimus Gronovius apud Iustinum malebat *eademque cera.* Quod ego non puto. Explicat hanc rem Iulius Aphricanus cap. 54. περὶ κρυφίας ἐπιστολῶν εἰςπομπῆς. cuius verba adscribam: ἄλλον πάλιν ἐν τῷ τῆς δέλτου ξύλῳ γράψαντες, κηρὸν ἐπέτηξαν, καὶ ἄλλα εἰς τὸν κηρὸν ἔγραψαν. Εἶτα ὅτε ἦλθε, πρότερον δὴ τὸν κηρὸν ἐκκνήσας, καὶ ἀναγνοὺς, ὁμοιοτρόπως ἀνταπέστειλε. Voss. — Iuntae: *eademque cera.* quod probo. Cera scilicet abrasa, ipsi tabellae ligneae, quae rescire volebat suos cives, inscripserat Demaratus, eademque cera superinducta deleverat, quae scripsit, ne si ulla cera illita fuisset tabulae, in manus Persarum ubi incidisset, suum consilium patriae significandi apparatum bellicum adversus Graeciam; aut si recens cera esset inducta, stratagema eius proderetur. Non nego verba Iustini obscuriora esse. Videtur aut Iustinus aliquid omisisse, aut descriptores. Forte Trogus scripserat: *Omnia in tabellis ligneis magistratibus perscribit erasa cera, eademque superinducta scripturam delet.* Cur vero recens cera magis prodere potuerit dolum, quam vetustior, rationes procul dubio plures potuissent dari, si consuetudo tabulis ligneis utendi non exolevisset. Non odor tantum, sed et color veterem aut recentem ceram distinxit. Cum igitur vetus cera diu ante illita, in tabellis reperiebatur, nemo facile poterat suspicari sub illa cera aliquid latere recenter scriptum, quia vetustas cerae nihil tale prae se ferebat, cum recens cera, vacua litteris,

facile potuisset suspicionem movere, non frustra illam modo infusam esse, sed sub illa procul dubio aliquid occultari, quod, si eraderetur, palam fieret. Haec mea de isto loco sententia est. Apud Petronium: *Nondum umbraticus doctor ingenia deleverat.* hoc est, nondum perdiderat. *Delere ingenium* est extinguere vim ingenii. *Delinere*, pro *collinere* aut *illinere*, non legitur apud ullum scriptorem veterem. Dein, licet reperiretur, quid tamen est *delinere*, aut *collinere ingenium?* Si scriberetur *hac* vel *illa arte collinere ingenia*, posset forte ferri, ad exemplum illius locutionis, *imbuere ingenium scientia.* simpliciter vero *collinere ingenium*, (nam *delinere* tanquam ignotum veteribus vocabulum plane est respuendum) non potest probari. Graev. — Plus habet difficultatis hic locus, ubi diligentius paulo attenderis, quam prima fronte videtur. Primum enim, quis hoc cum iudicio dixerit, *delere tabulas cera?* Dicendum enim, *tegere*, non, *delere.* Dein, quae isthaec ratio Iustini est, *cera inducta tabulas delet, ne recens cera dolum prodat?* Quo vel recentior cera est, vel vetustior, eone fiet ut vel facilius dolus vel difficilius aperiatur? Huic difficultati obviam ire voluit Cl. Vossius. *Nam*, inquit, *si cera inducatur, non ita olet, ac si liquida superfundatur.* Sed cera recens nonne aeque superduci potest ac illa, quae sit vetustior? Dein, si cera recenti usus esset Demaratus, neque in ea quidquam scripsisset, an ideo citius prodita res fuisset, quam si vetustiore uti voluisset? Praeterea qui videt ceram veterem, in qua nihil scriptum appareat, ille, si qua in suspicione doli erit, non ideo minus ceram illam eraserit, quam si recens fuerit. Adde, quod si quis dicat ceram superinductam tabulis ligneis, ex ea non effici illa ut sit vetustior, recentior, durior, liquidior. Namque isthuc *superinducta*, neque illud probat, neque illud. Dices: Tamen hoc scimus, veteres hac arte usos fuisse. Fateor, et pauci ignorant; at hic non de usu agitur, sed de illa ratione, quam affert Iustinus, *ne recens cera dolum proderet.* Addes hoc quoque, ceram illam superinductam fuisse, non autem superinfusam, ideoque vel pollice vel rotundo aliquo ligno extensam et ductam fuisse. Sentio vim verbi, et scio quid sit id, quod *ductile* vocamus; sed et cera recens ita quoque tractatur digitis et extenditur; itaque semper eodem referimur. Quamobrem sic existimo, aut Iustinum aliquid omisisse, quod dictum oportuit amplius, aut minus clare et minus expresse locutum fuisse quam debuerat. Sed ad primam illam difficultatem remigrat oratio: *tabellas ligneas cera superinducta delet:* quae res, uti ab initio dicebam, absurda est. Delere certe tabulas nolebat Demaratus, sed tegere tantum, et id satis erat ad consilium, quod ipse in animo formaverat; unde et mox scribit Iustinus: *ne aut scriptura sine tegmine* . . . . Eam autem difficultatem cum Elias Borellus animadvertisset, quo ingenio est et iudicio, (utrumque autem in eo singulare est) id profecto reperit, quod mihi placet maxime, quodque adeo aliis communicandum esse putavi. Supponit igitur ille Trogum Pompeium, cuius historiam contraxit Iustinus, ita olim in

libro suo posuisse: *omnia in tabellis ligneis magistratui perscripsit, easdemque cera superinducta delevit.* Quod *delevit* optimum est, ut mox videbis, et longe aliud quam quod prima fronte videtur. At hic Noster, inquit Borellus, quod Trogus per tempus praeteritum explicaverat, ad praesens tempus transtulit, uti solemus, cum narrationem breviorem facere et vividiorem studemus. Sed in eo, inquit Amicus meus, gravissime lapsus est Iustinus, quod illud *delevit* apud Trogum a *deleo* ortum esse arbitratus est, cum a *delino, delevi, delitum* descendat tamen. Hoc autem probat (quanquam mihi quidem non tantopere videtur probatione opus esse) probat inquam, ex Aulo Gellio, qui in simili argumento eodem verbo usus est, mutata tantum praepositione; nam apud Trogum Pomp. est, *delevit,* apud Gellium, *collevit,* a *collino.* Locus est XVII. 9. *Literas in lignum incidisse; postea tabulas, uti solitum est, cera collevisse.* Haec autem, quae legisti modo, quam ea mihi ingeniosa, tam et ea mihi vera esse videntur: et, si ipse talia invenissem, inventis gauderem. Addidit et aliud etiam Borellus in fine epistolae, numquid illi mihi errare viderentur, qui putarent dici Latine posse, *malus Rhetor ingenia delet;* ex eo scilicet quod apud Petronium legimus: *Nondum umbraticus doctor ingenia deleverat;* in quo sagaciter olfecit, quod res est; nam illud *deleverat* Petronianum non a *deleo* est, sed a *delino.* Ceterum pro *magistratui* in loco superius posito, legendum *magistratibus*, ex libris impressis. Magistratus autem sunt Ephori. Ut finem huic notae imponam, hoc etiam addam: dum perlustro oculis Cl. Vossii notas, incidi in locum quendam Aphricani scriptoris Graeci, quem ipse nunquam habui. In eo error est, qui a librario sit, an a MS. Cod. haud scio; nam pro *ΕΚΚΙΝΗΣΑΣ* (id est, *cum emovisset* seu *removisset*,) legendum *ΕΚΚΝΗΣΑΣ*, id est, *cum erasisset;* Graece enim *ΕΚΚΝΗΘΕΙΝ, eradere* est. Ne quis autem ea reprehensione Iustini offendatur, quae superius posita est, nonne alibi, ut uno exemplo nunc contenti simus, ex *Medio*, qui vir insignis fuit in comitatu Alexandri, *medicum* fecit, quia scilicet oculis suis non semper belle et acriter in legendo Trogo utebatur. Sed et alia quaedam a nobis observata fuerunt: neque adeo mirum, hominem aliquem errare posse; omnes possunt. Faber. — Bongarsius, et hunc secutus Berneccerus, edit *easdemque;* ut referatur vox ad tabellas, de quibus praedictum. Sed rectius editio Iuntina, ut Cl. Graevius testatur, habet *eademque;* ut id referatur ad *omnia.* Et emendaverat sic ex coniectura summus Gronovius. Sane non tabellae ipsae *deleri* recte dicentur; sed quae scripta in iis sunt. Sed quomodo Demaratus ea, quae in tabellis ligneis, inque ipso adeo ligno scripserat, delevit? Superinducta cera illud factum auctor ait. Nimirum cum cera superinducta fuit, ipsa scriptura legi haud potuit; tantundemque illud fuit ac si scriptura deleta fuisset. Ut autem scriptura legi posset, superinductam ceram necesse fuit eradi: id quod regis Leonidae sororis consilio factum Iustinus et addidit. Infra XXI. 6. eandem rem exprimit his verbis;

*in tabellis ligneis, vacua desuper cera inducta, civibus suis omnia perscribit:* ubi ceram, quae superinducta fuit, quaeque nihil in se scriptum habuit, et *vacuam* vocat. Fuit et alius χρυφίας ἐπιστολῶν εἰςπομπῆς modus, ut ex Iulio Aphricano Is. Vossius docet; ut videlicet et in ligno et superinducta cera scriberetur: ut res eo minus suspecta esset. Vorst.

14. Aut recens cera dolum proderet. Quid sibi τὸ *recens* velit, non intelligo, sed vide Herodotum ad finem libri VII. si forte inde sensus inveniri queat. Ceterum Herodotus hanc Gorgo, Leonidae uxorem fuisse ac fratris eius Cleomenis filiam. Cleomenes enim ac Leonidas ex Anaxandrida nati erant. Iustinus Leonidae sororem facit. Longum esset discrimen copiarum Xerxis, aliter apud Iustinum, aliter apud Herodotum enumeratarum, demonstrare. Verum hoc nunc non agimus. Glarean. — Hic locus licet aliis intactus mihi admodum suspectus est. Quid enim *recens cera?* Num recenter inducta? Atqui talis fuit, qua scriptura tegebatur, et tamen ea tegi dolus debuit. Quid igitur hic eum dicitur prodere? certe velle hoc videtur potuisse ceram, si recenter inductam, praebere occasionem suspicandi, quod videlicet non gratis ita sit inducta. Quam rem qua evitaverit arte Demaratus, apud Nostrum non ostenditur. An ergo abest aliquid? num potius in voce *recens* latet vitium aliquod? Dignus sane locus est, quem ingeniosiores examinent. Scheff. — Sane unicuique locum curatius pensitanti fiet manifestum, lectionem, quae habetur a nobis etiam expressa, sensum fundere fere nullum. neque tamen hactenus cum Scheffero faciendum puto, qua ille in voce *recens* vitium aliquod latere suspicatur. si coniecturae locus relinquatur, mendum potius in nomine *cera* statuerem. nam quemadmodum *cera* hanc ob caussam tabellis ligneis superinducta fuit, ut scriptura tegeretur, sic ea dolum, quem omnino tegere debebat, prodere non potuit. videatur omnino Faber. Iam vero res omnis a Demarato suscepta duplici ratione prodi potuisse videtur, vel scriptura, quod *cera* superinducta evitatum fuit, vel ipsis tabellis, novis scilicet ac recentibus, usuque nondum tritis. quo posito, levi mutatione pro *recens cera*, scribendum auguror, *recens ora* scilicet tabellarum, ita quidem, ut non solum scriptura seu litterae insculptae, verum etiam extremitates tabellarum lignearum recens confectarum *cera superinducta* deletae et tectae ab auctore dicantur. Licet enim scriptura fuisset *cera* abscondita, nisi tamen ipsae quoque tabellae recenter factae, novitatis speciem *cera inducta* vitassent, dolum omnino prodidissent, quum Persae novas tabellas frustra confectas fuisse vix credidissent. Dresig.

15. Diu quaestioni res fuit. Sic de re hactenus non intellecta etiam Gell. XX. 5. *Mihi quoque est iam diu in perpetua quaestione.* Gronov.

16. Soror regis Leonidae. Herodoto lib. VII. fin. est uxor Leonidae, Γοργώ, cuius meminit Plutarch. in Apophth. Lacon. Bongars.

18. Septingenta millia. Variant in numero auctores. Hero-

dot VII. 184. Diodorus XI. 5. Isocrat. Panathen. Plinius XXXIII. 10. Quomodo autem exercitum Xerxes dinumeraverit, vide Herodotum VII. 60. et Plinium IV. 11. Bongars. — Plutarch. Parall. cap. 2. Ctesias in Pers. cap. 23. Probus Themist. Bernec.

Et trecenta millia de auxiliis. Magl. ed. Rom. Orosius ex tribus MSS. Florent. et Frecculphus tom. I. lib. IV. cap. 6. *et trecenta de auxiliis*, omissa voce *millia*, quae posteriore loco subaudiri solet: sic infra XXIV. 6. 1. ex sec. Leid. *adunatis centum quinquaginta millibus peditum et quindecim equitum.* et XXXI. 8. 8. *Caesa hostium quinquaginta millia, et capta undecim.* et XXXVIII. 1. 8. *peditum octoginta millia, equitum decem.* Ita optimus Mediceus et MSS. Bongarsii. Plura exempla congessit Avus ad Livium lib. XXI. cap. 17. Abr. Gronov.

19. Ut non immerito proditum. Herodotus enumeratis copiis, *ὥστε οὐδὲν μοὶ θώϋμα*, inquit, *παρίσταται προδοῦναι τὰ ῥέεθρα* etc. Bongars. — Aristides Sophista de apparatu Xerxis ita: *Telis obtegebatur ipse sol: mare navibus, terra copiis pedestribus, aër sagittis redundabat.* Bernec.

Flumina ab exercitu eius siccata. Fuse ea de re Herodot. VII. qui prodit, Echedorum (male apud eum legitur *Χείδωρος*) flumen potantibus defecisse. Quo respicit Alexander apud Curtium III. *Cum adiret Graecos, admonebat, ab illis gentibus illata Graeciae bella; Darii prius, deinde Xerxis insolentiae, aquam ipsam terramque populantium, ut neque fontium haustum, nec solitos cibos relinquerent.* ubi nonnulli pro *populantium* ex MS. reponunt *poscentium.* Sed male. Neque enim cohaeret cum sequentibus. Quamvis non ignorem, Persas aquam terramque postulare solitos: quod tamen video alios sollicitos habuisse, cum Herodotus testetur, Megabazum, Darii satrapam, nuntios ad Alexandrum, Amyntae filium, misisse, *αἰτήσοντας γῆν τε καὶ ὕδωρ Δαρείῳ βασιλεῖ.* Id ipsum quoque legitur in epistola Aristippi ad Philippum regem; nisi quod ibi sit, *Ἀλέξανδρος ὁ Ἀλέου*, male, pro *Ἀλέξανδρος ὁ Ἀμύντου.* Passim obvia sunt eius rei exempla. Voss.

20. Naves quoque decies. Navium numerus in veteribus omnibus depravatus. Arbitror legendum, *mille ducentas.* litteris quibusdam immutatis, et vocibus inversis: convenit numerus cum Herodoto, Diodoro, Probo, Isocrate, Orosio, qui tamen onerariarum, sive *τριηκοντέρων*, addunt tria millia, et *ἱππαγώγων* octingentas et quinquaginta. ut ille superior numerus sit triremium, seu rostratarum, ut Orosius vocat. Bong. — *Decies centum millia.* Nugae merae, emendandumque ut in editione mea Coloniensi anni CIƆ. IƆ. LXXXII. emendaram: *Naves quoque mille ducentas habuisse dicitur.* Quam meam emendationem ne ad se trahant, qui anno ante hunc auctorem ediderunt, lubet adscribere verba mea, hac de re adiecta per occasionem a me Curtio Rufo, item in Ubiorum Colonia edito anno CIƆ. IƆ. LXXII. ad illum eiusdem Curtii locum V. 7. de Persepoli: *Patria tot regum, unicus quondam Graeciae terror, molita mille navium clas-*

*sem, et exercitus, quibus Europa inundata est etc.* hic inquam ego: *Adhuc excusi,* molita decem millium navium classem: *sed nihilne pudere vanitatis, cum etiam qui mendacissimi inter Graecos sunt, numquam eo impudentiae processerint, ut mille ducentis navibus rostratis classem Xerxis ampliorem numero fuisse dixerint? verum ita cogitant, quid faciant, qui in typographiis praesident, homines mehercle pistrino digni. ut qui etiam apud Iustinum lib. II. (quasi parum esset in Curtio negligenter fuisse) ausi sunt scribere:* Naves quoque decies centum millia numero habuisse dicitur. *credo, quia exercitus Xerxis decies centena hominum millia explebat, voluisse etiam singulis hominibus suam navem esse. Sed haec praepostera liberalitas mihi nequaquam placet, quare et hic reponendum censeo:* Naves quoque mille ducentas numero habuisse dicitur: *Facilis fuit ad errorem via* etc. neque enim omnia, quae tum iuveniliter effudi, hic repetenda sunt, ubi satis habeo meum mihi adseruisse. Mod. — Non dubitavi recipere in textum emendationem loci, pridem a Fr. Modio ad Curt. V. 7. 8. propositam, praesertim approbatam etiam a Bongarsio, et congruentem cum Herodoto, Diodoro, Probo, Isocrate, Orosio: qui tamen onerariarum sive τριηκοντέρων addunt tria millia, et ἱππαγώγων octingentas et quinquaginta. ut ille superior numerus sit triremium, seu rostratarum, ut Orosius vocat. Editiones hactenus habuerunt: *Naves decies centum millia numero.* Ita scilicet singulis hominibus e Xerxis exercitu, singulas naves evenerint. Quod asserere nec Graeculorum impudentissimus quisque sustinuit. Bernec.

Naves quoque mille ducentas habuisse numero dicitur. Orosius *rostratas* (ita quoque legendum apud Freculphum pro vulg. *prostratas*) *etiam naves mille ducentas, onerarias autem tria millia numero habuisse narratur.* Orosium etiam sequitur Albertus Stadensis Chron. pag. 136. apud quem legitur, *ter mille.* Abr. Gronov.

21. Huic tanto agmini etc. Ut Antiocheno exercitui apud Flor. II. 8. quem etiam huic comparat ibidem II. 19. Bernec.

Si regem spectes. Vitia Xerxis praeposterae Darii patris educationi adscribit Plato lib. VII. de Leg. Bernec.

22. Cum flumina multitudine consumerentur. Coll. N. *cum flumina a mult. cons.* Abr. Gronov.

Opes tamen regiae. In MS. legitur, *optamen regis superessent.* Puto veram lectionem esse, *opes tamen regi superessent.* Nam *regi* melius respondet praecedenti, *si regem spectes,* quam *regiae.* Scheff.

23. Ipse autem primus in fuga, postremus in praelio semper visus est. Contra de Ateslo scribit Saxo lib. IV. pag. 61. 15. *cum is ante omnes bella gesserit primus; fuga vero postremus incesserit.* Abr. Gronov.

In periculis timidus. Ita fere Livius IV. 28. 4. *In otio tumultuosi, in bello segnes.* Et VII. 15. 2. *In castris feroces, in*

*acie pavidi.* Contra Tacit. Hist. I. 84. *Fortissimus in ipso discrimine exercitus, qui ante discrimen modestissimus.* Qualis Livianus iste Manlius VII. 10. 9. qui nulla voce aut minis in Gallum ibat: *sed pectus animorum iraeque tacitae plenum, omnem ferociam in discrimen ipsum certaminis distulerat.* BERNEC.

24. ET MONTES IN PLANUM DUCEBAT. MSS. atque editiones, praeter quam tres posteriores Cl. Graevii, *deducebat*, atque ita loquuntur optimi scriptores. Seneca Epist. III. *Ludit istis animus, non proficit; et philosophiam a fastigio deducit in planum.* Curtius lib. VI. cap. 1. *et, donec avidius sequentes in planum deduxere, multi cadebant.* Florus lib. II. cap. 3. *Fulvius latebras eorum ignibus sepsit: Baebius in plana deduxit.* ABR. GRONOV.

CONVEXA VALLIUM AEQUABAT. Turnebus Advers. lib. XXX. cap. 27. ad illud Virgilii Aeneid. lib. IV.

*taedet caeli convexa tueri.*

*Annotant*, inquit, *Grammatici quidam, convexum coeli cerni non posse, sed eius concavum. ac denique convexa pro concavis dixisse Poetam. cum sit convexum, curvum cavo oppositum. Sed convexum cavum esse reor, quod e Iustino II. cap.* 10. *intelligi potest, scribente de Xerxe,* et montes in planum etc. *et ipso Marone I. Aeneid.* 310.

*Classem in convexo nemorum sub rupe cavata*
*Arboribus clausam circum atque horrentibus umbris*
*Occulit.*

MOD. — *Convexa* non tantum dici, quae sublimitate sua, verum etiam quae cavitate talia sunt, ex hoc loco aliisque ostendit Cl. Oudendorpius ad Lucanum IX. 502. adde et Erudit. Reitzium de Ambiguis pag. 126. WOPKENS.

QUAEDAM AD NAVIGATIONIS COMMODUM PER COMPENDIUM DUCEBAT. Hoc de perfosso Atho vult intelligi, idque a multis aliis factum fuisse proditum fuit. Et tamen falsum est, ut ex Petri Bellonii descriptione constat, qui oculatus testis fuit. An quia illis temporibus mare Aegaeum navibus non patebat? Huius generis est miraculum illud Annibalis, a quo Alpes ruptas, disiectas et dispulveratas aceto ferunt, quasi calcem aqua aspersam.

*O Pater, o hominum Divumque aeterna potestas.*

Quantum aceti opus fuit! Plus certe quam quantum aquae pater Oceanus continet. FABER. — Ammianus Marcellinus XXXI. fabulosam quoque habet hanc Athonis perfossionem. Sed vide quid Bellonio et Ammiano respondeat Isacus Vossius in notis ad P. Melam II. 2. GRAEV.

## CAP. XI.

2. LEONIDA. Lege praeter Herodotum VII. 219. Diodorum II. 4. et Orosium II. 9. Strabonem lib. IX. Aelianum III. Var. Hist. 25. Valerium III. 2. et Pausaniam Laconicis. Meminit et Seneca Epistol. LXXXII. fin. Vide et Ctesiae Excerpta. Variat hic

multum a ceteris. BONGARS. — Adde Ciceron. Tuscul. I. 24. Agellium III. 7. Tzetz. Chil. II. 32. BERNEC. — Med. Bodl. Coll. N. quart. Leid. Periz. ed. Bech. Ven. Flor. Med. Paris. Ald. Iunt. *namque cum*. Rom. *namque cum Leonidas dux Spartanorum quatuor m.* ABR. GRONOV.

MARATHONIA PUGNA INTERFECTI etc. Decennio ante. Supra cap. 9. 20. BERNEC.

5. RECEDANT. Sic infra XXVIII. 4. 9. BERNEC.

8. AUT REGI SPARTANORUM, AUT URBI CADENDUM. Istiusmodi fere oraculum in causa quoque Atheniensium aliquando editum fuit; videlicet *superiores fore Dorienses, ni regem Atheniensium occidissent*. Tantundem enim hoc est ac si dictum esset, aut Atheniensium regi Codro, aut populo cadendum esse. Vide sup. II. 6. 17. VORST. — Angl. *responsum regi Spartanorum fuerat, aut urbi, aut regi*. Etiam hic servanda lectio vulgata. Nec enim tam regi fuerat responsum, quam sciscitantibus, ut superiora ostendunt. Ac hi fuere Delphis, non rex privatim. SCHEFF. — Coll. N. *aut urbi aut regi cladem imminere*. ABR. GRONOV.

9. ET IDCIRCO REX LEONIDA. Ed. Bechar. Flor. Med. Ald. Iunt. *et iccirco cum rex Leonidas*. Bech. *Leonides*. MS. Med. sec. quint. Leid. Periz. ed. Rom. Ald. *angustiasque propterea*. Iunt. *angustias praeterea oco*. ABR. GRONOV.

ITA SUOS FIRMAVERAT. Non satis hoc intelligo. An enim, ut quis faciat aliquid, ad id opus habet, ut firmetur? At dicit Noster, ita firmasse Leonidam suos, ut scirent, se (Leonidam scilicet) ire animo parato ad moriendum. Atqui facere hoc poterat simplici indicio. Quare suspicor scripsisse Nostrum, *ita suos formaverat*, id est, *informaverat*. Et sic Noster quoque XVIII. 3. *Ab eo formatus, cum medio noctis omnes in unum campum processissent, ceteris in Orientem spectantibus, solus Occidentis regionem intuebatur*. Sane adhortatio, qua eos firmat, paulo post demum apud Nostrum sequitur, ut appareat, ante non firmasse, sed formasse. SCHEFF. — Schefferus legebat *formaverat*; quod etiam firmat Dorv. 2. Oudendorpiusque ad Front. II. 5. 33. probabat, secus tamen sentiente Burmanno ad Phaedr. IV. 24. 32. Neque ego, cur illud *firmaverat* sollicitandum esset, video. Utrumcunque autem elegeris, illa *ut ire se .. scirent*, minus recte se habere puto: quumque in Dorv. 1. et 3. habeatur, *ut regem parato ad m. a. scirent*, a Iustino fuisse suspicor, *ita suos firmaverat* (i. e. suorum animos fidemque confirmaverat) *ut secum parato ad moriendum animo irent*, vel *ut ire secum p. a. m. a. sciret*, scil. eos. Sic enim animatos fuisse, sequentia ista indicant: *nihil erat difficile persuadere persuasis mori*. Non id solum Leonidas effecerat, ut ipsum ire parato ad moriendum animo sui scirent, sed etiam ut ipsis idem animus esset. WOPKENS.

10. UT CUM PAUCIS etc. Ita mox cap. 13. 3. BERNEC.

AUT MINORE DAMNO REIPUBLICAE CADERET. Coll. N. *aut minore detrimento*. ABR. GRONOV.

11. QUALITERCUMQUE PROELIANTIBUS. Monet Bongarsius in uno MS. se reperisse, *qualitercumque praeliatis.* Quod cum ipse quoque in antiquissimis Fuldensibus membranis invenerim, nihil dubitem ita legere. Cic. ad Attic. *Acriter et vehementer praeliatus sum.* MOD. — Antiquiores typis expressi, *qualitercunque praeliarentur:* quod non minus elegans et fortasse rectum. VORST. — Ed. Bech. Ald. Iunt. *qualit. praeliarentur.* Periz. cum MSS. Bong. Modii, *praeliatis.* Infra V. 1. 1. *praeliati ad ultimum.* ABR. GRONOV.

14. NIHIL ERAT DIFFICILE. Seneca Ep. 4. *Quisquis vitam suam contemsit, tuae dominus est.* Et Seneca tragicus Herc. Oet. *Contemsit omnes ille, qui mortem prius.* BERNEC.

15. STATIM ARMA CAPIUNT. Anglic. *raptim arma capiunt.* Placet. Auctor ad Herennium: *Ipse se raptim domum suam coniicit.* SCHEFF.

SEXCENTI. *Quingentos* habet Diodorus XI. 2. quem in hac narratione fere expressisse auctor noster videtur. M. Cicero de Fin. II. 30. *trecentos.* et Seneca in Suasoria II. et Aelianus III. Var. Hist. 25. cuius interpres τριακοσίους imperite vertit *triginta.* BONGARS. — *Trecentos* item habet Herodotus VII. 224. et Plutarchus in Parallelis cap. 4. *Mille* autem Lacedaemonios eduxisse primo Leonidam sine sociis, refert Diodorus XI. 4. et Isocrates Panathenaico et Archidamo. BERNEC.

REGIS PRAETORIUM. Diodorus XI. 9. τὴν τοῦ βασιλέως σκηνήν. BONGARS. — Curtius III. 11. 38. *tabernaculum* vocat. itemque *praetorium* V. 2. 11. BERNEC.

16. TUMULTUS TOTIS CASTRIS ORITUR. Saxo lib. XIII. pag. 244. 36. *cumque totis in castris tumultus exoriretur.* ABR. GRONOV.

NON SPE VICTORIAE, SED IN MORTIS ULTIONEM. Periz. *sed mortis ultione.* Coll. N. *non in spem victoriae, sed in mortis ultionem.* ABR. GRONOV.

17. DIEI. MS. *die*, antique pro *diei.* Sallust. Iugurth. 97. 3. *Vix decima parte die reliqua.* Vide quae notat A. Gellius IX. 14. quae Priscianus lib. VII. ex prima Historia Sallustii, et quae Probus in Catholicis. BONGARS. — Quint. Leid. *die.* Sallustius Iug. cap. 56. *Et iam die vesper erat.* Vide Bongarsium ad h. l. ABR. GRONOV.

18. NON VICTI etc. Sic *Athenienses consumti magis quam victi* infra V. 1. 10. et Oros. II. 15. *Nemo trecentos Fabios victos dicit, sed occisos: et Regulus captus est a Poenis, non victus: et quisquis alius saevientis fortunae vi ac pondere oppressus, non submittit animum.* Seneca de Benef. V. 3. Similiter Bernhard. III. de Consid. de Apostolis: *Occumbebant, non succumbebant.* BERNEC. — Nullus dubito hic excidisse unam syllabam, quam sequens earundem literarum absorpsit, ut saepe factum. Victi enim tandem sunt utique, quia omnes sunt caesi. Legendum igitur cum Gronovio: *ad postremum non vi victi.* GRAEV.

INTER INGENTES STRATORUM HOSTIUM CATERVAS. Hanc lectionem confirmat Lucan. II. 135.

*Aut Collina tulit stratas quoque porta catervas.*

et Liv. VII. 36. *Circa iacentem ducem sterne Gallorum catervas.* Gronov. — Hoc a doctis hominibus, qui ante me ad Iustinum scripserunt, emendari decuit. Lego, *inter ingentes stratorum cadaverum acervos*, non autem *catervas.* Nam *caterva* de iacentibus aut mortuis non dicitur; *acervus* autem semper. Exemplis parco, nil enim frequentius. Faber. — Mihi quoque hic locus diu fuit suspectus. Noram enim, quod in Romanorum copiis esset cohors, id dici in barbararum gentium exercitu *caterva.* Sed postea tamen deprehendi *catervam* etiam usurpari de multitudine caesorum, seu mortuorum. Stat. Theb. XII.

*Non longum caede recenti*
*Laetatus videt innumeris fervere catervis*
*Tellurem, atque una gentem exspirare ruina.*

Graev. — Non opus esse, ut sine librorum auctoritate hic plenius legeremus *vi victi*, videbimus ad lib. V. 1. Merito autem (quamvis dubitet ad Val. Flacc. VI. 596. Burmannus) illud *catervas*, pro quo Faber *acervos* substituebat, vexandum non esse statuunt Gronovius et Graevius. Non quidem *cadaverum, corporumve catervas* satis apte dixeris, sed recte *hostium* (sive viventium sive stratorum aut mortuorum) *catervas*, pro turbis vel agminibus. Orosius II. 9. *Ad postremum vincendo fatigati, ubi quisque eorum deficientibus membris visus est sibi mortis suae ultione satiatus, ibi inter impedimenta cadaverum campumque crasso et semigelato sanguine palpitantem, lassus, lapsus et mortuus est.* ubi vocem *lassus* exscindendam censeo. Wopkens.

19. Duobus vulneribus. Sic lib. V. cap. 6. *Plus vulneris eo praelio acciperent, quam superioribus dederant.* Item XLII. 4. 11. *Nec ullo bello maius vulnus acceperunt.* Ita *vulnus* pro clade bellica et interitu exercitus est. Et *vulnus accipere* dicitur is, cuius exercitus est, qui perit: *dare* vero is, qui exercitum alterius fundit. Etiam proprie accepta ῥῆσις ista frequens est: dicuntque *vulnus accipere in capite.* Alia rursus metaphora est, quod Nepos scribit Dione: *Accepit gravissimum parens vulnus morte filii.* Vorst.

Experiri maris fortunam statuit. Saxo lib. X. pag. 203. *belli fortunam experiri.* et lib. XIV. pag. 281. *armorum fortunam experiri.* Abr. Gronov.

## CAP. XII.

1. Ionas. Herodotus lib. VIII. Plutarchus in Themist. Ortos autem Ionas ab Atheniensibus, notum ex Herodot. lib. I. et aliis. Bongars.

In auxilium regis classe venisse. *In auxilium alicuius venire* rursum dixit lib. XXIII. 1. *Quum* in auxilium *Graecarum* civitatium *cum magno exercitu in Italiam venisset.* Seneca H. Fur. 631.

*Nemo ad Herculeas domus*
Auxilii *venit.*
Vulg. Interpretatio 3 Regum XX. 16. *Benadad autem bibebat temulentus in umbraculo suo et reges triginta duo cum eo, qui* ad auxilium eius *venerant.* Pariter *in auxilia* vel *in auxilium alicuius mitti* lib. IV. 4. 3. et lib. IX. 2. 6. Cum dativo personae lib. XV. 2. *Lysimachum cum ingentibus copiis* in auxilium sociis *mittit.* et mox hoc cap. 12. lib. II. *Artemisia . . quae* in auxilium Xerxi *venerat.* Frontin. Strat. II. 3. 13. *Quum* in auxilium Aegyptiis *adversus Persas venisset.* ubi male MSS. quidam exhibent *in auxilio,* neque inde coniici cum viris doctis opus est *quum auxilio* vel *quum is auxilio.* Sic idem lib. eiusdem cap. V. 45. *Aliam classem* in auxilium *supervenire* ei *arbitrati sunt.* et lib. III. 11. 5. *Quum Lacedaemonios* in subsidium *hosti venisse animadverterent.* Suetonius in Nerone cap. XLIX. *Centurioni . .* in auxilium *se venisse simulanti, non aliud respondit, quam sero.* Iustinus lib. XII. 9. *Quoad omnis exercitus, muris deiectis,* in auxilium *veniret.* Ita etiam *in auxilium arcessere* dixit Aur. Victor Vir. Illust. cap. IV. pro quo *arcessere auxilio* Caesar Gall. III. 11. ubi nollem illud *in auxilio,* quod in quodam codice est, approbatum fuisse Cl. Oudendorpio. Confer porro quae infra notabimus ad lib. V. 11. Wopkens.

2. Symbolos. *Symbolum,* et *symbola,* et *symbolus,* dicunt Latini. Plaut. Pseud. I. 1. 53. et Bacchid. II. 3. 31. MS. unus hoc loco habet *symbolas,* quomodo et Plautus saepe. Bongars. — *Symboli* Graecis στῆλαι. Scholiast. Sophoc. Elect. vs. 723. Στῆλαι, κυβοειδεῖς λίθοι, ἐπιγράμματα τινῶν ἔχοντες. Gronov.

Et saxis proscribi. Angl. *et in saxis perscribi.* De *perscribi* dixi supra X. 13. Vulgata tamen se tuetur per illud Suetonii Ner. 39. *Multa Graece Latineque proscripta aut vulgata sunt.* ubi Torrentius quoque *proscripta* censet servandum, contra *perscripta,* quod in MS. uno invenitur. Caussa satis ab ipso explicatur. Atque ita et hic faciendum arbitramur. Scheff. — Sane *proscribi* non est sollicitandum. Proprie enim et eleganter *proscribi* dicuntur, quae in tabella aut charta scripta publice affiguntur, ut ab omnibus legi possint. Sic *proscribere aedes* est, publica tabula affixa significare venales aedes esse. Sic et *proscribi* Romae dicebantur olim, quorum nomina in ferali tabula scripta erant, ut impune ab omnibus possent necari. Sic et Graecis προγράφειν, unde *programma.* Eadem vis est in τῷ *proponere.* Id enim est, in publico loco exponere omnibus videndum aut legendum. Graev. — Ed. Ald. Iunt. *symbola.* Coll. N. ed. Rom. *et in saxis perscribi.* Orosius lib. II. cap. 10. et Freculphus: *saxisque affigi iubet.* Herodotus lib. VIII. cap. 24. ἐντάμνων ἐν τοῖσι λίθοισι γράμματα. Abr. Gronov.

3. Bellum inferre olim conditoribus. Med. *b. inferre solet o. c.* MS. Bongars. *b. i. solet. olim c.* Forte legendum, *b. i.* sicut *olim c.* Abr. Gronov.

4. AN IDEO. Vetus Poëta:

*Men' servasse, ut essent qui me perderent?*

BONGARS. — Haec Pacuvius in Armorum Iudicio, citatus a Suet. Iul. 84. Liv. II. 40. 7. BERNEC.

5. QUID SI NON HAEC. Alii habent, *quod si.* Mihi neutrum placet; mallem scribere, *quasi non haec.* SCHEFF.

6. QUIN VOS IN HAEC NOSTRA CASTRA EX ISTA OBSIDIONE TRANSITIS. Med. Magl. Thuan. pr. Leid. Bodl. Coll. N. et C. C. *in haec vestra castra:* eamque scripturam amplectitur Parens ad Gellium lib. IV. cap. 18. tert. quart. Leid. *in haec castra vestra.* ABR. GRONOV. — *Obsidio* pro captivitate. Et significatur Ionas in classe Persica non ut milites, sed ut captivos agere. Sic et XV. 1. 3. *Obsidione Amphipolitana liberare,* est pro captivitate Amphip. liberare. Amphipolim enim filium Alexandri cum matre custodiendum Cassander miserat. Et XXXIX. 1. 1. *Obsidione Parthorum liberatus* dicitur Demetrius, quem Auctor XXXVI. 1. 5. simulatione pacis deceptum a Parthis captum dixerat. VORST.

7. AUT SI HOC PARUM TUTUM EST, AT VOS etc. Emendationem Gronovii Illustrissimi amici nostri in textum recepi. Prius legebatur: *aut si hoc parum tutum extat, vos,* barbare et imperite. FABER. — Optime Gronovius: *Aut si hoc parum tutum est, at vos commisso bello ite cessim.* Sic quoque Iuntina editio, et merito recepit Tanaquillus Faber. GRAEV. — Cl. Gronovius parum Latinum esse putat *tutum exstat,* et legendum esse, *Aut si hoc parum tutum est, at vos commisso praelio ite cessim,* quomodo in uno quoque MS. diserte lectum fuisse in Variis Lect. testatur Bongarsius. Illud *at* post *si non, si parum,* plane elegans est. Cicero III. in Verr. *Si quemadmodum socii populi Rom. a magistratibus nostris tractentur, non laboratis: at vos communem P. R. caussam suscipite atque defendite.* Vide et Gronovii Obss. IV. 26. itemque Notas ad Liv. XXIV. 37. VORST. — Gronovius, *tutum est, at vos,* quod recte Graevio probatur et aliis. SCHEFF.

CESSIM. Ita recte libri veteres. Varro apud Nonium:

*Vereor ne me quoque, cum domum ab Ilio*
*Cessim revertero, praeter canem cognoscat nemo.*

L. 52. D. ad L. Aquil. Eadem ratione Plautus Casina II. 8. 7.

*Recessim cedam ad parietem.*

BONGARS. — Πρύμναν κρούεσθαι est Thucydidi I. 9. 24. ubi Scholiasten vide. BERNEC.

INHIBETE REMOS. Pulchre restituit Gronovius: *inhibete remis.* *Inhibere remis* est nautica locutio, qua significatur, nave non conversa, retro remigare. quod faciebant aut appulsuri ad littus et portum, aut in proelio fugam adornantes. Vid. Observ. eius IV. 26. GRAEV. — A Gronovio quoque est *inhibete remis:* quem in Observationibus videre poteris. FABER. — Idem Gronovius modo dicto Observationum loco contendit legendum esse *inhibete remis:* id quod nobis item vero perquam simile videtur. Subaudiendum autem fue-

rit vocabulum quarti casus, et quidem *navem* vel *naves*. Quod quidem subinde diserte et adiiciunt, sic tamen ut *remis* rursus omittant. Livius lib. XXVI. *Cum nostris concurrissent, neque retro navem inhiberent, nec dirimi a se hostem paterentur*. et XXX. *Ut quaeque retro inhibita rostrata onerariam haerentem unco traheret*. Dicunt et *inhibere*, neque *navem*, neque *remis* addito. Livius XXXVII. *Cum divellere se ab hoste cupientes inhiberent Rhodii*. Afranius apud Nonium in Cymba: *Tum conscendo cymbam interibi loci piscatoriam, venio, iacitur anchora, inhibent leviter*. Rursus omisso *navem*, adiectoque *remis* scribit Curtius IV. 4. *Plures deinde Macedonum naves superveniunt, et rex quoque aderat, cum Tyrii inhibentes remis aegre evellere navem, quae haerebat, portumque omnia simul navigia repetunt*. Quid autem est *inhibere remis*, et *inhibere navem*, et *inhibere?* Nihil aliud quam navem non modo reprimere, ne amplius antrorsum et in proram procurrat, sed et retro eam agere: quorum quidem utrumque remis fit. Livius diserte addit *retro*, dicitque *retro inhibere navem*. Deinde apparet etiam ex eo, quod, si haererent, et evellendae aut ab aliis dirimendae naves essent, remis eae inhibebantur. Denique et ex eo, quod apud Iustinum praecedit *ito cessim*. Vide plura et egregia in hanc sententiam observata et Gronovio lib. IV. Obs. cap. 26. vim verbi huius cum ne Cicero quidem satis teneret, ut ex XIII. Ep. 21. ad Att. apparet. Vorst. — Gronovius et Graevius *inhibete remis*. Dicam pluribus in libris de Militia Navali, si unquam lucem poterunt videre. Scheff.

8. Ante navalis. Haec vide apud Herodotum, Plutarchum, Diodorum, Aemilium Probum, Orosium II. 10. apud quem initio capitis, vox *bis* abest a MS. et sane inducenda est. Bongars.

9. Sed et cum Diis immortalibus bellum gereret. Ald. Iunt. *sed cum Diis etiam imm.* Abr. Gronov.

10. Quae manus tota imbribus et fulminibus deleta est. Confer Herodotum lib. VIII. cap. 37. et 38. Abr. Gronov.

Ut intelligeret, quam nullae essent hominum adversus Deos vires. Periz. Bech. Ven. Flor. Med. Paris. Ald. Iunt. *ut int. quanto gravior offensa Deorum esset, tanto nullas esse hominum adv. D. v.* Abr. Gronov.

11. Thespias. Sec. quint. Leid. Bodl. *Thespiades*. tert. quart. Reg. *Thespiadas*, probante Bongarsio ad XXXVI. 1. 3. Abr. Gronov.

Et quoniam ferro. Crudele facinus, et quod tale magis apparebit, si componatur cum Antigoni moderatione, infra XXVIII. 4. 15. Bernec.

In aedificia igne grassatur. Med. sec. quart. Leid. Bodl. *in aedificiis*. Ita infra XXXVIIII. 6. 1. *in aliis quoque omnibus hac arte grassatus*. Saxo lib. XIV. pag. 309. 32. *et quoniam in homines grassari non licuit, tamquam a rebus mutis supplicium exacturus, urbem Gozcovam cremandam curavit*. Abr. Gronov.

14. Themistocles navium praesidium demonstratum ratus . . . . timens Themistocles, ne discessu etc. Coll. N. plurimum

quantum hoc loco a recepta lectione discedit: *cum Themistocles interpretatus est* (leg. *esset*) *Deum muros ligneos dixisse naves; cuius probato consilio, coniuges liberosque Salaminiis demandant: ipsi naves armati conscendunt. Idem et aliae civitates Graeciae faciunt, inter quas cum dissensio oriretur et delapsuri ad sua tuenda iam viderentur, veritus Themistocles, ne discessu* etc. Abr. Gronov.

Themistocles. Cicero X. ad Atticum Ep. 7. *consilium Themistocleum.* Frontinus I. 3. 6. Aristot. I. Rhet. 15. Bongars.

Municipes esse. MS. *municipia esse*, quod respondet elegantius sequenti *moenia*. Et suspicor, alterum ex glossa natum, qua quis notaverat, *municipia* hic posita pro *municipibus*. Scheff. — Non video, cur cum Scheffero ex MSto mallemus, *patriam municipia esse*, cum vox personae *municipes* melius respondeat sequenti *cives*, in his: *civitatem . . in civibus positam.* Wopkens.

Moenia. Eadem scilicet quae *οἰκοδομήματα*, vel aedificia alias vocantur, et pari ratione infra V. 7. *Non exercitum, cuius ope servati pulchriora possent moenia exstruere.* nec aliter Florus I. 4. *Moenia muro amplexus est.* et III. 10. *Incensis moenibus suis.* Vid. Observat. II. 12. Gronov.

Civitatemque. Thucydides VII. 14. 22. *ἄνδρες, πόλις, καὶ οὐ τείχη.* Tacit. Hist. I. 84. *Quid? vos pulcherrimam hanc urbem, domibus et tectis, et congestu lapidum stare creditis? Muta ista* etc. Huc pertinet oratio Lentuli ad exercitum intra Caudinas furcas conclusum, apud Livium IX. 4. Cic. ad Att. VII. Ep. 9. *Non est in parietibus Resp.* Bernec.

17. Coniuges liberosque abditis insulis etc. MS. *additis*, ex quo nobilius. Sebisius ingeniose, et forte recte fecit *adsitis*. cum in illa festinatione vicinas quam remotiores et abditas insulas eos circumspexisse sit credibilius. Firmat coniecturam Herodotus VIII. 41. ubi Salaminem et Aeginam insulas nominat, itemque Troezenem. adde Diodor. XI. 13. et Frontin. I. 3. 6. Bernec. — Senes in insulas deportasse, inquit Aristides in Oratione *ὑπὲρ τῶν τεττάρων*. coniuges vero, et liberos, Troezenem misisse, non in insulas. *Abditas* autem vocat insulas illas, quoniam in intimo recessu sinus essent sitae. Voss. — Genuinum videtur *abditis*, neque cum Sebisio et Berneccero mutandum in *adsitis*. Sunt autem *abditae insulae*, quae, ut Vossius ait, in recessu sinus intimo fuere sitae, Salamis puta et Aegina: quas Herodotus lib. VIII. et nominat. Indidem post fugam Xerxis et repetita Thucydides prodidit. Vorst.

18. Cum adunata omnis sociorum classis. *Adunare* verbum Nostro valde frequentatum: ut vel ex Indice apparet. Alibi vero paulo rarius est. Utitur tamen Cyprianus in Ep. 63. quae ad Caecilium est: *Quomodo nec corpus Domini potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi utrumque adunatum fuerit et copulatum.* Sed et apud Plinium reperias XIX. 2. Nat. Hist. *Vulsum*, inquit, *fascibus in acervo adunatum biduo.* Sic enim legendum sine dubio; non *animatum*. Vorst.

NE CIRCUMVENIRI A MULTITUDINE POSSET, OCCUPASSENT. Cum tribus Dorv. aliisque MSS. lege: *ne circumveniri a multitudine possent*. WOPKENS.

19. PER SERVUM FIDUM. Frontinus II. 2. 13. BONGARS. — Herodotus lib. VIII. cap. 75. πέμπει ἐς τὸ στρατόπεδον τὸ Μήδων ἄνδρα πλοίῳ, ἐντειλάμενος τὰ λέγειν χρεών· τῷ οὔνομα μὲν ἦν Σίκινος, οἰκέτης δὲ καὶ παιδαγωγὸς ἦν τῶν Θεμιστοκλῆος παίδων ABR. GRONOV.

20. QUAE JAM ABIRE VELLENT. Tert. Leid. *quae iam feriari vellent*. ABR. GRONOV.

22. SPECTATOR. MSS. *exspectatae:* unde Val. Aleidalius ad Vell. Paterc. II. 14. 5. facit *exspectator*, antique pro *aspectator*. Sicut *escendere* Tacitus et Seneca, pro *ascendere*. et Vetus Glossarium *ercessere*. BERNEC. — Saxo lib. XIV., pag. 255. f. *pro duce pugnae spectator effectus*. ABR. GRONOV.

23. ARTEMISIA. Θυγάτηρ Λυγδάμιος. Herodotus VII. 99. Pausanias Laconicis. Unus e MSS. *Artemidora* scriptum habet, quomodo et Orosius II. 10. BONGARS.

ARTEMISIA REGINA HALICARNASSI. *Alicarnasi* vel *Halicarnasi* exhibent meliores MSS. tam Orosii, quam Iustini. Vincentius lib. I. cap. 38. *Archemidora autem, vel, sicut alibi legitur, Artemisia regina Halicarnasi*. Ita *Halicarnaseu* quoque dant MSS. Pomponii Melae lib. I. cap. 16. et Ἁλικαρνησόν atque Ἁλικαρνησεὺς codex Mediceus Herodoti lib. I. cap. 144. Iosephus lib. IV. Antiq. Iud. cap. 17. Ψήφισμα Ἁλικαρνασέων. Adde Paterne ad Herodotum init. lib. I. Apud Freculphum vitiose editum est: *Artemidora regina Halicarnis*. ABR. GRONOV.

INTER PRIMOS DUCES. Antiquiores typis expressi *inter primores duces:* quod sane contemnendum non est. Non tantum enim *primores* dicuntur, qui primi sunt tempore aut loco; sed et qui primi sunt dignitate. Horatius *primores populi*, et Silius *socium primores* dicit. VORST. — Vorstius ex vetustioribus legit *primores duces*. SCHEFF. — In Iuntina quoque *primores* habetur. GRAEV. — Med. Periz. ed. Bechar. Ven. Flor. Mediol. Paris. Ald. Iunt. *inter primores*, probante Vorstio. ABR. GRONOV.

24. QUIPPE UT IN VIRO MULIEBREM TIMOREM. Hoc Xerxes non sibi, sed suis aptans, *Viri quidem*, inquit, *extiterunt mihi feminae: feminae autem, viri*. Herodot. VIII. 88. et ex eo Suidas in voce Ἀρτεμισία, qui tamen Artemisiam contra Persas militasse, falso scribit. BERNEC.

25. ANIMOS CETERORUM FREGIT. Manuscripti plerique habent, *ceteros*. Puto sic scripsisse Iustinum, et verba, *animos ceterorum*, glossatoris esse. SCHEFF. — Schefferus cum MStis nonnullis, legebat *ceteros:* ego ex Dorv. tribus aliisque mallem *ceteris*, nisi sic rursum genitivo uteretur Noster lib. XXII. 6. *Hac victoria et Siculorum animi eriguntur, et Poenorum franguntur*. et lib. XXXIV. 3. *Adeoque haec asperitas animum regis fregit, ut* etc.

Wopkens. — Ita infra XXXIV. 8. 4. *adeoque haec asperitas animum regis fregit.* et Livius lib. XXVI. cap. 12. *conspectum tam triste supplicium fregit animos Campanorum.* Bodl. Periz. ed. Ienson. Bechar. Flor. Ald. Iunt. *ceteris.* Ita idem lib. XXXVI. cap. 28. *Tum fracta Phaeneae ferocia Aetolisque aliis est.* Coll. N. *in ceteris.* quomodo loquitur auctor supra I. 5. 5. *animum minacem dumtaxat in parvulo fregit.* Magl. sec. quart. quint. Leid. *ceteros.* Abr. Gronov.

26. Circumspicientes fugam: Saxo lib. IX. pag. 170. 32. *quae res inspectantibus sociis gravissimam circumspiciendae fugae sollicitudinem attulit.* Abr. Gronov.

27. Multae mersae naves. Ducentae, inquit Diodorus XI. 19. Bongars. — Angl. *submersae*, ex glossa. Lucan. III.

*Aequora discedunt mersa diducta carina.*

Item:

*Pars maxima classis*
*Mergitur.*

Plin. IX. 44. de ariete: *Cymbas occultus adnatans mergit.* Adde libros nostros de Militia Navali, ubi pluribus hoc firmamus. Scheff.

Plures tamen non minus saevitiam regis, quam hostem timentes, domum dilabuntur. Coll. N. *domo.* Lege, *domos.* Orosius ex tribus MSS. Flor. et ed. Fabric. *plures tamen saevitiam regis, velut immanitatem hostis timentes, domos dilabuntur.* Freculphus: *per domos dilabuntur*, praepositione temere addita. Vincentius lib. III. cap. 83. *plures tamen saevitiam regis timentes, domos delabuntur.* Infra XIII. 11. 1. *ut praedam praemiaque integra domos ferant.* Curtius lib. VI. cap. 6. *domos quasi in captivo habitu reversuros.* Livius lib. XXIX. cap. 27. *praeda onustos, triumphantesque mecum domos reduces sistatis.* Idem lib. II. cap. 7. addito pronomine: *ut ambo exercitus suas quisque abirent domos.* Abr. Gronov.

## CAP. XIII.

2. Ne quid seditionis. Tacit. Histor. II. 97. *Prosperis nostris rebus, certaturi ad obsequium, adversam fortunam ex aequo detrectant.* Bernec.

Fama adversi belli, in maius, sicuti mos est. In omnibus quotquot viderim editionibus extat, *et in maius.* Monitu Sebisii expunxi *et*, quod manifeste παρέλκει, nullique rei est. De re Tacitus Annal. III. 44. 1. *Cuncta, ut mos famae, in maius credita.* Et Curtius IX. 2. 21. *Nunquam ad liquidum fama perducitur: omnia, illa tradente, maiora sunt vero.* Freinshemio restituendum videtur illud *et*, et hic esse sensus: *fama non modo adversa belli narrabit, sed et in maius augebit.* Nondum plene consentio: possemus arbitrio. Bernec. — Nihil mutandum. Sic quoque initio lib. XIV. *Ne fama aut rem in maius extolleret, aut militum animos*

*rerum novitate terreret.* Voss. — Berneccerus monitu Sebisii expunxerat *et*, ut quod manifeste redundet. At mihi cum Freinshemio videtur vocula illa abesse hinc non posse. Illud *in maius omnia extollens* non tantum famae adversi belli, sed et famae prosperi competit. Phrasi utitur et infra initio lib. XIV. Vorst.

3. Si aliter eventus ferat. MSS. plurimi habent *fuerit*, quod videntur reiecisse, qui putarunt haud Latinum esse, quando dicitur *eventus est aliter.* Atqui eo *aliter* pro *alius* cum verbo *est* utuntur optimi scriptores. Terent. in Phorm. *Ego isti nihilo sum aliter, ac fui:* et in Adelph. *Aliter de hac re eius est sententia.* Scheff. — *Ferat* etiam tres Dorv. habent, non *fuerit*, quod cum aliis MSS. praefert Schefferus. Livius VII. 6. *Forte ita tulit casus, ut Genucius* etc. Iustinus XXXV. 1. *Ut belli periculis eximerentur, ut si fors ita tulisset, paternae ultioni servarentur.* Caesar Gall. II. 21. *Ad cohortandos milites, quam in partem fors tulit, decucurrit.* Sic enim legerim potius, quam *sors obtulit.* Wopkens.

6. Themistocles timens. Frontinus II. 6. 8. Bongars.

Ne intercludi etc. Vegetius III. 21. *Clausis ex desperatione crescit audacia; et cum spei nihil est, sumit arma formido. Ideoque Scipionis laudata sententia est, viam hostibus, qua fugiant, muniendam.* Bernec.

Et iter, quod aliter non pateret, ferro patefacerent. Hegesippus lib. V. cap. 4. *nec aliter nisi ferro iter aperiendum.* Helmoldus lib. I. Chron. Slav. cap. 37. *Videntes ergo ii se immensa multitudine circumfusos, viamque ferro aperiendam.* Abr. Gronov. — Sallust. Cat. 58. 7. Fr.

In Graecia. Non muto, quia tamen MSS. multi habent *in Graeciam*, cogitandum puto, an non ita scripserit Iustinus, aliique, qui hoc genus ignorabant bonis scriptoribus receptum, immutarint. Adde infra III. 1. 1. Scheff.

7. Vincere consilio. Liv. VI. 28. *Patere te vinci consilio* et Tacit II. Hist. 40. *Titianus et Proculus, ubi consiliis vincerentur, ad ius imperii transibant.* Corn. Nep. Iphic. 1. *Semper consilio vicit.* et eodem modo ipse Herodotus IX. 41. Κρατεῖν γνώμῃ. Gronov.

Eundem servum. *Sicinnum* nomine, Herodot. At Diodorus ait fuisse paedagogum filiorum ipsius: ad instituendos liberos utebantur servorum opera veteres. Plutarch. in Arist. *Arnacen* vocat eunuchum. Bongars. — Scilicet de quo supra cap. 12. 19. quem *Sicinnum* nominat Herodotus VIII. 75. eumque Themistoclis ait fuisse et servum et liberorum paedagogum. At Diodorus hunc a superiore diversum facere videtur lib. XI. cap. 17. et 19. Bernec.

Maturata fuga. In Dorv. 1. et 3. cum ed. vet. est *matura fuga:* male. Virgilius Aen. I. 141. Maturate fugam, *regique haec dicite vestro.* Sallust. Fragm. lib. I. 21. *Cum Sertorius ne qua erumperet tam levi copia, navibus* fugam maturabat. Tacit. Ann. VI. 36. *In longinqua et contermina Scythiae* fugam maturavit, *spe*

*auxilii.* Wopkens. — Orosius lib. IV. cap. 18. *cum maturato adventu descendisse iam ex Alpibus consulibus proditus esset.* Saxo lib. V. pag. 73. 32. *Ericus maturato recessu Lesso insulam subit.* Abr. Gronov.

10. Sortis humanae, rerum varietate mirandae. Hic locus mihi est suspectus. Ecquae namque horum est constructio verborum? *Erat res digna spectaculo et miranda aestimatione sortis humanae.* Haec ne bene habent. At quo referenda illa, *rerum varietate?* Si ad *miranda*, debet addi coniunctio *et*. Sed videndum, annon ex glossa haec irrepserint. Scheff. — Recte vidit Schefferus locum hunc esse contaminatum. Labes tamen omnis detergebitur, si scripseris: *Erat res spectaculo digna et aestimatione sortis humanae, rerum varietate mirandae.* hoc est, erat res, unde poterat humana aestimari sors, propter tantam varietatem et mutabilitatem miranda; unde poterat perspici, quam fragilis esset sors humana, et quantis et quam miris varietatibus esset obnoxia. Editio Iuntina longius abit ab aliis libris, quae legit: *Erat res spectaculo digna, et ad aestimationem rerum humanae sortis varietate miranda.* Si ex veteribus membranis est profecta haec lectio, non facile debet reprobari, vulgatae sane praeponi: sed tamen veriorem duco emendationem, quam modo ostendi, quippe quae non longe recedit a priscis membranis, nisi quod una littera perperam omissa adiiciatur. Graev. — Non potest *res digna aestimatione sortis humanae* explicari, ut quidem Graevius facit, *res unde poterat humana sors aestimari:* meliusque tum legeres . . *digna ad aestimationem sortis . . mirandae.* Et sic potius rescriberem, quum etiam Iuntina aliaque vetus ed. habeat *digna et ad aestimationem* etc. Wopkens.

Quem paulo ante vix etc. *Gravem illum et mari et terrae Xerxem, nec hominibus tantum terribilem, sed Neptuno quoque compedes, et Caelo tenebras minitantem.* Val. Max. III. 2. Bernec.

Carentem etiam omni servorum ministerio, cuius etc. Talis erat Prusiae conditio. lib. XXXIV. 4. *Prusias regno spoliatus a filio privatusque redditus, etiam a servis deseritur.* Apposita quoque illa sortis mutatae Davidis apud Salvian. Gub. II. pag. 74. descriptio: *Quale illud fuit, cum tantus rex tanti nominis, cunctis regibus altior, mundo maior, omnes admodum suos cum paucissimis suis fugeret, in comparatione dudum sui aestuosus, paene iam post se vivens, deiectus usque in servorum suorum, vel quod grave est, contumeliam, vel quod gravius, misericordiam, ut vel Siba eum pasceret, vel maledicere Simei publice non timeret?* Wopkens.

11. Neque enim ulla est. Similis fere locus de Gallis XXIV. 8. 13. Bernec.

12. Inopia contraxerat et pestem. Ita Florus III. 5. 27. Bernec. — Suspicor, *contraxerant* scribendum. Nec enim inopia contraxit, verum copiae pedestres ex inopia. Scheff. — Sic recte legitur, hoc est, fames et inopia, ut fit, excitarat pestem, in exercitu scilicet. Celsus III. *Tristitiam contrahere dicitur bilis atra.*

Alia passim exempla sunt obvia. Graev. — *Inopia* pro cibi vel potus inopia. Lib. XXIV. 7. *Sed Gallorum vulgus ex longa inopia, ubi primum vino ceterisque commeatibus referta rura invenit* etc. Frontinus Strat. lib. III. 4. 6. *Proprio tritico abusos* . . . inopia *compulit ad deditionem.* Hirtius de B. Afric. cap. LXXVI. *Oppidi natura perspecta, atque* inopia *ab oppugnatione eius deterritus* . . . *ad aquam castra facit.* ubi an *aquae inopia* cum Lipsio legendum sit, vehementer dubito. Sic merito Heinsius defendebat haec Velleii Pat. II. 54. *Ingenti cum difficultate itinerum locorumque inopia perductis ad eos legionibus.* ubi alii *aquarumque* vel *lignorumque inopia* rescribi volebant. Atque ita *locum nudum atque inopem* dixit Livius XXVIII. 16. Wopkens.

Escae illecebris sollicitatae. Reposui ex antiquioribus typis expressis *escae:* quae vox itidem videtur abesse non posse; ut intelligatur, cuius generis illecebrae illae fuerint. Vorst. — Recte hoc reposuit Vorstius ex antiquioribus. Absumserat similitudo literarum in voce praecedenti. Scheff. — Consentit Iuntina. Graev. — Magl. ed. Rom. Orosius et Freculphus, *escarum illecebris.* Abr. Gronov.

## CAP. XIV.

1. Olynthum. Artabazo, non Mardonio id tribuit Herodotus VIII. 127. Bongars. — Errorem hunc primus ostendo: Legendum est *in Thracia*, quod veteres Geographi et Demosthenis interpretes probabunt. Faber.

2. Athenienses quoque. Herodotus fine libri VIII. et Diodorus XI. 28. Bongars.

3. Posteaquam — videt. Ed. Rom. aliaeque veteres cum Ald. Iunt. *vidit.* Abr. Gronov.

5. Fortuna regis etc. Insigniter hoc dictum illustrat Gruteri Dissertatio I. ad Tacit. Adde eundem ad Hist. August. pag. 2. pag. 128. m. 1. Bernec.

Victus Mardonius. Haec est memorabilis illa Graecorum ad Plataeas victoria, de qua Herodotus lib. IX. Diodorus XI. 31. Plutarchus in Arist. Aemilius Probus in Aristide et Pausania, quos vide, et Aelian. lib. II. et Strabo lib. IX. et Pausan. Laconicis et Boeoticis. Interfectum eo proelio Mardonium, praeter Ctesiam scribunt omnes: hunc sequitur auctor noster. Bongars.

6. Castra referta regalis opulentiae. Val. Max. I. 6. 2. *Bina castra Punicis opibus referta.* Zonar. tom. III. Ann. pag. 184. *Μεστὰ ὄντα πλούτου παντοδαποῦ καὶ πολυτελείας βασιλικῆς.* Gronov. — Nam Xerxes e Graecia fugiens, aureos et argenteos lectos atque mensas, omnemque regium apparatum reliquerat apud Mardonium. Herodotus IX. 81. Bernec. — MSS. Bongars. Ald. Iunt. *regali opulentia,* ut infra XI. 14. 10. *referta orbis terrarum spoliis.* Adde XXIV. 7. 4. et XXV. 1. 9. Abr. Gronov.

UNDE PRIMUM etc. Florus III. 12. 9. *Syria prima nos victa corrupit.* Adde Nostrum XXXVI. 4. 12. Liv. XXXIX. 6. fin. BERNEC.

7. MYCALE. Libri scripti hoc loco omnes depravate legunt, *Mesiae*, alii *Mosiae*, alii aliter. Vulgatam lectionem contra libros retinui ex Herodoto et Diodoro. Est autem Mycale mons Ioniae et urbs Stephano. BONGARS.

8. MARDONII COPIAS OCCIDIONE CECIDISSE. Malim, ut est in editionibus omnibus aliis, *occidione occidisse*, qua locutione utebantur veteres, quoties significare volebant, exercitum aliquem ad internecionem esse deletum. Livius noster lib. XXVIII. *Duo exercitus eorum prope occidione occisi.* similique fere ratione dictum a Tacito: *Copiae tum occidione occubuissent.* MOD. — Bong. *cecidisse.* Sed Modii iudicium secutus retinui manuscriptis firmatam aliarum editionum lectionem. Ea locutione utuntur veteres, exercitum ad internecionem deletum significaturi. Livius XXVIII. *Exercitus eorum prope occidione occisi.* Similique fere ratione Tacitus Annal. XII. *Copiae tum occidione occubuissent.* BERNEC. — *Occidisse παθητικῶς* pro cecidisse, deletas esse, ut saepe in hoc auctore. Infra XXVIII. 4. 12. dicit *occidione caesi.* Et Livius XXVIII. *occidione occisi.* Tacitus vero Annal. XII. *occidione occumbere.* VORST.

9. TANTAM FAMAE VELOCITATEM. Hanc famae velocitatem redarguit Diodorus XI. 35. Ait enim rumorem istum sparsum a Leotychida, *στρατηγήματος ἕνεκεν.* Vide Plutarchum in Aemilio cap. 41. Et hic, ut et Diodorus notavit, deficit Herodoti historia. BONGARS. Simile tamen famae velocitatis exemplum habet Noster XX. 3. 9. Adde Sueton. Neron. 1. et Domitian. 6. Florum III. 3. fin. Aelian. IX. Var. Hist. 2. BERNEC. — *Tantam famae velocitatem fuisse,* puta *ferunt*, aut *memorant.* Sed nil praecedit, quod hanc expletionem ellipseos monstrare possit, neque scio, an alibi sic positus infinitivus temere inveniatur. Ideoque mihi quidem non nihil suspectus est hic locus. SCHEFF. — Miror viro doctissimo, quem vivum amavi, mortuum colo, hic haesisse aquam. Nihil frequentius Iustino aliisque optimis scriptoribus in admirationibus uti infinitivis omisso *mirandum est*, aut alio huius notae verbo. In hoc lib. cap. 7. *Tantam in eo virtutem fuisse, ut non tot caedibus fatigatus, non duabus manibus amissis victus, truncus ad postremum, et veluti rabida fera, dentibus dimicaverit.* VIII. 2. *Tantum facinus admisisse ingenia omni doctrina exculta, pulcherrimis legibus institutisque formata, ut quid posthaec succensere iure barbaris possent, non haberent.* XIV. 5. *Tantum eos degeneravisse a maioribus, ut, cum multis seculis murus urbi civium virtus fuerit, tunc salvos se fore non existimaverint, nisi intra muros laterent.* Notavi nonnulla alia exempla in animadversionibus ad Epistolas ad Atticum, in quibus peccarant imprudentia huius elegantiae aut librarii, aut correctores. GRAEV.

IN ASIAM . . . NUNTIATUM SIT. Flor. Ald. Iunt. *in Asia*. ABR. GRONOV.

TAM BREVI HORARUM MOMENTO DE VICTORIA NUNTIATUM SIT. *Momentum horarum* scil. aliquot. ut Boëtius Cons. II. 7. *Unius etenim* horae momentum, *si decem millibus conferatur annis* . . . *minimam licet*, *habet tamen aliquam portionem*. Sic enim ibi forte legendum, pro vulgato *U. e. mora momenti*, *si decem* etc. et plura illic collegi. WOPKENS.

10. ATHENIENSIUM VIRTUS CETERIS PRAELATA. Cuius generis plura notata sunt supra ad I. 7. 14. Quibus adde illud Cicer. VI. Ep. 19. ad Fam. *Otium* (domus) *omni desertissima regione maius*, pro *omnis desertissimae regionis otio*. Sunt et in sacris literis talia. ut Ioh. vi. 36. *Habeo testimonium maius Iohanne*, pro *testimonio Iohannis*. VORST.

11. CIVITATIUM TESTIMONIO. Ald. Iunt. *cunctorum test*. ABR. GRONOV.

## CAP. XV.

2. CUM MOENIA. Praeter Diodorum XI. 39. vide Thucydidem I. 15. et Frontinum I. 1. 10. Meminit et Pausanias lib. I. initio. BONGARS.

MOENIA MAIORA COMPLEXI FUISSENT. Flor. Ald. Iunt. *maiora sibi compl.* ABR. GRONOV.

RECTE REPUTANTIBUS. MSS. *recte putantibus:* ex quo Sebisius *reputantibus* facit, omisso *recte*, quod nec abest incommode. BERNEC.

3. MUNIMENTA HOSTIBUS ET RECEPTACULA. Sebisius mallet, *munimenta hostibus in receptaculum*, vel *munimenta receptacula*, per appositionem. BERNEC. — MSS. *receptacula futurum bellum*. Credo scripsisse Iustinum et distinxisse: *ne munimenta hostibus receptacula futura*, *in bellum extruant*. SCHEFF. — Nollem Scheffero visum fuisse scribendum . . *hostibus receptacula futura*, *in bellum extruant*. Iunguntur hic *munimenta* et *receptacula*, uti *receptator* et *defensor* apud Florum III. 10. *Nec Rhenus ergo immunis; nec enim fas erat*, *ut liber esset receptator hostium atque defensor*. Eleganterque *receptacula belli futuri* dicuntur, eorum hominum receptacula, cum quibus aliquando bellandum foret: uti saepius vox abstracta *bellum* pro concreta bellantes hostesve sumitur. Florus III. 1. *Quis speraret post Carthaginem aliquod in Africa* bellum? lib. IV. 2. 78. *Omnium postrema certaminum Munda*. ubi ad hanc vim vocis non attendebat Lipsius, cum vellet *Omnium postremum certaminum Mundae*. Rursum cap. XII. 4. *Noricis animos dabant Alpes atque nives*, *quo bellum non posset adscendere*. Livius XXVI. 40. *Agrigentum inde*, *quod belli reliquum erat*, *tenebatur a Carthaginiensium valido praesidio*. et lib. XLV. 7. *Syphax* . . *tunc quoque accessio Punici belli fuerat*. Sallust. Frag. lib.

I. 14. *Praeterea Hetruria atque omnes reliquiae* belli *arrectae.* Adde quae ad lib. XLI. 1. WOPKENS. — Ed. Bech. *futuri rursus belli ext.* Ald. Iunt. *futuri rursus belli causam extruant.* Magl. ed. Rom. *receptacula rursus futuri belli causas ext.* Tacitus lib. II. Annal. cap. 64. *exscindere castella causas bello.* ABR. GRONOV.

4. NON ABRUPTE AGENDUM. Amm. Marc. XXVI. 32. *Aleam omnium periculorum iecit abrupte,* proque eo Liv. XXIII. 20. *Nihil raptim nec temere agendum.* et S. Lucas in Act. Ap. XIX. 36. *Μηδὲν προπετὲς πράττειν.* GRONOV. — Pro *abrupte* Dorv. 1, et 3. *inconsulte:* de glossa nempe, alterumque Gronovio merito placuit. Silius Ital. VII. 219.

*Fervida si nobis corda* abruptumque *putassent*
*Ingenium patres* etc.

Atque ita hominem *abruptum et praecipitem* dixit Tertullian. de Corona Militis, initio. WOPKENS. — Ita Ammianus lib. XV. cap. 2. *tenues damnabantur abrupte.* Periz. ed. Rom. *inconsulte.* ABR. GRONOV.

ITUROS LACEDAEMONEM. Ed. Bech. Med. Ald. Iunt. *Lacedaemona;* eaedemque cum Med. Periz. infra III. 3. 12. *relatis Lacedaemona.* ut VI. 7. 2. *Lacedaemona proficiscuntur.* ABR. GRONOV.

6. IN LEGATIONEM. MSS. plerique *in legatione,* quod non puto contemnendum. Solent enim casus ita permutari, quomodo cap. 13. ad verba *in Graecia* observavimus. Adde, quae notata nobis ad Fragm. Petronii Tragurianum, et Hyginum. SCHEFF.

AGI. Sebisius praefert *agere,* ut referatur ad Themistoclem. BERNEC.

7. ATHENIS MATURARI. MSS. *Atheniensis.* An scribendum, *Athenienses maturare?* nam *Atheniensis* vetus ratio est, pro *Atheniensis* vel *Athenienses.* Et potest ortum esse vitium ex eo, quia *Atheniensis* cum lineola in capite fuit scriptum, pro *Atheniensis,* idque pacitans librarius non observavit. SCHEFF. — In Dorv. 1. et 3. aliisque, *opus Atheniensium.* Nec male. WOPKENS. — Med. Bodl. Periz. ed. Bechar. Med. Ald. Iunt. *opus Atheniensium mat.* ABR. GRONOV.

8. MAGISTRATIBUS SCRIBIT ATHENIENSIUM, LEGATOS VINCIANT etc. Vox *Atheniensium* a Bodleiano et Dorv. non agnoscitur, neque illam habent alii MSS. in quibus *Lacedaemoniorum* vel *Spartanorum legatos* legitur. Itaque sine tali emblemate legendum videtur *magistratibus scribit, legatos v.* WOPKENS.

VINCIANT. Scilicet ut illos tantum servent in custodia. Virg. VIII. Aen. 652.

*Et fluvium vinclis innaret Cloelia ruptis.*

ubi haec Servius: *Vincla pro custodiis accipimus, quia obsides non ligantur.* GRONOV.

NE IN SE GRAVIUS CONSULERETUR. Sallust. Iug. cap. XIII. *Quorum pars . . nitebantur, ne gravius in eum consuleretur.* Curtius lib. IV. 10. *Tyriotes affirmare per Deos patrios, nihil in eam gravius esse consultum.* Lib. V. 10. prope finem: *Nec in deditos gra-*

*vius consultum.* Vide etiam quae ad lib. I. 7. Iustini et ad lib. XLII. 4. Wopkens.

9. Adiit deinde concionem. MSS. *At in deinde in concionem.* Puto verum lectionem, *adit deinde in concionem.* Sed repudiarunt, quoniam *adire in* putarunt male sociari. At vero scire debebant, *adire* compositum, significationem simplicis habere, atque ita praepositionem in eo esse supervacuam. Quomodo et Cicero in Epistolis ad Atticum alicubi, *adire in ius*, pro *ire in ius* usurpavit. Et occurrunt alia similia apud alios scriptores. Scheff. — Male Schefferus cum quibusdam MSS. legere gestiebat, *Adiit deinde in concionem L.* Altera forma occurrit lib. IV. 4. 1. et alibi. Wopkens.

Permonitas Athenas esse. *Per* in compositione subinde rei perfectionem et consummationem significat. Ita XII. 3. 2. dicit *perpetrare bellum.* et XXXI. 5. 2. *perrogare omnes.* Vorst.

Et posse iam illatum bellum — sustinere. Ed. Flor. Ald. Iunt. *et posse illatum non a. t. sed etiam muris bellum sustinere.* Abr. Gronov.

11. Quod non virtute. Ald. Iunt. *quod non sua virtute.* Abr. Gronov.

14. Ducem. *Ναύαρχον constituerunt.* Thucydides I. 22. Diodorus XI. 45. Probus, quos lege. Bongars. — De quo facto et Plutarch. in Themistocle et Parallelis. Aemilius Probus in Themistocle et Pausania. Quod mox sequitur, *pro ducatu regnum affectasse Pausaniam*, est, honore ducis non contentum regem Graeciae constituere se voluisse. Quod ideo monendum, ne quis cum Hispano interprete sequius haec accipiat. Adde infra IX. 4. 2. Bernec.

15. Quoscunque ad se nuntios. Libri veteres optimi alii *pontios*, alii *potios*, barbaram vocem, aut Iustini aetate usitatam, aut Persicam quis fortasse suspicetur. Nihil mutare ausus sum, quum vulgata lectio duobus MSS. confirmetur, non tamen antiquissimis. Bongars. — Freinshemius istinc eruit *conscios.* probabiliter, ut arbitror; imo probe. Sed absque magna causa quicquam immutare religio est. Bernec. — Casparus Simonis δ' πολύγλωσσος fere persuasit mihi retinendum quod constanter extat in MSS. notae opt. *pontios* aut *potios*, esseque vernaculum nostrum *Pot*, h. e. nuntius. Omnino persuasurus id fuerat, si reperissem etiam inter Persico-Germanica a Lipsio collecta Centur. III. Epist. 44. ad Belgas, et Raphelengii Persico-Belgico-Germanica, ex Pentateucho Persico contracta. Illud quidem certum est, cum teste auctore nostro lib. XXIV. et XXV. Strabone lib. XII. et Pausania in Phocicis, omnem Asiam Celtae velut examine quodam impleverint, nec sine illis reges Orientis ulla bella gesserint, eo commercio linguas quoque gentis utriusque permixtas fuisse: neque casu accidisse, ut, dum illi Tigrin biberunt, hi Rhenum, Istrum, Albimve, tam multa vocabula tam exacte communia habeant: sed necessario vel a Persis illa Celtas, vel a Celtis Persas hausisse. Porro *potios* et *pontios* promiscue dicitur, ut *frango, frago*, unde *naufragus: tango, tago*, unde *ta-*

*gax* et *contagium: pungo, pugo*, unde *pugio: rancea, raceo: laurentum, lauretum*. Ita Galli *ex laterna* faciunt *lanterne*, et contra ex *mensura*, *mesure: mansio, maison*. Hetrusci, *sponsus, sposo*. Hisp. *sensus, seso: ansa, asa* etc. Ceterum de Pausaniae cum Persis epistolico commercio vide quoque Thucydidem I. 22. 4. Bernec. — MSS. omnes melioris notae ignorant τὸ *nuntios*, proque eo habent, *potios, pontios, pontion, nuncios pontias*. Unde suspicatur magnus Bongarsius, vocem hic barbaram, aut Iustini aevo usurpatam, aut Persicam latere. Proinde Gronovius noster legit, *portitores*. *Quoscunque ad se portitores misisset.* Monstra illa vocabulorum, ex contracta scribendi ratione, *pōtiōes*, nata possint videri. Vocabulo igitur aevi sui usus fuerit Iustinus. *Portitores γραμματοφόρους* appellabant. Sed haec viderint eruditi. Caussam nondum video cur vulgata lectio debeat mutari. Boxhorn. — In omnibus MSS. legebatur *pontios*, vel *potios*. Forte scriptum fuit *protinus*. Error autem ortus est ex literarum compendio. Voss. — MSS. omnes optimi habent *potios* vel *pontios*, pro *nuntios*, quod Bongarsius putat barbaram aut Persicam esse vocem. Ego *Pontios* existimo se rectissime habere, sed de iis, qui ex Ponto sunt, oportere accipi. Fuit nempe Pausanias constitutus in Hellesponto, cum scriberet ad Xerxem, ut ex Thucydide manifestum. Inde igitur qui mittebantur, erant Pontii, Graecis *Πόντιοι*, ut apud Stephanum est legere. Nisi putes utrumque iungendum, quod in quibusdam reperitur, *nuntios Pontios*, ut sint *nuntii Pontii*, nuntii, ex Ponto seu Hellesponto missi. Scheff. — Latini tamen malunt *Ponticus* quam *Pontius*. Sic sane P. Mela, Florus, alii. Graev. — *Nuntios* etiam tres nostri Dorv. habent, vitioseque *pontios* vel *potios* in aliis scriptum esse puto. Wopkens.

16. Belli socius. Angl. una voce auctius, *belli socius electus*. Scheff.

Collegae conatibus obviam eundo. Gellius lib. V. cap. 10. *Potui huic tuae tam ancipiti captioni isse obviam*. Saxo lib. VIII. pag. 159. 4. *nequaquam a se regalibus institutis obviam itum esse*. *Obviare conatibus* etiam dixit Hegesippus lib. I. cap. 6. *quis conatibus eius obviare auderet*. Abr. Gronov.

17. Ex integro bellum instituit. *Bellum instituere* quam Latine dicatur, viderint peritiores. Mihi nullum dubium legendum esse, *ex integro bellum instruit*, quamvis libri renitantur. Supr. II. 10. *Igitur Xerxes bellum a patre coeptum adversus Graeciam quinquennium instruxit*. Est familiaris Iustino locutio. Graev. — Recte ob insolentiam huius usus verbi *instituere*, *instruxit* legit Graevius. Sed quoniam nulla ipsi favet codicum auctoritas, cum MS. Bodl. malim *restituit*. ut lib. XXXV. 1. *Et regibus* bellum restituentibus, *multa millia in acie cecidit*. Wopkens.

18. Cimonem. Cuius vitam vide apud Plutarchum et Probum. De eo et Herodotus extremo libro VI. Valerius Maximus V. 3. Box-

causam: Addo Aristidem Oratione Platonica II. Bernec. — Med. Coll. N. *Thimona.* Peris. *Tymona.* sec. Leid. Bodl. ed. Rom. Flor. Ald. Iunt. *Cimona:* ut apud Valerium Maximum lib. V. cap. 3. *et Cimona paternas induere catenas coegit.* Abr. Gronov.

19. Patrem. Vir magnus in variis lectionibus auctori contrarium facit Demosthenem, qui non patris causa, sed *ob affectatam tyrannidem*, mulctatum Cimonem scribat in Oratione contra Aristocratem. Utrumque factum credo, sed diversis temporibus. Vid. Val. Max. V. 4. 2. Ext. Bernec.

20. Xerxem. Ad Eurymedontem, *ὥσπερ ἀθλητὴς δεινὸς, ἡμέρᾳ μιᾷ δύο καθῃρηκὼς ἀγωνίσματα.* Plutarch. in Cimone cap. 13. Vide et Thucydidem I. 16. 14. Diodorum XI. 61. Bongars.

---

# EXERCITATIO
IN
## IUSTINI LIBRI SECUNDI CAPUT I.
QUAM
PUBLICAE DISQUISITIONI SISTUNT
## CASPAR SAGITTARIUS
HIST. P. P.
ET
## CASPAR WENCKEBACH

IENAE A. CIϽIϽCLXXV

---

Annus iam agitur decimus, quod in Illustri Iulia, Exercitationes duas in Iustini Historici praefationem et libri primi caput primum, Praeside Domino Conringio, publice examinandas proponerem. Has anno insequenti excipiebant novem aliae in cetera libri primi capita, eodem Praeside defensae. Cum quas in librum secundum paene confeceram, itidem publico dare decrevissem, Opt. Patris obitus destinata turbat. Hinc ad Scholae Salfeldensis regimen vocato, variisque curis exercito parum ad pertexendam telam erat ocii. Quando tamen, non sine divino Numine, in Inclytam Salanam, quasi in Patmum delatus, me totum consecrare vellem studiis historicis, etiam Iustinum meum coepi nocturna versare manu, versare diurna. A libro II. au-

spicium sumturo auctor erat Boeclerus, qui pristinos lib. I. repeteram. Parui monitis Viri bene mihi cupientis, ac quas olim Respondens, nunc Praeses propugnaturus, proposita priorum biga, ad reliquas ire erat animus. At dum variis studiis, ac sacris imprimis, distineor, Iustinus in somnum datus prius non evigilavit, quam Serenissimi Duces Saxoniae, munificentissimi Academiae nutritores ad capessendam Professionis Historicae Spartam, parvitatem meam exciirent. Et tum quidem serio cogitare coepi de Iustinus: cuius librum II. et sequentes, si coeptis faverit divina clementia, observationibus Philologicis, Historicis et Politicis illustratos, ac disputationibus solennibus discussos literario orbi sistam; quae in librum I. quondam congessi, seperatim brevi editurus. Spero autem me in his ad Iustinum Exercitationibus non modo magnam veteris historiae partem illustraturum, sed et multa rara ac singularia in omni doctrinae genere allaturum. Id ut feliciter eveniat, opto, ac simul Dominis Respondentibus, quorum familiam ducit Iuvenis, ob probitatem, studendi ardorem, compositos mores, ac Praeceptorem quoque Iohannem Buschium, doctum civem meum, mihi in deliciis, fausta quaevis precor.

3. Quippe cum ipsi Parthos Bactrianosque condiderint. Parthorum origines a Scythis non hic modo, sed et lib. XLI. cap. 1. derivat Iustinus. *Parthi*, inquit ibidem, *Scytharum exules fuere*. Praeivere alii, quos laudat Berneggerus: cui conferenda Freinshemii ad Curtii lib. VI. cap. 2. n. 14.

Feminae eorum Amazonum regna condiderunt. Vide cap. 4. huius libri, quo disquisitionem differo.

4. Prorsus ut res gestas virorum mulierumque considerantibus incertum sit, uter apud eos sexus illustrior fuerit. Scilicet nec deest sequiori sexui sua virtus, imo nonnunquam altius exsurgens, virili par, et supra. Bene elegantissimi ingenii politicus scriptor Zevecotius: *Aut nimis, aut minus sapere mihi visi semper fuerunt illi, qui omnis fortitudinis partes viris, nullas foeminis concedunt*. Observat. ad Flori lib. II. cap. 15. Dixi hanc in rem plura ad Iustini lib. I. cap. 2. §. 6. ubi Semiramis *non foeminas modo virtute, sed etiam viros anteisse* dicitur. Christinam Sueciae Reginam laudavi: et meretur laudes; si virtutes, non vitiorum, quam vulgo ferunt, misturam intueare. Et quomodo celebrarunt Salmasius, Vossii Pater et Filius, Forsterus, et tot alii inter summos eruditorum? Defectionem a recta religione dolui: iure meritoque. Indoluit olim Suecia, et questa quoque. At quando cum religione nova res novas moliri videtur in ipsa regia, non dubitavit acerba sonare. Nimirum *in pretio haberi maiorum, Patrisque Herois merita, modo ne quid detrimenti caperet religio avito paternoque sanguine stabilita, defensa. Nec ipsam aestimare hanc maiorum gloriam, quae se persequendo Evangelio mancipaverit. Titulo tantae tanto Patre filiae inesse pondus; sed cui detrahat per Alexandrae nomen ab Alexandro Papa mutuatum*, Gustavam sive Augustam *inducens*. Neque hic solus loquebatur Clerus, sed et Ordines ceteri.

Unde sacrificuli Romanenses dimissi, et ditionibus relictis servata Aug. Conf. incolumitas. In caussas abdicationis acute inquisivit Forstnerus; et rem acu tetigisse reor.

5. Scytharum gens antiquissima semper habita. Semper placuit, semperque placebit oratio, qua politissimus Boxhornius, reconditae doctrinae plenum, utinam perfectum! (nam eidem immortuum accepimus) de veterum Gallorum origine opusculum auspicatus. Ea haec est: *Origines celeberrimarum etiam gentium, ut plerumque obscura sunt, ita in iis eruendis operae multum ac studii praeclara ingenia olim hodieque merito posuere. Ceterum cum desint fere, et iam pridem defuerint, paria aut proxima earum initiis Scriptorum aut alia antiquitatis monumenta, fit, ut saepius incerta pro compertis, et falsa pro veris in medium afferantur. Auctas enim florentesque vetustissimorum populorum res plurimi; primas origines nulli, vel serius, et incerti, aut delusi fabulis, tradidere.*

Atque haec Boxhorniana quot quantisque exemplis firmare liceret! Sed quid de aliis? Germania nostra id testatur affatim, cuius nulla gens est, quam, si ad origines ventum, non torqueant misere vulgares scriptorculi; et quandoque doctiores. Alexandrum hic frequentius optavi, cui nisi solvere detur, secet nodos Gordios. Non damno istam diligentiam; at circumspectionem desidero, et subactum legendis censendisque veterum iuniorumque scriptis iudicium. Quid illi praestarent, quibus pauci veterum cogniti, pauciores lecti, expensi paucissimi? Ad nominis parilitatem qui confugiunt, non omnino male: nec semper tamen huic argumento inest robur. Equidem ex linguae similitudine plura derivari posse censeo. Nec alia mens Boxhornio, quem in his etiam pono supra Bochartum, summum alioquin et in studiis suis incomparabilem virum.

Inter Scythas et Aegyptios diu contentio de generis vetustate. Haec contentio passim decantata. Unde Ammianus Marcellinus *Aegyptiam gentem omnium vetustissimam* tradit, *nisi quod super antiquitate certet cum Scythis.* lib. XXII. Herodotus tamen Aegyptios non cum Scythis, sed Phrygibus contendisse refert initio lib. II. quas tangit fabulas magni spiritus poeta Claudianus in Eutropium lib. II. vs. 251. sic canens:

*Dat cuncta vetustas*
*Principium Phrygibus, nec rex Aegyptius ultra*
*Restitit, humani postquam puer uberis expers*
*In Phrygiam primum laxavit murmura vocem.*

Quo et Apuleium credo respexisse Metamorphos. lib. XI. *primigenios* appellando *Phrygas.* Iam vero Aegyptios prae ceteris gentibus antiquitatis superbisse praeconio, pervulgatae notitiae. At ridiculus illorum computus exordium mundi multis annorum myriadibus supergressus. Refert enim Diodorus Siculus, a regno Osiridis et Isidis in Aegypto usque ad imperium Magni Alexandri numerasse annos plus decies mille, vel secundum alios paulo minus ter et vicies mille. *Εἶναι δὲ*, inquit, ἔτη φασὶν ἀπὸ Ὀσίριδος καὶ Ἴσιδος ἕως τῆς Ἀλε-

ξάνδρου βασιλείας, τοῦ κτίσαντος ἐν Αἰγύπτῳ τὴν ἐπώνυμον αὐτοῦ πόλιν, πλείω τῶν μυρίων; ὡς δ' ἔνιοι γράφουσι, βραχὺ λείποντα τῶν δισμυρίων καὶ τρισχιλίων. Huc etiam pertinent, quae in Eusebii Pamphili Chronico ex deperditis genuini Manethonis citantur de una et triginta dynastiis regni Aegyptiaci, quod annis quinquies millenis trecentis quinque et quinquaginta imperasse dicuntur. Sed haec fabulosa quis non pervidet? Qui origines Aegyptiorum supra nascentem orbem extendunt, in Praeadamitarum casses ut evanidos, ita merito explosos incidunt. Maneat Aegyptiis longa vetustas, modo non adversa Deo, cui Scripturam debemus. Pro Aegyptiis tamen dici posset, annos eorundem olim fuisse menstruos: si quae fides Eudoxo in Procli ad Timaeum Commentariis, Varroni apud Lactantium lib. II. cap. XIII. Ex re erit consulere Athanasium Kircherum Oedipi Aegyptiaci Tom. I. Et ab hac Aegyptiorum antiquitate esse puto, quod Aegypto *Ogygiae* cognomen inditum: ceu praeter alios Stephanus indicat in *Αἴγυπτος*. Antiqua quippe omnia dicebantur Ogygia. Hesychius: *ὠγύγια, ἀρχαῖα*. A Thebanis forte id initium sumsit. Lutatius ad Statii Thebaid. lib. I. *Thebani antiquas res Ogygias nominabant:* cuius generis plura promit Meursius de Regibus Atheniensium lib. I. cap. II. Aristotelis aevo gloriam antiquitatis Aegyptiacae non mediocriter invaluisse, testis est tantus Philosophus Politic. lib. VII. Taceo reliquos: ex quibus tamen Lucianum tango, in lib. de Dea Aegypt. scribentem: *Αἰγύπτιοι λέγονται πρῶτοι τῶν ἀνθρώπων*. Bene *λέγονται*, non *εἰσίν*. Credo enim, quod tot alia in dubium vocabat, etiam de eo dubitasse ingenium Lucianeum. Nec vero id sinistre. Nam Luciano non minus, quam aliis emunctae naris suspecta Aegyptus, mendaciorum magistra, liberius mentiri praesumens, quo credidit difficilius suam redargui posse falsitatem.

Ceterum, quid est quod Aegyptii, quid quod Phryges, quod Scythae, quod alii populi antiquitatis gloriam tanto nisu affectarint, tanta cum contentione de illa decertarint? Scilicet est in antiquo existimatio non levis; ac in bonis, quod quid antiquius, eo habetur excellentius. Vide Nobilitatem. Si quae familia fumosas maiorum imagines ostentaverit, natalium increscit splendor, et virtuti propriae maius accedit decus. Hinc nisi nova nobilitas Spartae, opum, aut magnatum gratia, et singulari quidem, floreat, quid ea contemtius, abiectius? Primas hic, ut decet Christianum, in Omnipotentem confero. Huic, ut rerum omnium, ita familiarum et gentium debetur conservatio. Dein naturae subest virtus, quae sit praeclara et excellens necessum, si perdiu se sustentat, ac vindicat ab interitu. Paleae subito rancescunt: aurum et adamas perrennia sunt:

*Quae non imber edax, non aquilo impotens*
*Possit diruere, aut innumerabilis*
*Annorum series, et fuga temporum.*

Vina vetusta habentur in deliciis, palato non minus, quam stomacho commoda. Mustum suavitate mulcet, nec durabili; ac intestina gra-

vat non defaecatus humor. Praeterea τὸ Θεῖόν τι antiquo videtur iunctum, et affine quadamtenus habetur coelo, cuius Dominus καθ' ὑπεροχὴν vocatur *antiquus dierum.* Vere igitur Plato in Timaeo: τὸ πρεσβύτερον κάῤῥον ἐστὶ τῷ νεωτέρῳ. quem sequitur discipulus I. Metaph. III. τιμιώτατον τὸ πρεσβύτατον. Addo et illud: *Antiqua testimonia plurimum solent et auctoritatis habere ad probandum et iucunditatis ad audiendum*: quod debeo Ciceronis mei Verrinae III.

6. ALIAE RIGERENT FRIGORIS IMMANITATE. Significanter. Quid saevius frigore? quamvis et magnum omne, et quod modum exceedit, *immane.* Ut *immane telum*, *immanes columnae*, *immania saxa* Virgilio. Philoxeni Glossae: *Immanis*, μέγιστος. Idem: *Immanis*, ἐξαίσιος, παμμεγέθης.

ITA UT NON MODO PRIMAE GENERARE HOMINES. Apage fabulas! Si ea mens Aegyptiis, terram ipsam generasse homines, stirpium ad instar, non accedente vi suprema Numinis; Christianorum, quin imo et Gentilium sapientiorum meretur sibilum. Sed haec somniabant tamen. At haec somnia traxerunt aliquid e vero, et indubitata Creationis historia. Longe hic patens disserendi campus, nisi spes me aleret haut exigua, brevi in lucem proditura optimi meique amantissimi Vogleri, Medici ac Polyhistoris Helmstadiensis Mythologica, quae repraesentabunt caput singulare de Historia Creationis per fabulas gentiles depravata. Transcurrens igitur haec Iustini, saltim moneo, gerris nunc computari, quae credidere maiores de terra inhabitabili frigida torridaque zonis.

7. AEGYPTUM ITA TEMPERATAM SEMPER FUISSE. Suavem Aegyptiaci aeris temperiem passim commendant veteres. Herodot. lib. II. *Sunt alioquin omnium hominum secundum Libyas, maxime salubri corpore, tempestatis, meo arbitrio, beneficio, quae nunquam immutatur: ex cuius alterationibus praecipue existunt in hominibus morbi.* Lactantius lib. II. cap. XIV. *Omnium primi, qui Aegyptum occupaverunt, coelestia suspicere atque adorare coeperunt. Et quia neque domiciliis tegebantur propter aeris qualitatem (neque enim ullis in ea regione nubibus subtexitur coelum) cursus siderum et defectus notaverunt.* Alexandriae diem nunquam non serenum tradit Ammianus lib. XXII. *Inibi aurae salubriter spirantes, aer tranquillus et clemens: atque ut periculum docuit per varias collectum aetates, nullo paene die incolentes hanc civitatem Solem serenum non vident.*

SOLUM ITA FOECUNDUM, UT ALIMENTORUM IN USUM HOMINUM NULLA TERRA FERACIOR FUERIT. Fertilitas Aegypti toto orbe celeberrima, et nescio an non omnium princeps; quae praeter aeris temperiem, ubertati soli; haec Nilo debetur. Ante nos plura hanc in rem dixere Barthius ad Claudiani Panegyricum in Consulatum Fl. Manlii Theodori, pag. CXXXII. Reinesius Variar. Lection. lib. III. cap. XII. Wendelinus in Admirandis Nili, Bangertus ad Arnoldi Chronicon Slavorum lib. VII. cap. X.

11. AD LOCORUM PATIENTIAM, ANIMALIA QUOQUE GENERASSE.

Nove, puto, dictum, *locorum patientia*, cuius gemina nondum observavi, etsi apud iuniores reperiri existimem.

13. Et quanto Scythis sit coelum asperius, quam Aegyptiis, tanto et corpora et ingenia esse duriora. Uti nec easdem plantas arboresve eadem fert tellus; ita nec corpora, nec ingenia. Variant et haec pro regionum varietate, et ut aliae corporum praestant robore, sic aliae ingenii acumine. De corporibus prime dicemus, tum et de ingeniis. Generatim de septentrionalibus populis haut obscure Victruvius: *Sub Septentrionibus nutriuntur gentes immanibus corporibus.* Maiores nostros utpote ad Septentrionem vergentes magnitudine corporis et duritie reliquas vicisse gentes, quis nescit? Tacitum audiamus ex Germaniae cap. VI. *Habitus corporum, quanquam in tanto hominum numero idem omnibus . . . . . magna corpora, et tantum ad impetum valida.* Et ex cap. XX. *In omni domo nudi ac sordidi, in hos artus, in haec corpora, quae miramur, excrescunt.* Histor. lib. V. *plerisque* Germanorum *proceram* tribuit *pueritiam.* Lib. V. ait: *Germanos fluminibus suetos levitas animorum et proceritas corporum attollit.* Iungam Romano Iudaeum. Is est Iosephus, qui belli Iudaici lib. II. cap. XVI. τίς ὑμῶν οὐκ ἀκοῇ παρείληφε τὸ Γερμανῶν πλῆθος; ἀλκὴν γὰρ καὶ μεγέθη σωμάτων εἴδετε δήπου πολλάκις. *Quis nostrum non fando accepit Germanorum multitudinem? nam proceritatem et magnitudinem corporum saepe vidistis.* Praetereo alia aliorum, quae pleno horreo admetiuntur Philippus Cluverius Germaniae Antiquae lib. I. cap. XIV. et Hermannus Conringius libello eleganti de Habitus corporum Germanicorum causis.

Gallos contra breviores fuisse Germanis, non patiuntur nos dubitare Gallorum voces apud Caesarem lib. I. Commentar. Belli Gallici, quae ingenti magnitudine corporum Germanos praedicabant. Et quam clare Vegetius lib. I. cap. I. *proceritati Germanorum Gallorum brevitatem* opponit! Neque sum nescius tamen, quid hic ab aliis ex Strabone, Livio, Floro, soleat opponi.

Ceterum quam proceri fuerint Scythae nostri, ex dictis Bessi apud Curtium lib. VII. cap. IV. apparet: *quorum neminem adeo humilem esse* contendit, *ut humeri eius non possent Macedonis militis verticem aequare.* Non mirum igitur, si procerae huic staturae ingens quoque durities ac robur coniuncta.

Ad illum corporis habitum aeris ac coeli faciem non parum facere ita sum persuasus, ut tamen unice ab hac causa pendere nolim. Magnus ille Hippocrates eximio de aere, aquis et locis opusculo, nimium videtur aeris et coeli viribus adiungere, dum omnia Aegyptiorum, Scytharum item, inter se aequalitatem haut aliunde, quam a regionum simili undique natura arcessit: quem propterea non immerito notavit ὁ πάνυ Conringius laudato de Habitu corporum Germanicorum libro. Agnoscunt eandem causam Plinius, et Auctor *Problematum* vulgo Aristoteli adscriptorum sect. XIV. probl. VIII. qui in frigidis locis ob innatum internum calorem, per circumstans

externum frigus auctum procera magis corpora gigni statuit. Et nemo facile negaverit, eorum qui sub coelo horridiori vivunt corpora (praesertim si et aliae qualitates accesserint) maiora incrementa maiusque robur sumere, quae aeris laborumque iniuriis ferendis sufficiant: cum contra quibus coelum obtigit mitius, si ex illis sub austerius clima delati, variis morbis obnoxii fiant, et non raro ante diem decedant vita.

At enim aliae, nec minoris momenti causae suppetunt, quibus hanc corporis indolem acceptam ferendam censeamus. Sunt illae partim in parentibus; partim in primae aetatis educatione; nec non ipsius vitae genere; ut et corporum exercitiis.

Quod ad parentes attinet, si robusti succique pleni, aetate iusta liberis dent operam, nec alia post accedant incommoda, fieri vix poterit, quin liberi parentum robur et proceritatem referant: quod diserte de maioribus nostris firmat Tacitus. *Sera*, inquit, *iuvenum Venus, eoque inexhausta pubertas, nec virgines festinantur, eadem iuventus, similis proceritas: pares validique miscentur: ac robora parentum filii referunt.* Nec obscure indicat Horatius his versibus:

*Fortes creantur fortibus et bonis*
*Est in iuvencis, est in equis patrum*
*Virtus: nec imbellem feroces*
*Progenerant aquilae columbam.*

Et hoc in causa fuit, cur Philosophus optimam Remp. formaturus festina adolescentum connubia damnaverit. Nam praecox Venus plerumque non nisi praecoces refert fructus.

Multum deinde ad staturam ac compactam corporis firmitatem facit primae infantiae ac pueritiae cura; non mollis eadem ac delicata, sed quae circa victum potumque alendo corpusculo commodum occupetur. Scythas de eo fuisse sollicitos ex sequenti capite Iustini clarum, quod aliarum gentium exemplis illustrabitur.

Praeterea corporis exercitatio quotidiana, moderata tamen, non vulgarem hic sortitur locum. Haec enim nativum calorem ad subingendos crudiores succos excitare solet ac elevare: quod saepius inculcat Aristoteles, et priscorum Germanorum institutis comprobatur. Quo enim alias spectarunt venationes aliique ludi, ac bellica praeexercitamenta, quibus pueritiam rudemque iuventam erudivere?

Nec minus huc retulerim illam cultus negligentiam, quae corpori detrimentum afferat tantum abest, ut etiam magnitudini artuum lacertorumque firmitati pondus addidisse videatur. Et hunc vivendi modum uti Scythis adscribit Noster, ita priscis Germanis tum alii, tum Mela quoque lib. III. cap. 3. cuius haec sunt: *Maximo frigore nudi agunt, antequam puberes sint.*

Ab his viis quia iampridem deflexit universa prope Germania, nemini mirum videri debet amplius, staturam quoque et robur magnam partem defecisse. Sera iuvenum Venus exolevit: et licet ad connubia multi deveniant serius; illicita tamen commistio ita invaluit, ut nec reverentia Numinis omniscii, nec minae poenaeque di-

vinitus propositae, nec bonarum legum rigor, nec foeda morborum, nec apud bonos contemtus, refraenare queant indomita pectora. Pro ludis iocisque habetur scortatio, placentque ac laudantur Italorum lupanaria, re forte et Germanis alicubi, si nondum nomine familiaria.

Quid, quod insana commessandi helluandique libidine vim genitalem infringamus vitiemusque? Veteres Germanos strenuos compotatores fuisse non nego: sed horrida illa educatio concoctioni manus dabat. At quam sunt delicata nunc omnia in educandis infantia ac pueritia, praesertim apud illustres genere ac fortunis? Ad singulos liberorum singultus singultit mater; nec tam libere fluunt puerorum lacrimulae, quin comitem habeant parentum fletum. Profecto si hic negligentiores, alibi autem, et in declinandis praesertim ac retundendis animi vitiis essemus circumspectiores, maiori cederet saluti corporum.

A corpore ad animum transeo. Scythae hoc loco cum aspero coelo duriora sibi arrogant ingenia, hoc est, ut puto, firmiora, solidiora, robustiora. Erant ea quoque Germanis: sed sinisterius accepta immanitati computabantur. Ecce Melam: *Immanes sunt animis atque corporibus.* En Quinctilianum de Cimbris Declamat. III. *Nec minus animorum immanitate, quam corporum, belluis sunt proximi.* Et in hanc sententiam Plinianum illud dictum puto, quando *adversa mundi atque glaciali plaga gentes ex rigore caeli truces esse* asserit. Nec ipsi Scythae ab his conviciis immunes. Pro barbaris, semiferis, ac mortalium crudelissimis passim traducebantur.

*Quis Colchus hoc, quis sedis incertae Scytha*
*Commisit?*

exclamat Seneca Tragicus, ac si supra Scythicam nulla gens crudelitate esset. Ac iuvat Philosophum Senecam audire: *Scythia et totus ille ferarum indomitarumque gentium tractus civitates Achaiae Ponticis impositas litoribus ostentat. Non perpetuae hyemis saevitia, non hominum* etc. Contra nemini ignotum arbitror, quam Attica suis ingeniis superbierit: ut apex ille Philosophorum Plato non dubitarit agere Diis gratias, quod in Graecia et Athenis quidem, in ista sapientiae ac virtutum palaestra, natales sibi dederint. In hac ipsa tamen Graecia prae summa animorum crassitie ac stupiditate prope infamis erat Boeotia: ut homo inficetus passim audiret *Sus Boeotica.* Quamquam postea haec natio talem produxerit Suem, qualem Attica optaret reperisse, qualem se ipsa Minerva gauderet fieri. Plutarchum Chaeronea dico: quo nihil excogitari potest eruditius, nihil fere sapientius: ut non immerito ἁπάσης φιλοσοφίας ἀφροδίτη καὶ λύρα appellari ab Eunapio mereatur. Quamvis etiam Scythia habuerit Anacharsin, inter Philosophos summe aestimatum, alibi a nobis celebrandum. Praeterea sunt cuique telluri plurima ingenia quasi peculiaria, et dotibus aut vitiis suis illustria. Iam olim Cretensium blandae mendacia linguae, Ionum Medorumque luxuries, Siculorum calliditas, Numidarum perfidia, Alexandrinorum dicacitas, Chiorum pe-

talantia, Campanorum superbia, Brutiorum latrocinia percrebuere: Hispanis connata gravitas et in obeundis negotiis constantia; larga Gallorum bonitas et in suscipiendis deserendisque rebus alacritas; Italorum effusa humanitatis pollicitatio, exactaeque urbanitatis sermo vel hodie celebria: nec Britanni hospitalitatis gloriam, nec Belgae frugalitatis commoda mittunt. In Germania bene quondam audiebat ignara fraudium simplicitas, antiqua in gerendis bellis virtus, labores tolerandi invicta firmitas. Has laudes utinam non deturparet alienae perfidiae aemulatio ac inconstantiae, delassatus in bellis rigor, ac coeptorum desertio! Scilicet:

*Strenuitas antiqua perit, nec terga colorem*
*Servavere suum. Forma est diversa priori.*

Quod si autem generatim illas ingeniorum pro gentibus differentias velis excutere, non negabis, ut opinor, coeli positum locique naturalem genium, habitum ut corporibus, animis quoque aliquem inducere. Quam in sententiam non male Tullius de lege Agraria in Rullum II. *Non ingenerantur hominibus mores tam a stirpe generis ac seminis, quam ex iis rebus, quae ab ipsa natura loci et vitae consuetudine suppeditantur, quibus alimur et vivimus. Carthaginenses fraudulenti et mendaces, non genere, sed natura loci: quod propter portus suos multis et variis mercatorum et advenarum sermonibus ad studium fallendi, studio quaestus vocabantur. Ligures, montani, duri atque agrestes: docuit ager ipse nihil ferendo, nisi multa cultura et magno labore quaesitum. Campani, semper superbi bonitate agrorum et fructuum magnitudine, urbis salubritate, descriptione, pulchritudine.*

Sola tamen loci natura non est, cui haec et gemina adscripseris. Et ipse Arpinas sociam loco iungit consuetudinem: cuius profecto vis tanta, quae flectat et immutet ingenia, etiam totius populi. Nempe si illa princeps causa esset atque unica, cur non servassent gentes mores pristinos ab animi motibus pendentes? Qui provinciae coeli clementia et affluenti rerum omnium copia praestantes, plurimos producerent hebetes et obtusas mentes? Quomodo sub frigida plaga emergerent ingenia laudem omnem supergressa? Si inculta in hoc olim fuere Germania, ac omnes ad septentrionem terrae; Deus bone! quam florent hodie cultura literarum et sapientiae omniumque artium studiis, ut ipsas Athenas, et si quid Attica politius, provocare ausint. Nec tamen cum Tullio excluserim stirpem generis ac seminis. Sive enim rationis capax spiritus aliquo parentum beneficio accedat corpori; sive coelitus infundatur (de quo in praesenti controvertere abnuo,) multum referre arbitror, cui iungatur semini; an defaecato et vere masculo, num impuriori et infirmiori. Aliquid etiam sibi vindicabit victus: ad omnium maxime educatio, quae consuetudini fundamenta ponit. Tantum ista valet, quae animos utcunque se habentes ad meliora flectat, provehatque; et in quibus contra igniculi virtutum promicant, ad deteriora et in omne nefas praecipitet. Haec probe perspexit ingeniosissimus Stagi-

vita ad calcem cap. I. lib. II. Ethicor. Nicomach. ita scribens: *οὐ μικρὸν διαφέρει τὸ οὕτως ἢ οὕτως εὐθὺς ἐκ νέων ἐθίζεσθαι, ἀλλὰ πάμπολυ μᾶλλον δὲ τὸ πᾶν. Non parum refert, sed perquam multum, sic ne an sic a pueris assuescamus; imo vero totum in eo positum est.*

Nullum igitur dubium, si prudentes legumlatores hanc ipsam publicae educationis privataeque curam constituerent probe, constitutam observarent, et ad observantiam striotiorem non plebeios modo, sed et optimates adstringerent, ingenia totius populi in melius reformatum iri; et pro stupidis, scaevis, levibus, aliisque vitiis obnoxiis, acria, liberalia, gravia, uno verbo dicam, optima in medium proditura.

Haec autem nemo eo dicta existimet, ac si aeternum Numen et providentiam eius cum summo omnium regimine exclusa velim. Minime gentium. Uti in ipso, quotquot sumus, vivimus et movemur; ita et singulis hominibus, et toti universo, ac omnibus regionibus prospicere credimus. Et favor hic se exserit divinus; et irae radiant divinae. Certe divini quicpiam spirat illa ingeniorum in populis diversitas. Quod si attentius trutinaret mundus, melius cum ipso ageretur. Quid est, quod Germania non aequet vel praesenti bello alacritatem hostium? Deus est, qui ob peccata pervertit quorum interest, ingenia. O mi Deus, da et his finem, ac ad finem et pietatem nos converte! Sic dissipabitur ingeniosa aliorum perfidia, sic languescet hostilis, crescet nostra strenuitas.

14. Si mundi quae nunc partes sunt, aliquando unitas fuit. Mens humana extra divinos Mosis et reliquos S. Scripturae libros vagata, mirum quam absurda, quam ridicula, de ortu mundi et generatione rerum creatarum nugetur fabuleturve. Neo id tantum gregarii nominis Philosophastri, sed et ipsi maiorum gentium Doctores, ac Principes humanae sapientiae. Hic tam illustres sese non sistunt animae: sed Scythae, hoc est, illi, quorum nec ingenia nec mores placuerunt Graeciae: ut mitiori adeo digni censura, si in tanti momenti rebus lapsi. Et lapsi utique: nec in omnibus tamen. Quod enim S. Spiritus *informem* testatur creatam terram, quid notat aliud, quam unitatem partium creatam, ante sapientissimus opifex quam singulas locis suis digereret? Chaos vocabant Ethnici, rudemque molem ac indigestam. Phoenices ἰλὺς dicebant, unde Graeci fecerunt ὕλη, quod usurpat Aristoteles lib. I. Acroas. Phys. cap. 9.

Sive ignis, qui et mundum genuit, cuncta possedit. Cluverius German. Antiq. lib. I. cap. 32. ad haec Iustini ita: *In his verbis tres simul historiae misere confunduntur, quarum prima erat de terra recens creata, quam informem etiam tum et inanem aquae cooperiebant: altera de aquarum illuvie Noachi temporibus facta: tertia de futura ad novissimum diem ignis vastatione.* Neque tamen video, qui vel ad singula colliment Scythae; vel misere confundant historias. De terra recens creata si senserunt male, non male saltem loquuntur. Postea, Noachicam aquarum illuviem, aut

summatim aliquod diluvium non videntur tangere. Puto enim eo respexisse his verbis: *Quod si omnes quondam terrae aquis submersae.* Et licet distinguant Scythae aquarum illuviem a partium mundi unitate; quasi duo haec principio rerum una haut admitti potuissent; non tamen ad diluvium crediderim flexisse oculos. Quid, quod ipse Cluverius priora coniungat? quando terram informem et ianem aquas cooperuisse, ex Scytharum mente scribit. Si autem in altero consenserimus Cluverio, Scythas nempe hoc loco diluvium tetigisse; nequaquam id fecerimus in tertio. Tantum abest nimirum, ut hic de conflagratione mundi agant sua disputatione, ut potius de mundi ortu, quem ex igne pullulasse philosophantur.

Heracliti quondam erat haec sententia, testibus Cicerone de Nat. Deor. lib. III. Diogene Laertio lib. IX. Plutarcho de Placitis Philosophorum, Theodoreto de mundo et materia orat. IV. Arnobio adversus Gentes lib. II. Minucio Felice in Octavio. Claudianus quoque perstringit isto versu de Manlii Theodori Consulatu:

*Hic confidit aquis, hic procreat omnia flammis.*

Huc spectant illa Manilii lib. I.

*Sive ignis fabricavit opus, flammaeque micantes*
*Quae mundi fecere oculos, habitantque per omne*
*Corpus et in coelo vibrantia fulmina fingunt.*

Stoicos hac opinione Heraclitum secutos ex antiquis ostendit Lipsius Physiologiae Stoicae lib. I. dissert. VI.

15. NULLAM PRIUS QUAM SEPTENTRIONALEM PARTEM HYEMIS RIGORE AB IGNE SECRETAM: ADEO UT NUNC QUOQUE NULLA MAGIS RIGEAT FRIGORIBUS. Frigora Septentrionalia nemini non nota, et toties decantata historiis Itinerum: perinde ac Poetis frigora Scythica. Sic Ovidio Metam. lib. I. fab. I.

*Nec prosunt Scythiae sua frigora.*

Eidem Met. lib. VIII. fab. XI.

*Est locus extremis Scythiae glacialis in oris.*

Hinc acute Horatio *gelidus Scythes*, lib. IV. od. V.

*Quis Parthum paveat? quis gelidum Scythen?*
*Quis Germania quos horrida parturit*
*Foetus, incolumi Caesare?*

Haec Scythica frigora proventum vini negarunt. Alexander Aphrodis. lib. I. Problem. *Διότι ἐν Αἰγύπτῳ θερμοτάτῃ οὔσῃ ψυχρὸς οἶνος γεννᾶται, ἐν δὲ Σκυθίᾳ ψυχρᾷ οὔσῃ θερμός.* Unde interrogatus Anacharsis, *An in Scythia tibiae essent: Ne vites quidem*, belle respondit. Ob eandem causam nec mulos, nec asinos tulit tellus Scythica. Herodotus Melpomene: *οὐδέ ἐστι ἐν τῇ Σκυθικῇ πάσῃ χώρᾳ τὸ παράπαν οὔτε ὄνος, οὔτε ἡμίονος διὰ τὰ ψύχεα. Nullus omnino est in terra Scythica aut mulus aut asinus propter frigora.* Strabo: *Ὄνους τε γὰρ οὐ τρέφουσι, δύσριγον γὰρ τὸ ζῶον. Nam neque asinos alunt. Est enim animal frigoris impatiens.* Aelianus apud Gesnerum: *Pontica et Scythica terra et finitimae asinis carent.* Ipse tamen Aelianus lib. X. de animalibus sistit nobis

ex Scythia asinos cornutos, quos ad aliud animantis genus refero. Frigora Scythiae tangit quoque Auctor noster lib. XXXVIII. cap. 7. §. 4.

17. QUOD SI OMNES QUONDAM TERRAE SABMERSAE PROFUNDO FUERUNT. Primigeniam orbis recenter a Deo creati faciem his verbis repraesentat nascentis mundi historicus: *In principio creavit Deus coelum et terram, et terra erat inanis et vacua. Tenebrae super abyssum. Et spiritus Dei ferebatur super aquas.* Ex his iam olim Patres collegerunt terram initio aquis undiquaque fuisse tectam. Videantur Tertullianus libro adversus Hermogenem, Ambrosius variis locis, tum speciatim Hexaemer. lib. III. cap. 2. Basilius in Hexaem. Et hic quidem habitus terrae mansit in tertium diem, *quo apparuit arida, quae ante non videbatur;* ut ait Ambrosius loco laud.

Quando autem Deus peccatorum mole incredibili irritatus, humanum genus exstinguere, et undarum illuvie velut eluere decrevit; verbi omnipotenti aquas in totum orbem super altissimos evehendo montes, perinde, ut initio rerum cumulo aquarum quo tegebatur, mundum exemit, ita rursus eodem involvit totum. Totum, inquam. Neque enim placent, qui diluvium Noachicum certis circumscribentes terminis, non universum orbem, sed habitabilem aquis obrutum statuunt: cum tamen ipsi non possint certo definire, quota terrae portio incolis cincta. Vindicias communis sententiae, quod diluvium Noachi universae terrae incubuerit, adversus Isaacum Vossium scripsit Martinus Schockius, Fabulae Hamelensi subnexas. Et miror sane Clariss. Kippingium Exercit. XXXIX. de Creationis operibus, in haec erumpere: *Qui totum orbem aquis illis involvunt, illi non merentur assensum.* Eduardus Stillingfletius Origin. Sacrar. lib. III. cap. 4. sic scribit: *Non necesse est statuere diluvium fuisse universale respectu totius terrae, sed tantum respectu totius humani generis: totam autem terram spatio annorum* CIↃIↃCLVI *ante diluvium ab hominibus cultam fuisse nullo modo probabile est, cum tanto longiori spatio a diluvio nondum occupata sit.* Ac iterum: *Non putandum est totum terrae globum aquis tectum fuisse. Quid opus erat illas mergere terras ubi homines non erant? Stultum est putare ante diluvium homines ita multiplicatos fuisse, ut omnes terrae angulos pervaserint, cum ne Syriae quidem et Mesopotamiae fines forsan excesserunt.* Ego vero quid vetet non video, quo minus totam terram laudato annorum spatio cultam asseramus: non, quod omnes mundi angulos cultorum fuisse plenos credamus; sed quod singulis provinciis maioribus non defuisse opinemur. Atque ne scrupulum moveat in immensum aucta hominum multiplicatio, cogitet aliquis naturae maius robur, ac aevi longitudinem.

PROFECTO EDITISSIMAM QUAMQUE PARTEM DECURRENTIBUS AQUIS PRIMUM DETECTAM. Ita est: et Scripturam Scythae habent ὁμόψηφον. Ipsa enim arca Noachi consedit super montes Ararat. Armeniam fere omnes interpretantur, et sic constans semper fama fuit. Haitho Ar-

manus, scriptor regio genere nobilis, Historiae Orientalis, quae et de Tartaris inscribitur, cap. IX. *In Armenia est altior mons, quam sit in toto orbe terrarum, qui Arath vulgariter nuncupatur, et in cacumine illius montis Arca Noe post diluvium primo sedit.* Marcus Paulus Venetus Historiae Oriental. lib. I. cap. XIII. *In montibus huius Armeniae remansit arca Noe.* At longe antiquiora suppetunt. Nempe *huius diluvii* (quae verba sunt Iosephi Latine versa ex lib. I. Antiquitat. Iudaic. cap. III.) *et arcae meminerunt omnes barbaricae historiae scriptores, et in his Berosus Chaldaeus. Narrans enim de hoc diluvio sic ferme scribit: Fertur autem et navigii huius pars in Armenia apud montem Cordyaeorum superesse et quosdam bitumen inde abrasum secum reportare, quo vice amuleti loci eius homines uti solent. Meminit horum et Hieronymus Aegyptius, qui antiquitates Phoenicum scripsit, et alii plures. Quin et Nicolaus Damascenus lib. XCVI. de his rebus narrat in haec verba: Et super regionem Myniarum magnus mons in Armenia, nomine Baris, in quo multos profugos diluvii tempore servatos ferunt, et quendam arca vectum in huius vertice haesisse, ac reliquias lignorum eius longo tempore duravisse.* De veris sive falso creditis arcae reliquiis Haithonus loco laudato: *Licet propter abundantiam nivium, quae semper in illo monte reperiuntur, tam hyeme, quam aestate nemo valeat ascendere montem illum, semper tamen apparet in eius cacumine quoddam nigrum, quod ab hominibus dicitur Arca.* Et manet haec opinio in praesens aevum. Vide Adami Olearii, heu! quondam mei, Itinerarium Moscovitico-Persicum, lib. IV. cap. 4. Si Beniamin Tuledensis nos non fallit, *Omar filius Alcitabi arcam e cacumine duorum montium desumpsit, atque inde Muhamedanorum synagogam struxit.* In regionem Ararat curatius inquirit Nicolaus Fullerus Miscellaneorum Theologicor. lib. I. cap. 4. Male igitur Plato summos montium vertices diluvio exemit, merito id propter a Tertulliano notatus in lib. de Pallio cap. 2. quae adscribo; *Mutavit et totus orbis aliquando aquis omnibus obsitus. Adhuc maris conchae et buccinae peregrinantur in montibus, cupientes Platoni probare, etiam ardua fluitasse.* Bene Tertullianus diluvii undas supra montium cacumina surrexisse exin probat, quod in iis reperiantur conchylia et buccinarum reliquiae. Atque id argumenti praeclare ursit Patronus optimus et quondam dulcissimus doctor noster Conringius de antiquissimi Helmstadii statu pag. XXX. et seqq. Nonnulla aureoli scripti afferemus: *Quae in editissimis montibus reperiuntur marinorum conchyliorum testae, liquido ostendunt, mare quondam aquis suis cacumina illa altissima inundasse. — Reperias vero et in abditissimis terrae, ut et in mediis saxis, conchyliorum marinorum testas animalium vacuas: quae cum itidem ibi genitae non sint, necessum est aquarum, quae terrae molem omnem aliquando vehementer turbaverint, vi isthuc delatas esse.* Georgius Agricola supterraneorum scriptor longe eruditissimus fine VII. de Natura Fossilium libri monet *prope* patriam meam *Lyneburgum*

*in terra aluminosa nigra et pingui, ex qua lateres ducantur, inveniri ossa belluarum marinarum in lapides conversa, atque etiam dentes piscium.* De his cum primum ante hos novem annos ex Conringio docerer, sollicite inquisivi. Et obtulere quidem operae fragmina conchyliorum, et quas vulgo vocant natricum linguas. Harum partem anno abhinc octavo transmisi celeberrimo Hoffmanno Medicorum Altorffinorum gloriae. Ossa belluarum maris nondum impetrare licuit, et paene ignorabant lutifossores. Nec dubito tamen de fide Agricolae.

19. Ut cuncta flumina ibi nata in Moeotim, tum deinde in Ponticum et Aegyptium mare decurrant. Moeotis a Graecis *Μαιῶτις*, plerumque ab Herodoto *Μαιῆτις*, a Plinio saepe *Lacus*, a Marcellino *Stagnum*, hodie mare *Zibach* ab accolis Circassis appellatur. In hanc, teste Herodoto, quatuor ingentes amnes, Lycus, Hoarus, Syrgis, Tanais, sese insinuant. Ponti mater iam olim dicta, quod eo transmittat undas.

20. Aegyptum autem, quae tot Regum, tot seculorum cura impensaque munita sit. *Impensa* Gronovius Diatribes ad Statium lib. III. Sylva II. accipit pro limo Nili. *Non accipienda*, inquit, *impensa cum vulgo pro sumptibus: ut apud Livium lib. XXXIII.* curam impensamque sationis me praestaturum: *sed pro limo illo, quem inundatione Nilus adducit, et sarcit aggeres manufactos. Est enim illud verbum architectonum, pro fartura illa, qua hiatus parietum aut pavimentorum explentur et aequantur.* Quo Palladii Symmachique testimoniis firmato, addit: *Ergo τὸ* cura *τῷ* regum, *τὸ* impensa *τῷ* seculorum *attribuenda. Plane illa* cura Regum et impensa seculorum (*etenim tempus ut alibi ambedit, ita hic sarcit et adiicit*) *explicantur a Trogo, sive Iustino, in istis, quae sequuntur:* Sive ex aggerationibus Regum, sive Nili trahentis limum. Aggeratio Regum cura Regum *dicta erat;* aggeratio Nili, impensa *tot annorum. Gemmula haec sermonis est ipsius procul dubio Trogi. Ita fere Polybius de tempore loquitur lib. IV. Cum enim dixisset τὰ ῥεύματα εἰσφέροντα εἰς τὰ κοιλώματα πολὺν καὶ παντοδαπὸν χοῦν, subiungit: ὅταν γὰρ ὁ μὲν χρόνος ἄπειρος ᾖ, τὰ δὲ κοιλώματα πάνυ ἢ πάντως ὡρισμένα* etc. *Suetonius Augusto: Aegyptum in provinciae formam redactam, ut feraciorem habilioremque annonae urbicae redderet, fossas omnes, in quas Nilus exaestuat, oblimatas longa vetustate militari opera detersit.* Haec Gronovius: quae vereor ne quis ingeniosa nimis habeat.

Adversum vim incurrentium aquarum tantis structa molibus. *Molibus.* Eleganter. Sic vocari solent opera sive aggeres, quibus excluditur aquarum irruentium moles. Cicero ad Atticum: *Constat aditus insulae esse munitos mirificis* molibus. Idem lib. II. de Officiis: *Adde ductus aquarum, derivationes fluminum, agrorum irrigationes, moles* oppositas fluctibus. Horatius lib. III. od. I.

*Contracta pisces aequora sentiunt,*
*Iactis in altum* molibus.

Tot fossis conscissa. Plerique Nili alvei non natura, sed arte magistra facti, certatim in eo occupatis Aegyptiorum Regibus, Sesostre potissimum et Nilo; ut et Sabacone Aethiope: de quibus Herodotus lib. II. Causas habuere varias. Prima, ne aqua deesset a Nilo remotioribus in provincia pluviarum fere ignara. Tum ut Cerealia ceteraeque merces passim deportarentur. Tertia, quo peregrinantibus commodior vectura, quam itinera continentis. Denique ut Aegyptus invia fieret ac inaccessa.

Sive ex aggerationibus Regum. Itinerarium habemus Christophori Fureri ex nobilitate Noribergensi, quod de his aggeribus ita: *Cairum reversi sumus, ubi multos pontes chomataque sive aggeres transivimus, qui aquae Niloticae continendae exstructi sunt: de quibus notabile est, quod Romani olim, ut est apud Ulpianum, in chomatum interum violatores extra ordinem animadverterunt. Theodosius vero et Honorius Impp. constitut. peculiari de Nili aggeribus non rumpendis poenam extraordinariam ad ignem extenderunt.* Verba Legis lib. IX. Cod. Tit. XXXVIIII. ita habent: *Si quis posthac per Aegyptum intra duodecimum cubitum fluminis Nili ultra fluenta de propriis ac vetustis usibus praeter fas praeterque morem antiquitatis usurpaverit, flammis eo loco consumatur.*

---

# ANTIQUITATES SCYTHICAS
## EXERCITATIONE
IN
## IUSTINI LIBRI SECUNDI CAPUT II.
PUBLICAE DISQUISITIONI SISTUNT

CASPAR SAGITTARIUS
HIST. P. P.
ET
GEORGIUS KLOSS

IENAE A. CIↃIↃCLXXXII.

---

1. Scythia in Orientem porrecta. Scythiae nomen apud vetustos Scriptores latissime patet, nec septentrionalem modo Asiae

et Europae partem, verum totam prope Europam complectitur. Certe Hippocrates Scythiam pro universa illa orbis parte dicere non dubitavit, prout eundem in voce *Λιβύη* interpretatur Erotianus. Speciatim quicquid totus ille tractus borealis ab extrema Scandinavia ad Tanain usque, inclusis simul Slavonibus, Dacis, Sarmatis, et ex parte quadam Germanis (imo ut Philippus Cluverius Geographiae lib. I. cap. 2. ostendit, etiam Hispanis, Gallis, et Britannis) in se continuit, sub vocabulo Scythiae venisse, haut obscuris documentis asseritur. Postea tamen id nominis penes unam mansit Sarmatiam, cuius magnam partem nunc inhabitant Tattari, uti Scythicis moribus, ita progenie Scythica. Ceterum quod Asiae etiam maiorem partem huius nominis gentes colerent, Scythae passim in Asiaticos et Europaeos distincti. Quorum illos quam parum cognitos habuerint veteres, patet ex eo, quod Europaeos angustius habitasse, ex Ptolomaei Regis et Aristobuli litteris tradat Arrianus lib. IV. Anabaseos: cum tamen non minus diffusi per Asiam Scytharum, quam per Europam habitacula. Romanis quidem tanta eius Scythiae, etiam quam ipsi noverant, spatia fuere cognita, ut Pompeium astris ducibus velut immensum mare per eam venisse scribat Florus lib. III. cap. 5. Utraque porro varie subdividi potest: quemadmodum Asiaticae notissima distinctio in eam quae *intra* et *extra Imaum* montem: quod hic operosius excutere nihil attinet. Europaeam Iustinus noster summatim delineat, sed prolixe describit Herodotus lib. IV.

Nomen Scythicum unde oriundum, forsan inter incerta. Herodotus a Rege *Scytha*, filio Herculis ex Hylea, ancipitis naturae, humanae scilicet ac serpentinae foemina, deducit, cui adstipulatur Diodorus Siculus lib. V. nisi quod pro Hercule Iovem substituat. Quae fabulosa quis non videt? Salmasius a *Getis* derivat, unde proposito Σ more Aeolum facti Scythae. Et sane nomen *Σκύθης* varie a Graecis pronunciatum multas *μεταπτώσεις* incurrit. Nam *Σκύθης Γέτης* et *Γοττὸς* idem est: ipso non diffitente Salmasio de Lingua Hellenistica pag. 368. Sunt qui a *σκῦτος*, *corium*, *pellis*, arcessant, quod pelles proprium Scythis tegmentum. Sed quid prohibet eorum sequi ductum, qui a sagittandi qua excellebant, arte appellatos putant? *Scythae*, inquit Vossius lib. III. de Idololatria cap. 99., *optimi arquites seu sagittarii: unde et Scytharum appellatio. Nam Septentrionalibus, uti et Germanis* schieten *est sagittam arcu emittere.* Et Bochartus Geographiae Sacrae lib. III. cap. 13. *Eo Scytharum nomen multi revocant, quia Germanis* Skütten *sunt iaculatores.* Huc forte referas, quod scribit Suidas, magistratuum Atheniensium apparitores dictos Scythas, Graecis *Τοξότας*, et quod Aelianus Tactic. lib. II. cap. 13. hanc appellationem Romanorum equitibus sagittariis vindicet. *Equites*, inquit, *qui arcu utuntur*, *equites sagittarii dicuntur*, *a nonnullis Scythae.*

Et ne quis miretur huius nominis ortum ex Germanis peti, velim cogitet M. Zuerium Boxhornium peculiari epistola ad Nicolaum Blancardum scripta adstruere conatum, Scythas Germanice locutos.

Quam in rem videatur quoque Georgii Hornii erudita in Boxhornii Origines Gallicas (opusculum posthumum ac imperfectum) praefatio. Nec desunt inter eruditos, qui maiorum nostrorum natales a Scythis sumant: quo de pluribus disquirunt, qui Taciti Germaniam dedita opera illustrarunt, aut alias in origines Germanorum inquisivere. Sigillatim Saxones a Scythis oriundos, Simon Maiolus Dierum Canicularium tom. V. colloq. IV. exin probare conatus, quod Scythae a Persis *Sacae* appellati, teste Plinio lib. VI. cap. 17. et Mela lib. III. cap. 2. cuius tamen rei, nisi luculentiora dabuntur argumenta, fundamentum in lubrico erit. Interea Scythas sagittandi peritissimos fuisse, supra alia indicio est, quod Dario in ipsos bellum moventi arcum Scythicum miserint, teste Hrodoto. Et meminere porro *Scythici arcus* Plinius lib. VI. cap. 13. Curtius lib. X. cap. 1. Ammianus lib. XXII. Sic Lucanus lib. IX. *Quam segnis Scythicae strideret arundinis aer.* Et Ovidius lib. I. de Ponto eleg. VIII.

*Nos satis est inter glaciem Scythicasque sagittas*
*Vivere.*

A teneris autem Scythae sagittis mittendis exerciti: quod ex Herodoti lib. IV. apparet, qui et lib. I. memorat Mediae Regem Cyaxarem filium suum Scythis commisisse, ut ab iis addisceret *artem arcu iaculandi.* Nec in re manifesta pluribus opus testimoniis, quorum tamen seges non modica apud Bochartum loco laudato.

Includitur ab uno latere Ponto. Ex his corrigendus est Regino Prumiensis, in cuius lib. II. Chronic. ad an. IↃCCCLXXXIX. ubi integrum prope caput Iustini describit, legitur: *Scythia (ut aiunt) in oriente extensa, induitur ab uno latere Ponto.*

Ab altero montibus Riphaeis. Iugorum Riphaeorum Poetae, Historici, Geographi, et qui non veterum? meminere, quidam et pro captu descripsere. Sed quam varios errores in eo commiserint, prolixe pariter ac erudite monstrat Geographus sine pari Philippus Cluverius German. Antiq. lib. I. cap. 1. Nimirum non diversa sunt ab Obiis montibus a sinu Albo ad Obium ostium extensis, quae hodie Russis *Welikikameny poias*, id est, *magnum lapideum cingulum* dicuntur: quia orbem iis incingi perhibent. Meminit horum montium impostor in Alcorano cap. XI. et videatur Cantacuzenus Orat. II. num. XVI.

A tergo Asia et Phasi flumine. Corrupte apud Reginonem *Ithasi.* Phasis fluvius, hodie *Fasso* dictus, ex Moschicis vel Caucasiis montibus oritur, saepeque stagnans pigerrimo cursu in Pontum se exonerat Euxinum. De quo flumine quae dici possunt, ex antiquissimis monumentis singulari industria eruit vir suo aevo celeberrimus, atque utinam et nostro! Guilielmus Stuckius Scholiis in Arriani Periplum Ponti Euxini pag. 88. et seqq. In nonnullis exemplaribus pro *Phasi* legitur *Tanai*: quod non incommodum. Licet enim non negem Phasin *Scythiae fluvium* a quibusdam nominari; (quod

et fecit Plutarchus, sive quis auctor alius libri *περὶ ποταμῶν*) plures tamen veterum Tanais accolas faciunt Scythas: ac (quod praecipuum) is Europaeis Scythis quodammodo a tergo fluit.

3. HOMINIBUS INTER SE NULLI FINES. Hinc de illis Horatius lib. III. od. XXIV.

*Immetata quibus iugera liberas*
*Fruges et Cererem ferunt.*

NEQUE ENIM AGRUM EXERCENT. Regino: *Perraro agrum exercent.* At plane quoque agriculturam Scythis abiudicat Nicephorus Gregoras Historiae Byzantinae lib. II. cap. 7. *Vinearum agrorumque cultum, ne per somnium quidem unquam viderunt.* Et postea: *Neque terram arant, neque vineam unquam coluerunt, neque alias fruges serunt, unde interioris orbis incolae victitant.* De Hunnis, gente Scythica, Ammianus lib. XXXI. *Nemo apud eos arat, nec stivam aliquando contingit.* De Scritofinnis (sic enim pro *Crefinnis* legit Fridericus Lindenbrogius) Iornandes de rebus Geticis: *Frumentorum non quaeritant victum; sed carnibus ferarum atque ovium vivunt.* Idem Agazzirorum gentem fortissimam *frugum ignaram* tradit, *quae pecoribus et venationibus victitet.* Gemina de priscis Germanis Caesar lib. IV. de bello Gallico: *Privati ac separati agri apud eos nihil est.* Strabo lib. VII. *Agriculturae non student, neque quisquam agri modum certum, aut fines habet.*

NEC DOMUS ILLIS ULLA, AUT TECTUM etc. Haec brevi, fortunante Deo, illustrabimus singulari de *Hamaxobiis* dissertatione.

5. IUSTITIA GENTIS INGENIIS CULTA NON LEGIBUS. Elegans hac de re locus apud Nicephorum Gregoram elegantissima similitudine illustris: *Nulli ibi sollennes ludi, nulla ambitiosa spectacula, nullae disceptationes de navalibus, trierarchis et legibus agrariis: sed quod ad haec quidem attinet, pacata omnia et vita seditionum expers. Ut enim febres quae humana corpora infestant, e materia oriuntur, ac tamdiu vigent, quamdiu illa praesto est: cum vero et inedia diuturna et potionibus medicorum pravi humores consumti fuerint, statim et febris desinit, et vires paulatim corporis redeunt; sic etiam apud illam gentem, cum eae res non sint, e quibus lites et contentiones oriuntur, mutuaeque insidiae et caedes suscipiuntur, neque curiis, neque legum recitationibus est opus: ac ne eloquentia quidem verborumque argutiae ac perplexae inventiones locum habent: sed innata quaedam iustitia illos regit, et haut invidenda libertas. Quibus de causis Homerus eos mortalium iustissimos nominavit.* Homeri locus est Iliad. XIII. vs. 6.

*Γλακτοφάγων, Ἀβίων τε, δικαιοτάτων ἀνθρώπων.*

*Abii* enim Scythae sunt. Ad quae videatur Didymus et Auctor Etymologici Magni in *Γαλακτοφάγος*, qui forte Didymum hoc loco exscripsit. De eodem Homerico versu contra Eratosthenem praeclare disputat Strabo lib. VII. cuius et haec sunt Latine facta: *Quidnam vero mirum est, si in magna rerum contractarum copia, et ipsarum iure violato, iustissimos clarosque dixit eos, qui minime in*

*conventis et quaestu vitam agunt, quin communia cuncta possideant, excepto ense duntaxat et cyatho, in hisque uxores et liberos in primis, pro Platonis instituto, communes habent? Aeschylus ipsi quoque poetae consonans de Scythis ait:*

Ἀλλ' ἱππικῆς βοτῆρες εὔνομοι Σκύθαι.

*Convivae, aequitatis servatores Scythae.*

Ac paucis interiectis: *Hanc ob causam et Anacharsis et Abaris, et plerique alii generis eiusdem e Graecia laudem compararunt, quod gentile quoddam prae se ferentes insigne innatam facilitatem, lenitatem iustitiamque ostendant.* Ac iterum ex Ephori libro IV. Historiarum, quod de Europa inscribitur: *Alii quidem,* inquit, *ipsorum incredulitatem eloquuntur, quam novere, quorum et gravitas et admiratio obstupescit. Gravitas autem cum contraria dicat, etiam exemplificat, ut de illis verba faciat, quos iustitia praeditis uti moribus asserit. Esse enim aliquos Scytharum Nomades, qui equarum lacte alantur, cunctos aequitate superantes, quorum Poetae mentionem faciant. Homerus quidem Galactophagos Abios, id est duri victus homines, tradit mortalium iustissimos, qui terram intueantur.* Ceterum uti ex hoc Iustini loco, ut scriptas leges nullas, ita nulla quoque literarum studia apud Scythas viguisse, Leonhardo Coqueio ad Augustinum de Civ. Dei lib. VIII. cap. 9. probare cupienti, non valde repugnaverim; ita Theodoretum scripsisse quis non miretur, *singulari* Scythas *mentis solertia et prudentia praeditos fuisse, acutissimoque ingenio ad cognoscendam veritatem falsitatemque refellendam maxime facto polluisse?* et Celsum apud Originem lib. I. *Homericos Galoctophagos et Gallorum Druides et Getas sapientissimas gentes* praedicantem? Idque eo magis admiremur, quod praeter bellicae virtutis gloriam literarum studia apud eos multis seculis antiquiora, quam apud Graecos fuisse, atque ipsos non pauca veritatis monumenta ab illis accepisse, ex Clementis Alexandrini lib. I. Stromatum constet, nec ipse Plato in Cratylo diffiteatur. Certe inter Philosophos laudato loco eos refert Augustinus, eorumque cum Aegyptiis de antiquitate (modo non commentitia sit) pugna philosophiam spirare videtur. Quin imo Curtius lib. VII. cap. 8. ait: *Scythis non ut ceteris barbaris rudis et inconditus sensus est: quidam eorum sapientiam capere dicuntur, quantumcunque gens capit semper armata.* Inprimis Anacharsis Scytha celebre in Philosophis nomen habuit, quem sapientiae admirandae elogio mactat Cicero V. Tusculanarum, eiusdemque Plinius, Seneca, Apuleius, Sidonius, Strabo, Laertius, Stobaeus, Galenus meminere. Zamolxen quoque *mirae philosophicae eruditionis fuisse testantur plerique scriptores annalium:* ut scribit Iornandes de rebus Geticis: eiusdemque praeter ceteros Strabo lib. VII. et XVI. Origines contra Celsum, Aeneas Gazaeus, Eustathius in Dionysium Alexandrinum, meminere. Unde hactenus non male Freinshemius ad laudata Curtii: *Certe quae tam hic, quam in aliis auctoribus de hac gente leguntur, non infimam ingenii sapientiaeque vim, praesertim in acutis et interdum aenigma-*

*ticis eorum, aut sermonibus, aut responsionibus, aut etiam factis ostendunt.* Quod autem ad ipsam scriptarum legum inter Scythas absentiam, mallem et Germanis Scythica in eo essent ingenia: ut bene huc quadrare putem illa Macrobii Saturnalium lib. II. cap. 13. *Nisi pessimis effusissimisque moribus viveretur, profecto opus ferundis legibus non fuisset.* Enimvero Aristotelis effatum nimis quam verum, *aegrotantis Reipublicae signum esse legum multitudinem.* Quocum consentit Tacitus Annali III. cap. 27. *corruptissima Republica plurimas leges* fuisse asserens. Et valde vereor, ne gemina in nostras Respublicas dici queant, quippe in quibus mirifica legum multitudo et varietas multarum variarumque tricarum non raro mater. Qua de re non civilis tantum sapientiae doctores, sed ex ipsis Iurecon- sultis non pauci graviter queruntur. Unicum nunc suffecerit laudasse Georgium Wintherum, Senatorem consiliarium Pomeranicum, prudentissimum scilicet gravissimumque Parthenii Litigiosi auctorem, sub persona Venturae de Valentiis latentem, cuius cap. 7. lib. I. hoc in argumento inprimis occupatur.

6. Nullum scelus apud eos furto gravius. Regino: *Nullum scelus apud eos furto gravius, quippe sine tecti munimento pecora et armenta alimentaque habent.* Curtius Scythas lib. IV. cap. 6. gentem *rapto vivere adsuetam* appellat: quae pugnantia videntur Tiraquello Annotat. in Alexandri ab Alexandro Genialium Dierum lib. IV. cap. 13. Quamquam haec facili negotio conciliaveris, si furta invicem serio prohibita, rapiendi licentiam in integro fuisse dixeris. Neque id apud barbaros mirum, cum apud quasdam cultiores gentes, quae extra civitatem obtinuere latrocinia nullam habuisse infamiam, ac iuventae exercendae ac minuendae desidiae data, antiquorum monimentis docemur: ut Aristoteles quoque eum morem spectans inter venationis species latrocinia retulerit.

Quippe sine tecti munimento pecora et armenta habentibus. Regino: *Quippe sine tecti munimento pecora et armenta alimentaque habent.*

7. Aurum et argentum non perinde ac reliqui mortales appetunt. Niceph. Gregoras: *Argentum, aurum, margaritae ceteraeque gemmae apud Scythas pluris non fiunt, quam pulvis.* De Satarchis (et hi procul dubio ad Scythas, modo genuina lectio, pertinuere:) Solinus: *Usu auri argentique damnato in aeternum se a publica avaritia abdicarunt.* Germanos quondam nostros *possessione et usu* (auri et argenti) *haut perinde affectos* Tacitus testatur. De Prussis Helmoldus Chron. Slavorum lib. I. cap. 1. *Aurum et argentum pro minimo ducunt.* Lycurgus quoque ad hos mores Spartam suam formaturus aurum argentumque, *velut omnium scelerum materiam, sustulit:* ut est apud Nostrum cap. 3. lib. II. Et profecto nimis verum est, auri argentique cupidinem omnium scelerum materiam esse: cuius tanto ni flagraremus desiderio, feliciorem vitam nec tot tantisque flagitiis in immensum auctis obnoxiam viveremus. Multis litibus,

multis conviciis, bellis, praeliis, caedibus ansa praecideretur, nec tot furta, furtisque debita tantopere frequentarent supplicia.

*Divitis hoc vitium est auri, nec bella fuerunt,*
*Faginus adstabat cum scyphus ante dapes.*

Quae dum expenderet sapientissimus Henrici VII. Angliae Regis Cancellarius Thomas Morus in Utopia sua bonae Reipublicae ideam propositurus aurum et argentum ad infima damnavit ministeria. Scilicet *excogitavere* Utopienses *quandam rationem, ut reliquis ipsorum institutis consentaneam, ita ab nostris (apud quos aurum tanti fit, ac tam diligenter conditur) longissime abhorrentem, eoque nisi peritis non credibilem. Nam quum in fictilibus e terra vitroque elegantissimis quidem illis, sed vilibus tamen edant bibantque, ex auro et argento non in communibus aulis modo, sed in privatis etiam domibus matellas passim ac sordidissima quaeque vasa conficiunt. Ad haec catenas et crassas compedes, quibus coercent servos, iisdem ex metallis operantur. Postremo quoscunque aliquod crimen infames facit, ab horum auribus annuli dependent aurei, digitos aurum cingit, aurea torques ambit collum, et caput denique auro vincitur. Ita omnibus curant modis, uti apud se aurum argentumque in ignominia sint, atque hoc pacto fit, ut haec metalla, quae ceterae gentes non minus fere dolenter ac viscera sua distrahi patiuntur, apud Utopienses, si semel omnia res postularet efferri, nemo sibi iacturam unius fecisse assis videretur.* Sequuntur deinde plura huius commatis, quae exscribere nimis longum foret. Non immerito autem quaeras, cur apud plerosque mortalium tanta auri argentique aestimatio sit. Quamvis vero aliquid forte dederis consentienti plurimarum gentium opinioni, plus tamen hic valet ἀφθαρσία illa; cum haec metalla ceteris durent diutius, nec facile corrumpantur, nec putredini aut rubigini adeo sint obnoxia. Praeterea aurum et argentum liquari, duci, extendi, in partes secari, dissecta rursus in unam massam conflari et alias pro lubitu fabricari possunt, idque citra ullam sui deminutionem (nisi quod argento demum per fortia corrodentia et intensissimum ignem aliquid decedere soleat,) quorum nullum ullus lapis vel gemma subire potis sit. Huic accedit ipsum pondus, cum magna, si valorem respicias, summa commode huc atque illuc deferatur; id quod in aliis metallis, in saxis item, et vulgaribus lapidibus non licet. Denique in considerationem venit raritas et labor, qui in his metallis ad usum humanum aptandis impendendus. Gemmae in maiori sunt aestimio: at vero nimia illorum raritas longeque minor affluentia est, quam quae usibus humanis et mutuis commerciis commode inserviat.

Lacte et melle vescuntur. Antiquissimas gentes lacte potissimum victitasse, nemini obscurum, praesertim numerosos armentorum greges, quibus priscorum divitiae censebantur, cogitanti. De Scythis primo videbimus. Hos γαλακτοφάγους Homerum tantae vetustatis poetam salutasse, iam tum audivimus, ut nomen inde genti arcesserit, Scholiasta et Auctore Etymologici magni, ut et Ammiano

Marcellino versum Homericum afferente observantibus. Sed et *γαλακτοπόται* dicti. Columella de Re Rustica lib. VII. cap. 2. *Quibusdam nationibus frumenti expertibus* (casei lactisque abundantia) *victum commodat:* ex quo Nomadum Getarumque plurimi *γαλακτοπόται* dicuntur. Cicero lib. V. Tusculanar. Quaestionum: *Scythae pulmento, caseo et lacte, vitam tutantur.* Mysi quoque inter Scythas: quos Posidonius apud Strabonem lib. VII. *melle, lacte et caseo vesci* docuit. De Alanis ex Scytharum progenie Ammianus lib. XXXI. *Nec enim ulla sunt illis tuguria, aut versandi vomeris curae, sed carne et copia victitant lactis.* Inprimis autem lac equinum Scythis in deliciis fuisse constat; ex quo et butyrum, et alium quendam succum, quem *ἱππάκην* Graeci appellarunt, condensasse, antiquissimus quidam Scriptor (si non ipse est Hippocrates) lib. IV. de morbis auctor est. Et hinc quoque Homerus nomen *ἱππημολγῶν* iisdem Iliad. XIII. imposuit. Ac in praesentem diem Tattaros equinum lac potare, *αὐτόπτης* scribit Adamus Olearius, heu quondam meus! Itinerarii Moscovitico-Persici lib. IV. cap. 10. Quod si vero poetis credimus, Scythae lacti sanguinem admiscuere. Seneca de Massagetis in Oedipo vs. 470.

*Lactea Massagetas qui pocula sanguine miscet.*

Et de Getis, quorum nomen tum generale, Sidonius Panegyrico Aviti vs. 83.

*Sauromatem taceo, ac Moscum, solitosque cruentum*
*Lac potare Getas et pocula tingere venis.*

Sed alios populos galactophagos et galactopotas videamus. De quibusdam Africae populis Cyrenaicae conterminis Pomponius Mela: *Potus est lac, succusque baccarum.* De Britannis Caesar belli Gallici commentar. V. *Interiores plerique frumenta non serunt, sed lacte et carne vivunt.* De Gallis Strabo lib. IV. *Cibus plerumque cum lacte et carnibus omnis generis.* De Gothis minoribus Iornandes de rebus Geticis: *Vineas vero nec si sunt alibi, certi eorum cognoscent, ex vicinis locis sibi vinum negociantes: nam lacte aluntur.* Quid autem Germanis lacte in victu familiarius? Sic enim Caesar lib. IV. *Non multum frumento, sed maximam partem lacte atque pecore vivunt.* et lib. VI. *Agriculturae non student, maiorque pars victus eorum in lacte et caseo et carne consistit.* Athenaeus lib. IV. cap. XIII. *Γερμανοὶ, ὡς ἱστορεῖ Ποσειδώνιος — ἐπιπίνουσι γάλα. Germani, ut narrat Posidonius, lac bibunt.* Tacitus in Germania cap. XXIII. maioribus nostris tribuit *cibos simplices, agrestia poma, recentem feram,* ac denique *lac concretum.* Quid autem Historicus per lac concretum intellexerit, de eo inter eruditos orta disceptatio. Sunt qui pro *caseo* pugnant, quibus favet Caesar, quem tamen alii ex Plinii lib. XI. cap. XLI. refellentes, eidem rerum Germanicarum haut aeque accuratam obiiciunt notitiam. Ita vero Plinius: *Mirum barbaras gentes, quae lacte vivant, ignorare aut spernere tot seculis casei dotem, densantes id alioquin in acorem iucundum et pingue butyrum: spuma id est lactis, concretiorque*

*quam quod serum vocatur.* Et forsan non immerito per *lac concretum* Taciti, *acorem* illum, ceu Plinius salutat, *iucundum*, in quem hodie lac ovillum condensari novimus, intelligas, haut multum ab eo differentem, quem ὀξύγαλα Galenus nuncupavit. Quamquam et butyrum sub eo forsan comprehensum: quod Cluverio Antiquae Germaniae lib. I. cap. XVII. de prisco Germanorum victu commentanti placuisse video: qui tamen postea caseum butyro iungit. Legantur de hoc argumento Illustrium Virorum Conringii Strauchiique dissertationes amoebocae, huius ad Tacitum de Moribus Germanorum disput. II. cap. I. illius de habitus corporum Germanicorum causis pag. LVIII. Ceterum si recte rem perpendimus, non mirum videri nobis debet, cur tam crebro veteres lacte in cibum potumve usi, cum certum ac indubitatum sit, nullum alimentorum promptius in sanguinem converti, aut amplius nutrire: quod in causa est, cur infantes nostros non alio fere alimento sustentemus. Imo non desunt, qui ob lactis sanguinisque συγγένειαν (lac sanguini ἀδελφὸν καὶ συγγενὲς iam olim Galeno teste in lib. de usu partium XV. cap. VIII. dixit Hippocrates) hominem solo lacte, licet ceteris esculentis careat, vitam posse ducere docuerunt. Neque tamen lacte tantum, sed et melle Scythas victitasse, prodit hoc loco Iustinus. Aeginetas quidem lib. I. cap. XCVI. valentius id nutrire iam pridem testatus est: quam ob caussam forte Pythagorici hoc cibo delectati: quo de merentur legi, quae observavit Vir celeberrimus, Iohannes Schefferus de Philosophia Italica. Quamquam alii ob naturam mellis paulo calidiorem adolescentes ab eius usu arcere voluerunt; quod an in universum ita se habeat, medicorum filiis disceptandum relinquo.

9. Lanae iis usus ac vestium ignotus. *Lanae ac vestium* pro *lanearum vestium*, per figuram, quam Graeci ἓν διὰ δυοῖν appellare solent, fitque cum res una in duas interiecta coniunctione dividitur: ut est apud Virgilium II. Georg. *pateris libamus et auro.* id est, *pateris aureis.* et Aeneid. X. *Arma virumque ferens.* id est, *armatum virum.* Cicero lib. I. Ep. VII. *Haec profecto vides, quanto expressiora, quantoque illustriora futura sint, cum aliquantum ex provincia atque ex imperio laudis accesserit.* id est, *ex provinciae imperio.* Sallustius in fragmentis: *Tantum antiquitatis curaeque maioribus pro Italica gente fuisse.* id est, *tantum antiquae sive primae curae.* Referunt huc nonnulli exordium operis Virgiliani *Arma virumque cano:* aliis reclamantibus: quam litem diiudicat Vir quo non doctior alter, Gerhardus Iohannes Vossius Institutionum Oratoriar. lib. IV. cap. IV. §. 4.

Et quamquam continuis frigoribus urantur. De Scythicis frigoribus diximus ad proximi cap. §. 15. Lectio autem huius loci mire alias exercuit viros eruditos. Apud Reginonem ita legas: *Lanae his usus ac vestium ignotus, et quamquam continuis frigoribus afficiantur, pellibus tantum ferinis ac murinis induuntur.* Si quid video, Salmasiana dispunctio reliquorum coniecturis praeferenda: *Lanae iis usus ac vestium ignotus, quamquam continuis frigoribus*

*urantur. Pellibus tamen ferinis aut murinis utuntur.* Frigus vero *urere* dicunt scriptores vetusti, dum affligit, cruciat, et tantum non enecat. Cicero II. Tusculanarum: *Pernoctant venatores in nive, in montibus se uri patiuntur.* Virgilius I. Georg. *aut boreae penetrabile frigus adurat.* Lucanus lib. IV. *Urebant montana nives.* Ovidius III. Tristium eleg. IV. *Me tenet adstricto terra perusta gelu.* Plura non addo, cum alii iam talia collegerint, ut in his Taubmannus ad Virgilium, Savaro ad Sidonium, Elmenhorstius ad Arnobium, Grangaeus ad Prudentium. Qua ratione autem frigus *urere* dicatur, docet Aristoteles Meteorolog. lib. IV. contra quem tamen ambitiose disputat Hieronymus Magius Miscellaneorum lib. I. cap. VII.

Pellibus tamen ferinis aut murinis utuntur. Iornandes de rebus Geticis: *Hunugari hinc sunt noti, quia ab ipsis pellium murinarum venit commercium.* Sed quales illae pelles fuerint, non disputaverim. Satis fecisse enim curiosis videri posset Salmasius ad Vossium perscriptis. De *marturinis pellibus* ad Helmoldum quaedam observavit beatus Doctor meus Bangertus. Pelliceas vestes sua se antiquitate probare ignotum nemini. Nam Deum iam in ipso paradiso Protoplastis pelliceas aptasse tunicas mundi nascentis historicus testatur. Nec alium forsan amictum, utpote prae ceteris parabilem, primi primorum parentum posteri habuerunt. Nec est quod alias gentes pellitas in scenam producam, quod iam fecere alii. Contemnenda enim non sunt, quae de pelliceo veterum habitu congesserunt Pererius ad Genesin lib. VI. Magius Miscellaneor. lib. III. cap. VII. Tiraquellus ad Alexandrum ab Alexandro lib. V. cap. XVIII. Savaro ad Sidonium, Cluverius Germaniae Antiquae lib. I. cap. XVI. Dempsterus ad Rosinum lib. V. cap. XXXI. Barthius ad Claudianum pag. 342. quorum aliqui insimul indicarunt, maiores nostros aliosque, ut tum erant, barbaros ferarum pellibus vel ideo amictos, ut maiorem hostibus terrorem incuterent.

10. Haec continentia illis morum quoque iustitiam dedit. Haec et quae sequuntur, perquam licet sint elegantia, sua tamen luce radiant, nec indigent longa expositione. Clare autem ex iis elucet summa Iustini in scribendo probitas, quam et morum integritate expressit, non dubito quin plurimos Christianorum faciat erubescere. Vide quantopere morum continentiam commendet; quomodo iustitiam virtutum praeclarissimam et societati civili continendae summe necessariam inculcet; quanto nisu bellorum rabiem detestetur! At si in nostra incidisset tempora Iustinus, iure longe maiori tales querelas, talia vota ingeminaret. Temperantia ac iustitia abiit, et quod ille ait, ad superos avolavit. Ludibrio est aequalibus, qui cum omnia helluationibus, compotationibus, scortationibus circumsonent, pietati, probitati, modestiae, continentiae litare velit. Qui moderationem et abstinentiam alieni inculcat, passim ridetur. Odiis et conviciis exponitur, qui sua consilia pessimis aliorum conatibus commodare detrectat, aut nefarios improbitatis ausus pervertere laborat. Et divitiae et potentia sunt, quae regnant: a quibus si quis non est

instructus, abeat, nec putet se rebus suis multum praesidii lucratutum. Ingemisco, quoties illa Aristotelis lego Rhetoricor. lib. XII. *Ipsi arbitrantur se posse maxime, et sine damno iniuria afficere, qui dicendo valent et agendo et experientia multarum contentionum, et si eis multi amici sint:* ita nostrorum quoque temporum conditionem delineavit, quasi ea prae oculis habuisset, aut divinando tetigisset. Nec miror tamen apud gentiles quandoque ita usu venisse; sed apud Christianos eiusmodi flagitia in consuetudinem abire miror et indignor: quippe cum iam nihil fere honestum, nisi quod utilitatis titulo se commendet.

14. Cultosque mores incultae barbariae collatione superari. Non miror Iustinum Scythiam *barbariae* titulo traducere, cum vulgo Scythae inter barbaros, ut ita dicam barbarissimi haberentur: quod et ad superius caput cum de ingeniis Scythicis disserterem, tetigi. Inter Scytharum autem barbara forte non postremum, quod mortuos suos, Luciano teste, devorarent, vel arborum truncis suffigerent, scribente Silio lib. XIII.

*At gente in Scythica suffixa cadavera truncis*
*Lenta dies sepelit, putri liquentia tabo.*

Quamquam et illud satis barbarum, quod servis suis oculos effoderint, Herodoto et Plutarcho referentibus. De Barbari et Barbariae vocibus multae exstant virorum clarissimorum observata, quorum indicinam hoc loco, in gratiam συμφιλολογούντων facere decrevi. Videantur igitur Georgius Ambianas ad Tertullianum de velandis virginibus, Thomas Bangius Observationum Philologicar. lib. II. pag. 1388 — 1401. Barthius ad Claudianum pag. 1012. item ad Statium tom. I. pag. 188. Burtonus Historia linguae Graecae pag. 14. Iohannes Iacobus Chifletius Anastasi Childerici I. Francorum Regis cap. V. Gilbertus Cognatus Centur. VI. Adag. 101. Ioh. Conradus Dietericus apud Dilherrum Tom. I. Disp. VIII. pag. 242. Iohannes Drusius Observation. lib. III. cap. 3. et Quaestionum lib. I. cap. 17. et denuo Notis in Epist. I. ad Corinth. XIV. Albericus Gentilis Lectionum Virgilianar. cap. 2. Melchior Goldastus Notis ad Tomum II. Rerum Alemannicarum pag. 287. Hieronymus Magius Miscellaneor. lib. III. cap. 13. et Annotat. ad Prooem. Institut. Iohannes Meursius ad Lycophronem pag. 143. Iohannes Rhodius ad Scribonii compos. 171. Iohannes Savaro Notis ad Sidonium lib. V. epist. V. et lib. VIII. epist. III. Stephanus Stephanius ad Saxonis Grammatici lib. XIV.

15. Tanto plus in illis proficit vitiorum ignoratio, quam in his cognitio virtutis. Profecto plus interdum valet illa vitiorum ignoratio, quam accurata virtutum intelligentia. Ab illo quidem Protoplastorum lapsu tam pronus ad vitia atque flagitia est animus, ut nihil supra, sic vel sine ullo ut magistro addiscantur: at videas tamen, certa peccata alicubi exulare, quod nondum deprehensi, qui per contagium ea aliis affricuerint. Hinc etiam cavendum sedulo, ne per graphicam vitiorum descriptionem ea implantemus teneris

praecipue mentibus. Atque in primis id necessum habent observare Doctores Ecclesiae, ne per illam vitiorum vel delineationem vel picturam exquisitiorem plus noceant auditorio quam prosint. Certe Opt. Praeceptor meus ὁ πάνυ Schraderus, cuius animae et familiae bene sit! blande me aliquando corripuit, quod nimium fuissem invectus in illos qui corporum resurrectionem in dubium vocarent negarentque penitus: quod non putaret tum apud nos eiusmodi vesanos homines morari. Ceterum ex quo demonstravi, quid viderim, quid audiverim, in alia quidem abiit omnia: in meo tamen animo reliquisse aculeos fateor, semper sese exserentes, si in his vel imprudentiam vel intempestivum nonnullorum zelum deprehendo et quasi manibus palpo.

*Est modus in rebus, sunt certi denique fines*
*Quos ultra citraque nequit consistere rectum.*

---

HISTORIAM

# BELLORUM SCYTHICORUM

EXERCITATIONIBUS II

AD

IUSTINI LIBRI SECUNDI CAPUT III. ET V.

PUBLICAE DISQUISITIONI SISTUNT

CASPAR SAGITTARIUS

ET

IOH. GEORG. KUENHAGEN

---

IENAE A. CIϽIϽCLXXXV.

---

1. Imperium Asiae ter quaesivere. *Quaesivere*, id est, *acquisivere*. pro composito simplex: quod ex Nostro et Velleio probat Berneggerus. Sic etiam loqui amant Plautus, Sallustius, Livius, Horatius, Ovidius, alii.

Ab alieno imperio aut intacti. Nullae infestationi fuere obnoxii. Sic cap. IV. §. 30. *Sociorum auxilio* intactae *ab aliis gentibus in regnum revertuntur.*

2. Darium Regem Persarum turpi ab Scythia summoverunt fuga. De eo dicemus ad caput V. huius libri.

3. Cyrum cum exercitu trucidaverunt. Vide Iustinum lib. I. cap. VIII. et ibi, si meretur, Exercitationem nostram. Tangit Noster lib. XXXVII. 4. 3. Et ipsi Scythae ad Alexandrum VII. 8. 18. *Sic Syriae Regem, et postea Persarum Medorumque superavimus.*

4. Alexandri Magni ducem Sopyriona . . . . deleverunt. Nescio unde illa Trogo. Nam apud alios historiae Alexandrinae scriptores nihil eius, si recte memini, reperire est. At enim tanquam pulcherrimam cantilenam bis aut ter repetit Noster. Sic lib. XII. 8. 16. *Sopyrion praefectus Ponti ab Alexandro Magno relictus, otiosum se ratus, si nihil et ipse gessisset, adunato XXX millium exercitu, Scythis bellum intulit: caesusque cum omnibus copiis poenas temere illati belli genti innoxiae luit.* et lib. XXXVII. 3. 2. *Scythae Sopyriona, Alexandri Magni ducem, cum triginta millibus armatorum deleverant.* Scheffero placet *Zopyrion*: quomodo iam Iuntae expresserunt. Quid? quod Curtius Alexandrum *invictas* Scythas *fregisse* testetur VII. 9. 17. ac ipse Alexander Scythas *hostes paulo ante, nunc milites* suos salutet apud eundem IX. 2. 33. Certe VIII. 14. 5. *Scythae et Dahae primi omnium* (iussu Alexandri) *Indos* dicuntur *invasisse*. In Luciani Dialogis gloriatur Alexander, se Tanaim supergressum Scythas devicisse. *Καὶ Σκύθας δὲ οὐκ εὐκαταφρονήτους ἄνδρας ὑπερβὰς τὸν Τάναϊν, ἐνίκησα μεγάλῃ ἱππομαχίᾳ.* *Scythas vero homines non contemnendos Tanaim transiens, magna equitum pugna vici.* Sed ut verum fatear, non parum mihi suspecta est Alexandri de Scythis victoria, credoque Scythis idem quod maioribus nostris obtigisse, qui saepius intacti, plerumque invicti, materiam tamen triumphi dederunt gloriosis Impp. Romanis.

5. Romanorum audivere, non sensere arma. Bene est, si consulare, non item, si imperatoria respexeris tempora. Nam Traianus *de Dacis Scythisque triumphavit*, teste Iornande de Successione regnorum: nisi malis et Traiani gesta in maius aucta.

6. Gens laboribus et bellis aspera. *Bellicosissimae*, ut et *gentis semper armatae* elogiis Scythas mactat Curtius IV. 6. 3. VII. 8. 10. Idem *ferocissimam gentium* vocat VII. 9. 18. De eadem Sidonius carm. II.

*Sed Scythicae vaga turba plagae, feritatis abundans,*
*Dira, rapax, vehemens ipsis quoque gentibus illic.*

et mox:

*Gens animis membrisque minax.*

Vires corporum immensae. De corporibus Scythicis aliqua dixi ad libri huius cap. 1.

Nihil parare, quod amittere timeant. *Non minor est virtus, quam quaerere, parta tueri*, inquit Poeta. Cui gemina sunt Flori II. 16. 8. *Plus est provinciam retinere, quam facere.* Curtii IV. 11. 9. *Facilius est quaedam vincere, quam tueri: quam her-*

*inde expeditius manus nostrae rapiunt, quam continent.* Claudiani Paneg. II. in Stiliconem:

*. . . Plus est servasse repertum,*
*Quam quaesisse novum.*

Et plura eiusmodi iam congesserunt viri docti. Quae cum ita se habeant, sedulo id agendum, ut honeste parta sollicite custodiantur et serventur; ne, si res cadat secius, et damno mactemur maximo, et aliis simus ludibrio. Etiam ab hoste discamus, nobis quid ex usu siet. *Turca certe* (verba sunt Busbequii in Consilio de re militari contra Turcas instruenda) *ea est vigilantia, eam servat disciplinam, ea utitur in conservandis iis, quae sibi adiunxit, ratione, ita regnat ac dominatur, ut ubi semel vestigium fixerit, inde se moveri non patiatur; nunquam se attollunt leges, quas semel ista calamitas depresserit: adeoque difficile dictu videtur, sitne in acquirendo felicior, an in tuendo quae acquisiverit, fortior.* Quis Turcicis vestigiis in eo hodie insistat, in propatulo est: ut non immerito dubites, an illis sine armis exspectanda sit redditio. Olim enim hac in gente longe aliter erat comparatum, sic ut in nominem quadraret magis, quae de Pyrrho Noster XXV. 4. 3. *Ut ad devincendo regna invictus habebatur, ita devictis acquisitisque celeriter carebat. Tanto melius studebat acquirere imperia, quam retinere.*

NIHIL VICTORES PRAETER GLORIAM CONCUPISCUNT. Quod proprium fortibus et egregiis Imperatoribus, qui gloriam et immortale nomen pluris, quam immensas opes et opima aestimarunt spolia. Pulchra hanc in rem exstat dissertatio Philippi Camerarii Horar. Subcisivarum Cent. I. cap. LXXVIII.

5. PRIMUS SCYTHIS BELLUM INDIXIT VEXORIS, REX AEGYPTIUS. De eo iam Helmstadii dixi ad lib. I. cap. I. §. 6. Addo haec ex Iornande de rebus Geticis: *Taunasis Gothorum Rex Vesosi Aegyptiorum occurrit.*

MISSIS PRIMO LENONIBUS. Hoc est, *legatis, fecialibus*: uti accipiunt Bongarsius, Berneccerus, Albericus Gentilis lib. III. de legatis cap. VI. Isidorus in Glossis: *Leno, lecator, mediator.* Petri Danielis Glossae Miss. *Leno, id est, mediator, qui apud Italos dicitur Ambassator.* Neque *vero mirandum* ait Berneccerus, lenones *flagitii propudiique ministros, de re honesta usurpari: sicuti contra* conciliator et conciliare, *voces honestae, ad hoc turpe ministerium postea sunt traductae.* At enim videtur, *lenonis* et *lenocinii* voces proba prius significatione receptas, post pravam induisse: quod sermo flexanimus saepe in deterius demulserit pectora, pro virtutum studio libidines commendaverit, et tantum non inspiraverit. De eloquentia, legatorum virtute primaria, nihil dixisse benigne est, cum iam omnia occuparint, qui de legatis scripsere Christophorus Besoldus, Iohannes a Chokier, Octavianus Magius, Fridericus a Marselaer, Carolus Paschalius, Gerhardus a Stoecken, Christophorus Varsevicius, et si qui sunt alii.

10. TAM OPULENTI POPULI DUCEM STOLIDE ADVERSUS INOPES

OCCUPASSE BELLUM. Scheffero pro *stolide* placet *calide*, eo sensu, quo imprudenter, incogitanter et praecipitanter factum denotat; et quomodo *calida consilia* ipse Cicero usurpat. Sane illud *stolide* durius ipsi videtur, quam ut huic negocio conveniat. Mihi mens alia, qui utique stoliditatem et stuporem agnosco summum, si quis opulentus, et quod caput est, non lacessitus, adversus inopes bellum occupet. Non igitur *damnosum* modo, quod Guicciardinus lib. V. Histor. instruit, sed ex praescitu damni, stolidum quoque *bellum est cum iis, qui non habent, quod perdant.* Quam pessime igitur sibi consuluerit Carolus Burgundus, qui Helvetios, egenam tum temporis gentem, ob currum pellibus ovium onustum bello aggressus, eventus ipse docuit; et scriptor huius belli fidus et prudens Philippus Cominaeus exquisite demonstravit. Huius quaedam ex lib. VII. Commentar. afferam: *Comes Romontius mercatori cuidam Helvetio, quum per ipsius ditionem iter faceret, ademerat currum onustum pellibus ovium. Ea fuit belli causa. Quod nisi Carolum Deus plane destituisset, non est credibile, illum pro re tam exigua bellum suscepturum fuisse: praesertim cum et Helbetii amplas proponerent conditiones, et propter ipsorum agri tenuitatem, nulla vel utilitas magna, vel gloria posset ex eo bello sperari. Nec enim tam celebre erat ipsorum nomen, nec illae facultates, quae hodierno die. Qui primo fuerunt ad eum de pace missi legati et deprecatores, inter alia demonstrabant, tantam esse inopiam ipsorum, ut calcaria et equorum fraena per ipsius exercitum pluris deberent aestimari, quam omnis ea pecunia, quae ex ipsorum agris cogi posset.* Quod ad Scythicam paupertatem attinet, ipsi eam agnoscunt et Alexandri divitiis opponunt legati Scytharum apud Curtium, VII. 8. 22. *Transi modo Tanaim:* (reliquorum nomine ait natu maximus:) *scies quam late pateant: nunquam tamen consequeris Scythas; paupertas nostra velocior erit, quam exercitus tuus, qui praedam nationum vehit.*

11. QUOD BELLI CERTAMEN ANCEPS. Hoc argumentum commune licet nimis et pervulgatum, nescio tamen an ullum ad revocandos a temerario bello animos sit efficacius. Enimvero uti opulentos et praevalidos in officio continere, ita imbecilles excitare valet ac confirmare. Hinc multi certam quantumvis cum damno coniunctam pacem incerto bello praeferre nulli dubitarunt: securi in praesenti de secordiae titulo: pro quo ab aliis, et multo magis a posteritate singularem prudentiae laudem reportarunt. Annibalem quis nescit fortissimum belli ducem? Et tamen meliorem tutioremque censet certam pacem, quam speratam victoriam: teste Livio lib. XXX.

PRAEMIA VICTORIAE NULLA, DAMNA MANIFESTA SINT. Eleganter in hanc sententiam Saxo Grammaticus Historiae Danicae lib. XIV. *Nicolaus nondum Daniae egressus, Suenonem Suetica meditabundum bella, Romana industria a proposito revocare conatus, locorum difficilium, inopis regni, infructuosae victoriae habitum praetendebat. Siquidem vires militiae negatium ingens, fructus exiguos fore, pri-*

*usque ei cum vastis et immanibus scopulis, quam cum hoste certandum. Quo victo nihil praeter ignobilem praedam et sordida spolia victoribus occupandum. Postremo cum stolidam Regis perseverantiam consilii sui sapientia superare nequiret, inertiam eius facetissime cavillatus est. Nam araneam eum aemulari dicebat, quae telarum figmentis cum discrimine vitae et viscerum suorum egestione consertis, quid nisi scarabaeos putres et vilia prenderet animalia? Cuius exempli evidentia araneae Regem, militiam telae, victoriam venatui conferebat. Ita avidum ducem, exiguae rei cupiditate se ipsum viribus exinanientem, inutili bello delectari monstrabat.* Huc pertinet quoque πολυθρύλλητον illud Augusti Caesaris, qui minima commoda non minimo sectantes discrimine similes aiebat esse aureo hamo piscantibus, cuius abrupti damnum nulla captura pensare posset.

12. Igitur non exspectaturos Scythas, dum ad se veniatur, cum tanto sibi plura in hoste concupiscenda sint; ultroque praedae ituros obviam. Repete iis, ea, quae paulo ante ex ore legati Scythici allata, et adde eiusdem sequentia: *Rursus quam procul abesse nos credes, videbis in tuis castris. Eadem velocitate et sequimur et fugimus.* Quod *praedae* eos *ituros obviam* testantur, eo ipso subindicant, spem opimae praedae ad ascendendam militum virtutem quam maxime facere. Huc referas illa Ammiani lib. XXIV. *Quum milites exspectarent pecunias a Iuliano; respondit: En Persae circumfluentes rerum omnium copiis: ditare vos poterit opimitas gentis.*

13. Nec dicta, res morata. Vulgo efferri audias: *Dictum, factum.* Ita Florus lib. III. 3. 65. *Nec segnius, quam minati fuerant, tripertito agmine per Alpes ferebantur.*

Quos cum tanta celeritate venire rex animadvertisset, in fugam vertitur. Vossius miratur victores Scythas, devictum Vexorem. Nam si is est, quem alii Sesostrem appellant, in alia omnia abeunt Herodotus et Diodorus Siculus. Nostrum tamen secutus videtur Valerius Flaccus Argonaut. lib. V.

14. Scythas ab Aegypto paludes prohibuere. Et tamen illorum orator Curtianus VII. 8. 18. gloriatur: *Patuit nobis iter in Aegyptum.*

15. Asiam perdomitam vectigalem fecere, modico tributo, magis in titulum imperii, quam in victoriae praemium imposito. Strabo lib. VII. de Scythis Nomadibus: *Hi quidem ipsi Nomades bellandi magis, quam latrocinandi studio tenentur. Ipsi enim pro eorum finibus bella suscipiunt. Si qui colendae telluris voluntate ducantur, iis terrarum usum concedunt, quarum causa libenter tributa suscipiunt, moderate quidem magis, quam ad nimiam avaritiam imposita: nam diurna et necessaria vitae iniungunt. Quod si non tribuantur, in eos bella suscitant. Sic eos iustos pariter, et Abios hos eosdem viros Poeta nuncupavit, cum tributis recte persolutis nullo pacto bellaturi consisterent. Contra vero non perso-*

*latis, armorum viribus confisi insurgunt, similiter et adversus incursantes, aut facile vindicaturi, aut impetum propulsaturi.* Quod si igitur Asia per mille quingentos annos (hoc affirmat Noster) Scythis fuit vectigalis, moderata utique tributa agnoverimus. Neque enim dici potest, quantam Principi benevolentiam pariat in imperando atque exigendo tributa moderatio: quae contra gravius imperata, atque exacta insolentius, turbis, caedibus, bellis locum fecere, nec raro ipsam Rempublicam pessumdederunt. Quis est, qui nesciat, Belgarum ab Hispanis defectionem in hanc quoque Albanae tyrannidis speciem esse referendam? quippe qui rerum venalium mobilium decimam, immobilium vicesimam, de universis vero bonis centesimam imperavit: quo de legendi Thuanus lib. II. Emmanuel a Metteren lib. IV. et Hugo Grotius in Annal. Belgicis. Commendari hoc in argumento meretur Iohannis Wilhelmi Neumaieri a Ramsla liber de Seditionibus, sive, ut habet Inscriptio Germanica, *Vom Aufstand der Untern wider die Obern.* Atque utinam futuri politici diligenter legerent huius viri scripta, non doctrinam modo et prudentiam sed et pietatem et probitatem (quantas in viro civili dotes!) spirantia.

16. Nec passuras, ut in posteritatem Scytharum genus per foeminas id interdicat. Schefferus: *Cogitandum, an non a Iustini manu fuerit* in posteram aetatem, *post compendiose scriptum* in poster. aetatem, *mox coniunctim* posteraetatem, *et sic factum* posteritatem.

---

## EXERCITATIO IN IUSTINI LIB. II. CAP. V.

1. Scythae autem tertia expeditione Asiana. Hanc historiam primus scripsit Herodotus lib. IV. Habent eandem Polyaenus lib. VII. Strategematum, Pacatus Panegyrico ad Theodosium Imp. cap. XXX. Themistius Oratione ad Valentem Imp. de clementia in victos, Gregorius Nazianzenus Invectiva in Iulianum I. ubi vide Nonnum monachum. Tangunt quoque Athenaeus lib. V. Deipnosophist. Claudianus fine lib. I. in Eutropium, et lib. de bello Getico, Valerius Flaccus lib. VI. Argonaut. Belli huius servilis memoriam nondum apud Moscos exolevisse, ex Salomone Neugebauero annotavit Berneccerus.

Cum annis octo a coniugibus et liberis abfuissent. Herodotus non octo, sed octo et viginti annis domo abfuisse Scythas narrat: ut numerus maior forte Nostro exciderit. Pro *abfuissent* Schefferus in MS. quodam reperit, *longe* fuissent, ac eruditius censet, quam ut scribae aut glossatori possit tribui; sed neglexisse suspicatur, qui hoc genus loquendi nescirent, ac substituisse notius. Affert etiam geminam phrasin ex Plinii Panegyrico cap. XXV. *Ex-*

*spectatum est praevisumque, ne quis aeger, ne quis occupatus, ne quis denique longe fuisset.*

Servili bello domi excipiuntur. Rara quippe servis fides. Saxo Grammaticus lib. V.

*Decipitur quisquis servum sibi poscit amicum,*
*Saepe solet domino verna nocere suo.*

2. Quippe coniuges eorum, longa exspectatione virorum fessae. Nimis diuturna maritorum absentia saepius proterviam et extremam muliercularum concitavit lasciviam. Non omnes Penelopea sunt virtute, quae telam continenter texendo retexendoque procorum exspectationem delusit, suaeque pudicitiae consuluit.

Nec iam teneri bello, sed deletos ratae servis ad custodiam pecorum relictis nubunt. Tam diuturna maritorum mora, ac de illorum morte credulitas quodammodo excusaverit novas foeminarum Scythicarum nuptias. Moribus tamen Christianis, nisi malitiosa fuerit desertio, uxor maritum eam postliminio repetentem necessum habet sequi: ac novimus ex altero matrimonio liberos posteriori marito redditos.

4. Admonentur Scythae mutare genus pugnae. Non eadem ubique arma obtinent, quaeque adversus alios valida, apud quosdam parum habuerint roboris. Turcas ferunt oblongos in acuminatam cuspidem desinentes gladios reformidare; cum alii Turcicos horreant acinaces. Sed et illa armorum, repentina praesertim, mutatio nonnunquam magnum victoriae addit momentum: cuius rei exempla sunt apud Polyaenum lib. II. cap. XVI. Frontinum lib. II. cap. III. Ludicra quoque hic interdum habent locum, quosque ferrum non potuit, tibiae superarunt. Certe Sybaritarum equos ferunt saltationi adsuefactos, cum hostes tibiis canere coepissent, sessores excussisse. Hic videas metum flagrorum plus virium, quam ferrum habuisse, ac quos gladii domare non potuerunt, servilia edomuisse verbera. Quae res in memoriam mihi revocat, quod phrenetici interdum ferulis citius coerceantur, quam vinculis ac gravioribus plagis.

Virgas ac flagella ceteraque servilis metus paranda instrumenta. Virgarum, flagrorum ac flagellorum verbera vere erant servilia: quod plurimis veterum testimoniis comprobarunt Iacobus Durantius Casellius Variarum lib. I. cap. XV. Iohannes Michael Dilherrus Disputation. Philolog. tom. I. 17. Geverhardus Elmenhorstius ad Arnobium. Petrus Faber Semestrium lib. II. cap. VIII. Radulphus Fornerius Rerum Quotidianarum lib. IV. cap. II. Christianus Kortholtius de Persecutionibus Ecclesiae primitivae pag. 176. seqq. Atque ipse de ea re egi tum libro de Martyrum cruciatibus in primitiva Ecclesia cap. V. §. XXI. tum dissertatione de Flagellatione Christi cap. II.

5. Quos ferro non poterant, metu verberum vincerent. Quam eleganter Claudianus lib. I. in Eutropium:

*Quid Martia signa*
*Sollicitas? Non est iaculis hastisve pellendus,*

*Conscia succumbunt audito verbere terga.*
*Ut Scytha post multos rediens exercitus annos,*
*Cum sibi servilis pro finibus obvia pubes*
*Iret, et arceret dominos tellure reversos,*
*Armatam ostensis aciem fudere flagellis.*
*Notus ab inceptis ignobile repulit horror*
*Vulgus, et addictus sub verbere torpuit ensis.*

In nummo quodam Romano argenteo aliquis conspicitur, habitu indutus militari, qui sinistra scutum tenet, dextera hominem seminudum multifida scutica caedit, additis litteris T. Deidi. Ex hoc nummo Stephanus Vinandus Pighius in A. V. IↃCXV. singularem divinationem concipit T. Didium Sex. F. Praetorem Siciliam provinciam sortitum quasdam servorum rebellium copias non tam gladiis atque telis armati militis, quam scuticis et flagris servilibus profligasse: atque talis victoriae memoriam in denariis ab ipso promulgatam esse. At vero quam fallat hic vir magnus, pluribus ostendit doctissimus Rupertus Dissertat. ad Valerium Max. lib. II. cap. I.

6. Quicunque capi potuerunt, supplicia crucibus luerunt. Crux *servile supplicium* dicitur Tacito, Vulcatio Gallicano, Iulio Capitolino: quia eo potissimum in servos animadvertebant veteres. Iuvenalis Sat. VI. *Pone crucem servo.* Vide porro Nostrum XVIII. 4. 18. Plautum Mil. Glor. II. 4. Terentium III. 5. 15. Livium lib. XXX. cap. XLIII. Tacitum lib. II. Hist. cap. LXXII. et lib. IV. cap. XII. Sic Lactantius lib. IV. cap. XXVI. ubi disquirit, cur Christus hoc mortis genere affici voluerit, crucem *infame genus supplicii* vocat, *quod etiam homine libero, quamvis nocente, videatur indignum.* Idem lib. I. cap. XIX. *Quod si servorum nequissimus habetur, qui dominum suum fuga deserit, isque verberibus et vinculis et ergastulo et cruce omnique malo dignissimus iudicatur.* Plura hanc in rem collegerunt, qui de Cruce commentati, Thomas Bartholinus, Iacobus Gretserus, Henricus Kippingius, Iustus Lipsius, Claudius Salmasius, ac ipse hoc de argumento fusius egi parte II. Harmoniae Historiae Passionis Christi cap. IX. et XII.

7. Mulieres quoque male sibi consciae, partim ferro, partim suspendio vitam finierunt. Ecce! quid valeant stimuli mentis male sibi consciae: sic, ut ab hoc fonte saepius promanaverit detestabilis *αὐτοχειρία.*

9. Cum filiae eius nuptias non obtinuisset. *Nuptias* hoc loco pro *matrimonio* sumi, iam in Indice monuit Freinshemius. Saepe alias haec vox pro consuetudine Veneria usurpatur: quod nube exemplorum demonstravit Fesselius Adversariorum Sacrorum lib. II. cap. XXI. Non raro alioqui ex negatis filiabus bella sunt coorta. Notae sunt ex Sacris Samsonis adversus Philistaeos irae in gravem eorum persecutionem et caedes desinentes, quod uxor contra datam a patre fidem alteri fuerit collocata. Vide Iudicum XV. 2. 8. Amasis Aegyptiorum Regis filiam expetebat Cambyses Cyri filius, pro qua

cum ei mitteretur Nitetis Aprii antecessoris nata, Cambyses indignatus in Aegyptum movit. Videatur Herodotus initio libri III.

10. Metuens, ne interrupto ponte Istri reditus sibi intercluderetur. Reliquerat quidem ad pontis in Istro flumine a se facti custodes, principes quos secum ex Ionia et Aeolide duxerat, et in his Miltiadem. Sed *cum crebri afferrent nuntii male rem gerere Darium, premique ab Scythis, Miltiades hortatus est pontis custodes, ne a fortuna datam occasionem liberandae Graeciae dimitterent. Nam si his copiis, quas secum transportaverat, interiisset Darius, non solum Europam fore tutam, sed etiam eos, qui Asiam incolerent Graeci genere, liberos a Persarum futuros dominatione et periculo. Id facile effici posse: ponte enim rescisso, vel hostium ferro vel inopia paucis diebus interiturum. Ad hoc consilium cum plerique accederent, Istiaeus ne res conficeretur, obstitit.* Cornelius Nepos in Miltiade cap. III. Ister autem idem, qui Danubius, licet istud nomen plerumque magis versus ostia, hoc a fontibus vergenti tribuatur: ut Mela, Strabo, Ptolomaeus aliique volunt. Quo de fluvio cum tot Graecorum Latinorumque ex veteri et recenti aevo exstent annotationes, supervacaneum foret de eo multa dicere. In primis tamen habeo commendare, quae Guilielmus Stuckius in commentariis ad Arriani Periplum Ponti Euxini consignavit.

12. Ionas quoque navali praelio superat. Fuse huius belli et navalis praelii historiam scribit Herodotus principio lib. VI.

---

# ANTIQUITATES AMAZONIAS EXERCITATIONE AD IUSTINI LIBRI SECUNDI CAPUT IV.

SUB PRAESIDIO

CASPAR. SAGITTARII

DISQUISITIONI PUBLICAE SISTIT

IONATHAN KOEPKEN

---

IENAE A. CIϽIϽCLXXXV.

---

1. Per factionem optimatum domo pulsi. Consule diligentissimi Viri Ioh. Pauli Felwingeri dissertationem de Factionibus.

2. IUXTA AMNEM THERMODONTA CONSEDERUNT. Recte *Thermodonta*, non ut multi perperam, *Thermodoonta*. Graecis enim τρισυλλάβως effertur Θερμώδων: quemadmodum in Indice Virgiliano Erythraeus, in Aristarcho Grammatico Vossius, ad Papinium Barthius notarunt. Nomen flumini, si Dionysio credimus, a Thermodonte quodam, qui errabundam Sinopen Asopi filiam excepit. Est autem hic, de quo Iustinus agit (nam plures huius nominis memorantur) Cappadociae fluvius, qui inter Themiscyram ad occasum, et Polemonium ad Solem orientem in Euxinum mare ad Heracleam labitur. Ad hunc Amazones olim consedisse, pervulgata est veterum sententia. Curtius VI. 5. 24. *Erat Hyrcaniae finitima gens Amazonum, circa Thermodonta amnem Themiscyrae incolentium campos.* Ammianus lib. XXII. *Thermodon his est proximus ab Armonio defluens monte, et Themiscyreos interlabens lucos, ad quos Amazones quondam migrare necessitas subegit.* Arrianus Periplo Ponti Euxini: οὗτος ὁ Θερμώδων ἐστὶν, ἵνα περ αἱ Ἀμάζόνες οἰκῆσαι λέγονται. Scholiastes Apollonii lib. II. Ὁ Θερμώδων ἐν τῇ Λευκοσυρίᾳ ἐστὶν, ἣν πρότερον Ἀμαζόνες ᾤκουν. Hinc a Thryphiodoro in Excidio Ilii vs. 32. ἀπὸ Θερμώδοντος γυναῖκες, a Seneca in Oedipo *Thermodontiacae catervae*, a Statio *Thermodontiacae turmae* appellantur. Sic Claudianus de Raptu lib. II. vs. 66. earum securim nuncupat *Thermodontiacam*. Quo spectant illa Virgilii Aen. XI.

*Quales Threiciae quum flumina Thermodontis*
*Pulsant et pictis bellantur Amazones armis.*

ista Ovidii lib. IV. de Ponto eleg. X.

*Et tu foemineae Thermodon cognite turbae.*

haec Propertii lib. III. eleg. XIII.

*Qualis Amazonidum nudatis bellica mammis*
*Thermodonteis turba lavatur aquis.*

Etiam ipse fluvius a Silio Punicor. VIII. *Amazonius*, ab aliis *Martius* fuit dictus, quod Marte se genitas praedicarent. Plura de Thermodonte vide sis apud Philippum Beroaldum et Iohannem Passeratium ad Propertium, Federicum Morellum, Ianum Bernartium et Casp. Barthium ad Statium, Iohannem Guilielmum Stuckium ad Arriani Periplum Ponti Euxini.

SUBIECTOSQUE THEMISCYREOS CAMPOS OCCUPAVERE. Themiscyrium, quod et Themiscyra dictum, et oppidum fuit ab Amazonum regina cognomine sic dictum, Plinio ac Strabone testibus; et regio plana Thermodonte atque Iride distincta: quam ob id ποταμόχωστον, hoc est, fluviis irriguam, olim fuisse vocitatam, Apollonii Scholiastes prodidit. Hinc etiam semper roscida et herbida fuisse dicitur, et tam boum, quam equorum alma nutrix. Pleniorem descriptionem dabunt Plinius lib. VI. 4. Strabo lib. II. Ptolomaeus in Asia.

Quamvis autem ad haec extrema Europae Amazonum sedem veterum plerique collocent, alii tamen in Africa, in Asia alii Amazones deprehenderunt. De Africanis testis est Silius Italicus lib. II. quod confirmatur ex Diodori Siculi lib. IV. de Asiaticis Tranquillus

in Caesare cap. XXII. affirmat, *magnam Asiae partem Amazones tenuisse quondam.* Qui hanc difficultatem volunt tollere, multiplices putant fuisse Amazones, variis sedibus divisas, quum e solo nativo, Asiatico scilicet, egressae, aliis gentibus debellatis ac domitis, tandem in Europa ad Thermodontem sibi sedem fixerint; id quod perbelle docet Ammianus lib. XXII. Confer Marcellum Donatum Dilucidation. in Suetonii Caesarem.

3. CUM VIDERENT EXILIO ADDITAM ORBITATEM. Exilium, et quae plerumque exules comitari solet, paupertas saepe novarum rerum mater est. De exilio dicam alibi. De paupertate accipe haec ex Sallustii bello Catilinario cap. XXXVII. *Omnino cuncta plebes novarum rerum studio, Catilinae incepta probabat* etc. Quanta in orbitate calamitas, brevibus expressit Theseus in extremo fere Hippolyto Senecae Tragici:

*O triste fractis orbitas annis malum!*

Quam ob rem *Orbona* Romanis colebatur Dea, ne orbos faceret.

4. SUMMOVENTES PRIMO, MOX ETIAM INFERENTES BELLA. Primum, quod vulgo aiunt, defensivo, mox offensivo bello occupatae.

5. SERVITUTEM, NON MATRIMONIUM APPELLANTES. Nutrix ad Phaedram de Theseo in Hippolyto Senecae vs. 230.

*Quis huius animum flectet intractabilem?*
*Exosus omne feminae nomen fugit,*
*Immitis annos caelibi vitae dicat,*
*Connubia vitat, genus Amazonium, scias.*

Nimirum ut Amazones viros, sic Thesea mulieres dicit adversari. Hippotheus apud Stobaeum Serm. LXVI. Ζευχθεὶς γάμοισιν οὐκ ἔτ' ἐστ' ἐλεύθερος. *Adstrictus nuptiis non amplius liber est.* Nimirum inter matrimonii incommoda non postremum esse solet violenta sceptri domestici occupatio; quae sane si locum invenit (id quod fit saepissime) non plus fere quam servilis mariti est conditio. Nostrae tamen ne obsequerentur viris, animum nubendi omisere. At mirum alicui videatur, cur tam rari reperiantur coelibes (coelibatum Pontificium nunc scpono): cum coniuges facti geminam subire habeant fortunam, cui tot tantique viri fuerunt obnoxii. Nam si dotata est uxor, plerumque ex Plautina sententia, *mactat et malo et damno virum.* Si illustri loco nata, componit se ad instar Iuliae Augusto natae, quae, Tacito teste, Tiberium *sprevit ut imparem.* Quid? quod pauperculae sui sint spiritus, asperiusque deprehendamus nihil humili muliere in altum evolante. Reliqua praetereo mala, quae uno quasi fasce complexus Socrates apud Valerium Maximum lib. VII. cap. 2. *In matrimonio,* inquit, *perpetua sollicitudo, contextus querelarum, dotis exprobratio, affinium grave supercilium, garrula socrus lingua, subsessor alieni matrimonii, incertus liberorum eventus.* Quae graphice illustrat Christophorus Adamus Rupertus lectissima ad haec Valerii Dissertatione. Sed sua quoque damna habet coelibatus, et nescio an non pro matrimonio maiora; quae ibidem non tacuit idem Rupertus. Atque o utinam servili per coniu-

gium iugo non adeo multi summitterent colla, sed suo dominio usi moderatius, fastum aliaque Deo ac honestati inimica reprimerent. Sic enim non servitutem, sed libertatem appellarent matrimonium.

6. Singulare omnium seculorum exemplum ausae auxere rempubl. sine viris: iam etiam cum contemtu virorum se tuentur. Gronovius legendum censet: *singulare — ausae rempubl. sine viris*, omissa voce *auxere:* quod probat Schefferus, ac porro penultimum *se* expungit, ut oratio cohaereat aptius.

9. Pace armis quaesita. Pax legitima, iusta, aequa, extremus finis, ultima funesti belli meta esto. Ad hanc quisquis belligerantium non tendit, sed aliam ex alia proferendi belli occasionem quaerit, hominis ad omnem humanitatem compositi naturam videtur exuisse. *Dux optimus ille est* (verba sunt Belisarii apud Procopium lib. I. de bello Persico) *qui ex bello pacem componere sit aptus.* Haec felicitas superiori ineunte saeculo propria quasi fuit *Maximiliano*, cuius proinde numus repraesentans formam pacis, fruges, fructusque plenis calathis effundentem, cum hac inscriptione: *Sub Caes. Maximiliano Aug. Imperium Rom. pacatum est.*

Si qui mares nascerentur, interficiebant. Vel mutilabant. Vide Michaelis Apostolii Centur. IV. Proverb. Graecor. XLIII. Vel reddebant Patri. Iornandes de rebus Geticis: *Veritae hae, ne earum proles raresceret, a vicinis gentibus concubitum petierunt; facta nundina semel in anno, ita ut futuris temporibus eis deinde revertentibus in id ipsum quicquid partus masculini edidisset, patri redderet: quicquid vero foeminei sexus nasceretur, mater ad arma bellica erudiret.* Mox tamen addit: *Sive ut quibusdam placet, editis maribus novercali odio infantis miserandi fata rumpebant: ita apud illas detestabile puerperium erat, quod ubique constat esse votivum.*

11. Inustis infantum dexteriobus mammis, ne sagittarum iactus impediretur: unde Amazones dictae sunt. Nomen Amazonum plurimi cum Nostro ab *α* privativo et *μαζὸς* (*mamma*) derivarunt, quod dextras inurerent infantium mammas, ut ad sagittarum aliorumque missilium iactus et dimicandum cum hoste forent expeditiores. Auctor Etymologici Magni: *Ἀμαζόνες ἐκ τοῦ μαζὸς καὶ τοῦ στερητικοῦ ᾱ. Ἀμαζών. ὅτι τὴν μίαν θηλὴν τὴν δεξιὰν ἔκοπτον ἢ ἔκαιον, ἵνα μὴ ἐμποδίζωνται τοξεύουσαι.* Unde Servius Aen. II. notat, Amazones a Titiano *Unimammias* vocari: et Plautus in Curculione figura comica et fictione per *Classem* (alii legunt *Classiam*) *Unomammiam* exercitum significat Amazonium. Eoque et Virgilium respexisse volunt de Penthesilea canentem:

*Aurea subnectens exertae cingula mammae.*

Nudasse enim feruntur mammam, quam exusserant. Quam ob rem idem poeta de Camilla, quam et ipsam Amazonem salutat: *Hasta sub exertam donec perlata papillam Haesit.* Propertii versum de *nudatis turbae Amazonidum mammis* supra laudavimus. Confer praeterea Strabonem lib. II. Apollodorum lib. II. Eustathium in Diony-

sium et Homerum, Isidorum Originum lib. IX. cap. 2. Aliis tamen a victu sic videntur dictae, *παρὰ μαζοῦ*, quod sine pane viverent. Etymologicum: *ἢ ὅτι μαζοῦ καὶ τροφῆς οὐ μετέσχον, ἀλλ᾽ ὄφεσι καὶ ἄλλοις τισὶ θηρίοις ἐτρέφοντο, σαύραις καὶ χελώναις, παρὰ τὸ μάζαις μὴ χρῆσθαι, ἤγουν τροφαῖς, ἀλλὰ κρέασιν.* Caelius Rhodiginus Antiquar. Lection. lib. IV. cap. 12. *Amazones pro pauperioribus, tenuiori promiscuoque utentibus victu, apud Graecorum scientissimos reperias; veluti qui mazam non habeant. Sed et Amazones ipsae possint videri inde appellationem ducere, quod nec Eustathio displicet, quoniam lacertis ac testudinibus et id genus bestiis alerentur.* Longius abeunt, qui a zona deducunt. *ὅτι λαμβάνουσαι ζώνην καὶ πανοπλίαν ἐξερχόμεναι ἤμων καὶ ἐθέριζον.* *quod zonam accipientes et armaturam, velut meterent aestatemque traducerent:* ut est apud eundem Etymologum: qui mox addit: *παρὰ τὸ ἐν ταῖς ζώναις ἀμᾶν.* Servio appellatae, quasi *ἅμα ζῶσαι*, *quod simul sine viris vixerint:* id quod et Isidorus tangit. Quid? quod Marcus Fridericus Wendelinus ad Ebraeum אָמַץ *robustus, fortis fuit*, confugiat. quod etymon probat ac confirmat Christianus Becmannus in Originibus Latinae Linguae. Non desunt tamen viri eruditissimi, qui hoc nomen Germanicae originis credunt. Maiores enim nostri virgines salutabant *Mazas* vel *Mezas*. Aventinus in Nomenclatura quorundam propriorum Germanorum Nominum Annalibus Boiorum praefixa: *Maza, virago. — Uxores Cimbrorum viris societate militandi coniunctae, Mazones dictae sunt. Graeci Amazones vocant.* Idem Annal. I. *Mazonas nos, id est, viragines, Graeci Amazonas vocant.* Elias Schedius de Dis Germanis Syngrammate I. cap. 1. *Satis constat ex Germania fuisse Amazonas. Nostra enim lingua Germanica ceteris derivationibus dimissis, utpote nihil ad rem facientibus (convenit enim, ut ex ea lingua Germanica derivetur, qua usa est gens; sic Herodotum Arimaspos Sauromatasque, et Plin. lib. VI. cap. 17. Caucasum ex accolarum idiomate derivare videmus) Amazonum nomen virgines sonat, Mazas vel Mezas, Mäzen. Nos etiam hodiernam vocamus virginem Mäze, et per κατάχρησιν quoque meretricem.* Confer Saubertum de Sacrificiis Veterum cap. VIII.

Verum non immerito dubites, an unquam tales foeminae, quales Iustinus aliique describunt, exstiterint. Strabo certe gravis ac prudens scriptor omnem Amazonicae historiae abiudicat fidem, cuius verba ex Graecis (haec et suis in Homerum Commentariis inseruit Eustathius Iliad. III.) Latine versa afferemus: *De Amazonum fama proprium quiddam evenit. Nam cum fabula ab historia distinguatur (antiqua enim et falsa et miraculosa fabulae appellantur,) historia sive antiqua sit, sive nova, veritatem postulat, miracula vero aut non habet aut perraro. De Amazonibus quidem eadem nunc dicuntur quae olim, quamquam miraculosa sint, et a fide plurimum distent. Quis enim credat, ut vel exercitus, vel civitas, vel gens unquam ex solis constiterit mulieribus, et non solum con-*

*stiterit, verum etiam invaserit aliena, et non modo vicinis fuerit dominata, adeo ut usque in Ioniam processerit, sed etiam exercitum trans Pontum miserit, usque in Atticam? Hoc perinde est, ac si quis dicat, viros tunc mulieres fuisse et mulieres viros: quin eadem nunc de eis praedicantur: quam quidem rem adauget et facit, ut magis antiqua credantur quam nova, quod urbes quaedam ab illis conditae et cognominatae perhibentur, ut Ephesus, Cyrma, Myrina, Paphe et alia quamplurima monumenta. Themiscyram enim camposque Thermodonti proximos et imminentes montes Amazonum dicunt, atque eas inde pulsas. Ubi autem nunc sint, perpauci id quidem et sine demonstratione tradunt, quemadmodum de Thalestria Amazonum regina, quam cum Alexandro in Hyrcania permixtam ferunt, et prolis gratia congressam: quae profecto res non satis constat. Nam rerum scriptores, qui maxime veritatem curant, et quibus fidei plurimum adhibetur, nihil tale dixerunt; inter se discordant. Clitarchus Thalestriam scribit a Caspiis portis et Thermodonte profectam ad Alexandrum venisse, cum Caspiae portae supra sex millia stadiorum distent a Thermodonte. Quae vero ad famam vulgata sunt, et si ab omnibus concedantur, tamen qui ea finxere, magis adulationi inservierunt quam veritati.* Palaephatus quoque non contemnendus scriptor Graecus et Amazones et bella negat Amazonica, illarum loco sufficiens mares talaribus tunicis indutos ac ob id pro mulieribus habitos. Sic enim legas περὶ ἀπίστων ἱστοριῶν, *de incredibilibus historiis* cap. XXXIII. *Περὶ Ἀμαζόνων τάδε λέγουσιν, ὅτι οὐ γυναῖκες ἦσαν, ἀλλ' ἄνδρες βάρβαροι. ἐφόρουν δὲ χιτῶνας ποδήρεις, ὥσπερ αἱ Θρῇσσαι, καὶ τὴν κόμην ἀνεδοῦντο μίτραις, τοὺς δὲ πώγωνας ἐξυρῶντο, καὶ διὰ τοῦτο ἐκαλοῦντο πρὸς τῶν πολεμίων γυναῖκες. Ἀμαζόνες δὲ τὸ γένος μάχεσθαι ἀγαθοὶ ἦσαν. στρατείαν δὲ γυναικὸς οὐδέποτε εἰκὸς γενέσθαι. οὐδὲ γὰρ νῦν οὐδαμοῦ. De Amazonibus narrant, mulieres quidem eas non fuisse, sed viros barbaros. Gerebant autem tunicas talares, quales in more erant feminis Thracibus, ac comam alligabant mitris, barbas radebant, et propterea ab hostibus mulieres vocabantur. Ceterum Amazones nativa quadam indole bello strenui erant. Expeditionem vero mulierum fuisse, quomodo erit verisimile, cum illa nusquam hodie reperiatur?* Palaephatum non esse primum huius coniecturae auctorem, vel illud λέγουσιν subindicat. Haut immerito tamen dubites, an ex eiusmodi habitu tam prolixa de Amazonibus nata credulitas. Certe argumentum, quo tum hic, tum alibi pugnat Palaephatus, quod suo aevo non amplius reperirentur Amazones, non satis firmo nititur talo. Multa enim olim invaluere, quorum hodie nullus amplius est usus. Neque tamen is ego sum, qui nimis pro Amazonibus velim pugnare: quamvis non ignorem muliebria veterum bella pugnasque virginales. Enimvero Lacaenis virginibus, Cicerone teste lib. II. Tuscul. Quaestion., *magis palaestra, sol, pulvis, labor ac militia in studio fuit, quam fertilitas barbara.* Plato etiam refert in Ponto Sauromatidas esse, quibus non

equorum modo, sed et aequalis cum viris cura fuit et exercitatio. Quamquam Sauromatidas easdem cum Amazonibus habent Pomponius Mela lib. III. cap. 5. et Eustathius in Dionysium. Praetereo Argivas apud Plutarchum de virtute mulierum cap. VIII. et Pausaniam in Corinthiacis: itemque solemne illud praelium et annuam virginum pugnam apud Machlyes et Auses, populos Africae, cuius meminit Herodotus in Melpomene. Apud Iaxamathas, *easdem artes feminae quas viri exercent, adeo ut ne militia quidem vacent. Viri peditibus inhaerent sagittisque depugnant; illae equestre praelium ineunt. Nec ferro dimicant, sed quos laqueis intercepere, trahendo conficiunt. Nisi qui hostem interemere, virgines manent.* Quae sunt Melae, lib. I. cap. 21. De Danicis Amazonibus Saxo lib. VII. *Fuere quondam apud Danos foeminae, quae formam suam in virilem habitum convertentes, omnia paene temporum momenta ad excolendam militiam conferebant, ne virtutis nervos luxuriae contagione hebetari paterentur. Siquidem delicatum vivendi genus perosae corpus animumque patientia ac labore durare solebant, totamque foemineae levitatis mollitiem abdicantes, muliebre ingenium virili uti saevitia cogebant, ut foeminas exuisse quivis putaret: praecipue vero, quibus aut ingenii vigor aut decora corporum proceritas erat, id vitae genus incedere consueverant. Hae ergo perinde nativae conditionis immemores vigoremque blanditiis anteferentes, bella pro basiis intentabant, sanguinemque non oscula delibantes, armorum potius quam amorum officia frequentabant, manusque, quas in telas aptare debuerant, telorum obsequiis exhibebant, ut iam non lecto, sed letho studentes spiculis appeterent, quos mulcere specie potuissent.* Non repetam, quae de Boiemicarum viraginum virtute bellica tradit Aeneas Silvius, Iohannes Dubravius, et doctissimus Soc. Iesu scriptor Bohuslaus Balbinus in historia Boiemica. Imo vero si Hispanorum standum fidei, suis in Americam navigationibus novum genus Amazonum reperere, a quibus et certo flumini nomen imposuere. Videatur imprimis Waltherus Rhaleg parte VIII. magni de India Occidentali operis, quod edidit Theodorus de Bry. De his Petrus Iarricus Tholosanus Thesauro Rerum Indicarum a Matthia Martinez e Gallico Latine verso lib. I. cap. 8. ita: *Sunt qui praecipuas Regis Monomotapae vires in quadam mulierum legione sitas esse existimant: habitant hae separatim in provincia, quam Rex illis concessit, ab omni virorum remotae consuetudine, et veterum Amazonum exemplo ad bellum procedunt. Mammillam etiam dextram titione exurunt, ne arcum tendentibus (iis enim arma sunt) impedimento sit aut remora. Cum Giachis sylvestribus ut plurimum bello contendunt, quibus industria strategematis, arteque bellica non cedunt; animosae enim sunt, et rei bellicae peritissimae.* At bene est, quod addit: *Haec quidem a nonnullis perscripta sunt, rei tamen veritas non adeo certo constat.* Ut adeo Americanarum non minus, quam Scythicarum Amazonum fides non parum vacillet. Farraginem scriptorum, qui res Amazo-

num vel plenius pertractarunt, vel tetigerunt, affert diligentissimus Polyhistor Freinshemius Commentariis ad Curtii lib. VI. cap. V. quos si quis voluerit expendere, non modico volumini suffecerint. Compendio de his nonnulla congessit Merula ad Ovidii Trist. lib. IV. eleg. VII. Videantur etiam Hermannus Hugo de Militia Equestri lib. I. cap. 2. Simon Maiolus Dier. Canicularium Tom. I. Colloq. III. Iohannes Lyscander Bremensis Antiquitatum Danicarum ab Erico Olao Tormio editarum serm. XI. Nuper etiam vir Cl. Eberhardus Rudolphus Roth Gymnasii Ulmensis Prof. celeberrimus de Amazonum Politia duas dissertationes edidit, Octavio Lancelloto, de priscorum historicorum deliriis commentanti oppositas. Quae si vel citius publicae luci expositae, vel ad manus meas venissent, institutum meum non parum promovissent. Nunc cum haec Exercitatio pridem fuerit conscripta, nec praesentes occupationes ferant eam vel augere multum, vel incrustare, suffecerit laudasse veteris amici curas, eoque benevolum lectorem ablegasse.

12. DUAE HIS REGINAE FUERE, MARTHESIA ET LAMPETO. Rescribendum *Marpesia et Lampedo.* Lampedonem domestica ordinasse ac defendisse, Marpesiam forensia ac militiam obiisse fabulantur. Iornandes de Rebus Geticis: *Feminae Gothorum arma arripiunt, eligentesque duas audaciores, Lampeto et Marpesiam principatui subrogarunt. Quae dum curam gerunt, ut propria defenderent, et aliena vastarent, sortito Lampeto restitit, fines patrios tuendo; Marpesia vero feminarum agmine sumpto, novum genus exercitus duxit in Asiam, diversasque gentes bello superans, alias vero paci concilians, ad Caucasum venit: ibique certum tempus demorans, loco nomen dedit Saxum Marpesiae.*

QUAE IN DUAS PARTES AGMINE DIVISO, INCLYTAE IAM OPIBUS, VICIBUS GEREBANT BELLA, SOLAE TERMINOS ALTERNIS DEFENDENTES. Schefferus omittit τὸ *vicibus*, ac porro locum totum sic distinguit: *Inclytae iam opibus gerebant bella solae, terminos alternis defendentes.* Hoc est: gerebant bella solitariae, una quaevis per se sine societate alterius, idque alternis, dum alternis defendunt fines.

13. ET NE SUCCESSIBUS DEESSET AUCTORITAS, GENITAS SE MARTE PRAEDICABANT. Diodorus id de una tantum: contra Isocrates in Panegyrico et Panathenaico et alii de universa gente praedicant. Servius: *Amazones se parente Marte natas esse gloriantur.* Valerius Flaccus lib. IV. *Inclyta Amazonidum magnoque exorta Gradivo Gens.* Vide ibi Weitzium et Lampertum Alardum. At Lycophron tamen reginas Amazonum Neptuni facit filias. Ceterum qui Heroum veterum natales suos ad Deos referebant, duo potissimum videntur spectasse: primo, ut natalium, si quae esset, infamiam aut obscurum genus hoc commento palliarent: deinde, ut rebus gestis maius conciliarent decus. Prius sive ipsos conditores Romae, sive his faventes in animo habuisse vero admodum est simile. Ecce quam clare Ausonius in divitem quendam gloriosum:

*Martem Remumque et conditorem Romulum*
*Primos parentes nuncupat:*
*Credo quod illi nec pater certus fuit,*
*Et mater est vere lupa.*

Nec aliud est forsan de Alexandro M. edicendum, qui Iovem sibi patrem arrogabat: quippe quem Philippus *ultimo prope vitae suae tempore, filium suum non esse palam praedicaverat:* ut ait Noster XI. 2. 4. Neque tamen dubito, quin et ad alterum attenderit: quandoquidem ex Curtio constat, hoc ipso Alexandrum rerum gestarum famam augere voluisse. Elegans est apud Lucianum in Dialogo Diogenis et Alexandri locus, ubi Diogenes ait, Alexandro mendacium istud de Hammone Iove profuisse, quod vulgus eum sit reveritus, metueritque, quem Deum esse crediderit. Et sequente mox Dialogo ad Philippum patrem ipse Alexander: *Neque vero nescius eram pater, Philippi Amyntae me esse filium, sed quia ad res gerendas sic mihi visum erat conducere, commento hoc usus sum.* Nec improbat hoc commentum Arrianus Bellorum Alexandrinorum lib. VII. *Quod vero ad Deum generis sui originem ferebat, ne quidem atrox delictum fuisse censuerim, quippe qui nihil aliud fortassis sibi propositum habuerit, quam ut eo figmento maiorem auctoritatem apud subditos sibi conciliaret.* Damnat autem Augustinus, nec potuit quin damnaret. *Vir doctissimus Varro* (sic scribit lib. III. de Civitate Dei cap. IV.) *utile esse civitatibus dicit, ut se viri fortes, etiamsi falsum sit, ex Diis genitos esse credant: ut eo modo animus humanus velut divinae stirpis fiduciam gerens, res magnas aggrediendas praesumat audacius, agat vehementius, et ob hoc impleat ipsa securitate felicius. Quae Varronis sententia expressa ut potuit meis verbis, cernis quam latum locum aperiat falsitati: ubi intelligamus plura iam sacra et quasi religiosa potuisse confingi: ubi parata sunt civibus etiam de ipsis Diis prodesse mendacia.* De legislatorum gentilium in hoc astutia dicemus, Deo favente, ad Iustini lib. III. cap. 3.

15. Ibi Epheso multisque aliis urbibus conditis. Etiam Plinius Ephesum *Amazonum opus* vocat lib. V. cap. XXIX. imo et magnificum Dianae templum *fabricam Amazonum* dicit Solinus cap. LIII. Mela lib. I. cap. XVII. *Ibi Ephesus Dianae clarissimum templum, quod Amazones Asia potentes sacrasse traduntur.* Iornandes: *Ephesi quoque templum Dianae, ob sagittandi venandique studium, quibus se artibus tradidissent, effusis opibus mirae pulchritudinis condiderunt.* Strabo tamen principio libri XIV. Ephesum ab Androclo Codri Atheniensium Regis filio conditam scribit: quod Velleius lib. I. cap. IV. et Victruvius lib. IV. cap. I. Ioni Xanthi filio tribuunt. Pausanias in Atticis origines urbis ad Agathoclem Lysimachi gnatum refert. Templum Dianae ante Liberi Patris et Amazonum, quae aram aliquando insederint, tempora, fuisse Ephesi, ipsi Ephesii haut obscure gloriantur apud Tacitum Annal. III. Maius factum communiter ab Asiae civitatibus, Livius auctor est lib. I. De

hoc templo inter illa septem orbis miracula relato, cuius Lucas in Actis Apostolicis meminit, singulares olim libros scripsere Democritus et Heraclitus Ephesii, ut et Ctesiphon et Metagenes, testibus Vitruvio, Athenaeo, Laertio: quibus alii iungunt Nicagoram, Philostratum, Mucianum. Tria potissimum fuere, quae huic templo tantam attulere claritatem: primum magnitudo, qua cetera totius universi aedificia anteibat; Ephesiorum deinde civitatis splendor; ipsaque demum Deae cui sacrum erat auctoritas: ut videre est in Pausaniae Messeniacis. De magnitudine templi ex eo iudicas, quod ducentis et viginti annis, imo quadringentis, si Plinio lib. XVI. cap. 40. credimus, vix absolutum.

Reliquarum urbium, quae ab Amazonibus conditae creduntur, nomina expressit Strabo, quem supra laudavimus.

17. Filia eius Orithya regno successit. Salmasius in epistolis ab Antonio Clementio editis ad Hugonem Grotium scribit Epist. XXX. pro *Orithya* legendum *Otriria*, quod Graecum Apollonio sit Ὀτρήρη, pro quo alii dixere Ὀτρήρεια, ut Καλλιόπη, Καλλιόπεια.

Cui eximia in omne aevum virginitatis admiratio fuit. Si Iudaeos exceperis, et id quidem ob incredibile desiderium Messiae, plerisque aliis gentibus summae fuit admirationi semper illibata virginitas, cui tantum dedere aliqui veteris Ecclesiae Doctores, ut in illa celebranda essent nimii, adeoque pro sancto matrimonio impuri illius coelibatus Papistici fundamenta iacerent. Hic legas velim, quae de coniugio Clericorum Georgius Calixtus et Henricus Mullerus magni nominis Theologi consignarunt: quibus glaciem fregit Illustris Chemnicius in Tridentini Concilii Examine.

18. Ut Herculi rex, cui duodecim stipendia debebat, quasi impossibile imperaverit, ut arma reginae Amazonum sibi afferret. Summa fabulae sic habet: Eurystheus Thebanorum Rex Herculis virtutem suspiciens, instinctu Iunonis variis eum casibus obiecturus duodecim incredibili gravitate labores, sive, ut Augustinus ait de Civ. Dei lib. XVIII. cap. XII., *duodecim ingentia facta* (*stipendia* appellat Noster) ipsi imperavit: quibus omnibus et singulis praeclarissime defunctus, maiorem nominis gloriam, immortale decus, ac ab obitu suo divinos honores impetravit. In his laboribus erat, ut Amazonum reginae arma, seu habet Iustinus, sive baltheum mirae pulchritudinis afferret, quem Admetae filiae largiretur. Hinc nata Herculis in Amazones expeditio, quam fusius describit Noster. De Herculeis laboribus, quorum alii plures, pauciores alii numerant, legantur Apollodorus lib. II. de Deorum origine, Apuleius lib. III. Ausonius Idyll. XII. Boethius de Consolat. Philos. lib. IV. metr. VII. Claudianus praefat. lib. II. de Raptu Proserpinae, Clemens Alexandrinus lib. V. Stromatum, Cointhus Smyrnaeus lib. VI. Eusebius de Praeparat. Euangel. lib. III. cap. IV. Hygin. fab. XXX. Lactantius lib. I. cap. IX. Lucretius lib. V. Martialis lib. IX. Epig. CI. Ovidius epist. Heroid. IX. et Metam. lib. IX. Seneca in Hercule furente aliisque Tragoediis, Silius Italicus lib. III. Tzetzes in Commentariis ad Lycophronem, item Chil. II. hist. XXXVI. et qui non antiqué-

rum? Tantus enim virtutibus, sed et vitiis fuisse fertur, ut omnibus ferme veteribus argumentum scribendi luculentissime suppeditarit. Ex iunioribus Erasmus in Adagiis passim, quae de Hercule scripserunt veteres, ex illorum monumentis repetita in Adagiis exposuit, quae cuncta Lilius Gregorius Gyraldus peculiari libro est persecutus. Atque o utinam prodiisset, aut prodiret demum Mythologia Herculis a Barthio integris tribus commentariis scripta, quam tomo III. Animadversionum in Statium (pag. 1454.) laudat. Quae vulgares Mythologi, eorumque primipilus Natalis Comes in expositione laborum Herculeorum afferunt, meum non est repetere. Ex Ioh. Conradi Dieterici Biblicis Antiquitatibus didici, Ludovicum Demontiosium in Gallo Romae hospite part. I. ad XII signa Zodiaci labores illos retulisse. Alioquin illis me assentiri fateor, qui pleraque Herculis ex vera Samsonis historia, impie depravata tradunt. Quam in rem lectu digna sunt, quae monuere Vossius de Idololatria lib. II. cap. 15. Petrus Daniel Huetius in Demonstratione Euangelica propos. IV. de libro Iudicum, itemque Valentinus Henricus Voglerus in Mythologicis, quae Helmstadii ex viri optimi ac longiori fato dignissimi ore excepi. Nec plane contemnenda sunt, quae de Iosuae et Herculis convenientia attulit Edmundus Dickinsonus in Delphis Phoenicissantibus cap. IV.

Ut arma reginae Amazonum sibi afferret. Reliqui prope omnes solius cinguli meminerunt. Hinc Claudianus in Epithalamio Honorii Aug. et Mariae:

*Tu si nivalis per iuga Caucasi*
*Saevas petisses pulcer Amazones,*
*Peltata pugnas desereret cohors*
*Sexu recepto patris et immemor*
*Inter frementes Hippolyte tubas*
*Strictam securim languida poneret*
*Et seminudo pectore cingulum*
*Forti negatum solveret Herculi.*
*Solvis Amazonios cinctus.*

Sunt qui zonam non nisi extinctae detrahi potuisse afferunt: quam tamen plerique sponte traditam volunt Herculi. A Marte eam accepit Hippolyte: εἶχε δὲ Ἱππολύτη τὸν Ἄρεως ζωστῆρα σύμβολον τοῦ πρωτεύειν ἁπάντων. De zona veterum dudum est quod plurima congesserim: sed tot aliis laboribus distentus quid de editione sit futurum ambigo. Si quis alius has curas velit suscipere, mea equidem ei non invidebo.

19. Longis navibus. De quarum forma et usu egerunt Iohannes Schefferus de militia navali, Andreas Senftlebius in Argo sive variarum antiquarum Navium Sylva.

23. In his duae Antiopae sorores captae sunt. *Illud captae sunt Mss. non agnoscunt, et praecedit proxime captaeque. Itaque rectius et elegantius omittitur.* Schefferus.

24. Theseus obtenta in praemium captiva. Adi Plutarchum in Theseo et Isocratem in Panathenaico et Encomio Helenae. Dio

Chrysostomus de Ilio non capto: *Θησεὺς ἀπὸ τοῦ Θερμώδοντος ποταμοῦ μίαν τῶν Ἀμαζόνων ἔγημεν. Theseus unam ex Thermodontiacis Amazonibus uxorem duxit.* Iornandes de rebus Geticis: *Theseus Hippolyten in praedam tulit, de qua genuit et Hippolytum.* Inspice, sodes, collectanea Barthiana tomo III. Statii pag. 1517. sqq.

25. ET PRETIUM ARMA REGINAE ACCEPIT. Seneca in Oedipo:

*Arma detraxit trucibus puellis.*

26. FRUSTRAQUE ET PONTI SINUM ET ASIAM EDOMITAM ESSE DICIT. Multum valet ad accendendos militum animos pristinae virtutis recordatio: quam ante pugnam in animum revocare soliti sunt optimi quique duces: id quod gravissimae orationes apud Livium, Tacitum, Curtium, sed et Graecos, testantur.

28. MOTUS ILLE DOMESTICA GLORIA. Quae saepius magnates ducit trahitque in bella etiam iniustissima.

29. ANTE PRAELIUM DISSENSIONE ORTA AB AUXILIIS DESERTAE. Uti animorum dissensio commune propemodum in auxiliis malum, ita desertionem plerumque habet pedissequam. Recte igitur nonnemo decem ex domestico supra auxiliarium triginta sub diversis ducibus millia valitura dixit. Huic malo varia quaeri solent remedia: et nescio an non inter optima, quando ducum potestas summa per vices sive diurnas, sive longiores uni committitur: quale quid Crequio Marschallo extremam cladem attulit in campis Trevirensi urbi vicinis. Nam eo die quo pugnatum, Ducatus penes GEORGIUM WILHELMUM Heroa Brunswico-Luneburgicum, maximum Patriae meae Patrem meumque quondam Maecenatem indulgentissimum, fuit.

31. PENTHESILEA REGNO POTITA EST. Hanc Amazonum reginam praedicant Virgilius, Dictys Cretensis de bello Troiano lib. IV. Tryphiodorus in Excidio Ilii, Quintus Calaber lib. II. Iornandes de rebus Geticis. Eius statuam ex Aphrodisii Africanae urbis ruderibus erutam in horto Magni Magistri Equitum Melitensium vidit vir doctus et prudens Michael Heberer, eandemque aeri incisam inseruit Hodoeporico suo lingua vernacula scripto, quod a fortuna sua Servitutem Aegyptiacam inscripsit, lib. III. cap. XIV. Huic Penthesileae Plinius securis inventionem tribuit: forte quod in bellis ea usam reperit. Hinc Claudianus lib. II. de Raptu Thermodontiacam securim sistit:

*Thermodontiaca Tanaim fregere securi.*

Apud eundem Hippolytes *strictam securim* iam tum vidimus. Hinc et *securigeras* nonnemo appellavit. Reliquam Amazonum armaturam tangunt Isocrates Orat. ad Philippum, in Archidamo et Panathenaico, Virgilius lib. I. Aen. Claudianus lib. III. de laud. Stiliconis, Nonnus lib. XX. Seneca in Agamemnone, Apollonius Argonaut. lib. II. De peltis Amazonum Arrianus lib. VII. Plinius lib. XII. cap. 5. Isidorus in Etymolog.

32. USQUE TEMPORA ALEXANDRI MAGNI DURAVERUNT. Quod nube variorum scriptorum firmat Freinshemius ad Curtium. Sed quid de eo sentiat Strabo, supra ostensum.

33. Thalestris regina. Vide Curtium VI. 5. 42. et Iustinum ipsum XII. 3. 5. et XLII. 3. 7.

---

# COMMENTAR. IN LIB. III.

## CAP. I.

1. Bello in Graecia infeliciter gesto. Omnes omnino MSS. tam mei quam Bongarsii migrant hic Grammaticos canones, habentque, *bello in Graeciam infeliciter gesto.* nec hic tantum, sed, quod huc reservavi, etiam proximo superiore libro, quo loco est in editionibus, *satis multos hostes in Graecia manere dictitans*, referunt eaedem optimae membranae, *in Graeciam manere:* qua figura dicendi cum constet etiam ipsum Ciceronem usum, quidni eam nos quoque hic admittamus? Mod. — Bongarsius, ceterae editiones *in Graecia.* Praetuli quod est in MSS. omnibus et Bongarsii et Modii. Dictum ita vel proprie pro *adversus Graeciam*, vel per antiptosin, qualis est apud Sueton. Aug. 13. 3. *Sepulturam in volucrum fore potestatem.* Curt. III. 5. 13. *Darium in Ciliciam fore nuntiatur.* Ita saepe Cicero, Plautus, alii: quin auctor ipse supra II. 13. 6. *Satis multos hostes in Graeciam manere dictitans.* ut volunt MSS. Bernec. — MSS. *in Graeciam.* Melius tamen et usitatius quod impressi prae se ferunt, *in Graecia.* Sic XLII. 5. ubi vide coniecturam meam. Faber. — Bernecceerus maluit *in Graeciam;* quoniam in omnibus MSS. quos Bongarsius et Modius viderunt, ita fuit. Est autem *in Graeciam* vel idem quod *adversus Graeciam*, vel per antiptosin pro *in Graecia:* quomodo dicunt *in potestatem esse* pro *in potestate esse.* Vorst. — Iuntina habet *in Graecia.* Graev. — Falluntur, qui *in Graeciam* pro *in Graecia* satis Latine dici putant, omnineque praestat cum Fabro rescribere *in Graecia*, adstipulante cum Orosio II. 11. etiam Iunt. editione ac Dorv. 1. et 3. Sic quoque cum viro laudato et Dorv. 3. *in Hispania*, non *in Hispaniam* legendum lib. XLII. 5. *Ad Caesarem*, in Hispaniam *bellum tunc temporis gerentem, profugit.* Perperam itidem Schefferus cum Bernecceero et Modio ex nonnullis MSS. *in Graeciam* restituere tentat lib. II. 13. *satis multos hostes* in Graecia *remanere dictitans.* Et passim iam tales naevos Sallustio, Caesari, Frontino aliisque, summa cum illorum iniuria, obtrudi a viris insignibus videmus; quemadmodum tam *in Graecia venire*, quam *in Graeciam venire* Latinos dixisse sibi persuadent, quia nempe sic librariis aliquando placuit, et Gellio aliisque id genus grammaticis hi quasi flosculi quidam sermonis visi fuerunt. Ita placere Scheffero non debuit, quod in MSto quodam legitur infra cap. IV. *in obsidionem urbis tenerentur.* Wopkens. — Med. Magl. Bodl. sec. quint. Leid. Thuan. ed. Rom. Bechar.

Ven. Flor. Mediol. Paris. Ald. Iunt. Orosius et Vincentius lib. III. cap. 41. *in Graecia.* ABR. GRONOV.

2. QUIPPE ARTABANUS etc. Legendus Diodorus XI. 79. et Ctesias in Persicis Excerpt. cap. 29. et seqq. et Probus. Qui hic *Bacabasus*, illis *Megabyxus* dicitur. *Artabanus* autem Aristoteli V. de Republ. est Ἀρταπάνης. BONGARS. — Ctesiae *Atrapanus.* BERNEC.

ROBUSTISSIMIS. Respectu annorum, non virium vel roboris. Infra XI. 6. *Non iuvenes robustos, nec primum florem aetatis, sed veteranos elegit.* Suet. Ner. 20. *Quinque amplius millia e plebe robustissimae iuventutis undique elegit.* Flor. Prooem. *Haec iam ipsa iuventa imperii, et quasi quaedam robusta maturitas.* GRONOV.

3. DE ARTAXERXE. Cui cognomen *Longimano.* Alius est infra V. 11. 1. etc. BERNEC.

IMPELLIT ARTAXERXEN. Ed. Ald. Iunt. *et imp. A.* ABR. GRONOV.

5. ADSUMIT IN SOCIETATEM CONSILII BACABASUM. Sec. quint. Leid. *Bagabasum.* ed. Rom. *Megabasum.* Bech. Ald. Iunt. *Baccabassum.* Μεγάβυζον eumdem appellat Ctesias Pers. cap. 30. ubi ait: καὶ βασιλεύει Ἀρταξέρξης σπουδῇ Ἀρταπάνου, καὶ ἐπιβουλεύεται πάλιν ὑπ' αὐτοῦ· καὶ λαμβάνει κοινωνὸν τῆς βουλῆς (leg. ἐπιβουλῆς) Ἀρτάπανος Μεγάβυζον . . . ἀλλὰ μηνύει πάντα Μεγάβυζος· καὶ ἀναιρεῖται Ἀρτάπανος, ᾧ τρόπῳ ἔμελλεν ἀναιρεῖν Ἀρταξέρξην. Ceterum Aelianus lib. XIII. Var. Hist. cap. 3. refert, Xerxen αἴσχιστως ἀποθανόντα, ἀποσφαγῆναι ἐν τῇ εὐνῇ ὑπὸ τοῦ υἱοῦ. ABR. GRONOV.

7. PARATUM ESSE ARMATUM EXERCITUM IUBET. Mihi magis placet quod antiquiores editiones habent *paratum esse exercitum armatumque iubet.* VORST.

RECOGNITURUS. Vincentius Bellovacens. Spec. Histor. lib. III. cap. 41. *quasi recogniturus.* FR.

8. IUBET ARTABANUM SECUM COMMUTARE. Saxo lib. IV. pag. 66. 27. *Tum Frogerum Frotho arma secum permutare iubet.* ABR. GRONOV.

9. ET CAEDEM PATRIS etc. Τὸν φονέα τοῦ πατρός. Diodor. Nam illa *et necem fratris* absunt a vett. BONGARS. — Notandum autem hic verbum *vindicare* ad duo ista *et caedem patris et se* diverso plane sensu referri: quomodo etiam infra XI. 9. 14. *non mortem, sed dilationem mortis deprecantur.* BERNEC. — MS. *et caedem patris, eneces fratris.* Iuntae: *et caedem patris, et necem fratris, et se.* Quod cum et in aliis editionibus antiquis conspiciatur, non puto esse reiiciendum. GRAEV. — Antiquiores editiones, et inter ceteras Iuntina, ut Graevius testatur, *et caedem patris, et necem fratris, et se.* Cuius lectionis vestigium et in uno manu exaratorum fuit, quos Bongarsius vidit. Ceterum verbo *vindicare* duplex vis et notio subiecta est; quod semel idem est quod *ulcisci*, deinde idem quod *liberare.* Cuius rei exemplum supra I. 9. 12. iam apparuit, et infra XI. 9. 14. adhuc apparebit. VORST. — MS. *eneces fratris,* non *caedem patris.* Iuntae liber, *et caedem patris et necem fratris.* Illud

*caedem et necem* pravum est. Cur enim repetat rem eandem? Itaque Glossatori alterum, non Iustino debetur, qui sententia mea ita scripsit: *Atque ita egregius adolescens et neces patris et fratris, et se ab insidiis Artabani vindicavit.* Sensus: vindicavit et se et neces. quorum neces? patris et fratris. SCHEFF. — Angl. *caedem patris et necem fratris, et se.* Ita habent et alii, de quo dixi in notis. SCHEFF. — *Vindicare* hic simul notat ulcisci et protegere vel liberare. Valer. Maximus II. 5. 2. *Qui cum . . veniret, neque a nobilibus . . sedendi loco reciperetur, sellam curulem afferri iussit, et in ea honoris pariter atque contemtus sui vindex consedit.* Sic *deprecari* simul declinare et postulare precibus denotat lib. XI. 9. 14. ubi vid. Berneccerum. Frustra autem tale quid videre sibi visi sunt nonnulli supra lib. I. 9. 12. et Flori I. 9. 1. et 26. 5. WOPKENS. — Ed. Rom. *necem patris et fratris.* Med. Magl. Bodl. Reg. Coll. N. sec. Leid. ed. Bech. Ald. aliaeque, *et c. p. et necem fratris.* Diodorus d. l. ait: *πυσθέντος δὲ τοῦ Ἀρταξέρξου, καὶ παραχρῆμα μετὰ τῶν δορυφόρων ἀνελόντος τὸν ἀδελφὸν Δαρεῖον.* et paullo post: *παραδόξως δὲ σωθεὶς ὁ Ἀρταξέρξης, καὶ τὸν φονέα τοῦ πατρὸς τετιμωρημένος, παρέλαβε τὴν τῶν Περσῶν βασιλείαν.* Nimium itaque liberales fuisse videntur scribae, qui post vocem *patris* addiderunt *et fratris*, vel *et necem fratris.* ABR. GRONOV.

## CAP. II.

3. PROPRIIS VIRIBUS CONFIDEBANT. In MS. legitur *urbibus* pro *viribus.* Et sane *viribus* hic usurpare voluisse haud videtur, cum praecedat paulo ante, *ad vires suas.* Quid igitur, si pro *urbibus* aut *viribus* legamus *civibus?* Et potest vitium ex eo esse natum, quod pro *civibus* antique *cibibus* esset scriptum in codice veteri, ex quo postea *urbibus* fecere alii, alii mutarunt in *viribus.* SCHEFF. — Nihil mutem. Nam illa ipsa *ἀντίθεσις* venusta, *Lacedaemoniis communia civitatium auxilia ad vires suas trahebant, Athenienses vero suis viribus confidebant*, satis arguit veram esse, quae in vulgatis obtinet, lectionem. GRAEV.

AD VIRES SUAS TRAHEBANT. Flor. II. 12. *Quippe Thracas in vires suas traxerant.* WOPKENS.

5. NAMQUE LYCURGUS CUM FRATRE SUO POLYBITE. In Herodoto et Pausania Echestratus et Lycurgus fratres produntur. Echestrati filius Labotas in linea Eurysthenis: pro *Polybite* igitur legendum videtur *Echestrato*, ac pro *Charilao*, *Labota*; a Plutarcho tamen etiam variata sunt nomina. Ideoque et nos in medio relinquimus. GLAREAN. — De Lycurgo in eius vita Plutarchus et Herodotus I. 65. et Strabo lib. X. et Pausanias Laconicis. BONGARS.

POLYBITAE. Ita Veteres. Graeci *Πολυδέκτης.* At *Charillus*, quomodo et Heraclides, illis est *Charilaus.* Herodoto I. 65. *Λεωβώτης.* BONGARS. — Iuntae cum Graecis, *Polydectae*, et pro *Charillo*, *Charilao*, quos sequor. GRAEV. — Revocavi lectionem quorumdam

Impressorum, in queis ita [*Polydectae*] legitur; nam illa altera, *Polybitae*, plane vitiosa est. FABER. — Graeci vocant *Polydecten*. Estque ita manifeste, uti Graevius testatur, in editione Iuntina. VORST. — *Polydectae* et mox *Charilao* probo cum Vorstio. SCHEFF.

REGNUMQUE SIBI VINDICARE POTUISSET. An in successione regni, nepos ex filio priore, filio posteriori sit praeferendus, breviter ac nervose solideque, ut omnia, decidit vir magnus, etsi cum maximis comparetur, Hugo Grotius de Iure Belli et Pacis II. 7. 30. Adde Lipsii Monit. et Exempl. II. 4. 8. et infra Not. XLI. 5. 10. BERNEC.

CHARILLO. Hunc Graeci *Charilaum* vocant, quomodo rursus non Iuntarum tantum, sed et Becharii aliaeque editiones veteres habent. VORST.

CHARILAO. Alii quidem aliter; sed ita scribendum. Vide Laconica Pausaniae, et seriem regum Lacedaemoniorum apud meliores Chronographos. FABER. — Ita pro *Charillo* praeter Iuntinam ed. Rom. Bech. Ven. Flor. Mediol. Ald. ac MS. Coll. N. idemque in suo Codice reperisse videtur Gualterus Burlei, qui in libro de Vitis Philosophorum, eumdem *Carilaum* vocat. *Χαρίλαος* etiam dicitur Suidae voc. *Λυκοῦργος*, et Plutarcho in Lycurgo pag. 41. 42. et 52. et Cleomene pag. 809. ed. Francof. verum *Χάριλλος* in Apophth. pag. 189. et Tractatu II. de Fortuna Alexandri pag. 337. nec aliter hoc nomen scriptum occurrit apud Clementem Alexandrinum lib. I. Strom. pag. 327. ed. Paris. ubi ait: *Σωσίβιος δὲ ὁ Λάκων ἐν χρόνων Ἀναγραφῇ κατὰ τὸ ὄγδοον ἔτος τῆς Χαρίλλου τοῦ Πολυδέκτου βασιλείας Ὅμηρον φέρει. βασιλεύει μὲν οὖν Χάριλλος ἔτη ἑξήκοντα τέσσαρα*, et apud Tzetzen Chil. VIII. vs. 907.

*Χάριλλος Λάκων ἀδελφὸς ὑπῆρχε τοῦ Λυκούργου.*

At re vera fuit *ἀδελφιδοῦς τοῦ Λυκούργου*. ABR. GRONOV.

6. UT INTELLIGERENT OMNES, QUANTO PLUS APUD BONOS PIETATIS IURA, QUAM OMNES OPES VALERENT. Lego: *ut intelligerent homines, quanto plus piet. iura, quam omnes opes*. Quamobrem id dicam, ii facile videbunt, qui sciunt, quid sit stylus et scriptio. FABER. — Ob ingratam repetitionem τοῦ *omnes*, Faber priore loco *homines* legebat. Ego potius *omnes* ante *opes* cum MS. quodam deleverim. Sed ea quae iam ad lib. I. 8. 2. et alibi monui, de vulgata scriptura quidpiam mutari vetant. Sic lib. XXII. 5. *Cum omnes praedatum se . . ituros crederent, tum primum exposito in Africae litore exercitu, consilium suum* omnibus *aperit*. Vellei. II. 56. *Caesar* omnium *victor, regressus in urbem . . .* omnibus *ignovit*. Quem locum hocce Iustini alioque Ciceronis vindicavi. Caesar Gall. VII. 4. *Celeriter sibi Senones , . reliquosque* omnes, *qui Oceanum attingunt, adiungit*. Omnium *consensu ad eum defertur imperium. Qua potestate oblata*, omnibus *his civitatibus obsides imperat* etc. Ac saepius talia apud eundem, Livium, aliosque toleranda sunt. WOPKENS. — Faber malebat, *ut intelligerent homines*. At melius fortasse abesset antepenultima vox *omnes*, quam ignorant Coll. N. ed. Ald. Iunt. et Gualterus. ABR. GRONOV.

7. CONVALESCIT. Hoc est, crescit, robur acquirit. Sic infra III. 4. 1. et XVIII. 4. 1. Liv. I. 14. 6. BERNEC. — *Convalescere* pro crescere, robore augeri: quomodo non Noster tantum, sed et alii verbum hoc non raro usurpant. Cicero VII. Ep. 3. ad Att. *His ille* (Caesar) *rebus ita convaluit, ut nunc in uno cive resp. ad resistendum imbecilla sit.* Vide et Livium I. 14. VORST.

SPARTANIS LEGES INSTITUIT. De quibus praeter citatos, vide Xenophontem in *Πολιτείᾳ* Lacedaemoniorum, Strab. lib. VIII. et X. BONGARS. — Ait Herodot. I. 65. Spartanos ante Lycurgum fuisse *κακονομωτάτους σχεδὸν πάντων Ἑλλήνων, ex omnibus Graecis pessime moratos*, ut Valla vertit; rectius, *pessimis legibus usos.* BERNEC. — Hae leges proprio nomine *ῥῆτραι* dictae, id est *pacta*: nam *lex est communis reip. sponsio*, ut loquitur Papinianus L. I. D. de Leg. et SCt. Hinc Liv. XLV. 28. ait, *Lacedaemonem non operum magnificentia, sed disciplina institutisque memorabilem.* GRONOV. — D. Augustinus lib. II. de Civ. Dei cap. 16. *Quamvis Lycurgus Lacedaemoniis leges ex Apollinis auctoritate se instituisse confinxerit.* ABR. GRONOV.

MAGIS CLARIOR. Contra Grammaticos canonas. Hac praeter alias de caussa malae Latinitatis auctori dicam scribunt. Scribant igitur et aliis: ut Floro IV. 2. 72. *Minus admirabilior.* Plaut. Stich. V. 4. *Magis dulcius.* Virgil. in Culice vs. 78.

*Quis magis optato queat esse beatior aevo?*

Quem ad locum Fr. Taubmannus plura id genus exempla pleonasmi Graecissantis annotavit. BERNEC. — *Magis clarior* dicitur per pleonasmum. Sic et infra XII. 11. 2. *Magis gratius.* Nec apud Nostrum tantum, sed et apud alios talia reperiuntur. Vide Vechneri Hellenolex. pag. 76. VORST.

8. NIHIL LEGE ULLA. Laevinus apud Liv. XXVI. 36. 2. *Si quid iniungere inferiori velis, id prius in te ac tuos ei ipse iuris statueris, facilius omnes obedientes habeas.* Tacit. Ann. III. 28. *Cn. Pompeius suarum legum auctor idem ac subversor.* BERNEC.

DOCUMENTA. MSS. habent *documentum*, quod praefero, quia refertur ad *nihil* et *cuius*, quae sunt singularia. SCHEFF. — Non erat, cur Schefferus cum quibusdam MSS. vellet *documentum daret*: quemadmodum nec audiendi illi codices, qui *obsequium* pro *obsequia* habent: passim enim sic plurativo pro sing. utitur Iustinus. Lib. II. 15. *Cuius magnitudinem futuram pietatis* documenta *prodiderunt. Quippe patrem . . translatis in se vinculis ad sepulturam redemit.* Sallust. Catil. IX. *Quarum rerum ego maxima* documenta *haec habeo, quod saepius vindicatum est in eos, qui* etc. Infra lib. VIII. 6. *Maiora in eo* obsequia *habiturus, sive conscientiae pudore, sive regni beneficio.* Lib. XIII. 2. *Confestimque in tutorum* obsequia *iurant.* Lib. XX. 4. *Docebat nunc has pudicitiam et* obsequia *in viros* etc. Sic lib. XXII. 2. 8. Satis autem frequens ista vocis *obsequium* cum genitivo constructio: quod forte non reputabat Salmasius, dum in his Livii XXIX. 15. *Quum . . socii pro fide atque*

obsequio imperii *Romani continuis . . delectibus exhausti essent.* coniicit *obsequio in populum Romanum.* WOPKENS.

CUIUS NON IPSE PRIMUS IN SE DOCUMENTA DARET. Ita Magl. tert. quart. Leid. Periz. ed. Rom. Bechar. Mediol. Ald. Iunt. Reliqui MSS. *documentum*, applaudente Scheffero. Gualterus: *cuius ipse documentum non primitus daret.* ABR. GRONOV.

9. PRINCIPES AD IUSTITIAM IMPERIORUM FORMAVIT. Ut nihil iniusti ab populo exigerent; nec aliter Flamininus apud Liv. XXXIV. 18. *Non cogitavit modo, imperavitque quae in rem essent, sed pleraque per se ipse transegit, nec in quemquam omnium gravius severiusque, quam in semet ipsum, imperium exercuit.* GRONOV. — *Formavit* rescripsit Berneccerus auctoritate unius Cod. quem vidit Bongarsius. Alii tam typis expressi, quam MSS. Codices habent *firmavit.* Quam lectionem et Freinshemium secutum video in Indice. Nec tamen displicet τὸ *formavit.* Eo enim auctor et infra XVIII. 3. 10. utitur pro *informare;* siquidem manuscriptis standum sit. VORST. — *Formavit* est quoque in Iuntina. GRAEV. — Hinc emendandus Saresberiensis, apud quem lib. IV. Policr. cap. 3. pag. 215. legitur, *impiorum firmavit.* Gualterus: *Principes vero ad iustitiam inferiorum pari lege formavit.* τὸ *inferiorum* exstat quoque in tertio a manu sec. et quarto Leid. Magl. ed. Ald. Iunt. Praestat vulgatum. ABR. GRONOV.

10. PARCIMONIAM etc. Vett. omnes: *Parcimoniam omnibus. Item existimans* etc. quae lectio quid velit non video. Paterc. I. Lycurgum vocat *disciplinae convenientissimae virum.* malim *continentissimae.* BONGARS. — *Parcimoniam omnibus suasit, existimans.* Pro hoc habent omnes libri: *Parcimoniam omnibus; item existimans.* Illud *suasit* in nullis comparet libris. Putaverim emendandum: *in parcimonium omnes idem, existimans* etc. repetendum ex proximo, *formavit.* Populum formavit in obsequia Principum, Principes ad iustitiam imperiorum, omnes in idem *parcimonium*, pro parcimonia, ut *sanctimonium.* Glossis etiam id notatur. *Parcimonium*, μικρολογία. *Parcimonia*, φειδωλία. SALMAS. — Pro *suasit* plerique MSS. habent *item*, Codex Bibliothecae Leidensis *item suasit.* Forsan Iustini scriptura est, *Parcimoniam omnibus utilem suasit.* BOXHORN. — Ita quidem veteres typis expressi. Et Bongarsius id retinuit. Sed Codices MSS. omnes, quos idem ille vidit, habent sic, *Parcimoniam omnibus item existimans.* Quod quid sibi velit, non videre se fatetur. Boxhornius tamen in MS. Leidensi reperit, *Parcimoniam omnibus item suasit;* ut *suasit* diserte sit additum. Et coniicit idem ille legendum esse, *Parcimoniam omnibus utilem suasit.* At ego vocibus modo transpositis malim legere, *Parcimoniam item omnibus suasit.* VORST. — Med. Coll. N. ed. Rom. *persuasit.* Pr. tert. Leid. *omnibus item existimans lab.* ABR. GRONOV. — De re ipsa vid. Ael. V. H. XIV. 29. ANONYM.

12. VELUT OMNIUM SCELERUM MATERIAM. Pr. Leid. et Saresberiensis, *et omnium*, pro *ut omnium.* ABR. GRONOV.

## CAP. III.

2. Magistratibus. Alter ex MSS. Fuldensibus *magistratus* habet, ut monet in suis etiam MSS. exstare Bongarsius, alter disertim, ut idem forte legendum dixit, *magistratui*, quod recipias, an prae eo cusam lectionem probes, manum non verterim. Mod. — *Magistratui* legit e Fuldensi MS. Modius. Bernec. — MSS. quidam *magistratus*. Quod in MS. Fuldensi et manifeste reperit Modius. Et patitur sane Latinitas, ut iam supra monuimus. Quia tamen mox numero plurali sequitur, *creandi quos vellet magistratus;* et vox numeri pluralis a Nostro saepius usurpatur: putem hic quoque ab eodem scriptam eam fuisse. Vorst. — Hic locus valde obscurus est. Certe si de omnibus accipias magistratibus, falsum, quod fuerint annui. Sed nec iudicia sic proprie ac peculiariter ad magistratus pertinent, ut de iis seorsum mentio hic fieri debuerit. In MSS. plerisque pro *magistratibus* legitur *magistratus*, ex quo Modius et alii fecerunt *magistratui*. Sed haec quidem emendatio nec necessaria est, nec illustrat obscuritatem loci. Mihi placet illud *magistratus*, sed cum praepositionis *in* adiectione, quam videtur absumsisse literam, quae proxime praecedentem claudit vocem. Lego: *Regibus potestatem bellorum, in magistratus iudicia per annuas successiones* etc. Intelligo autem per *iudicia in magistratus* potestatem eam, quam Graeci Ephoreiam vocant. De Ephoris enim agere hoc loco solis, neque aliis magistratibus, est certum, vel ex temporis significatione, quo huic muneri dicuntur praefuisse. Scheff. — *Magistratus* in unitatis numero Latinis non denotare collegium magistratuum, sed unum hominem, magistratum gerentem, supra docui. Verum viri doctissimi emendationem legentis, *in magistratus iudicia per annuas successiones*, probare nullo modo possum. Praetermitteretur enim, quod praetermitti nullo modo debebat, cui *dederit iudicia in magistratus:* cum de ceteris dixerit, regibus dedit potestatem bellorum, senatui dedit custodiam legum, populo dedit sublegendi senatum potestatem, quomodo dicere potuit *in magistratus iudicia per annuas successiones*, non addito, cui haec iudicia dederit. Non itaque movenda est codicum plerorumque scriptura: *magistratibus iudicia per annuas successiones.* nisi malis cum Iuntina, *magistratibus iudicia et annuas successiones.* Sed tamen vulgatam lectionem huic praefero. Per *magistratus* autem intelliguntur *Ephori*, qui, etsi non de omnibus negotiis, de potissimis tamen et maximi momenti rebus iudicabant. Graev. — Malim cum Graevio ex aliis editionibus *m. iudicia per annuas successiones*, nisi cum Iunt. aliaeque habeant, *m. i. et annuas successiones*, inde colligere velimus scribendum, *m. i. ex annua successione:* Wopkens.

Per annuas successiones. Hanc lectionem e vestigiis vetustorum codicum eruisse se dicit Acidalius ad Velleium II. 130. 8. Bongarsius edidit, *et annuos successores*, quod non convenit sequenti

verbo *permisit:* cum successores, ut fraenum immodicae potentiae, soleant imponi. Vide Sallust. Catil. VI. 10. Liv. III. 39. 9. et IV. 5. 8. et XXXIII. 32. 6. BERNEC. — Legendum, *annuos successores.* male enim ista mutavit ex Acidalio ad Velleium Berneccerus. Vult auctor magistratus tales fuisse, quibus annuos successores crearent: eoque sensu *annui magistratus* dicuntur Liv. III. 39. GRONOV. — Praepositio *per* in nullo codice MS. reperitur. Magl. Coll. N. ed. Bechar. Ven. Florent. Med. Paris. Ald. *et annuas successiones.* Reliqui MSS. cum ed. Rom. *et annuos successores.* Gualterus: *et annuas sanctiones.* ABR. GRONOV.

POPULO SUBLEGENDI SENATUM, VEL CREANDI QUOS VELLET etc. Ald. Iunt. *legendi.* Med. Bodl. sec. quint. Leid. *quos velit.* Saresberiensis: *populo sublegendi senatum potestatem dedit.* Gualterus: *populo eligendi senatum, vel creandi quos vellet magistratus, potestatem permisit.* MS. Coll. N. *populo vel legendi, vel creandi quos vellet magistratus, p. p.* ABR. GRONOV.

4. CONVIVARI OMNES PUBLICE IUSSIT. Unus ex MSS. nostris mordicus retinet, *convivarent omnes publice iussit;* unde fecero, si mei arbitrii res sit, *conviverent omnes publice iussit*, ut dixit Plautus Amph. *Misisti ad navem Sosiam, ut hodie tecum conviveret.* Porro quod subiungit, *ne cuius divitiae vel luxuria in occulto essent:* eadem de causa et veteres severioresque illi Romani non tantum in atriis coenabant apertis ianuis, sed etiam in illis opes omnes suas positas habebant, ut tradit egregie non vulgo vulgatus, sed membranaceus meus Servius ad illud Virgil. Aeneid. I.

*vocemque per ampla volutant*
*Atria.*

his verbis: *Tangit*, inquit, *morem Romanum. Nam, ut ait Cato, et in atrio et duobus ferculis epulabantur antiqui, unde ait Iuvenalis:*

*quis fercula septem*
*Secreto coenavit avus?*

*ibique etiam pecuniam habebant; unde qui honoratiores erant liminum custodes adhibebantur, ut*

*qui Dardanio Anchisae*
*Armiger ante fuit, fidusque ad limina custos.*

*et culina erat. Unde et atrium dictum, quia atrum fumo erat. Alii dicunt Atria Etruriae civitatem fuisse, quae domos amplas vestibulis habebat, quae cum Romani imitarentur atria appellaverunt. Alii atria magna et sedes capacissimas tradunt, unde Atria Licinia, et Atrium libertatis.* Hactenus qui penes me est manu exaratus Servius, ubi legendum putem, *qui servi honoratiores erant, liminum custodes adhibebantur.* addo etiam de meo, hos ab iisdem *atriis*, *atrienses* dictos, ut vel ex solo pluribus locis Plauto probari potest, quae ideo non adscribo, quia iam nunc hic nominis mei oblitus videri possim. MOD.

NE CUIUS DIVITIAE VEL LUXURIA. Idem spectantes *Romani ve-*

*teres imperarunt, ut patentibus ianuis pransitaretur et coenitaretur: ut sic, oculis civium testibus factis, luxuriae modus fieret.* Macrob. Saturnal. II. 13. princip. Vid. Val. Max. II. 5. 5. Contra Senec. Epist. 43. f. *vix quemquam invenies, qui possit aperto ostio vivere.* BERNEC. — Ed. Ven. *ne cuique div.* Flor. Ald. Iunt. *ne cui div.* Rom. *ne alicui div.* eademque et Coll. N. *luxuriae.* Gualterus: *convivare omnes publice iussit, ne cui divitias vel luxurias in o. e.* ABR. GRONOV.

5. TOTO ANNO PERMISIT. Coll. N. et veteres edd. praeterquam Romana, *permissum:* quomodo edidit Bongarsius. *Unam vestem* simplicem interpretatur Schefferus ad Aelianum lib. VII. Var. Hist. cap. 13. ABR. GRONOV.

VERTERETUR. Nobiliss. Sebisio subscribo, rescribenti *verteret,* absolute, ut Tacitus et optimi quique saepe. Sic infra XXXVI. 2. 16. BERNEC. — Sebisius coniecit legendum esse *verteret*, ut infra XXXVI. 2. 16. *convertit*, et similiter ab aliis scriptum reperitur. Verum nihil opus illo. Non quia interdum sic loquuntur auctores, idem perpetuum est putandum. Quoties dicunt *vertit*, aut *convertit*, pro *vertitur*, aut *convertitur*, subaudiendum omnino *se.* Certe Sosipater illud Virgilii, *Genibusque volutans Haerebat* explicat sic, *volutans*, *scilicet se.* At pro verbo activo et pronomine reciproco Latini saepissime passivum usurpant: ut *lavari* pro *lavare se; exerceri* pro *exercere se; parari* pro *parare se.* Quidni ergo et hic *verteretur* pro *verteret se* scriptum putaremus? VORST.

6. SED IN OPERE ET IN LABORIBUS. Angl. *sed inopia*, quod non contemnendum. Nam luxuriae rectius opponitur inopia, quam labor, et inopia, socia vitae rusticae. Vellem autem scribi, *sed et in inopia.* SCHEFF. — Anglici libri hic non sunt anteferendi vulgatis. *Opus* est labor rusticus, ut saepissime. quamvis sine pulmento viverent, non tamen in inopia vivebant. Primos, inquit, annos non in luxuria, ut Romae pueri in forum ducti, praetextam deponebant et puram induebant togam, sed in agris, in opere rustico et laboribus perpetuis transigebant. GRAEV. — Octo MSS. ed. Rom. Bech. Flor. Mediol. Paris. Ald. Iunt. *sed in opere et in laboribus.* Ita infra V. 4. 18. *Sic Alcibiades numquam mediocribus, nec in offensa nec in favore, studiis suorum exceptus est.* XXIV. 5. 14. ex MSS. et vett. edd. *ipse non in regis, sed in ducis nomen iurare milites compulit.* XXVI. 2. 2. *non in timorem, sed in furorem versi.* XXV. 4. 2. *neque illi maior ex imperio, quam ex bello voluptas erat.* Adde paterna ad Ciceronem lib. I. de Orat. cap. 18. et II. 12. et 61. ABR. GRONOV.

7. ET VITAM SINE PULMENTO DEGERE. Plinius lib. XVIII. cap. 8. *Pulte autem, non pane vixisse longo tempore Romanos manifestum, quoniam inde et pulmentaria hodieque dicuntur.* Haec ille. *Puls* cibus ex farina factus, a *pulte pulmentum*, id est, obsonium. Cicero lib. V. Tusculan. Quaest. *Cubile terra, pulmentum fames erat*

*Anacharsi philosopho.* Horatius lib. II. Serm. Sat. 2. *pulmentaria* pro quovis suavi cibo posuisse videtur, cum inquit:

*tu pulmentaria quaere sudando.*

Quomodo et hoc loco Iustinus *pulmento* usus apparet. GLAREAN. — *Sine pulmento.* Quod genus est ex delicatissimis obsoniis. Haec vox non a *pulte*, sed a *pulpa* deducenda est, ut sic *pulmentum* sit quasi *pulpamentum*. Plaut. Rud. IV. 2. 32. *Sed his rex cum aceto pransurus est et sale, sine bono pulpamento. Pulmentum* occurrit apud Terentium Eunuch. III. 1. *Lepus tute es, et pulpamentum quaeris.* de eo, qui in alio quaerit, quod ipse habet: lepores enim lumbis et clunibus suis pulpamentum de se praebent. Sic Plaut. Stich. V. 4. 31. *Nimis vellem aliquid pulpamenti.* Glossae Gr. Lat. *Σάρκωμα, pulpamentum.* Hinc etiam *pulpamen* in Epit. Liv. XLVIII. GRONOV.

DEGERE. Gualterus, *agere.* ABR. GRONOV.

STATUIT. VIRGINES SINE DOTE NUBERE IUSSIT. Saresberiensis: *statuit virginem sine dote nubere.* ABR. GRONOV.

8. SINE DOTE. Refert etiam Aelianus VI. Hist. Var. 6. At Aristoteles II. Polit. 9. Spartanos reprehendit, quod magnas dotes dent. Nimirum quia iam tum a legibus institutisque Lycurgi sui desciverant, ut iis exprobrat Plutarchus in Lysandro, Cleomene et Agide. BERNEC.

UT UXORES ELIGERENTUR, NON PECUNIAE. Med. sec. quint. Leid. Bodl. Periz. Coll. N. *legerentur:* ut supra II. 7. 4. *Legitur itaque Solon, qui velut novam civitatem legibus conderet.* ubi *eligitur* quaedam editiones praeferunt. Adde cap. seq. §. 5. XXII. 3. 1. et XLI. 5. 1. Ovidius lib. I. de Arte vs. 263.

*Hactenus, unde legas quod ames, ubi retia ponas,*
*Praecipit imparibus vecta Thalia modis.*

Livius lib. XXIV. cap. 28. *Hieronis auctoritatem sequendam in sociis legendis.* Seneca de Vita Beata cap. 8. *quoniam mala pro bonis legere dementia est.* Vide Avum ad Livium lib. XXXII. cap. 52. *Pecunia* quoque pro *pecuniae* dant Magl. Bodl. Periz. ed. Rom. Bech. Ven. Flor. Mediol. Paris. Ald. Iunt. et Saresberiensis. *ut uxores moribus eligerentur, non pecunia,* MS. Cantabr. Gualterus: *ut uxores non pecuniae causa eligerentur.* ABR. GRONOV. — *Legerentur,* quod hic praeferebat A. Gronovius ex quatuor MSS., etiam est in Dorv. 1. et 3. sed promiscuus horum verborum usus est apud Iustinum. Haud vero ineleganter codex Cantabr. *ut uxores moribus eligerentur, non pecunia.* Ita Solinus Polyh. cap. XVI. de Thracum moribus: *Virgines,* inquit, *non* moribus *nubunt, sed praemiis.* Similique ablativo Quinctil. Declam. CCCXXXII. *paupertas .. quoties ad amicitiam superioris accessit, adfert aliquid dubitationis, fide an* utilitatibus *amet.* Sallust. Iug. cap. XIV. 5. *Cum populo R. bello Carthaginiensi amicitiam instituit, quo tempore magis* fide *eius, quam* fortunâ *petenda erat.* Sic enim libenter legerem. Adde quae infra ad lib. IX. 8. 9. WOPKENS.

Matrimonia sua. Hoc est, uxores suas. Sic infra III. 5. 6. et XIV. 3. 7. et XVIII. 5. 5. et Impp. in Codice saepius. Ita *clientelae* pro clientibus, *servitia* pro servis, et id genus infinita. Bernec.

Dotis fraenis. Titinnius: *Viri enim* (ita legendum arbitrer) *dotibus deliniti, ultro etiam uxoribus ancillantur.* Plautus passim. Bongars. — Vide Senec. Controv. I. 6. Bernec.

9. Sed pro gradu aetatis senum esse voluit. Recte illud *pro gradu aetatis.* Nam, quod a foedissimo Satyrographo scriptum est, verum fuit Lacedaemone. Ibi enim qui vel uno anno vel mense etiam maior esset, illi honos et prohedria ab altero deferebatur. Faber.

Nec sane usquam terrarum etc. Romanis tamen mire habitam in honore aetatem seram, discimus vel ex Ovid. lib. V. Fastor. vs. 58.

*Magna fuit quondam capitis reverentia cani,*
*Inque suo pretio* etc.

Et Iuvenal. XIII. 53.

*Credebant hoc grande nefas et morte piandum,*
*Si iuvenis vetulo non assurrexerat* etc.

Et plura hisdem tribuit Agellius II. 15. Verum illis de aureo saeculo sermo, et innuunt, aevo suo virtutem eam minus cultam; sicut et isto nostro, contra praeceptum divinum Levit. XIX. 32. Bernec. — Saresberiensis: *nec sane usquam terrae.* Abr. Gronov.

10. Auctorem eorum Apoll. Delph. fingit. Val. Max. I. 2. Sed Plutarchus Lycurgo et Strabo lib. X. haec non ficta, sed acta referunt: et Herodotus I. 65. recitat versus Pythiae ad Lycurgum sciscitandi oraculi ergo adventantem. etsi idem adserat cum Pausania in Laconicis, quod nonnulli harum legum non Lycurgum, sed Minoëm auctorem, atque a Cretensibus eas ad Spartanos per Lycurgum translatas existiment. Bernec.

Metus religionis vincat. Med. Magl. sec. Leid. Coll. N. Periz. Bech. Mediol. Ald. Iunt. *evincat.* Rom. *evinceret.* Abr. Gronov.

11. Dein ut aeternitatem. Periz. ed. Bech. Ald. Iunt. et Saresberiensis: *deinde ut aet.* Abr. Gronov.

Aeternitatem legibus suis daret. Steterunt autem illae per annos fere octingentos, ut ex Livii locis aliquot discere est, XXXVIII. 34. 9. Mod. — Quingentos tantum refert Plutarch. in Lycurgo cap. 56. pr. Bernec.

Priusquam reverteretur. Saresberiensis: *antequam rev.* Abr. Gronov.

Mutandumque. Coll. N. *mutandumve:* quomodo scripsisse Iustinum suspicabatur Tollius ad Ausonium Idyll. X. vs. 9. Gualterus: *vel mutandum.* Abr. Gronov.

12. Proficiscitur autem Cretam. In Samo vita excessisse Lycurgum, auctor est Heraclides: *Λυκοῦργος ἐν Σάμῳ ἐτελεύτησε, καὶ τὴν Ὁμήρου ποίησιν παρὰ τῶν ἀπογόνων τοῦ Κρεωφύλου λα-*

βὼν, πρῶτος διεκόμισεν εἰς Πελοπόννησον. Scio quidem, auctores dissentire de loco mortis, et sepulturae Lycurgi: in Samo tamen obiisse, nemo dixit. Quin et sequentia reclamant, ubi dicitur, libros Homeri a posteritate Creophyli (male apud Plutarchum in Lycurgo legitur *Κλεοφύλου*) acceptos, primus in Peloponnesum deportasse. Omnino itaque scribe, *ἐν Σάμῳ ἐγένετο*, ut est in MS. Sami enim aliquamdiu egit. Vide Plutarchum. Voss. — Cf. Perizonium ad Ael. V. H. XIII. 23. Anonym.

Ibique perpetuum etc. De loco mortis ac sepulturae dissensum auctorum ostendit Plutarchus Lycurgo extremo. Bernec.

Proficiscitur autem Cretam, ibique perpetuum exilium egit. Nicolaus Damascenus in Excerptis Porphyrogen. pag. 448. de Lycurgo ait: *καταβὰς δὲ εἰς Κρίσαν* (*εἰς Κρίσσαν* Suidas voc. *Λυκούργῳ τῷ νομοθ.*) *ἑαυτὸν διεργάζεται*. Plutarchus in vita Lycurgi: *Τελευτῆσαι δὲ τὸν Λυκοῦργον οἱ μὲν ἐν Κίῤῥᾳ λέγουσιν· Ἀπολλόθεμις δὲ εἰς Ἦλιν κομισθέντα· Τίμαιος δὲ καὶ Ἀριστόξενος ἐν Κρήτῃ καταβιώσαντα, καὶ τάφον Ἀριστόξενος αὐτοῦ δείκνυσθαί φησιν ὑπὸ Κρητῶν τῆς Περγαμίας περὶ τὴν ξενικὴν ὁδόν.* Abr. Gronov.

Abiicique in mare ossa sua moriens iussit. Gualterus: *moriensque proiici ossa sua in mare iussit.* Abr. Gronov.

## CAP. IV.

1. His igitur moribus — convaluit. Bongarsius in quibusdam impressis reperit *coaluit*, idque in margine exhibet G. Maior, atque alteri praeferunt Freinshemius ad Prologum lib. III. et Crusius ad h. l. Verum vulgatum tuetur Berneccerus infra ad XVIII. 4. 1. Abr. Gronov.

Cum Messeniis propter stupratas. Strabo lib. VI. et VIII. Pausanias lib. III. et IV. Orosius I. 21. habet, *propter spretas virgines:* vitiose. Strabo enim *ὑπὲρ φθορᾶς τῶν παρθένων.* De hoc bello varie Servius P. Danielis in III. Aeneidos. Bongars. — Adde Lactantium I. 20. qui nonnihil variat. Bernec.

Messeniam expugnassent. Error est. Legi debet *Messenam*, vel *Messenen.* Nam Messenia est ager seu territorium Messeniorum, at Messena seu Messana, seu etiam Messene, est urbs ipsa territorii princeps, aut, si ita velis, metropolis. In MSS. est *Messenum*, quod, quanquam corruptum, veteris tamen scripturae vestigia retinet. Faber. — Plin. IV. Nat. Hist. 5. *Ibi regio Messenia duodeviginti montium, amnis Pamisus. Intus autem ipsa Messene.* Adde Pomp. Melam II. 3. et Stephanum de Urbibus. Scheff. — Ald. Iunt. *Messenen.* Abr. Gronov.

3. Contra praesumtionem suam. *Praesumtio* pro opinione, spe. Nazarius Paneg. XX. *Quanto igitur est amor fidelior accepti beneficii memoria, quam* praesumtione *futuri, quod* etc. Eumenius Grat. Act. cap. XI. *Exonerandi* praesumtio *dat patientiam sustinendi.* Sulp.

Severus V. Mart. cap. XXII. *Martinum diabolo repugnantem respondisse . . Si . . te factorum tuorum . . poeniteret, ego tibi vere confisus in domino, Christi misericordiam pollicerer. O quam sancta de Domini pietate* praesumtio, *in qua* etc. Vide quae ad lib. VI. 2. 11. Wopkens.

In obsidione. MS. *in obsidionem.* nec displicet. Vide quae notavi supra II. 13. Scheff.

4. Mulierum fecunditate suppleri. Seneca in Hippol. 469.

*Excidat agedum rebus humanis Venus,*
*Quae supplet ac restituit humanum genus.*

Gronov.

Sibi et belli damna assidua. MS. unus longe optimus, *sibi et belli damna insidua.* quod nisi a mala manu est, quid sibi velit, demiror equidem. maxime cum in uno etiam suo Cod. vet. repererit Bongarsius, *sibi et belli indamna assidua* etc. porro de Partheniis vide Servium ad illud ex Virgil. Aeneid. lib. III.

*Hinc sinus Herculei (si vera est fama) Tarenti*
*Cernitur.*

Mod. — MSS. plerique habent, *bellis.* Forte scripsit Noster, *et ex bellis damna assidua,* et per *bella* intellexit *praelia,* ut fecit locis aliis. Scheff.

7. Partheniae. Ita Vett. et Graeci, non *Parthenii,* ut vulgo. Vide praeter ceteros Eustathium in Dionys. Bongars. — Adde Servium in Virgil. III. Aeneid. ubi tamen inepte, *Partheniatas* hos dictos ait. Ὁ *παρθενίας* plane respondet nostrati, *ein Iungfraukind.* ἡ *παρθένος, virgo. Spurios* hos appellat auctor XX. 1. 15. Scalig. in Euseb. pag. 73. f. 1. Bernec. — Pro *Partheniae* vulgo legitur *Parthenii*; quae lectio iure damnari non potest; nam puer e puella natus, qui patrem appellare non possit, Homero Parthenios dicitur, alias Parthenias; quare utrumque probum est: (locus Homeri Iliad. XVI. 18. legitur.) Sed nunc aliud dicam, quod ad Iustinum ipsum, fateor, non pertinet quidem, sed ad Virgilium; imo ad Interpretes Virgilii, et qui vitam ipsius nobis reliquere. Sic scribit Sebastianus Corradus, ubi de Virgilii nomine agit: *Nos Antonio Thylesio praeceptori nostro potius assentimur; qui putabat a virginali modestia et verecundia, Virgilium dictum fuisse. Hanc eius sententiam eo libentius sequor, quod poëta (ut Ausonius, vitae scriptor, et Servius affirmant) ex moribus etiam Graece cognomen accepit; nam Parthenias est appellatus. Hinc in libris MSS. paene omnibus illa est inscriptio*: PUBLII PARTHENIATIS VIRGILII MARONIS LIBER. Haec Corradus; qui utinam nihil tale scripsisset. nam ipsum semper feci maximi, vel ob solam Ciceronis vitam, quae ab ipso conscripta est, et quae mihi ob iudicium et exquisitam quandam hominis diligentiam, tantopere placet. Sed in iis, quae ipse accepta ab aliis sua comprobavit assensione, bis profecto peccat. Primum, quia non viderit Parthenian apud Graecos nil esse aliud, si proprie loqui velis, quam spurium, seu filium puellae, quae virgo putaretur, cum non

esset tamen; quo in genere vel Mercurius ipse pater ingeniorum decipi possit. Itaque nomen est probrosum, Parthenias, quod Virgilius, si viveret, haud sane libenter acciperet. Alterum est, quod putaret Corradus *Parthenias* posse formare *Partheniatis* in casu patrio, quae res nescio qua possit ratione excusari; nam *Parthenias* itidem inflectitur ac *Lycias* et *Aeneas*. Sed unde igitur Virgilius dictus est *Parthenias*, et a quibus orta illa appellatio? Uno responso rem confecero. Grammaticastri, qui se doctos perhiberi studebant, illi non poterant nescire Virgilium libenter victitasse ad Neapolin, quam ipsemet Parthenopen vocat, in fine Georgicon:

*Illo Virgilium me tempore dulcis alebat*
*Parthenope, studiis florentem ignobilis otii.*

Inde Virgilium, ut se bellos homines facerent, et Graece scire viderentur, *Parthenian* vocavere; sed quod ipsi honoris causa faciebant, id, probri et ignominiae metu, poterant non dixisse; neque enim multum ad honorem Virgilii videtur pertinuisse, ut spurius et meretriculae proles diceretur, id est, ut interpretor, Parthenias. Faber. — Infra XX. 1. 6. vocantur *spurii*, quales revera et erant. Vorst. — Cum impressis antiquis etiam Dorv. 1. et 3. *Parthenii*. Wopkens.

8. Qui cum ad annos triginta pervenissent. Suspectus hic mihi numerus videtur. Ego *viginti* legendum puto. Nam iuvenes post decimum obsidionis annum Spartam missi fuerant, et Messeniam nono decimo tandem anno expugnatam scribit ex Ephoro Strabo lib. VI. ubi de Tarento. Glarean. — In Dorv. 3. alioque exstat *ad annum tricesimum:* sed alterum loquendi genus occurrit itidem lib. VIII. 6. *Cum igitur ad viginti* annos *pervenisset* etc. i. e. ad aetatem XX annorum. lib. XV. 2. *Qui fere* annos *quatuordecim excesserat.* Ita cum *triginta* habeat MS. Dorv. 3. lib. XII. 15. legendum videtur: *nam plerosque Aeacidarum intra triginta* annos *defunctos.* Quemadmodum et recte MSS. lib. III. 7. *Itaque intra quindecim annos rupto foedere* etc. Lactantius M. Pers. cap. L. *Ipsum . . agentem in* annis *octo et filiam . . exstinxit.* ubi vide Bunemann. Ruffinus H. Eccl. V. 24. LXV. annos *aetatis gerens in nomine domini.* lib. VI. 9. *Quique mecum positus, orationibus vestris centum iam et sedecim* annos *vitae suae gerit.* et lib. III. 7. *Qui supra decem et septem* annos *agebant aetatis.* Augustin. de C. Dei XV. 24. *Quum . . quadringentos octoginta vitae* annos *ageret.* lib. XVI. 10. *Centum vero et triginta et quatuor agebat* annos *Heber, cum* etc. Aur. Victor Epit. cap. XLIV. *Hic . . repente interiit,* annos *gerens proxime quadraginta.* Sedulius II. 141.

Sex *quasi* lustra *gerens, placidam* etc. Wopkens.

Nulli enim pater. *Ἀπάτορες,* et spurii filii. Infra lib. XX. Bongars.

Palantum. Graeci *Φάλαντον,* et Horat. lib. II. Od. 6. Eustathio *Φάλανθος.* De Tarentinorum origine vide etiam Pausaniam in Phocicis. Bongars. — Iuntae, *Phalantum.* ut Graeci, quibus *Pha-*

*lantus.* Et statim iidem cum omnibus MSS. *filium Arati* pro *Araci*. Graev. — Aliis *Palantus*, aliis *Phalantus* dicitur. In MS. *Phalanctus*, vitiose quidem, sed propius ad veram lectionem. Nam omnino scribendum est *Phalanthus* per octavam Graecorum literam Θ, ut et plus uno loco apud Pausaniam, auctorem in hoc genere, cui tuto credi possit. At qui ab aliis *Aracus* dicitur, is ab aliis *Aratus*. Illud prius magis placet. Faber. — Quoniam Graeci *Φάλαντος* scribunt, et Iuntárum editio, ut Graevius testatur, manifeste ita habet, ita omnino et rescribendum putavimus. Deinde quia MSS. omnes, ut Bongarsius testatur, habent *Arati*, nec aliter vetus editio Iuntina, illud item hic resumpsimus. Vorst. — *Phalantum* recte Vorstius ex Iunt. Graevio suasore, item *Arati*. Scheff.

Phalantum filium Arati. Ita praeter Iuntinam etiam Flor. Ald. Abr. Gronov.

Ad generandam subolem. Ald. Iunt. *ad generandam servandamque sobolem.* Abr. Gronov.

9. Sicuti dudum patrem eius nascendi auctorem habuissent etc. Ovidius Fast. IV. 25.

*Utque fero Marti primam dedit ordine sortem,*
*Quod tibi* nascendi *proxima* causa *fuit* etc.

ubi non erat, quod Heinsius ex vett. mallet *nascenti.* Amat enim gerundium illud pro nomine *nativitas*, *origo*, poni. Arnobius c. Gentes II. pag. 79. *Quia eadem ex elementis ipsis causa est illis atque origo* nascendi. Cicero Catilin. Or. III. cap. 1. *Quod salutis certa laetitia est*, nascendi *incerta conditio.* Tacitus de Mor. Germ. cap. 31. *Seque tum demum pretia* nascendi *retulisse*, *dignosque patria ac parentibus ferunt.* Propertius II. 2. 33.

*Num tibi* nascendi *primis*, *mea vita*, *diebus*,
*Aureus argutum sternuit omen amor?*

Ita enim malim, quam *nascenti.* Nec facile cum Bentleio in his Manilii I. 55.

Nascendi *quae cuique dies*, *quae vita fuisset.*

substituerim *nascenti.* Wopkens.

10. E quarum adulterio. Praepositionem ignorant Med. sec. quint. Leid. Periz. ed. Bech. Ald. Iunt. Abr. Gronov.

11. Sedes ibi constituunt. Angl. *sedes sibi constituunt.* Probo. Scheff. — Quod in MS. Anglo probat Schefferus *sedes sibi constituunt*, etiamsi etiam vetere ed. et Dorv. 1. et 3. firmatur, non tamen aeque mihi placet. Lib. XVIII. 5. *Confluentibus deinde vicinis locorum* . . . sedesque ibi statuentibus, *ex frequentia* etc. Aur. Victor Or. Gentis R. cap. VII. *Traditur* . . *in ea loca venisse*, *et* . . *aliquamdiu* sedem ibi constituisse. Et sic solet alibi dativus ille omitti, ut lib. VII. 1. 8. lib. XLIV. 3. 3. Wopkens.

12. In exilium proturbatus. Antiquiores editiones *perturbatus.* Et dicunt sane *perturbare* pro *proturbare.* Valerius Max. I. 8. ext. 8. *Inventurum equum*, *sed ut eo perturbatus periret.* Caesar VII. de Bell. Gall. *De vallo perturbare.* Auctor ad Herenn. IV.

*Praecipitem perturbare ex ea civitate.* Vide et Gifanii Obss. L. L. VORST. — Nollem Vorstio probatum fuisse, quod in quibusdam solenni permutatione legitur *perturbatus*, quasi *perturbare* pro *proturbare* aliquando dixissent Latini, quod optimo iure negarunt interpretes Val. Maximi I. 8. 8. et Caesar. Gall. II. 19. WOPKENS.

13. HIC. Rectius MS. Bongars. *his*. GRONOV. — Avus malebat *his*, ex MS. Bong. cui suffragatur ed. Rom. *Is* Magl. Paris. ed. Bech. Ven. Flor. Med. Paris. Ald. Iunt. ABR. GRONOV.

16. HOC FACTO PROMISERAT. Angl. una voce auctius *promiserat Deus*. Sed glossatoris est; praecedit proxime de oraculo, quo verbum hoc referendum. SCHEFF.

17. FUNDATA. Liv. III. 60. *Rebus urbanis compositis, fundatoque plebis statu.* GRONOV.

# CAP. V.

2. DEINDE CUM PER ANNOS OCTOGINTA GRAVIA SERVITUTIS VERBERA. Ita hic locus distinguendus est: *Deinde cum per annos* LXXX *gravia servitutis, verbera plerumque et vincula, caeteraque captivitatis mala, perpessi essent* etc. VOSS. — Vossius distinguendum censet sic, *gravia servitutis, verbera plerumque et vincula, ceteraque captiv. mala.* Id quod nobis quoque fit verisimile. Infra XI. 3. 7. similiter fere *gravissima quaeque supplicia miserrimae captivitatis.* VORST. — Pausanias in Messeniacis Messenicum bellum secundum anno XXXIX. post primum fuisse motum tradit. Sed a Iustino stat Euseb. in Chronicis. quod confirmat Tyrtaei aetas, ut observat magnus Valesius ad excerpta Diodori Siculi. Ipse enim Tyrtaeus cecinit se tertia γενεᾷ, seu aetate, post primum bellum ab Atheniensibus missum esse ad Lacedaemonios. γενεὰ vero erat triginta annorum, ut tres γενεαὶ sint nonaginta anni. GRAEV.

PLERUMQUE. Sebisius, nec male, *plerique.* BERNEC.

CAPTIVITATIS. Ita MS. et quaedam Editt. et sic rursus auctor infra XI. 3. 7. Bongars. edidit *captae civitatis.* BERNEC.

POENARUM. Hae sunt calamitates, quas victi a victoribus patiuntur, eaque notione hanc vocem usurpat Seneca in Hippol. 439.

*Me cura solicitat tui,*
*Quod te ipse poenis gravibus infestus domas.* GRONOV.

BELLUM RESTAURANT. Vide supra ad II. 10. 1. ABR. GRONOV.

3. CONSPIRATIUS AD ARMA CONCURRUNT. MS. Leidensis *concinitius.* Viderint eruditi an non ab auctoris manu sit, *concitatius.* Certe hoc placet prae illo *conspiratius.* BOXH. — Boxhorn. pro *conspiratius* legendum censet *concitatius:* Sebisius autem *confirmatius.* Nobis nihil mutandum videtur. VORST. — Cf. Praefatt. pag. 36. FR.

QUO ADVERSUS etc. Val. Acidalius ad Vell. II. 130. 8. emendat, *quod adversus*, nisi forsan hic altera vox deest, quae ex opposito respondeat τῷ *conspiratius*, pro quo Sebisius mallet *confirmatius.* BERNEC. — Pro *quo* cum Acidalio legendum puto *quod.* Pla-

cet item quod in uno MS. reperit Bongarsius *dimicandum videbatur*. Est autem *dimicaturi videbantur* et *dimicandum videbatur*, pro *dimicaturi erant* et *dimicandum erat*. *Videri* pro *esse* non rarum, ut Graecorum δοκεῖν pro εἶναι. VORST. — Recte vidit Acidalius et Vorstius, scribendum esse, *quod adversus servos*. et sic Iuntina: legitur in eadem editione paullo ante, *tanto conspirantius* pro *conspiratius*. male. GRAEV. — Certatim emendant *quod adversus* etc. cum ed. Iuntina, annuente etiam Dorv. 2. et Franeq. a manu prima. Atque ita in particulam *quod* consentiunt, quantum constat, MSS. lib. IX. 2. 6. lib. XVI. 1. 3. et lib. XXXIX. 4. 1. *Quo* autem Franeq. habet lib. I. 9. *Quae res eo occultior fuit*, *quod apud Persas persona regis . . occulitur*. et Dorv. 2. lib. XXIV. 3. extr. *eo miserior*, quod *mori cum filiis ei non licuit*. Et quemadmodum illa *quam quo* et *non quo* pro quam quia, non quia, passim obvia sunt; sic nihil obstat, quo minus credamus, promiscui quoque usus fuisse apud Latinos dictiones *eo quo* et *eo quod*. Quamobrem merito retinent viri docti hanc scripturam Livii I. 25. *Eo maiore cum gaudio*, quo *prope metum res fuerat*. Valer. Maximi Praefat. *mea parvitas eo iustius ad favorem tuum decurrerit*, quo *cetera divinitas opinione colligitur*, *tua* etc. Cicer. pro Quintio cap. II. *Non eo dico*, *C. Aquilli*, quo *mihi veniat in dubium tua fides et constantia*, *aut* quo *non in his . . spem summam habere P. Quintius debeat*. Sic Hegesipp. I. 36. *Quae gratior eo debuerat esse*, quo *fuerat felix marito*. Paulinus Epist. XVIII. 1. *Quem . . eo venerabilius amabiliusque suscepimus*, quo *de sanctitatis tuae clero esse cognovimus*. Aur. Victor Caes. cap. XX. 20. *Quae factu ardua facilius eo patrabantur*, quo *implacabilis delictis strenuum quemque praemiis extollebat*. ubi frustra Schottus *implacabilior* legendum coniicit. Et vehementer dubito, an merito respuatur illa omnium ferme MSS. lectio Lactantii VI. 4. *Eo quidem promtius*, quo *nobis . . praemia aeterna constituit*. et cap. 18. *Ut . . eo bonum sit*, quo *gratuitum fuerit*. Similis etiam usus particulae *quanto*, pro quod vel quia, uti observamus in locum istum Taciti Ann. III. 5. *Sed tanto plura decora mox tribus par esse*, quanto *prima fors negavisset*. ubi *quanto* rescribebat immerito Muretus. WOPKENS. — Ed. Ald. Iunt. *conspirantius*. *Quod* pro *quo* legit Acidalius ex coniectura, quam firmant eaedem edd. cum MS. Med. tert. quint. Leid. Coll. N. Ita infra IX. 2. 6. *Quod eo promtius eos facere debere*, *quod missis a se in auxilium eius militibus* etc. et XXXIX. 4. 1. *abductaque ei Selene uxore eo indignius*, *quod ex Selene iam duos filios habebat*. Med. sec. quint. Leid. et MS. Bong. *dimicandum videbatur:* quod vulgato praefert Vorstius. ABR. GRONOV.

4. ORACULO DELPHIS. Praeter Strabonem lib. VIII. lege Pausaniam lib. IV. BONGARS.

5. TYRTAEUM POETAM CLAUDUM PEDE. MSS. plerique habent *claudo*, quod fortasse reiici non debuit. Horat. III. Od. 2.

*Raro antecedentem scelestum*
*Deseruit pede poena claudo.*

Scheff. — Cave cum Cortio (ad Sallust. Iug. cap. LXV. 3.) ex nonnullis MSS. legas *claudo*. Lib. VI. 2. *Erat enim* claudus pede: *ad postremum statuerunt melius esse, incessu regem, quam imperio regnum claudicare.* Wopkens.

6. Fusos. Sic omnino ex MS. rescribendum [pro vulg. *fusus*.] Iam enim, antequam Tyrtaeus adveniret, fugati erant. Gronov. — Med. Bodl. sec. quint. Leid. *fusos*, probante Avo. Orosius lib. I. cap. 21. *qui* (Lacedaemonii) *tribus conflictibus fusi, amissum exercitum vocata in libertatem servorum manu, suppleverunt.* Abr. Gronov.

Ut ad supplementum exercitus. Bodl. et Dorv. 3. *Ut in supplementum e. s. s. m.* ut lib. VIII. 6. *Quosdam bello captos in supplementa urbium dividit.* ubi vide nostram notam. Sed recte etiam adhibetur praep. *ad*. ut Livii XXIII. 41. *Cum militibus* ad supplementum *Carthagine missis*. Wopkens. — Bodl. Perix. *in supplementum*. Abr. Gronov.

Servos suos manumitterent. Apud Thucyd. tamen V. 7. 12. Spartani servis demum e bello reversis libertatem donarunt. Quod et Romani fecere. Liv. XXIV. 16. 8. Bernec.

7. Sed et dignitati succederent. Eodem modo *succedere caritati* dixit Liv. XXIV. 5. Hos vero servos, quibus illa pollicebantur, ἐπευνάκτους vocarunt, quod lectis dominorum successerant, teste Athenaeo VI. 20. Deipn. pag. 271. Gronov. — Iunt. *sed etiam d. s.* Ald. operarum errore, *sed etiam dignati s.* Abr. Gronov.

8. Maiora detrimenta civitati infligerent. *Infligerent* scripsit Berneccerus auctoritate unius Cod. MS. quem vidit Bongarsius. Alii omnes *infunderent:* quod idem in antiquioribus quoque typis expressis est. Ego non dubito quin auctor scripserit *iniungerent*. *Detrimenta iniungere* cum minus notum esset librariis, scripserunt pro eo *infunderent:* quomodo et infra XLII. 5. 10. pro *iniunxit* scripserunt *incussit*. Brutus in Ep. ad Cic. quae est decima tertia lib. XI. *Ne quid detrimenti reip. iniungant.* Cuius generis multa et in Livio aliisque reperiuntur. Vorst. — MSS. omnes fere habent, *infunderent*. Idem servant editiones veteres. Ex quo Vorstius se non dubitare ait, quin auctor scripserit *iniungerent*, cum et Cicero sic loquatur, sive Brutus ad Cic. XI. Ep. 13. Ego vero illud *infunderent* non repudiem vel propter ipsum illum librorum consensum, cum praesertim Cicero *infundere vitia in civitatem* dixerit ratione haud dissimili. Verba extant lib. III. de LL. *Non solum vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in civitatem.* Nec abit multum *infundere agmen urbi*, quod est apud Florum III. 21. ubi de Sylla: *Collinaque porta geminum agmen urbi infudit.* Scheff. — Iuntina stat pro vulgato *infligerent*. *Infundere detrimentum civitati* nemo dixerit. Verissimam duco et ingeniosissimam emendationem Vorstii. Ignotior significatio vocis *iniungere* huic loco interpolatrices manus admovit. Graev. — Ed. Rom. *inferrent*. Med. Reg. pr. tert. quart.

Leid. Perix. Coll. C. C. ed. Bochar. Ven. Flor. Med. Paris. *infunderent*. Ita Ammianus lib. XIV., init. *Fortunae saevientes procellae tempestates alias rebus infudere communibus*. Abr. Gronov.

9. Ni intervenisset Tyrtaeus, qui etc. MS. Franeq. aliusque *cui interveniens Tyrtaeus, composita carmina* etc. Unde coniiceres *cum interveniens Tyrtaeus c. c.* etc. Sed elegans vulgata lectio est, et *ni intervenisset Tyrtaeus*, hoc est, sed intervenit Tyrt. quemadmodum vice versa *sed evasit*, pro nisi evasisset, dixit Flor. IV. 2. 20. *Et peractum erat bellum sine sanguine, si Pompeium Brundusii opprimere potuisset: et receperat; sed ille per obsessi portus nocturna fuga* evasit. Tacitus Ann. lib. I. 68. *Trudebanturque in paludem . . ni Caesar productas legiones instruxisset*. et lib. XVI. 82. *Simul in amplexus occurrentis filiae ruebat*; nisi *interiecti lictores utrisque obstitissent*. i. e. sed obstiterunt, adeoque pro lubitu hoc facere non potuit. Idem Hist. III. 46. *Iamque castra legionum exscindere parabat*; ni *Mucius sextam legionem opposuisset*. lib. IV. 36. *Eadem in Voculam parabantur*; nisi *servili habitu per tenebras ignoratus evasisset*. Sallust. Iug. cap. 31. initio: *Multa me dehortantur a verbis, Quirites*, ni *studium reip. omnia superaret*. Sic enim illic rescribendum. et cap. 53. *Et paene imprudentia admissum facinus miserabile*; ni *utrinque praemissi equites rem explorassent*. ubi subaudiendum *est* post *admissum*, non vero *esset* aut *foret* cum quibusdam MSS. immittendum. Suetonius in Caes. cap. 52. *Et . . paene Aethiopia tenus Aegyptum penetravit*, nisi *exercitus sequi recusasset*. In Galba cap. X. *Transeuntem paene interemerunt*, nisi *cohortantibus invicem . . expressa cruciatu confessio esset*. cum nota Causauboni. Livius lib. II. 10. *Pons sublicius iter paene hostibus dedit*, ni *unus vir fuisset*, *H. Cocles*. lib. IV. 52. *Iam fames, quam pestilentia, tristior erat*: ni *dimissis . . legatis . . annonae foret subventum*. Sic forsitan non opus est, cum Gron. tentare *concurrissent*, pro *concursum ab illis*, in his eiusdem lib. XLIV. 4. *Irritatis in posteram diem animis, maioribus copiis atque infestius concursum ab illis*; si *loci satis ad explicandam aciem fuisset*. i. e. sed loci satis non erat ad e. a. Wopkens.

Tyrtaeus, qui composita carmina etc. Horatius in Arte:

*Tyrtaeusque mares animos in Martia bella*
*Versibus exacuit.*

Huius partim meminere, partim versuum fragmenta proferunt, Plato non semel libris de Legibus: Pausanias Messenicis: Strabo lib. VI. Plutarchus in Lycurgo: Quintilianus X. 1. Polyaenus Strateg. lib. I. Stobaeus in Eclogis: Lycurgus rhetor Orat. contra Leocratem: Max. Tyrius Dissert. XXI. Suidas Laconem eum aut Milesium fuisse scribit: Noster Atheniensem, beneficio forte, non origine. Nam et postea Lacedaemone quoque factum civem Plato tradit. Corrigendus hoc loco Sex. Ampelius: *tertiusque* Messenio bello, ex oraculo Apollinis, dux ab Atheniensibus per ludibrium missus, *poenateas vota* militum animos concitavit, ut tam diuturnum proelium victoria con-

summarent. lege *Tyrtaeusque*, et mox *poëmate noto*, aut tale quid, at certe *poëmate*. Bernec.

Pro concione. Sic et Ciceroni dictum *pro rostris*, quod aliis *in rostris*. Eidem III. Ep. Fam. 8. *pro tribunali agere*. Gronov.

Conscripserat. Med. *perscripserat:* quod verbum adhibuit auctor II. 10. 13. XXI. 6. 6. Abr. Gronov.

10. Tesseras insculptis suis et patrum nominibus. Fuerunt tabellae ligneae; quas Polyaenus, I. 17. eadem de re agens σκυταλίδας vocat. Hesychius in Χαλκοῦν, sed de alio agens: πινάκιον πύξινον ἐπιγεγραμμένον τὸ ὄνομα τοῦ αὐτοῦ καὶ πατρός. Nomina patrum simul insculpere necesse habuerunt, quia cognominibus carebant; neque aliter agnosci potuissent. Vorst.

12. Curant rem hostibus nuntiari. Nostri quatuor cum aliis *nuntiare*, et usitatior phrasis est *curo facere hoc*, quam *curo hoc* vel *hanc rem fieri*. Sed quoniam reges non ipsi nuntii huius rei erant, praestat vulgata lectio. Atque ita supra cap. 4. *Ut ossa sua* . . spargi *in foro Tarentinorum* curent. i. e. spargenda. Lib. IX. 7. parentarique *eidem quotannis* . . curavit. i. e. utque parentaretur. Lib. XI. 2. *Aemulum quoque imperii* . . interfici curavit. Lib. XXXVIII. 8. *Corpusque* . . *matri in die natali eius inter epulas* offerri curat. Singularis etiam illa ratio Cic. pro domo cap. 3. *Hunc* . . *tu civem ferro et armis* . . *domo et patria cedere* curasti. Verum illic omnino cum Hottomanno legerim *coëgisti*, quamvis renitatur Burmannus ad Rutil. Itin. I. 429. Wopkens.

14. Ut raro unquam cruentius proelium fuerit. Sic aliquando iunguntur voculae *raro* et *unquam*. Orosius lib. V. 4. *quae* raro unquam *nisi sceleribus terminantur*. Aurel. Victor Epit. cap. 14. *Ut elegantius* unquam raro *quidquam humanae res expertae videantur*. ibique consulatur I. Arntzenius, vir Eruditissimus. Wopkens.

## CAP. VI.

1. Tertium quoque bellum. De quo praeter ceteros ad III. 4. 1. iam citatos, Diodorus XI. 64. et XV. 66. Bongars.

3. A bello eosdem dimiserunt. In MS. legitur, *bello eodem dimiserunt*. quod videtur vulgato praeferendum, quia dicitur maiori emphasi et convenientiori memorandis. quasi diceret, ab eo ipso bello, ad quod paulo ante evocaverant. Id quod auget iniuriam, quia poterant non evocasse. At languet illud, si *eosdem* legas. Scheff. — Nugatur hic Schefferus, dum *eodem* cum quibusdam MSS. mavult quam *eosdem*. Wopkens. — Ed. Bechar. *supervacuos eos simulantes a bello eodem dim.* Rom. Ald. Iunt. *supervacaneos eos simulantes, a bello* (Rom. *ab eodem bello*) *dimiserunt*. Abr. Gronov.

4. Athenienses. Inter quos erat Cimon Miltiadis filius. Pausanias in Messeniacis et Thucyd. lib. I. Scheff.

A Delo. Id enim commune Graeciae aerarium esse voluerunt. Probus in Aristide. Thucydides I. 16. 8. Bongars. — Solitos au-

tem veteres in fanis publicas privatasque pecunias suas deponere patet etiam ex Cicerone lib. II. de Legibus 16. et Plauto Bacchid. II. 3. 72. et 78. Vide Brodaei Miscell. IV. 17. et Corn. Nep. in Hannibale. Bernec.

5. Peloponnenses. Bellum Peloponnesiacum octo libris a Thucydide comprehensum: de quo et Plutarchus in Pericle et Diodorus lib. XII. Bongars.

Qui bellum Atheniensibus facerent. Similiter Gellius lib. VII. cap. 3. pag. 378. *bellumque eo illis faciendum censerent.* et pag. 384. *quod bellum populo Romano facere voluissent.* lib. XVII. cap. 21. pag. 796. *bellum populo Romano facturus.* Macrobius lib. I. Saturn. cap. 2. init. *quas* (copias) *bellum populo Romano facturas comparaverat.* Saxo lib. XIV. pag. 280. 48. *bellum Sclavis facturus.* Abr. Gronov.

6. Parvae tunc. Hunc locum male accepit Orosius lib. I. fin. *Athenienses autem*, inquit, *missa in Aegyptum parva classe.* Auctor noster non *parvam classem*, sed *parvas vires* dicit Atheniensibus fuisse, missa classe ducentarum navium in Aegyptum. Thucyd. I. 18. 16. Bongars. — In auxilium Aegyptiorum, qui mortuo Xerxe a Persis defecerant, regemque sibi Inarum constituerant, ingentem classem Athenienses tunc miserant, ut ex Diodori Sic. XI. 71. apparet. Vorst. — In MSS. plerisque pro *erant* legitur *addiderant.* Vix est dubium mihi, quin divisim scripserit Iustinus, *vires Atheniensium ad id erant*, et intellexerit de bello. Vires erant parvae ad id bellum sustinendum. Optime. Scheff.

7. Classis. Sebisius, *classe.* Bernec. — Melius cum Sebisio legas *aucti et classe et m. r.* quod etiam aliquo modo firmant verba Orosii I. 21. *Dehinc recepta classe, aucti etiam militum robore, victores in praelium vocant.* Wopkens.

10. Cum Thebanis paciscuntur, ut Boeotiorum imperium etc. Sebisius hunc locum ita censet restituendum: *ut Boeotiorum imperium hi restituerent, quod temporibus Persisi belli amiserant: illi Atheniensium* etc. Bernec. — Id est, paciscuntur atque promittunt, imperium in Boeotios se Thebanis restituturos. Atque ita emendatione Sebisii, quam Berneceerus refert, nihil est opus. Sic infra V. 3. 3. *Sperans ut dux belli ab omnibus legeretur.* pro *se ducem belli lectum iri.* Et IX. 2. 12. *Pollicetur ut ponatur.* pro *positum iri.* Et XI. 3. 11. *Obstrinxerant se iureiurando, ut Thebas diruerent.* pro *se Thebas diruturos.* Et XXI. 3. 2. *Voverant, ut virgines suas prostituerent.* pro *se prostituturos.* Vorst. — Elegantius, evitata coniunctionis *ut* repetitione, cum Orosio I. 21. legas . . *amiserant, si illi Atheniensium b. s.* Quamquam alibi repeti particula haec solet, ut lib. XXII. 5. 12. videmus. Wopkens.

12. Duos duces deligunt, Periclem . . . et Sophoclem. *Deligunt* etiam exhibent duo MSS. Orosii lib. I. cap. 21. et ed. Veneta pro vulg. *delegerunt.* Pr. Leid. *Pariden* et *Sophoclen.* Med. Thuan. sec. quart. quint. Leid. *Periclen* et *Sophoclen*, Graeco sono; quem

meliores MSS. in similibus nominibus propriis servant: ut supra I. 4. 1. *Astyagen*. et 6. 2. *Sybaren*. III. 1. 3. V. 8. 13. et 11. 7. *Artaxerxen*. IV. 4. 11. *Demosthenen*. V. 1. 7. et VI. 1. 2. *Tisaphernen*. VI. 3. 2. *Iphicraten*. XIV. 3. 11. *Eumenen*. XV. 3. 6. *Callisthenen*. XVI. 4. 8. *Mithridaten*. ABR. GRONOV.

PERICLEM etc. ET SOPHOCLEM. Meminit M. Cicero de Officiis I. 40. qui *praetores* vocat *στρατηγούς*. BONGARS.

## CAP. VII.

1. IN ANNOS TRIGINTA. Pausanias Eliacis prioribus. Vide et supra notas. BONGARS. — Thucyd. I. 19. 5. et II. 1. 2. BERNEC.

2. ITAQUE QUINTO DECIMO ANNO. Mira hic scriptorum codicum varietas. Aliqui *extra duodecim annos*, alii, quos secuti sunt impressi quidam, *intra* vel *inter quindecim annos*. Causa sine dubio, quia numerus signatus fuit litteris, nec expressus integris vocabulis. Hinc alii *anno*, alii *annos* fecere, prout eas litteras numerales explicabant. Ego suspicor, scripsisse Iustinum, *itaque intra quintum decimum annum rupto foedere*. eleganter, quasi diceret, non passi sunt quindecim annos, et sic tempus dimidium induciarum praeterire. SCHEFF. — Hanc emendationem valde probo et laudo, a qua non longe abit Iuntina, in qua scribitur: *itaque intra* XV. *annos*. GRAEV. — Recte cum Iunt. edit. Dorv. 1. 3. aliique MSS. *Itaque intra quindecim annos*; nihilque necesse est, cum viris doctis rescribere, *intra quintum decimum annum*, ut ex dictis ad cap. IV. 8. constat. WOPKENS. — Med. Bodl. sec. quint. Leid. ed. Ald. Iunt. *itaque intra quindecim annos*. Periz. *itaque infra* XV *annos*. Coll. N. *itaque intra duodecim annos*. ed. Bechar. *i. inter quind. a.* ABR. GRONOV.

4. CONSILIO PERICLIS. MS. et hic et paulo post *Pericli*, ut superius *Candauli*, apud C. Nep. *Neocli*. et infinita talia, quae pridem docti viri collegerunt. GRAEV. — Unus Cod. MS. quem Bongarsius vidit, et hic et paulo post habet *Pericli*. Quod geminum esset ei quod supra I. 7. legitur *fortunae Candauli*, *caedes Candauli*. VORST. — Med. sec. quint. Leid. MS. Bongars. *Pericli*, et paullo post iidem Leid. et MS. Bong. *Haec Pericli expeditio*. eadem genitivi terminatione, qua utitur Cicero lib. II. de Orat. cap. 22. *Pericli succum*. et Cornelius Nepos Alcib. cap. 2. ex MSS. *educatus est in domo Pericli*. Supra I. 10. 6. *Darius Hystaspi filius*. Ita Bodl. *Hychaspi* ed. Rom. *Hyptasi* Bongars. *Hyptapsi*, *Hiptaspi*, *Hisptasi*, *Hytaspi*, reliqui MSS. Eodem modo apud Cornelium Nepotem de Reg. cap. 1. in MSS. legitur, *Darius Ystapsi*, vel *Ystaspi*, *filius*. Infra XXII. 7. 7. sec. Med. *in exercitu Agathocli*. Virgilius lib. VI. Aeneid. vs. 838.

*genus armipotentis Achilli.*

Cicero lib. I. de Orat. cap. 19. *ex orationibus Demostheni*. Ita MS. Pithoei. Gellius lib. VII. cap. 5. *Oresti ossa*. et cap. 16. *versus Euripidi*. Vetus interpres lib. III. Regum IV. 3. *sicut scriptum est in*

*lege Moysi.* et Euang. secundum D. Ioannem VII. 23. *ut non solvatur lex Moysi.* Vide Priscianum lib. VI. pag. 706. ed. Hanov. et Avum Observ. in Script. Eccles. cap. II. atque Vorstium h. l. Abr. Gronov.

Ducis. Sebis. *ducti.* Ego prorsus expungerem ut irreptitiam glossam. Freinshemio vulgata placet. Bernec.

Supervacuam pugnam existimantes. In MS. legitur, *aestimantes,* pro *existimantes,* quod fortasse non debebat contemni, quoniam hoc sensu verbo *aestimare* utuntur optimi etiam et Latinissimi scriptores. Phaedrus noster III. 8.

*Ridicule magis hoc dictum quam vere aestimo.*

Quo loco vide, quae a me prolixius annotata sunt de hoc verbo. vid. inf. X. 2. Scheff. — Schefferus legit *aestimantes* e MS. Bong. cui accedunt Med. quint. Leid. *extimantes* sec. Leid. Abr. Gronov.

5. Totam Spartam. Urbem ipsam? Vix credi queat. Optime, si quid video, Sebis. emendat, *oram Spartanam:* nec aliud habet Thucydides II. 7. 1. Simili strategemate Nero Cos. Annibalem, et Agathocles Poenos Syracusas obsidentes elusit. Liv. XXVII. 45. et XXVIII. 43. 16. Noster XXII. 4. etc. Bernec. — *Sparta* hic intelligenda est regio Spartam circumiacens, ut XII. 2. *Troia,* pro agro Troiano. Haec ratio loquendi etiam elegantissimis placuit, inter quos Homer. Iliad. II. 711. ipso Eustathio indice: *Φεραὶ πόλις Πελοποννησίων ἔτι. δὲ καὶ χώρα.* et Schol. ad Pindari Olymp. III. pag. 75. *Τὴν ὅλην Ἀττικὴν Ἀθήνας εἶπεν.* Strab. VIII. pag. 358. *ἐκαλεῖτο καὶ ἡ χώρα Μεσσήνη.* Gronov. — Memini me alicubi legere *Lacedaemonem* pro territorio, seu agro Laconico, *Spartam* autem non memini. Itaque qui cum sensu et iudicio legunt, hoc notare poterunt. Certum enim est Spartam a Iustino hic pro Laconia usurpatam esse. Faber. — Periz. ad Ael. XIII. 42. 7. Anonym.

6. In comparatione damnorum. Flor. II. 15. initio: *Tertium cum Africa bellum* . . in comparatione *priorum minimum labore.* Lactantius VII. 15. *Nostra haec tempora* . . in *illius mali* comparatione *felicia.* Utrobique alia exempla suppeditant interpretes. Wopkens.

Pluris fuerit ultio quam iniuria. *Pluris esse,* pro plus efficere, plus praestare. Nepos XV. 10. 4. *Unum hominem pluris quam civitatem fuisse.* Plaut. Truc. II. 6. 8. *Pluris est oculatus testis unus quam auriti decem.* Vorst.

8. Huius agros in populatione etc. Idem Fabio Maximo cum Annibal ad urbem esset, accidit (Plutarch. in Fabio) et Civili, Tacit. V. Histor. 23. qui *notam artem ducum* vocat. Bongars. — Adde et Liv. II. 39. et XXII. 23. Polyaenum lib. II. et IV. Frontin. I. Strat. 8. Thucyd. II. 4. 1. Leonis Tactica cap. 20. 22. Bernec.

Sperantes acquirere se illi posse. Non ideo agros Periclis intactos reliquisse Archidamum, ut eum suspectum redderet Atheniensibus, sed quoniam ei amicissimus erat, inquit Polyaenus. Voss.

10. Ibi maximam gloriam invenit. Non tam recte audire vi-

detur, *alicubi* vel *in aliqua re invenire gloriam*, quam *alicunde*, *ex aliqua re*. Sallust. Iug. cap. XCIV. *Sic forte correcta Marii temeritas*, *gloriam* ex *culpa* invenit. Hinc libentius legerim, *atque ita unde periculum quaesitum fuerat illi* (vel *ipsi*), *maximam g. i.* id est, ex qua re periculum illi acquirere nitebantur hostes. Confer tamen vulgatam scripturam cum formula ista Livii XLV. 35. *Ne speraret* ibi *fructum gratiae*, ubi *non meruisset*. WOPKENS.

11. NAVALI PRAELIO. Ad Naupactum, duce Phormione. Thucydides lib. II. 16. 1. BONGARS.

13. IN ANNOS QUINQUAGINTA. Thucyd. lib. V. 4. 4. BONGARS. — Contaren. Var. pag. 59. pr. BERNEC.

SEX ANNIS. Et praeterea decem mensibus, teste Thucydide II. 5. 15. BERNEC. — Suidas: *Νικίας Ἀθηναῖος* (MS. Leid. *Ἀθηναίων*) *στρατηγός. Οὗτος Κύθηρα τὴν νῆσον εἷλε, καὶ περὶ τῆς Σπάρτης εἰς φόβον κατέστησε Λακεδαιμονίους, ὡς καὶ φρουρὰν αὐτοὺς ἐν τῇ πόλει καταστῆσαι· εἰρήνην δὲ ὀκτὼ* (Med. Leid. *πεντήκοντα*) *ἔτη ταῖς πόλεσιν ἐπρυτάνευσεν.* ABR. GRONOV.

14. INDUCIAS etc. An iure hoc, vide Alb. Gentilem de iure Belli lib. III. fine capitis 18. BERNEC. — Male *condicere inducias* damnat C. Scioppius. vide Gronovium I. Observat. 1. ubi erudite defendit Iustinum. GRAEV.

15. SI FERENTES SOCIIS AUXILIA. MSS. mei plerique: *si ferrent sociis auxilia.* de quo sane non multum pugnaverim MOD.

QUAM SI APERTO. Angl. *quam si ipsi aperto.* Placet, quia elegans est oppositio inter *socios* et *ipsi*, ut plane vocula omitti non posse videatur. SCHEFF. — *Si* ante *ferentes* non comparet in Dorv. 1. In 3. vocula *potius* abest, proque *dimicassent* habetur *dimicarent*. Et eleganter hoc modo legas, *q. q. m. p. contraherent*, *ferentes sociis auxilia*, *quam si ipsi a. p. dimicarent*. In vulgata autem scriptura particula *quam* sic simul ad *potius* et *minus* referri potest, quomodo lib. XXIX. 2. Gratius *habiturus*, *si in possessione imperii sui socium* potius quam *hostes videret*. ubi non erat, quod *gratias* cum quibusdam libris reponeret Schefferus. Paulinus Epist. XVI. 11. Melius *est enim tenere te* potius *divina quaerentem*, quam *quaerere disputantem*. Arnobius contra Gentes II. pag. 44. *Nonne* purior *ratio est*, *ex duobus incertis . . id* potius *credere*, *quod aliquas spes ferat*, quam *omnino quod nullas?* Lactantius II. 3. *Et erat quidem multo* pulcrius, *ut ob benedicta* potius, quam *ob maledicta morereris*. et VIII. 52. *Credibilius est enim*, *materiam* potius *a Deo factam . . .* quam *mundum a Deo non esse factum*. Lib. VI. 20. *Aiunt enim multo esse* praeclarius . . . *coelum* potius, quam *coelata tueri*. Epitom. cap. LXVIII. *Est enim* convenientius, *ut Deus omnia fecerit* potius, quam *nihil*. ubi sequi codices, in quibus est *conveniens*, nulla nos ratio cogit. Vegetius de Re Mil. Prol. lib. I. *Neque quemquam* magis *decet vel* meliora *scire vel plura*, quam *principem*. WOPKENS.

16. QUOD PRIUSQUAM EXPONO. Magl. Bodl. pr. sec. Leid. Pe-

riz. Coll. C. C. ed. Bech. Ven. Flor. Mediol. Paris. Ald. Iunt. *exponam*. Abr. Gronov.

## COMMENTAR. IN LIB. IV.

### CAP. I.

1. Siciliam ferunt. Vide Thucyd. VI. 1. Melam II. 7. Plin. III. Nat. Hist. 8. Diod. V. pr. quem νησιωτικὴν βίβλον vocat. Strabonem lib. VI. Solin. cap. II. Virgil. III. Aen. 418. Eustath. in Dionys. Lucretium lib. I. Claudian. lib. I. de Raptu. De incolis Siciliae vide Pausan. in Eliacis. Bongars. — Munster. Cosmogr. I. 3. Scalig. Exercit. 37. 2. Bernec.

Direptam velut a corpore. Seu mavis *diremptamque*. Virgil. Aen. III. 417.

*Haec loca vi quondam et vasta convulsa ruina*
*Dissiluisse ferunt* etc.

Vide Plinium II. 89. Diodor. IV. 87. Bernec. — Quidam Codices *diremtamque* praeferunt, quod probo. Nec aliter Liv. XXIV. 9. *Hispania angusto diremta freto.* Gronov. — Vel scribe *dereptam*, ut ego, vel *diremtam*, ut alii. Faber. — Quidam MSS. quos Bongarsius vidit *diremptam*. Sed praefero *direptam*. Memini enim *diripere* idem quoque esse quod *eripere*, *abstrahere*. Ita dicunt *diripere ensem vagina*, *vestem a pectore*, *victorium*. Vorst. — Pr. sec. quart. Leid. Thuan. Periz. Coll. C. C. ed. Rom. Mediol. *diremptamque*, quomodo etiam legendum praeceperant Avus ad h. l. et Nic. Heinsius ad Valerium Flaccum lib. I. vs. 284. Tacitus Agric. cap. 23. *nam Glota et Bodotria diversi maris aestu per immensum revectae, angusto terrarum spatio dirimuntur.* Seneca Oedipo vs. 9. *Rupemque saxis vasta dirimentem freta.* Cicero lib. IV. in Verrem cap. 48. *Tota* (Enna) *ab omni aditu circumcisa atque diremta est.* ubi *direpta* in vetere editione legi, margini editionis Lambini adscripsit Gruterus. Livius lib. XXI. cap. 49. *Hispania angusto diremta freto.* Seneca Consol. ad Marciam cap. 17. *Videbis primum ipsam insulam* (Siciliam) *ab Italia angusto intercisam freto, quam continenti quondam cohaesisse constat: subitum illo mare irrupit, et*

*Hesperium Siculo latus abscidit.*

Ammianus lib. XXII. cap. 8. *ut eas* (Symplegadas) *aliquando fuisse diremtas nulli nunc conspicantium credant.* Pro *vehitur* Nob. Heinsius malebat *devehitur*. Abr. Gronov.

Direptamque velut a corpore, maiore impetu. Servant vulgo omnes hanc distinctionem. At ego habeo persuasissimum τὸ *maiore* non ad *impetu*, sed *corpore* pertinere, atque sic post ipsum, non ante, comma esse ponendum. Vult enim, Siciliam esse quasi parti-

culam corporis maioris sive continentis. Et huc spectat usus comparativi, qui plane nullus est, si ad vocem *impetus* refertur. *Direptam* etsi non contemnam, mallem tamen legere *diruptam*. SCHEFF. — *Maiore impetu superi maris*. Servius ex Sallustio, *Italiae*, inquit, *coniunctam Siciliam constat fuisse, sed medium spatium aut per humilitatem obrutum est, aut propter angustiam scissum; ut autem tam curvum sit, facit natura mollioris Italiae, in quam asperitas, et altitudo Siciliae aestum refudit*. MOD. — *Maior impetus* est vis, cui resisti non potest, et Θεοῦ βία nominatur ab ICtis, ut L. 25. §. 6. D. Locati, et Paul. I. Recept. Sentent. 7. 7. *impetus maior*, quem locum emendare vult Cuiacius, sed male. Nam eodem modo Cic. II. de Invent. 33. *Vis maior*. GRONOV.

TOTO UNDARUM ONERE. Nic. Heinsius ad Valer. Flacc. I. 285. *tota undarum mole* legit. ut Solinus Polyh. cap. XXIII. Aquarum moles, *torto in septentrionem prius latere, anfractis magnis . . in angustias stringitur Propontidis*. et alii adducti a Drakenborchio ad Silium III. 46. Sed voces istae *moles* et *onus* saepenumero parum aut nihil differunt, unde sic illas iungit Livius XXVII. 40. *Nunc . . duos celeberrimi nominis duces circumstare urbem Romam, et unum in locum totam periculi* molem, *omne* onus *incubuisse*. Et quemadmodum *onus undarum* Iustinus dicit, ita Seneca Hippol. 1019.

*Fluctus haud levi cursu*
*Provolvitur*, *nescio quid* onerato *sinu*
Gravis *unda portat*.

Et Venantius Fortunatus Praef. lib. V. de V. Martini:

Pondere *victus* aquae *nescius arte iacet*.

Nihil igitur innovari praestat. WOPKENS.

3. IGNIBUS GENERANDIS NUTRIENDISQUE SOLI IPSIUS NATURALIS MATERIA. Antiquiores typis expressi pro *materia* habent *vis:* quod magis placet. VORST. — Quod Vorstius ex antiquis impressis mavult, *soli ipsius naturalis vis*, id etiam exhibet Dorv. 1. WOPKENS.

4. SPIRITU CUM IGNE INTER INTERIORA LUCTANTE. Mira discrepantia in omnibus MSS. Quidam codices habent, *inter interita*. Non dubito quin Iustinus scripserit, *ut spiritu cum igne interintra luctante* etc. Hoc verbum cum insuetum esset Isidoro, qui haec citat, rescripsit *introrsus*. *Interintra* vero, ut *circumcirca*, *praeterpropter*, et alia. VOSS. — MSS. plerique habent hic vocabulum *abrupta*, vel *rupta*, quod ostendit, locum, sicut vulgo legitur, non esse integrum. Lectionem veram puto: *quae res facit*, *ut spiritu cum igne in interiora rapto luctante* etc. vel, *inter interiora abrepto*. ea sententia, ut luctante spiritu rapto inter interiora, vel, ut luctante spiritu cum igne inter interiora constituto, postquam abreptus est spiritus ad interiora, sive in interiora. SCHEFF.

FREQUENTER ET COMPLURIBUS LOCIS. Lege: *ex compluribus locis*. ut et Iuntae. GRAEV.

ERUCTET. MSS. *eructuet*. Servius ad illud Virg. Aeneid. III. 575.

*Interdum scopulos, avulsaque viscera montis*
*Erigit eructans.*

notat *eructo*, *eructas*, tantum dici. Bongars.

Nunc flammas, nunc vaporem, nunc fumum eructet. Coll. N. ed. Ald. Iunt. *nunc ignes*, *nunc flammas*, *nunc vaporem*, *nunc f. e.* MSS. Bongars. Med. pr. sec. quint. Leid. *eructuet*. Paullo ante Ald. Iunt. *ut spiritu cum igne intra interiora luctante*, *frequenter ex compluribus locis*: eamque lectionem merito vulgatae praefert Cl. Burmannus ad Anthologiam 101. 106. Abr. Gronov.

7. Rhegium. *Διὰ τὸ συμβὰν πάθος τῇ χώρᾳ ταύτῃ. ἀποῤῥαγῆναι γὰρ ἀπὸ τῆς ἠπείρου τὴν Σικελίαν ἀπὸ σεισμῶν.* Strabo. Dicitur ergo *διὰ τῆς ῥήξεως* Eustath. Sallust. apud Servium in Aeneid. III. *Haec loca vi quondam* etc. Bongars. — Strabo lib. VI. pag. 178. 19. ex Aeschylo confirmat hoc etymon, dictum scilicet *Rhegium* a *ῥήγνυσθαι*, *rumpi*, quod hic violentia terrae motuum Siciliam ab Italia divulserit. Subiicit autem, aliis videri *Rhegium* dictum ob splendorem, quasi *Regiam*. Sed ipsi Romani aliter iudicarunt, et Graecam esse vocem eo ipso fassi sunt, quod perpetuo cum aspiratione scripserunt, ut docet in Orthographia sua Manutius. Describit urbem Cassiodorus Variar. XII. 14. Bernec.

Rhegium — pronuntiantur. Med. *nuncupantur*. Isidor. lib. XIII. cap. 18. Fretum Siciliae *quod* Rhegium *dicitur*, *Salustius ex tali causa vocari scribit*, *dicens*, *Italiae olim Siciliam coniunctam fuisse*, *et*, *dum esset una tellus*, *medium spatium aut per humiditatem abruptum est* (lege *esse*) *aquis*, *aut per angustiam scissum*, *et inde* Ῥήγιον *nominatum*, *quia Graece* abruptum *hoc nomine nuncupatur*. Abr. Gronov.

9. Torrens fretum. *Impetuosum* et *tempestuosum* exponunt. Sed Iustinus proprie id intellectum voluit, cuius undae mira varietate nunc in hanc, nunc in illam feruntur partem. Id quod quidem accidit in omni freto, dum venti per angustias eius nunc ab supero mari, nunc ab infero aquas propellunt, prout vel ab hac, vel ab illa parte sunt validiores; verum maxime in Siculo. Vossio est *aestuosum*, paulo melius; sed nec sic quidem satis evidenter redditum, cum *torrens* sit dictum, quia eius undae torrentis instar feruntur magna vi aquarum. Itaque sequitur, *non solum citato impetu*, respectu nempe ad id *torrens*, quod praecedit. Scheff.

Nec solum citato impetu. Est ex MSS. qui hunc totum locum ita exhibet: *nec solum citatum impetu*, *verum etiam vorax*. Quae lectio mihi quidem placet multum prae vulgata. Et primum quidem illud *citato*, quod vulgo habent, natum ex antiqua scriptione *citatom*, in qua simul litera ultima ob similitudinem sequentium deleta videtur. Deinde *saevum* sapit glossam *τοῦ voracis*, quod quia non intelligebant, repudiarunt licet genuinum. *Vorax mare*, quod haurit omnia gurgitibus per vortices. Cicero Philip. II. *Quae Charybdis tam vorax* etc. elegantissime. Et iccirco sequitur de undis, gemitu in voraginem desidentibus. Scheff. — Mavult Schefferus ex

MSto, *nec solum citatum impetu, verum etiam vorax.* Atque ita *incitatus cursu, fuga,* est apud Caesar. Bell. Civ. I. 79. et alibi, observante Oudendorpio. Sed Noster alibi etiam *citato cursu, citato gradu, itinere,* dixit, eaque ratio longe usitatior. Ita *concitato impetu se inferre,* Livius II. 14. *ferri in caedem,* Val. Max. V. 4. Ext. 6. *prosternere,* idem I. 7. Ext. 1. Quod autem pro *saevo* in quodam MS. est *saeviore,* in aliis *vorax et;* hinc vide, anne forsitan tale quid a Iustino scriptum fuerit, *nec citato impetu ac saevu voragine experientibus modo terribile, verum etiam procul visentibus.* Haud immerito certe offendi videmur his, *non solum, verum etiam,* cum statim subiiciatur *non modo, verum etiam.* WOPKENS. — Ed. Rom. *q. n. alias torrens adeo fretum.* MS. Bongarsii, *citato impetu, verum etiam vorax, et neque.* Hinc existimat Schefferus *saevo* glossam sapere *τοῦ vorax,* et *citatom* facili librarii lapsu scriptum fuisse pro *citatum,* probante Cl. Burmanno ad Antholog. I. 80. 22. Ald. Iunt. *verum etiam scaevo, neque.* ABR. GRONOV.

PROCUL VIDENTIBUS. Praefero *visentibus,* quod in MSS. et impressis quibusdam habetur, quia magis convenit rei et attentionem videntis insinuat, quae hic innuitur. SCHEFF. — Sic et Iunt. GRAEV. — Med. sec. quint. Leid. Coll. N. Periz. ed. Iens. Rom. Bech. Ven. Flor. Mediol. Paris. Ald. Iunt. *visentibus:* quomodo ex coniectura legit Nob. Heinsius d. l. et ex MS. Bongars. Cl. Wasseus ad Sallustium Fragm. Hist. VI. 25. in Add. ABR. GRONOV.

10. 11. 12. 13. 14. Haec ab auctore male digesta sunt, aut ab aliis transposita. Nam vetus ordo sic legi postulat: 10. 13. 11. 12. 14. FREINSHEM.

10. UNDARUM PORRO IN SE CONCURRENTIUM. Conieceram legendum esse *inter se concurrentium,* cum deinde observavi, antiquiores typis expressos ita plane habere. VORST. — Vorstius adstipulantibus vetustioribus, *inter se concurrentium.* SCHEFF. — Optime! adstipulatur Iuntina. GRAEV.

UNDARUM PORRO IN SE CONCURRENTIUM. Sic etiam omnes nostri, neque erat cur Vorstius aliique, cum quibusdam editionibus, mallent *inter se concurrentium:* ut Livii XXIX. 27. et alibi. Nam et recte *concurrere in se* undae dicuntur, quae in se invicem concurrunt vel impetum faciunt. Florus IV. 2. 33. *Quippe vix mille iuvenum manus . . ne in deditionem veniret . . . mutuis ictibus* in se concucurrit. Orosius lib. V. 16. *Inter haec . . reguli quoque duo strictis* in se *gladiis* concurrisse *referuntur.* Lib. VI. 12. *Exercitae . . sunt . . potentia ducum viresque legionum, quae* in sese concurrentes *eius damno vicerunt, cuius periculo vincerentur.* Addatur Dictys Cret. III. 7. *Iamque crebris* adversum se *ictibus congressi, neque* etc. Ammianus Marc. XXII. 8. *Gemini scopuli . . adsueti priscis seculis* obviam sibi . . *collisis molibus ferri.* Lib. XXVIII. 4. *Et videre licet . . circulos multos collectos* in se *controversiis iurgiis ferri.* Ambrosius Officiorum I. 21. *Et si cito pueri inter se moventur, facile sedantur, et maiore suavitate* in se re-

*currunt.* i. e. sibi invicem rursus occurrunt. Sic mox *coëuntibus in se promontoriis.* ubi vide dicenda. Wopkens.

Inter se concurrentium. Ita infra XIII. 1. 15. *qui numquam sibi reperissent pares, nisi inter se concurrissent.* Plinius lib. IV. Hist. Nat. cap. 17. *Cyaneae aliis Symplegades appellatae, traditaeque fabulis inter se concurrisse.* Livius XXVI. 39. *Insignis inter ceteras* (naves) *pugna fuit duarum, quae primae agminis concurrerant inter se.* Verum Med. Magl. quart. Leid. Coll. N. Periz. ed. Ienson. Ven. Mediol. Paris. *in se concurrentium.* Vide notam Cl. Wopkensii. Abr. Gronov.

Terga dantes. Ita boni libri: alii, *Virgilius in imum desidere:* alii, *vorticibus.* Error inde manavit, quod quis forte ad oram libri, *Virgilii* nomen notaverat, quod in contextum assumtum, transiit in *vorticibus:* alii, ut sententia constaret, ad τὸ *Virgilius* addiderunt, *scribat.* Certe videtur in hac Siciliae descriptione auctor noster ex III. Aeneid. imitatus pleraque observatu facillima. Bongars. — Iuntae quoque: *vorticibus mergi ac in imum desidere.* Sed hoc glossema est natum ex verbo *Virgilius*, quod in MSS. legitur nonnullis. Id vero studiosus aliquis margini alleverat, significaturus esse locutionem Virgilianam. Potest etiam interpretatio esse magistri, qui sic haec verba, *in imum desidere*, exposuit, quae postea ex marginibus in contextum irrepsit. Graev.

Alias veluti terga dantes in imum desidere. Med. sec. quint. Leid. Periz. Bodl. Coll. N. ed. Ienson. Bechar. *dantes verticibus* (Bech. *vorticibus*) *in i. d.* Rom. *dantes vorticibus mergi, ac in im. d.* Abr. Gronov.

Alias quasi victrices in sublime ferri. Rarius *in sublime ferri*, apud purioris praesertim Latinitatis scriptores, quam *sublime ferri*, quomodo hic exhibet vetus editio, atque etiam legendum statuit Heins. ad Val. Flaccum. Sic tamen Orosius V. 18. *Maioremque factum rursus a terra* in sublime *ad orientem solem ferri.* Sed et ibi praepositionem eradit Oudendorpius ad Obseq. Prodig. cap. CXIV. Quam tamen in rem maiorem librorum auctoritatem desidero. Paulinus Nolanus Poëm. V. 38.

*Pande viam, qua me post vincula corporis aegri*
In sublime *feram.*

Wopkens. — Praepositionem *in* deleri iubet Heinsius d. l. eamque omittit editio, quam consuluit Bongarsius. Abr. Gronov.

Nunc hic — nunc illic. Med. Bodl. quint. Leid. Coll. N. ed. Ald. Iunt. *hinc . . . nunc illinc.* Abr. Gronov.

11. Aetnae. Vide praeter locos supra notatos, Plin. II. Nat. Hist. 106. Lucret. lib. V. De Scylla et Charybdi vide praeterea Sallustii fragmenta apud Servium III. Aeneid. Bongars.

12. Nisi humoris nutrimentis aleretur. Angl. *nisi et humoris.* Probe. Non enim vult humore solo nutriri, sed praeter alia humore. Itaque supra tanquam rarum et singulare, *velut ipsis undis alatur incendium*, cum praemiserit de regionis solo, *intrinsecus*

*atratum sulphure et bitumine* etc. *Inde Aetnae montis per tot secula incendium.* SCHEFF. — Plerique MSS. et Isidorus, atque ed. Rom. Bechar. Ven. Flor. Mediol. Paris. *nisi et humoris.* Ald. Iunt. *nisi ex hum.* ABR. GRONOV.

13. HINC LATRATUS AUDITUS. Iuntae cum nonnullis aliis impressis, *auditos.* MS. *auditis.* lege: *latratus auditi.* GRAEV. — Probo quod Graevio nostro probatur, *latratus auditi;* est enim ex doctrina Longini Rhetoris multo grandior sermo, et magis factus ad terrorem. Tantum Rhetorem vide, ubi agit de Plethynticis, seu, ut nos dicimus, de Pluratívis. FABER.

QUAS SORBENTIS AESTUS VORAGO COLLIDIT. Quid haec significent, aut qualis ista *sorbentis aestus vorago* dicatur, ego non assequor. Quamvis igitur ne verbum quidem interpretes, tamen in his corruptelam sensisse non magni acuminis erat. Quid enim *aestus* ille *sorbeat?* Nimirum undas, id est, se ipsum. Immo aestus voragine sorbetur, ut et res declarat, et est videre ex illis, quae paullo ante hunc in modum leguntur: *Undarum porro in se* (leg. *inter se*, ut Vorstius voluit, et Iuntina habet) *concurrentium* — *exaudias.* Haec igitur, ut puto, nos eo ducunt, ut pro *sorbentis aestus,* sensu certo legamus, *sorbens aestum.* HOTTINGER.

15. NAM AQUARUM ILLE CONCURSUS. MS. Leidensis, *mille.* Non male. Paulo post, vulgo legitur: *Promontoriorum altitudo ipsa ita similis est.* In MS. Leidensi disertim exaratum invenio, *ita simul est.* Et ita legendum postulat sententia loci. Statim enim subdit: *coëuntibus in se promontoriis solida intercipi absumique navigia.* Pro *intercipi* idem MS. habet, *intercidi.* Elegantius, ut opinor. Sed et sub finem eiusdem capitis dicit: *discedere ac seiungi promontoria, quae iuncta fuerant, arbitrere.* BOXHORN.

TERRAE DIFFUSUS NUTRIMENTA. Haec desunt in MS. 1. Voss. GRONOV. — Verba illa *terrae diffusus nutrimenta,* quae in MSto Vossii deesse notat Gronovius, etiam Franeq. ignorat. WOPKENS.

16. PROMONTORIORIUM ALTITUDO. Ed. Ienson. Flor. *promontoriûm.* ABR. GRONOV.

ALTITUDO IPSA ITA SIMILIS. Iuntae: *ipsa ita sibi similis est.* GRAEV. — Quamvis *iam* ante *promontoriorum* absit in Franeq., et uncinulis inclusum sit in quibusdam editis, recte tamen a ceteris MSS. agnoscitur. Ita lib. VI. 6. Iam *literarum studium,* iam *philosophiae doctrina tanta* etc. lib. XXX. 2. Iam *etiam regnum possident,* iam *in publico visuntur,* iam *salutantur.* Vellei. Pat. II. 114. Iam *medici,* iam *apparatus cibi,* iam *in hoc solum importatum instrumentum balinei, nullius non succurrit valetudini.* Ita Florus lib. II. 3. et alii. WOPKENS.

COEUNTIBUS IN SE PROMONTORIIS. Heinsius ad Val. Flaccum legebat *coëuntibus inter se promontoriis.* Sic sane loquitur Liv. XXXVII. 28. *Promontoriis coëuntibus* inter se, *ita clauditur portus, ut vix duae simul inde naves possint exire.* Nihilominus codi-

eum consensui fides hic accommodanda videtur, quum sic quoque loquatur Seneca Herc. Fur. 1213.

*Cumque revocata vice*
In se *coibunt saxa*, *quae in coelum exprimunt*
*Actis utrinque rupibus medium mare* etc.

Quintilian. Inst. I. 4. *Quaeret etiam hoc, quomodo duabus demum vocalibus* in se *ipsas coëundi natura sit*, *cum* etc. Respice etiam ad ea, quae modo ad illud, *undarum in se concurrentium*, notavimus. Wopkens. — Ita Seneca Herc. Fur. vs. 1212.

*cumque revocata vice*
*In se coibunt saxa.*

Nob. Heinsius d. l. malebat, *inter se*. Coll. N. *c. in se promontoriis, et concurrentibus*. Abr. Gronov.

17. Neque hoc ab antiquis in dulcedinem fabulae compositum. Macrobius lib. V. Saturn. cap. 17. *ut conniveant tamen fabulae, et intra conscientiam veri fidem promentes malint pro vero celebrari, quod pectoribus humanis dulcedo fingentis infudit.* Abr. Gronov.

Metu etc. Tacitus Ann. II. 24. *Visa, sive ex metu credita.* Bernec.

## CAP. II.

1. Trinacriae nomen fuit. Propter tria ἄκρα, id est, promontoria, Lilybaeum, Pachynum, Pelorum. Latine autem *Triquetra* dicitur Servio auctore. Mod.

Postea Sicania cognominata est. Plin. III. Nat. Hist. 8. princ. ex Thucyd. VI. 1. 5. Bernec. — MSS. quidam et impressi pro his habent *praeterea*, item *terra*, id quod facit, ut suspectam habeamus lectionem vulgatam. Et fortasse scripsit Iustinus: *post ex Iberiae Sicano, Sicania denominata est.* Sicanum Iberiae flumen esse, cuius primum accolae venerint in Siciliam, et de se insulae fecerint nomen, Thucydides testatur. Potuerunt autem duae voces *Sicano* et *Sicania*, tanquam eaedem, facile sic ab ineptis scribis habitae fuisse, ut alteratram ceu supervacuam liceret omittere. Ex *Iberia* quoque vocabulo non satis noto monachis nil mirum est, si factum sit *terra*, et per correctionem *terra* item *praeterea*. *Denominata* manifeste in quibusdam impressis habetur, unde similiter apparet, vulgatam lectionem esse corruptam. Scheff. — *Denominata* prae se fert etiam Iuntina. Graev.

2. Cyclopum. Thucydides VI. 1. 3. *παλαιότατοι μὲν λέγονται ἐν μέρει τινὶ τῆς χώρας Κύκλωπες καὶ Λαιστρυγόνες.* Bongars. — Servius ad illud Virgilii:

*vos et Cyclopea saxa*
*Experti, revocate animos.*

*Aut*, inquit, *quae Cyclops in Ulyssem iecit, aut certe Siciliam di-*

*ait: quae plurimis locis saxosa promontoria habet, quia ibi Cyclopes habitarunt, ut ipse:*

*Centum alii curva haec habitant ad litora vulgo*
*Infandi Cyclopes.*

*aut Aetnam possumus accipere, quae propria Cyclopum fuit: nam et ipse in III. ait:*

*Noctem illam tecti silvis immania monstra*
*Pertulimus.*

*Quidam tamen haec saxa inter Catanam et Tauromenium in modum metarum situ naturali dicunt esse, quae Cyclopea appellantur, quorum medium et eminentissimum Galate dicitur.* Lubuit adscribere totum locum, quia in editionibus non tantum contaminatissimus est, verum etiam meliore sui parte mutilus et hians. MOD. — Idque declarant portentosa eorum cadavera et monstrosi specus, quae in hunc usque diem pro ostentis visuntur. Fazellus Rer. Sicul. I. 6. BERNEC.

COCALUS. Ita Vett. omnes et historia. De Cocalo lege Diodor. IV. 81. et XVII. 9. Strabonem lib. VI. Euseb. in Chron. apud quem *Cotalus* dicitur, librariorum, arbitror, errore. BONGARS.

4. ANAXILAUS. *Ὁ τύραννος τῶν Ῥηγίνων.* Strabo, Thucyd. VII. BONGARS. — Malim *Anaxilas* cum Thucydide VI. 1. 27. et Strabone lib. VI. pag. 178. 10. quem ille *tyrannum*, hic *ducem Rheginorum* appellat. BERNEC.

IUSTITIA CUM CETERORUM CRUDELITATE CERTABAT. Saxo lib. I. pag. 6. m. *cum aliorum regum fortitudine munificentia et liberalitate certabat.* ABR. GRONOV.

CUIUS MODERATIONIS HAUD MEDIOCREM FRUCTUM TULIT. Male in vet. edito, MStoque Dorv. 1. et 3. *moderatio* legitur. Nepos in Attic. cap. V. *quo facto, tulit* pietatis *fructum.* Cic. pro domo cap. XXXVII. *Utriusque* temporis *fructum tuli maximum.* ad Famil. XIV. cap. 1. *Satis magnum mihi fructum videbor percepisse et vestrae* pietatis *et meae.* Lib. XVI. cap. 21. *Fructumque magnum* humanitatis *tuae capiebam ex silentio literarum.* Dictys Cret. V. 2. *Fructum tamen* misericordiae *eorum tulit.* WOPKENS.

5. MICYTHO SPECTATAE FIDEI SERVO. Herodotus lib. I. ita inquit: *ὁ δὲ Μίκυθος οἰκέτης ἐὼν Ἀναξίλεω, ἐπίτροπος Ῥηγίου.* id est, *ipse Micythus famulus erat Anaxilai procurator Rhegii.* Iustinus *servum* interpretatus est, ego *familiarem* malim. Nam servo tantam curam commendasse minus verosimile. GLAREAN.

MICALO SPECTATAE FIDEI SERVO. Herodotus VII. 170. *Μίκυθον* vocat, Anaxilai *οἰκέτην.* Et Straboni principio libri VI. *Micythus* quidam est Messanae princeps. Vide Macrobium I. 11. Saturnal. BONGARS. — Iuntae, *Micytho*, cum Herodoto et Macrobio. GRAEV. — Antiquiores editiones, Iuntarum, Becharii, Maioris, *Micytho*; prorsus ut Herodotus VII. 170. vocat. Et mirum quod Bongarsius id mutavit. VORST.

6. CARTHAGINIENSES. Ad id a Xerxe incitati. Diodor. XI. 20.

et seqq. apud quem initio narrationis legendum, *στρατηγὸν εἵλοντο Ἀμίλκαν*, non *Ἀμίλκωνα*. Vide et Herodotum VII. 66. Bongars.

Dimicatum. Freinshem. *dimicarunt*, ut respondeat antecedenti sequentique verbo. Bernec. — Freinshemio, emendanti *dimicarunt*, adsensum iure merito negavit Cortius ad Sallust. Catil. LIII. 3. passivum enim et activum sic saepius variat Iustinus. Ita cap. IV. *qui sordida veste . . concionem deformes adeunt*; adduntur *precibus lacrymae, et ita misericordem populum supplices movent*; *ut* etc. Lib. VIII. 1. *Cum iudicium arbitrio victorum exerceretur, tanta pecunia damnantur, quanta* exsolvi *non posset*. Lib. XXXIII. 1. *Itaque Romani . . auxilia . . acciverunt: et Eumeni regi Bithyniae* denuntiatum, *ut bellum summis viribus iuvaret*. ubi rursum *denuntiarunt* volebant Bongarsius et Graevius, ut habet edit. Iuntina. Sed vide illic notanda. Lib. XXXVIII. 9. *Ut est deductus ad regem, Callimandro quidem . . praemium fidei* datum, *Demetrium autem . . in Hyrcaniam remittit* etc. Florus II. 6. *Quartum . . vulnus imperii Cannae, ignobilis Apuliae vicus; sed magnitudine cladis emersit, et quadraginta millium caede* parta *nobilitas*. Tacit. Annal. VI. 44. *Pergit properus* etc. *Non fraus, non preces, nihil* omissum, *quo ambiguos illiceret, promti* firmarentur. Et alibi enallagen hanc asserui. Wopkens.

7. Victi. Omiserim, si res mei sit arbitrii. An forte caput hoc est sequentis periodi. Bernec.

## CAP. III.

1. Veterani. Quinam sint Himerenses isti veterani, quaerendum. Sebisius aliquid hic subesse mendi, non ab re auspicatur. Bernec.

Ab altera parte. Bongarsius, eumque secutus Berneccerus, *ex altera parte*. Verum rectius videtur, quod antiquiores typis expressi habent, *ab altera parte*. Verbis passivis nomina sexti casus adiiciuntur intercedente *a* vel *ab*. *Ab Himera* dictum pro *Himera*. Solent enim nominibus quoque urbium subinde praepositiones praemitti. Stephanus: *Ἱμέρα, πόλις Σικελίας*. Est autem et nomen amnis eiusdem insulae, qui ferme eam dividit, uti Livius XXIV. 6. ait. Vorst. — MSS. plerique habent, *ex alia parte*. Quod contemni non debuit. Atque suspicor, illud *altera* glossatoris esse, non Iustini. *Alium* pro *altero* usurpasse veteres etiam optimae notae scriptores, certum est. Plaut. Captiv. *Captus fuit in pugna Hegionis filius, alium quadrimum fugiens servus vendidit*. Scheff.

Ab Himera in auxilium vocati. Magl. ed. Ven. Flor. Paris. Ald. Iunt. *ab Himera urbe in a. v.* Abr. Gronov.

Et mox caesis, quibus tulerant auxilium. Cl. Burmannus ad Anthologiam I. 80. 22. e cod. Franequerano malebat, *quibus fuerant auxilium*. Orosius lib. II. cap. 14. *deinde mox caesis etiam illis, quibus ad auxiliandum convenerant*. Abr. Gronov.

MEDIIS TEMPORE — VETERANI — OCCUPAVERE. In hoc loco mendum aliquod latere suspicatur Sebisius, non sine causa requirens, quinam sint isti *veterani*. Ego non modo de veteranis istis per se quid faciam, nescio, sed video insuper alia, quae satis concoquere nequeam. *Veteranos* igitur, id est, milites urbis Himerae *in auxilium Rhegini vocarunt*, et non urbem potius, quae illos mitteret? Et veterani isti, id facientes, quod civitas mandaverat, *ausi facinus* dicuntur, *nulli tyranno comparandum?* Haec ut ferri tandem possint, aut excusari, quanto rectius fuerit, id cuique tribui, quod conveniat, culpamque a ministro relegari in facinoris auctorem? Idque plane fiet, si *veteranis* istis, qui locum vix tueantur, succedant *Himerani*. Isti igitur in auxilium vocati, urbe occupata, pro sociis tyrannos egerunt. Quid autem sic legentes faciemus vocibus *ab Himera?* Eas nimirum, ut inepti glossatoris interpretamentum verbis *ab altera parte* appositum, inducendas puto. Namque verba illa, utcunque plana, a nonnullis perperam intellecta fuisse, illa multorum codd. diversitas ostendit, qui pro *ab altera parte*, sensu plane perverso, dant, *ex alia parte*. HOTTINGER.

2. NULLI TYRANNO COMPARANDUM. Forte, *nulli tyrannorum patrandum*. FREINSHEM. — Omnino legendum est, *nulli tyranni comparandum*. VOSS. — Iuntae *tyrannico* [cum Ald.] Freinshem. *nulli tyrannorum patrandum*. Nihil muta. *Nulli tyranno comparandum* est, nulli tyrannorum facinori comparandum. Est locutio antiqua et optimis scriptoribus familiaris, quam pluribus asserit Gronov. ad Liv. Epit. XLVII. GRAEV. — Freinshemius coniecit legendum, *nulli tyrannorum patrandum*. et Vossius, *nulli tyranni comparandum*. Scilicet non potuerunt illi concoquere, quod facinus non facinori tyranni, sed ipsi tyranno, non comparandum dicitur. Debebant autem meminisse, quod non Noster tantum, sed et alii subinde sic loquantur. Vide supra Notas ad I. 7. 14. et II. 14. 10. VORST.

QUIPPE UT RHEGINIS. Haec verba mihi parum integra videntur, certe illud *quippe* sic per se non solet alibi poni. Suspicor autem praecessisse particulam *tantum*, eamque per duas syllabas *randum*, in voce *comparandum*, proxime videlicet antecedentes, et in MS. eodem fere modo pingi solitas, esse consumtam, dum supini scribae unam dictionem putant vicibus duabus male fuisse propositam. SCHEFF. — Ald. Iunt. *quippe ut Rheginis magis fuerit optandum vinci, quam v.* ABR. GRONOV. — Illud *facinus nulli tyranno comparandum*, pro nullius facinori tyranni, recte hic vindicari a viris doctis, etiam Orosii fide lib. II. 14. probatur. Confer Livii II. 13. *Supra Coclites Muciosque dicere id* facinus *esse*. Ceterum fallitur Schefferus, cum plenius ita legendum coniicit .. *comparandum; tantum quippe, ut Rheginis* etc. Meliusque rescripsisset, *quippe cum Rheginis* etc. Quemadmodum hic l. d. habet Orosius. Verum *quippe* hic accipiendum pro scilicet, nimirum; ut lib. III. 7. *nam inducias .. ex sociorum persona rumpebant: quippe quasi minus periurii contraherent, si ferentes sociis auxilia .. dimicassent*. Atque hinc

etiam est, ubi eum coniunct. ut construatur. ut Orosius lib. VII. 31. *Foedus cum Sapore . . necessarium pepigit:* quippe ut . . . *exercitum a locorum periculo liberaret.* Et Aur. Victor Caes. cap. XXXIV. *Claudii imperium milites . . approbant extolluntque, viri . . prorsus dediti reip.:* quippe ut *longo intervallo Deciorum morem renovaverit.* Obscurior autem mens est horum Iustini verborum. Wopkens.

3. Exsulare necesse habuissent. Saxo lib. III. pag. 42. 4. *ad Gevarum decurrere necesse habuit.* et lib. XIV. pag. 256. 26. *qui in regis oculis pugnam edere necesse haberent.* Abr. Gronov.

4. Catinienses. Ita vett. fermè omnes; et Orosius MS. II. 14. quidam *Catheniensses.* Graecis Καταναῖοι. et Κατάνη Latinis plerumque *Catina.* Cicero V. in Verr. *Catina Venus.* Bongars. — Quomodo et in aliis A Graecum a Latinis in I mutatur: ut βάσκανος, *fascinus:* κάναστρον, *canistrum:* πατάνη, *patina* etc. Bernec. — Iuntae: *Catinenses.* Graev.

4. et 7. Catinienses. Periz. *Cathenenses.* ed. Bech. Ven. Med. Ald. Iunt. *Catanenses*, et paullo post, *Cataneneibus:* ut apud Lactantium II. 4. 28. *de Cerere Catanensi.* Rom. *Catinenses*, et dein, *Catinensibus;* nec aliter Freculphus I. 4. 11. atque ex edit. Ven. Orosius. Cicero lib. IV. in Verrem cap. 45. *Sacrarium Cereris est apud Catinenses.* Ibid. *Senatus Catinensium.* Insuper duo MSS. Florent. Orosii lib. V. cap. 14. dant *Catinam*, et *Catinenses.* Abr. Gronov.

Auxilium ab Atheniensibus petivere. Magl. ed. Ven. Flor. Paris. Ald. Iunt. *petiere.* Orosius et Freculphus I. 4. 11. *ab Ath. auxilia poposcerunt.* Abr. Grunov.

5. Quod Asiam Graeciamque penitus occupaverant. Legendum arbitror, *quo Asiam Graeciamque penitus occuparent:* aut, *quo Asiam* etc. *occupaverant.* ut dicat, Athenienses studio illo maioris imperii, Asiam et Graeciam animo iam, et praesumtione quodammodo, penitus occupasse. Bongars. — Aut si mavis, *quo* (scil. studio) *Asiam* etc. *occupaverant.* ut dicat, Athenienses studio illo maioris imperii, Asiam et Graeciam animo et praesumtione quodammodo iam occupasse, et spe penitus devorasse. Utraque lectio ab ingenio Bongarsii est: quarum in textum admissam *quo Asiam Graeciamque penitus occuparent* ideo praetuli, quod seqq. verbis, *ne Lacedaemoniis illae vires accederent*, magis respondeat, ut utrobique causa finalis exprimatur. Hactenus editi: *quod Asiam Graeciamque penitus occupaverant.* Acidal. ad Vell. II. 130. 8. Forte, inquit, legendum, *occupatu irent.* Sic namque scribebant pro *occupatum irent*, quod erroris potuit origo fuisse. Bernec. — Insolentius dici videtur, *studio maioris imperii Asiam occupare*, pro, Asiam tamquam sibi iam occupatam proponere, ut fere exponit Bongarsius. Quamobrem legendum suspicabar, *quo Asiam Graeciamque spe penitus occupaverant.* Sic lib. XXII. 7. *Qui spe improba regnum totius Asiae* complexus, *societatem* etc. lib. XXIX. 2. *Qui non contenti Italiae terminis, imperium spe improba totius orbis*

amplexi, *bellum cum omnibus regibus gerant.* Livius XXXV. 42. *Non ita se a iuventute eum gessisse*, spe *animoque* complexum *orbis terrarum imperium, ut* etc. Et lib. XL. 8. *Vivo et spirante me, haereditatem meam ambo et* spe *et cupiditate improba* crevistis. Cicero pro Cluentio cap. XXVI. *Qui illi pecuniae*, *quam condiderat*, spe *iam atque animo* incubaret. Lactant. de M. Pers. cap. XVIII. *At ille*, *qui orbem totum iam* spe invaserat. Sic enim ibi cum aliis malim, quam *invenerat*. Nec concursus hic ablativorum, *quo* (studio) *Asiam G.* spe *occupaverant*, absimilis illi, cuius plura ad lib. IX. 7. 12. exempla damus. In loco tamen Iustini, quem prae manibus habemus, sine libris nihil muto. Wopkens. — *Quo* pro *quod* ex coniectura legit Bongarsius, cui suffragantur quart. Leid. Periz. Coll. N. Idem edidit *occupaverant*, quod praeferunt undecim MSS. *occuparant* ed. Flor. Med. Paris. Ald. Iunt. Eodem modo loquitur Tacitus lib. VI. Ann. cap. 8. *Nec enim Seianum Vulsiniensem, sed Claudiae et Iuliae domus partem*, *quas adfinitate occupaverat*, *tuum*, *Caesar*, *generum colebamus.* Abr. Gronov.

Lamponium ducem cum classe. *Lamathum* ducem nominat Thucydides lib. VI. ubi et Niciam et Alcibiadem. Paulo post in hoc auctore *Lachete et Chariade* legendum *Charoeade* ex eodem Thucydide: *Λάχης ὁ Μελανώπου*, *Χαροιάδης ὁ Εὐφιλήτου.* Glarean.

Sub specie ferendi etc. Alcibiades apud Thucyd. VI. 3. 26. de Atheniensibus: *Auxilium impigre tam Barbaris*, *quam Graecis implorantibus ferendo*, *imperium nos nostrum*, *et si qui alii habuerunt*, *comparavimus.* De Romanis Cicero lib. III. de Repub. *Noster populus sociis defendendis*, *terrarum iam omnium potitus est.* Exempla sunt alia infra XVIII. 1. 1. XXVII. 3. 4. XXXVIII. 1. 3. et VIII. 3. 3. Bernec.

Tentarent. Melius forte, *tentaret.* Bernec. — Verum rectius adserves alterum, deque Atheniensibus hoc intelligas, ut cap. praecedente: *Imperium Siciliae etiam Carthaginienses* tentavere. Wopkens.

6. Cariate. Ita Vett. Thucydides III. 14. 1. *Χαροιάδην* vocat, et hos non Catiniensibus, sed Leontinis in auxilium missos scribit. Bongars. — Scripsi cum Iuntis, *Chariade:* Graecis enim est *Χαριάδης*. Graev. — Orosius lib. II. cap. 14. *Charoeade.* Duo MSS. Florent. ed. Ven. *Chariade.* Abr. Gronov.

7. Pacem cum Syracusanis. Hoc est deludere corvum hiantem. Exemplum haud absimile Livius XLV. 11. habet. Bernec.

## CAP. IV.

1. Cum fides pacis a Syracusanis non servaretur. Propertius IV. Eleg. 7. 51.

*Iuro ego fatorum nulli revolubile stamen*,
*Tergeminumque canem: sic mihi molle sonet:*
*Me* servasse fidem. *Si fallo* etc.

ubi consule Broukhusium. Wopkens.

AD MISERICORDIAM COMMOVENDAM ACQUISITO. Hoc *acquisito* mihi est suspectum. Et video, impressum aliquem habere *accersito*, quod ostendit satis, locum non omnino esse sanum. Puto autem Iustinum scripsisse *adscito*, vel potius *accito*, quod qui non satis intellexit, compendium putavit esse verbi *acquisito*. *Accersito* autem esse ex glossa τοῦ *accito*. SCHEFF. — Merito *acquisito* suspectum est Scheffero. Squaloris habitum acquirere ad misericordiam commovendam vix ferent aures Latinae; forte Iustinus scripsit: *ad misericordiam commovendam conquisito*. GRAEV. — *Acquirere* ita rarius occurrit pro adhibere, adsciscere: quam ob rem Schefferus malebat *accito* vel *adscito*, Graevius *conquisito*. *Acquisito* tamen hic defendere nititur Burmannus ad Quinctil. II. 6. WOPKENS. — Ita infra XII. 3. 8. ex MS. Coll. N. *Post haec Alexander habitum regis Persarum et diadema adquisivit*. Vulg. *assumit*. Periz. *assumpsit*. Georgius Maior hoc loco in margine exhibet, *accersito*. ABR. GRONOV.

3. NICIAS. Thucydides lib. VI. Diodorus Sic. XII. fin. et XIII. init. Plutarchus, et Probus Alcibiade, ille etiam in Nicia. BONGARS. — Apud Freculphum d. l. pro *Micea* et *Miceam* reponendum est *Nicia* et *Niciam*, atque pro *Iamacho* et *Iamachum*, *Lamacho* et *Lamachum*. ABR. GRONOV.

UT IPSIS TERRORI. Id cavendum semper ducibus, ne ita externis credant auxiliis, ut non plus sui roboris suarumque proprie virium in castris habeant. Livius XXV. 33. 5. Idem XLII. 31. 9. et XLIV. 26. 13. Videatur omnino Vegetius III. 1. fin. Imper. Leonis Tactica cap. 20. tmemate 62. vide infra XXVII. 2. 11. BERNEC.

4. REVOCATO AD REATUM ALCIBIADE. Infra V. 1. *Revocatus a bello ad iudicium*. Nepos: *absentem quod sacra violasset reum fecerunt*. VORST. — Id est, *ut reus fieret*. Ita namque hoc genus usurpari solet etiam in aliis, ut *vocatus ad consulatum* etc. Sed hoc quidem haud conveniens, quia esse reus debuit, antequam posset revocari. Quare suspicor hic mendum aliquod latere. Impressus quidam, sed et MS. aliquis, adscriptum tamen alteri lectioni habet, *ob reatum*, quod ut praeferendum vulgato, ita nescio, an Iustini esse, certo possit tradi. Videtur potius aliquid deesse. SCHEFF. — *Ad reatum*, i. e. ut subiret reatum, sive in iudicio accusationes suas audiret, et quod posset dilueret. Id *ad iudicium* dixit Iustinus lib. V. 1. 2. et *ad causam dicendam* Nepos Alcib. cap. IV. 3. Similiterque dicitur *ad poenam* (sc. subeundam) *evocari* infra lib. XII. 14. 5. *ad belli societatem venire* lib. XXII. 7. 5. His perpensis, non video, cur Schefferus in Iustini verbis quidpiam deesse suspicaretur. WOPKENS. — Med. *vocato*. Sec. Leid. a sec. m. Periz. ed. Rom. *ob reatum*. Coll. N. *ad senatum*. Praestat vulgatum. Diodorus lib. XIII. cap. 5. ἀπέστειλε (ὁ δῆμος) τὴν Σαλαμινίαν ναῦν εἰς Σικελίαν, κελεύων τὴν ταχίστην ἥκειν Ἀλκιβιάδην ἐπὶ τὴν κρίσιν. Orosius: *detentus ad iudicium pro quadam insimulatione*. ABR. GRONOV.

5. MUNITIONIBUS DEINDE CIRCUMDATIS, HOSTES ETIAM MARINIS etc. CLAUSOS. Haec Sebisio glossam sapiunt; necessaria quidem certe

non sunt. Locum totum ita restituendum puto: *munitionibus deinde circumdatos hostes etiam marinis commeatibus intercludunt.* Rectum est, *munitionibus circumdatis.* Sic V. 8. 1. *obsidione circumdata.* Livius XXI. 42. 1. *circumdato ad spectaculum exercitu.* et III. 26. 5. *munitiones circumdant.* Possis tamen et *munitionibus circumdatos* tueri his exemplis: Livius XXIII. 28. 2. *naves vallo circumdatae.* Tacitus Agr. 20. 4. *civitates praesidiis castellisque circumdatae.* Florus III. 10. 43. *civitatem ingenti lorica circumdatam.* Bernec. — Suet. Iul. 68. *Dyrrachina munitio.* Caes. VIII. de Bell. Gall. 11. *Locum munitionibus claudi.* Hinc *munitores* Ammian. Marc. XXI. 12. quos Cl. Valesius, uti et *oppugnatores*, opponit *clausis* et *defensoribus.* Et *munimentum* eadem notione usurpat Liv. X. 9. *Locus nec vi nec munimento capi poterat.* Gronov. — Non modo dicunt *circumdare urbem munitionibus*, sed et *munitiones circumdare urbi:* ut *murum urbi circumdare* supra I. 2. 7. et *circumdata viae silva* I. 6. 4. Vorst.

Intercludunt. Ed. Rom. *prohibent.* Utraque lectio proba est. Cicero Orat. pro Lege Manilia cap. 17. *cum ex omnibus provinciis commeatu et privato et publico prohibeamur.* et lib. VII. ad Atticum epist. 9. *ille commeatu et reliquis copiis intercludendus.* Abr. Gronov.

7. Ab his mittitur Gylippus solus, sed in quo instar omnium auxiliorum erat. MS. habet, *Ab his mittitur Gylippus classem Lacaedemoniorum solus, sed in quo* etc. Supra τὸ *solus* scriptum est a librario, VACAT. adeo ut laborantem et hiulcum locum notet. Illud *solus* in lectione vulgata mihi non placet. Boxhorn. — Vid. Gronov. Praefat. pag. 36. Fr. — Ita et Orosius II. 14. Vett. nostri *sed quo*, forte *qui.* Bongars. — Testatur Bongarsius Codices MSS. habere *sed quo:* et coniicit legendum esse *qui.* Becharius et Sichardus ediderunt, *sed quidem.* ubi *quidem* corruptum videri possit ex *qui idem.* Vorst. — Ita quoque Orosius. Quod autem in Franeq. aliisque MSS. quibusdam deest praepositio ante *quo*, tanti non est, ut ideo cum viris doctis coniiceremus, *sed qui instar* etc. Infra lib. XXIV. 8. *Delphi plus* in Deo, *quam in viribus reponentes* etc. Nepos in Eumene cap. XII. *Quum . . admirarentur non iam de eo sumtum esse supplicium . . in* quo *uno esset tantum, ut quoad ille viveret, ipsi securi esse non possent, interfecto, nihil habituri negotii essent.* Ita Cicero aliique. Ovidius epist. XVI. 366.

*Omnia si dederis, num quid dabis Hectora fratrem?*
*Unus is innumeri militis* instar *habet.*

Conferatur etiam Livius XL. 40. *Ecquid auxilii* in *vobis est?* Sallust. Catil. cap. XL. *Accusare senatum, quod* in *eo auxilii nihil esset.* Wopkens. — Magl. ed. Bech. Med. *solus quidem, sed in quo.* Coll. N. *solus quidem, sed in quem.* Orosius lib. II. cap. 14. *a quibus mox mittitur Gylippus solus quidem, sed in quo omnium praesidiorum instar praeferebatur.* Boschius in notis ad Petronium cap. 2. ex MS. atque editione Isingrini A. 1539. legit, *solus qui-*

*dem, sed qui instar.* Bongarsius quoque legendum coniecit, *sed qui.* Hallucinatur Cl. Vorstius scribens, Becharium edidisse, *sed quidem.* ABR. GRONOV.

INSTAR OMNIUM. Unus enim Gylippus tantum poterat, quantum multa millia militum. Cic. Brut. 51. *Plato mihi unus instar est omnium.* Liv. XXVIII. 17. *Parvum instar eorum.* Virgil. VII. Aen. 707.

*magnique ipse agminis instar.* GRONOV.

8. IS AUDITO IN ITINERE etc. Angli ex MSS. *Is audito in itinere belli iam inclinato statu.* Vix de veritate lectionis huius dubito. Nam in vulgata nullus sensus est idoneus. Quod enim illud genus belli, aut quis ille status? At *status belli inclinatus* dicitur eleganter. SCHEFF. — Huius loci emendationem pulcherrimam et certissimam debemus Oxoniensibus, qui ex codicibus antiquis rescripserunt: *Is audito in itinere belli iam inclinato statu.* Nihil verius. Merito probavit quoque Schefferus ὁ μακαρίτης. GRAEV.

INCLINATO STATU. Caesar I. Bell. Civ. 52. *Fortuna se inclinaverat.* idque Graeco more expressit Hesiod. Theog. 711. ἐκλίνϑη δὲ μάχη. GRONOV.

AUXILIIS PARTIM IN GRAECIA etc. Antiquiores Editiones *in Graeciam, in Siciliam.* Quae similia forent ei quod supra III. 1. 1. legitur, *bello in Graeciam infeliciter gesto.* VORST.

9. HOSTES IN FUGAM COMPULIT. Magl. et Orosius: *vertit.* Ed. Rom. *hostes vertit in f.* ABR. GRONOV.

10. CLASSEM LACEDAEMONE ARCESSIT. Antiquiores Editiones *a Lacedaemone.* Quod simile esset ei quod sup. IV. 3. 1. legitur *ab Himera.* Nominibus quoque urbium praepositiones addi satis usitatum. VORST. — Med. sec. quint. Leid. Periz. ed. Bech. Ven. Flor. Med. Paris. Ald. Iunt. *a Lacedaemone.* ABR. GRONOV.

11. DEMOSTHENEN etc. Thucyd. VII. 2. et reliqui. BONGARS.

## CAP. V.

2. TUNC DEMOSTHENES CENSERE COEPIT. Ang. *consulere coepit,* quod doctus Anglicanarum notarum auctor putat esse convenientius, quoniam *censere* sit superioris. Sed *consulere* pro suadere non opinor facile inveniri. Quare a vulgata non recedo. SCHEFF. — Recte Schefferus. *Censere* enim Latinis est aut in senatu, aut in concione sententiam de re, de qua deliberandum, dicere. Superius II. 7. *Sollicitus igitur Solon, ne aut tacendo parum reipublicae consuleret, aut censendo sibi.* GRAEV. — Verbum *censere* sic construit cum coni. *ut* Livius XXXIX. 39. *Patres* censuerunt, uti *L. Porcius consul cum Q. Fulvio ageret.* Ita Caesar Civ. I. 2. aliique. WOPKENS.

FORENT. Ita boni auctores loquuntur: et inprimis Sallust. Iugurth. 21. 9. *S. P. Q. R. verbis nuntient, velle et censere eos ab armis discedere: ita seque illisque dignum fore.* Vulgatae Editt. *esse.* BONGARS.

3. PERSEVERANDUM etc. Mallem sic distinguere: *perseverandum; esse domi.* cum praesertim videam, illud *esse* in quibusdam repetitum post vocem *bella.* SCHEFF.

IN QUAE SERVARE HOS URBIS APPARATUS OPORTEAT. Med. sec. quint. Leid. Coll. N. Periz. ed. Rom. Bech. Ven. Flor. Med. Paris. Ald. Iunt. *reservare.* Supra II. 11. 5. *se ad meliora patriae tempora reservent.* et XXVIII. 4. 9. *ut se ad meliora reipublicae tempora reservent.* Cicero Or. pro Fonteio cap. 15. *Nonne et hominem ipsum ad dubia reipublicae tempora reservandum putatis?* Livius lib. XXV. cap. 6. *Nos vulgo homines laudabant, qui reipublicae nos reservassemus.* ABR. GRONOV.

INFELICIORA BELLA. Mirum profecto Demosthenis consilium, qui vires vult in *infeliciora* bella servari! Quasi vero bellum istud Peloponnesiacum non satis infelix civibus fuisset! quod tamen et ipse *male auspicatum* dicit, quoque Athenienses cum navali tum terrestri proelio victi, castra quoque cum omni publica et privata pecunia amiserant. Sed ut haec mittam, ipsa in se sententia qualis tandem videtur? „Male nunc quidem" inquit „rem egistis: sed hoc nihil „est. *Afflictae res sunt, non perditae.* Non deerit bellum, si verum „auguror, aliquanto funestius et reipublicae perniciosum, quo con„cussae nunc opes, penitus corruant. In hoc bellum hos urbis ap„paratus ego censeo servandos, ut magno emolimento pulcro scili„cet pereatis." Poteratne vir sapiens, et orator cives aut ineptius hortari, aut censere magis insipienter? At enim, inquis, *infelix* bellum dicit, quod periculosum ac triste fuerit, non, quod eventu perniciosum. Hoc autem si voluit dicere, *grave* modo dicendum erat, non *infelix:* id enim eventu solo censetur. Quid multa? Dele modo negationem, e postrema antecedentis vocis littera natam, atque lege, *feliciora.* Ita Demosthenem minime poenitebit sententiae a multis in simili causa usurpatae. Sic fere Aeneas socios apud Virgilium I. 206. hortatur:

*Durate, et vosmet rebus servate secundis.*

HOTTINGER.

4. DESTITUTAE SPEI CIVIUM. Liv. I. 51. *Morando spem destituit.* Idem XXVI. 18. *Destituta exspectatio.* et Quintil. Declam. XII. *Nihil gravius quam destituta spes torquet.* GRONOV.

MANERE CONTENDIT. I. e. manendum esse, vel ut maneant: ut saepius verbum *censere* cum infinitivo construitur. Et plurima infinitivorum horum exempla sunt, verbis *monstrare, docere, monere* iuncta. Conferatur Vulg. Int. Actor. Apost. III. 13. *Quem vos quidem tradidistis et negastis ante faciem Pilati, iudicante illo* dimitti. et cap. XV. 19. *Propter quod ego iudico non* inquietari *eos, qui ex gentibus convertuntur ad Deum.* Matthaei V. 39. *Ego autem dico vobis, non* resistere *malo.* I. Cor. V. 11. *Nunc autem scripsi vobis, non* commisceri, *si is* etc. et VII. 10. *iis . . praecipio . . uxorem a viro non* discedere. Ruffin. H. Eccl. III. 7. extr. *auctorem vitae a semet universa gens conclamaverat* auferri. Lib.

XI. 11. Baptizari *hunc protinus clamant . . et sibi episcopum* dari. WOPKENS.

5. ET ANIMI A etc. Literulae unius nec mutatione, tantum traiectione, restitui locum; nullo aut turbido sensu hactenus ita vulgatum, *et a nimia:* quomodo et Bongarsius in MSS. haberi confirmat. Ipse edidit, *et animatu.* BERNEC. — Liber noster habet, *animata.* Alii, *a nimia.* Rescribo, *ab irata prioris fortunae procella.* Forsan tamen Iustinus scripsit, *animati.* Magnitudo enim acceptae cladis saepe animos ad ultionem accendit. BOXHORN. — Recte legitur *et animi a* etc. Liv. VII. 15. *Alienatis a memoria periculi animis.* GRONOV. — Sic clare Iuntae, qui confirmant Bernecceri emendationem. Is enim primus hunc locum sic restituit, cum antea legeretur *et a nimia,* aut, ut Bongarsius ediderat, *et animata.* GRAEV. — Ita legendum esse coniecit Bernecerus pro eo quod ante editum erat *et a nimia.* Et testatur Graevius veterem Iuntarum editionem manifeste sic habere. VORST. — Ante verba *et animi* MSS. libri habent *duo* [vid. Burmann. Praef. supra pag. 63. FR.] quod videtur repudiatum ab iis, qui non intelligebant compendium scripturae. Legendum enim sine dubio, *reparatum igitur navale bellum denuo, et animi* etc. SCHEFF. — *Ad spem certaminis,* i. e. ad audendum certamen, vel ad certaminis eventum secundum sibi pollicendum. Caesar Gall. VIII. 49. *Continere in amicitia civitates, nulli spem aut caussam dare armorum.* ubi frustra est Davisius. Livius XXXVII. 37. *Quamquam septuaginta millia peditum . . animos interdum ad* spem certaminis *faciebant.* Lib. XXVII. 18. *Offendebat, hostem praedamnata* spe *aequo dimicandi campo . . stare in conspectu.* Lib. XXXV. 26. *In eo ratus verti* spem *obsidionis, si praesidia maritima interclusisset.* Lib. XXIX. 12. *Et propinquas alias gentes motas esse ad* spem *novandi res.* Lib. I. 46. *Neque ea res Tarquinio* spem *affectandi regni minuit.* Sallust. Catil. XVI. *Ipsi consulatum petundi magna* spes. ubi ad hanc vim vocis non attendebant interpretes. WOPKENS.

6. INSCITIA DUCUM, QUI — SYRACUSANOS ADGRESSI FUERANT, FACILE VINCUNTUR. Quint. Leid. Coll. N. *inscientia.* Cicero lib. III. de Orat. cap. 35. *neque inscientiam illius, cui res non suppetat, esse laudandam.* Idem Parad. 3. init. *in re aliquantulum, in gubernatoris inscientia nihil interest.* et lib. III. de Off. cap. 17. *neminem id agere, ut ex alterius praedetur inscientia.* Ed. Lambini, *inscitia;* cuius margini adscripsit Gruterus: „Ed. Langii et MSS. Palatini, *inscientia.*" Plinius lib. XXVI. cap. 1. *ille medicorum inscientia sectus.* Macrobius lib. III. Saturn. cap. 1. *quin in medium detegat inscientiae Virgilianae vulnera.* Adde notas Avi ad Livium lib. XXII. cap. 25. et Gellium lib. I. cap. 15. pag. 86. Tert. Leid. Coll. C. C. omittunt pronomen relativum *qui.* sec. Leid. ed. Rom. Ald. Iunt. *aggressi sunt, f. v.* Reliqui MSS. et vet. edd. *aggressi facile vincuntur.* ABR. GRONOV.

7. EURYMEDON. Miror MSS. omnes hoc loco mendose prorsus

legere *Eurylocus*, quomodo et Oros. MS. Ego in vulgata lectione contra historiam nihil mutare ausus sum. BONGARS.

TRIGINTA. Orosius, *undecim*. BONGARS.

9. CENTUM TRIGINTA NAVES. Orosius II. 14. totidem. At Thucyd. VII. 18. 24. Atheniensibus ex postrema clade tantummodo septuaginta naves reliquas fuisse scribit. BERNEC.

IPSOS DEINDE INSEQUITUR: FUGIENTES PARTIM CAPIT, PARTIM CAEDIT. Distinguendum erat . . *insequitur fugientes: partim capit, p. c.* Atque id etiam hoc modo expressit Orosius II. 14. *Dehinc ipsos* fugientes persequi *aggressus, capit caeditque quam plurimos*. WOPKENS.

10. DEMOSTHENES etc. Utrumque a Syracusanis interfectum refert Thucyd. VII. fin. et Plutarch. BONGARS.

A CAPTIVITATE GLADIO etc. SE VINDICAT. Elegantius, ut omnia, Florus IV. 9. 4. *Ne veniret in potestatem, a gladio suo impetravit*. Thucyd. tamen VII. 16. 20. una Niciam et Demosthenem a Syracusanis necatos scribit: quem locum citat et negat Plutarchus in Nicia sub finem. BERNEC.

11. NICIAS. Angl. *Nicias vero, etiam Demosthenis, ut sibi consuleret, admonitus exemplo, cladem suorum captivitatis dedecore cumulavit*. Etiam hic nollem temere deserere vulgatam. SCHEFF.

---

# COMMENTAR. IN LIB. V.

## CAP. I.

1. ALCIBIADES ABSENS. Thucyd. VII. 10. Diodor. XIII. 5. Plutarch. et Probus in Alcibiade. Aelian. XIII. Var. Hist. 38. Accusatur et de Hermis aut truncatis, ut Thucyd. VI. 5., aut deiectis, ut Probus. BONGARS. — Initiorum enuntiatorum crimine purgat Alcibiadem, in Orat. de Bigis, praeco laudum ipsius Isocrates. BERNEC.

MYSTERIA CERERIS INITIORUM SACRA. Persuasum habeo, *mysteria Cereris*, certe quidem *mysteria*, obrepsisse textui (ut in auctore plura) cum esset adscriptum explicandi caussa, quid sint *Initiorum sacra*. BERNEC. — Retinenda omnino lectio vulgata, *Mysteria Cereris Initiorum:* ut supra II. 6. *simultatium offensae*. Loquitur enim auctor pleonastice. GRONOV. — Delendum omnino *mysteria Cereris:* glossema enim est horum verborum, *Initiorum sacra*. quod me primum vidisse putabam: sed Berneccerus ante me vixit, et id vidit quod et ego, sed serius vidi et ipse, inquam, sine honore, quia alii viderant. Sed multa, spero, erunt, quae nobis aliquid solatii afferre possint, si qua nos forte ambitio in hoc genere tenere potest. FABER. — Persuasum habet Berneccerus, *mysteria Cereris*, vel certe *mysteria*, ex margine, in quo explicationis causa adscri-

ptum fuerit, irrepsisse in textum. Putat enim *mysteria Cereris initiorum sacra ταὐτολογίαν* habere, et *mysteria Cereris* et *initiorum sacra* unum et idem esse. At Freinshemius in Indice Curtii v. *Inire*, sic distinguendum censet, *mysteria Cereris Initiorum*, *sacra nullo magis quam silentio solemnia*. Quod si verum ita sit, fortasse traiectionem quoque his factam credi possit, legendumque *mysteria Initiorum Cereris*. Supra II. 6. 13. vocantur *noctes Initiorum*. Vorst. — Quid est *nullo?* An *re nulla?* Ita vero non solent, qui probe loquuntur. Scribo igitur, et distinguo, *mysteria Cereris Initiorum, sacro nullo magis, quam silentio solemnia.* et nullo sacro magis solemnia, significat, non aliud sacrum, non aliam rem sacram, ritum, consuetudinem magis solitam et consuetam receptamve fuisse, quam silentium. Id quod verissimum. Alii aliter de hoc loco, mea haec sententia; quam spero facile me probaturum accuratius cuncta expendentibus. Scheff. — Adsentior Berneccero et Tanaquillo consentibus, delendum esse *mysteria Cereris*. *Nullo* est nullo ritu, aut negotio. *Sacro nullo*, quod Schefferó placebat, hic locum habere non potest. Nemo enim sic loquitur, *Mysteria hoc sacro insignia sunt*. Graev. — *Nullo* est *nulla re*. Quintil. Institut. Orator. lib. II. cap. 4. §. 13. *Quatenus* nullo *magis studia quam spe gaudent*. lib. II. cap. 16. §. 12. *Et hercle Deus ille princeps, parens rerum* — nullo *magis hominem separavit a ceteris* etc. lib. V. cap. 14. §. 14. *Epichirema autem* nullo *differt a syllogismis*. Tacit. Annal. IIII. 15. nullo *magis exterritus est*. Sic *alio* ponitur pro *alia re*, apud Sueton. in Aug. cap. 98. ubi vid. interpp. et apud Quintil. lib. XII. cap. 10. et alibi. [Lib. III. cap. 8. 52. nullo alio *ab his*, *quam persona*, *distant*. Fr.] Nihil igitur caussae erat, cur quidam interpretes in hoc loco haererent. Nagel. — De pluribus uni Gronovio obtemperandum duco, qui loci integritatem defendit, et *mysteria C. initiorum* pleonastice accipit pro, *Cereris mysteria*, vel *Cereris initia*. Vide pleonasmi illius, Nostro familiarissimi, exempla ad lib. I. 9. 13. et alibi. Frustra autem Schefferus rescribebat *sacro nullo magis* etc. dum *nullo*, pro nulla re, satis Latinum esse negat. Tacit. Annal. IIII. 15. *Redintegratamque accusationem . . perpessus*, nullo *magis exterritus est*, *quam quod* etc. Varro de L. Lat. IV. *Miser a* minus, *cui cum opus est*, *minus* nullo *est*. ubi immerito *nihilo* legendum statuit vir quidam doctus. Plura in hanc rem si desideres, adi clarissimos commentatores ad Quinctil. II. 4. Florum III. 16. 3. ac Plinium VI. ep. 27. Wopkens. — Ed. Rom. *nulla re magis:* quod ex interpretatione est. Saxo lib. VIII. pag. 161. 28. *affirmans*, *monstra nullo magis nocendi vim*, *quam advenarum verbis parum comiter editis sumere*. lib. XI. pag. 217. 16. *Recolebat*, *bellicam maiorum gloriam nullo magis*, *quam Anglicis crevisse titulis*. et pag. 218. 43. *principum famam nullo magis*, *quam militum fide crevisse*. Idem *quo* pro *qua re* usurpat lib. XV. pag. 368. 21. *quo effectum est;* et *in aliquo* Hegesippus lib. I. cap. 36. *caveret tamen*, *ne in aliquo mulieris animam moestificaret;* atque Saresbe-

riensis lib. VII. Policr. cap. 24. pag. 515. *raroque invenies, qui in aliquo non detrahat praesidenti.* ABR. GRONOV.

CERERIS INITIORUM SACRA, NULLO MAGIS QUAM SILENTIO SOLEMNIA. Hinc Ovidius in Arte lib. II. sub fin.

*Quis Cereris ritus audet vulgare profanis,*
*Magnaque Threicia sacra reperta Samo?*

et Horat. Carmin. lib. III. Od. 2.

*vetabo, qui Cereris sacrum,*
*Vulgarit arcanae, sub iisdem*
*Sit trabibus.*

Causam autem, cur sileri debuerint huiusmodi mysteria, dicit his verbis Lactantius lib. V. Divin. Instit. cap. 20. *Hinc*, inquit, *fida silentia sacris instituta sunt ab hominibus callidis, ut populus nesciat quid colat.* Licebat tamen initiatis, ea quae mysteriis tradebantur inter se vulgare, ut constat, ex illo Ciceronis loco lib. I. Tuscul. Quaest. ubi ait: *Reminiscere, quoniam initiatus es, quae traduntur mysteriis.* atque hinc Augustus Athenis initiatus, cum postea Romae pro tribunali de privilegio sacerdotum Atticae Cereris cognosceret, ac secretiora quaedam proponerentur, dimisso concilio, et corona circumstantium, solus, Suetonio auctore, audiit disputantes: ne videlicet profanis initia vulgarentur. Sed haec non sunt Notas scribentis. Videatur plene de his aliisque huc pertinentibus B. Brissonius lib. I. de Formulis, et Verbis Solennibus veterum Romanorum. MOD. — Ausonius Paulino:

*Sed tu, iuratis velut alta silentia sacris*
*Devotus teneas, perstas in lege tacendi.*

Proinde Imp. Augustus Athenis initiatus, cum postea Romae pro tribunali de privilegio sacerdotum Atticae Cereris cognosceret, ac secretiora quaedam proponerentur, dimisso concilio solus audiit disceptantes, ne videlicet profanis Initia vulgarentur. Suet. August. 93. Ipsa porro mysteriorum symbola, quibus initiati se invicem internoscebant, petenda sunt ex Arnobio lib. V. Clement. Alexandr. Orat. Exhortator. ad Graec. Eusebio lib. II. de Praeparat. Euangel. et Materno Firmico lib. de Errore Profanar. Relig. Qua de causa Diagoras cum Initia narraret omnibus, evulgaret, et extenuaret, et eos, qui initiari vellent, dehortaretur, ab Atheniensibus aenea columna erecta proscriptus est. Suidas. BERNEC.

2. SIVE CONSCIENTIAM SIVE INDIGNITATEM REI NON FERENS. Franeq. habet *sive conscientia:* atque ita plerumque malunt Latini, quam *ex conscientia, ob conscientiam.* Velleius II. 38. *Quippe . . regis morte, quam ille* conscientia *acciverat, facta provincia est.* Tacitus Ann. I. 57. *Sed iuvenis* conscientia *cunctabatur.* Quinctil. Decl. CCCXXXV. *ne videret* conscientia *aliqua mori velle.* Aur. Victor Caes. cap. XXXV. *cum ille praedae* conscientia *delictique . . scripta prodidisset* etc. Ita Livius aliique. Cave tamen vulgatam scripturam deseras, in qua *conscientiam non ferre*, valet, illam dissimulare non posse. Ut Suetonius in Nerone cap. XXXIV. *Neque*

*tamen sceleris* conscientiam, *quamquam et militum et senatus populique gratulationibus confirmaretur, aut statim aut unquam postea* ferre *potuit*. WOPKENS.

3. SACERDOTUM. Eumolpidarum et Cerycum. Thucyd. VIII. 9. 2. Prob. in Alcib. BERNEC.

DIRIS — DEVOTUM. Et bonis exutum. Devotionis exemplum, quo testatior esset memoria, in pila lapidea incisum, atque in publico positum esse ait Probus in Alcib. BERNEC. — Ed. Becharii et Maioris, *Diis per omn.* pr. tert. Leid. et MS. Bong. *diis iratis per o.* quod vulgato praefert Schefferus. *Diris devotus* idem valet, quod *exsecrationibus devotus* infra cap. 4. 14. Nihil igitur hoc loco mutandum. ABR. GRONOV.

IBIQUE REGEM LACEDAEMONIORUM IMPELLIT etc. Ed. Bechar. *ibi et regem Lac.* Tert. Leid. ed. Rom. *impulit*. Orosius lib. II. cap. 15. *Lacedaemona se contulit, impulitque Spartanos, ut, turbatis Atheniensibus, novo rursus bello insisterent*. Periz. *adversis Siciliae praeliis*, nempe navali et terrestri. Vide supra IV. 5. 1. et 2. ABR. GRONOV.

ULTRO BELLUM INFERRE. Quod, munita a Lacedaemoniis consilio Alcibiadis Decelia, *Decelicum* appellatum est. BONGARS. — Nimis haec sunt brevia, et nec integra fortasse. In MS. quodam legitur, *bellum inferre parant Lacedaemonii*. Quod non negligendum. Vera namque lectio videtur sic se habuisse: *ibique regem Lacedaemoniorum impellit turbatis Atheniensibus adverso Siciliae praelio, ultro bellum inferre. Parent Lacedaemonii. Quo facto* etc. Oratio longe elegantior apertiorque, quam vulgata, in qua ne illud *Quo facto* quidem habet, quo satis commode referatur. Eiecerunt autem haec verba, qui vitiosum illud *parant* viderunt non cohaerere cum superioribus. SCHEFF.

5. OMNIA GRAECIAE REGNA CONCURRUNT. *Regna* posuit Iustinus eum *respublicas* vellet dicere, seu *civitates*; sed cum *civitates* dico, ita intelligo, ut *civitas Allobrogum*. Sallust. *civitas Arvernorum* etc. Caesar, Cicero etc. Ceterum nolim me tale aliquid imitatum esse, quale hic Iustinus. FABER. — Unus Cod. MS. quem Bongarsius vidit, *concurrit*. Unde idem legendum coniicit, *omnis Graecia*. Quid si legatur *omnia Graeciae oppida*, per metonymiam quidem? VORST. — Bongarsius, qui in nonnullis legerat, *concurrit*, putabat *omnis Graecia*, deleta voce *regna*, scribendum. Vorstius censebat *omnia Graeciae oppida*. Sed hoc quidem nimis longe abit. In MS. uno legitur, *omnis ad Graeciae regna*, quod vestigia lectionis verae videtur exhibere. Puto namque scripsisse Iustinum: *Quo facto omnes ad Graeciae regnum, velut ad extinguendum commune incendium concurrunt*. Sensus elegantissimus et convenientissimus. *Regnum Graeciae* invidiose dicitur, quo Graecia cum libertate sua premitur, intelligitur autem imperium Atheniensium. Locum fecit obscurum et mendosum illud *omnis*, antique scriptum, pro *omnes*. Inde namque primum pro *concurrunt* factum *concurrit* in aliquibus,

deinde deletum *ad*, et quia *omnis regnum* non cohaerebat, scriptum *regna*. Scheff. — Angl. *Omnis Graeciae multitudo*, quod suspicor ex glossa esse; ac egregie firmat nostrum *omnes*, de quo in notis. Scheff. — Non solent ita Graeciae gentes vel civitates *regnorum* nomine insigniri; quod recte animadversum Bongarsio, dum coniicit proinde legendum *omnis Graecia . . concurrit*. Hoc eo etiam firmatur, quod in quibusdam MSS. *omnis* pro *omnia*, et *concurrit* pro *concurrunt* repraesentatur; nec non quod ita haec expressit Orosius II. 15. *Cui incepto ita* Graecia omnis *adstipulata est*, *quasi ad commune incendium restinguendum* etc. Sed quod vocem *regna* sic plane exscindit vir laudatus, equidem pro illa substitui mallem *repente*, omnineque ita Iustinum scripsisse mihi persuadeo, *Q. f. omnis Graecia repente velut ad e. o. i. concurrit*. Atque ita adverbium hoc additum quoque videmus lib. XLIII. 5. Repente *finitimi populi ad nomen Massiliensium delendum*, *veluti ad commune exstinguendum incendium concurrunt*. Wopkens. — Coll. N. *q. f. omnis Graeciae multitudo. . . . concurrit*. Bongarsius, glossemate reiecto, legit, *omnis Graecia concurrit*. Orosius lib. II. cap. 15. *cui incepto ita Graecia omnis adstipulata est*, *quasi ad commune incendium restinguendum bono publico congestis viribus consuleretur*. Freculphus I. 4. 11. *cum quibus* (Spartanis) *totam Graeciam adversus Athenienses excitavit*. *Omnis Graecia*, ut infra XIII. 5. 3. *praesente universa Graecia*. et XXV. 4. 5. *sed et Graecia omnis* etc. Abr. Gronov.

Velut ad exstinguendum etc. Eadem supra I. 7. 9. Bernec.

6. Tantum odium. Iuntae: *odii*. Sic idem XII. 3. *quantum mali*, pro vulgato *quantum malum*. Dein iidem: *consumti magis fortunae varietate*, *quam vi victi sunt*. Quod et in aliis antiquioribus editionibus conspicitur, et verum est. Victi utique sunt Athenienses, sed non vi, sed fortunae varietate sunt consumti et exhausti. Hanc lectionem dudum etiam Gronovius probavit. Graev. — *Odii* etiam Magl. ed. Rom. Ald. Abr. Gronov.

Immoderati imperii cupiditate. MSS. duo optimi: *immoderati imperii crudelitate*. Considerent docti. interim ego nihil mutandum censeo. Mod. — Fastus et asperitas Atheniensium in eos, quos e sociis subditos fecerunt, e Thucydidis, ac Diodori non uno loco perspicitur. Veramtamen, cum infra demum num. 11. de sociis, hic de ceteris Graecis sit sermo; dubites, an non pro *crudelitate* (quod Modius etiam in duobus MSS. optimis haberi scribit) rectius sit legere cum aliis Editt. *cupiditate*. Sed tum *immoderata*, non *immoderati*, scribendum fuerit. Utrique lectioni favet Thucyd. II. 2. 12. et VIII. 1. 9. cum seqq. Bernec. — Iuntarum editio, uti Graevius testatur, *tantum odii*. Pro *crudelitate* codex MS. quem Bongarsius vidit, habet *cupiditate*. Legendum ergo fortasse, *immoderata imperii cupiditate*. Vorst. — Bernecceruss suspicatur *immoderata imperii cupiditate*, quia *cupiditate* est in aliis etiam MSS. Idem probat Vorstius. Quid? si legas *immoderati*, ut est in illis.

aliis et MS., referasque ad Athenienses. Sic est *Alexander immoderatus*, apud Cic. ad Att. lib. XIII. Ep. 28. Scheff.

Immoderati imperii crudelitate. Hanc lectionem permutandam non puto cum illa quorumdam MSS. *immoderati imperii cupiditate.* De crudelitate Atheniensium ita quoque Nepos Alcib. cap. IV. *Multa secum reputans de immoderata civium suorum licentia, crudelitateque erga nobiles.* Confer Cic. ad Attic. XIII. ep. 18. *tu non vides, ipsum illum . . superbum,* crudelem, immoderatum *fuisse?* Wopkens.

7. Darius. Cognom. *Nothus*, quem Scaliger Hierosolymitani Templi restauratorem esse sentit. Bernec.

Tissafernem. MSS. *Tissafernem*, *Tisafernen*, vel *Tisafarnem.* ed. Bech. *Tisapharnem.* Τισαφέρνης etiam Graecis scriptoribus dicitur, ut Ctesiae, Isocrati Paneg. pag. 139. Xenophonti lib. I. de Exp. Cyri pag. 245. A. Polyaeno I. 49. 1. Plutarcho in Agesilao pag. 601. et Artaxerxe pag. 1022. Suidas: Τισσαφέρνης ὄνομα κύριον, καὶ κλίνεται εἰς ους. Pro εἰς ους forte legendum εἰς ου καὶ ους. Utraque enim flexio usitata est. Prioris exempla occurrunt apud Diodorum Siculum lib. XIV. cap. 27. Polyaenum II. 2. 2. et VII. 16. 1. posterioris vero apud eumdem VII. 46. 1. Thucydidem VIII. 6. Xenophontem lib. I. de Exp. Cyri pag. 244. et 245. Diodorum XIV. 36. et 37. et 82. atque Plutarchum in Agesilao pag. 600. Abr. Gronov.

8. Ne, victis Atheniensibus, ad se Lacedaemonii etc. Omnino scribendum, *Ne victis Lacedaemoniis, ad se Athenienses* etc. Quod si vulgata lectio retineatur, magnus erit Iustini error. Athenienses enim tunc adhuc erant principes Graeciae. Gronov. — Sic nempe hac victoria facile insolescere possent Lacedaemonii, ut Dario bellum inferre cogitarent, ideoque hic gratificari illis hoc modo studebat. Non sane video, magnum hic Iustini errorem esse, ut quidem iudicabat vir eximius, nisi rescribatur, *ne victis Lacedaemoniis, ad se Athenienses a. t.* Wopkens.

10. Quam victi. Vulgo, *vi victi.* Lucil. *Populus Rom. victus vi, superatus proeliis.* Bongars. — Restitui voculam *vi*, quam antiquiores Editiones additam habent, neque expungendam fuisse et Gronovius in Notis ad Livium censet. Ipse ille Bongarsius, qui expunxit, gemissum laudat illud Lucillii, *Populus Rom. victus vi, superatus praeliis.* Vorst. — Sed pridem ante in sua editione hanc vocem reposuerat. Graev. — Quamvis aliter visum fuerit viris doctissimis, illud *vi* in compluribus codicibus haud male abesse existimo ante *victi sunt*, i. e. hostibus victoriam concesserunt. Ita nec addidit Orosius II. 15. et in hac lectione consentiunt libri lib. II. 11. *Ad postremum non* victi, *sed* vincendo *fatigati . . occiderunt.* Ad quem locum hunc quoque Senecae recte contulit Berneccerus, Benef. V. 3. *Virtus ac bona voluntas omnibus praestat, ne unquam* vincantur, *quoniam quidem etiam inter superantia animus invictus est. Ideo nemo trecentos Fabios* victos *dicit, sed occisos: et Regu-*

*bus captus est a Poenis, non victus.* ubi, hoc ut obiter dicam, minus recte Lipsius *intus superati animus invictus est*, rescribendum statuit. Rursus Seneca Rhetor Suasoria II. extr. *Non vincent nos, sed obruent.* WOPKENS.

11. SOCII DESCIVERANT. Diversus fuit Rom. Imperii status, cuius socios Annibal Poenus, cum omnia bello flagrarent, fide tamen dimovere non potuit: *videlicet quia iusto et moderato regebantur imperio; nec abnuebant, quod unum vinculum fidei est, melioribus parere:* inquit Livius XXII. 13. 11. *Capsani levi* (an *leni*) *imperio habiti, et ob ea fidelissimi.* Sallust. Iug. 89. 5. BERNEC.

## CAP. II.

1. IMPERATORIIS VIRTUTIBUS. Forte rectius *imperatoris*, ut respondeat praecedenti *militis*. SEBIS. — Legendum esse *imperatoris* (cum gregario militi opponatur imperator) ante me alii viderunt; at hoc non viderunt, quod addam cap. 3. FABER.

IMPERATORIIS VIRTUTIBUS ADIUVAT. *Bellum adiuvare* sic quoque dixit Livius XXIX. 1. *Eoque enixius* bellum adiuverunt. ubi non audiendi erant MSS. quamvis complures, qui referunt *ad bellum adiuv.* Cicero Attic. IX. ep. 10. *Huius igitur* belli *ego particeps et socius et* adiutor *esse cogor.* Vide et infra lib. XXXIII. 1. 2. WOPKENS.

3. PARTAQUE CUM AMISSIS PENSABANT. Hoc est, quamvis apud Athenienses imperio excidisset Alcibiades, apud Spartanos tamen aeque magnum factum cogitabant. Pertinet hoc ad explicandum id quod modo dictum: *nec exsilio videbant factum minorem.* Hispanus interpres aliter, et, nisi fallor, absurde. BERNEC. — Bongarsius edidit *pensare;* omnino recte, ut referatur ad τὸ *sciebant*, nempe Alcibiadem. Apud veteres *pensare* nequaquam usurpatum fuit pro cogitare; sed pro aequare, et comparare. Sic Noster XXV. 3. et Seneca in Oedipo 490. *Meliore pensans damna marito.* Liv. XXXVII. 1. *Veteribus benefactis nova pensantes malefacta.* At *pensitare* pro aestimare dixit Sueton. Octav. 66. *Amicorum suprema iudicia morosissime pensitavit.* GRONOV. — MSS. *pensare.* Iuntae cum nonnullis aliis: *pensantem.* Quos sequor. Hic est sensus: Viderunt tantum imperium eum recepisse, quantum amiserat. Imperatoriam enim dignitatem, quam apud Athenienses amiserat, recuperaverat apud Lacedaemonios. Sic *adversa secundis pensare* apud Liv. Flor. et alios. Vide Gronov. Observ. IV. 13. GRAEV. — Georgius Maior pro *pensantem* edidit *pensabant:* eumque secutus est Bernecerus, et verbum istud de cogitatione explicavit. Sed legendum sine dubio vel *pensantem*, vel *pensare.* Iuntae edidere *pensantem.* Nec aliter Sichardus. At Becharius *pensarent:* quod sine dubio est ex *pensare.* In Codd. MSS. Bongarsius reperit et *pensaret;* itidem ex *pensare.* Sed quid illud est *parta cum amissis imperia pensare?* Nihil aliud, quam tantundem imperii nactum esse quantum amiseris. Sed verbi

illa constructio est rarior; primo quod dicitur, *parta pensare*, cum vulgo dicatur, *damna pensare:* deinde quod dicitur, *parta pensare cum amissis*, cum vulgo dicatur, *damna pensare acquisitis.* Infra XXV. 3. *Damna amissae Siciliae acquisito Macedoniae regno pensasset.* Sed altera tamen constructio et ipsa reperitur. Ex Ovidii XIII. Metam. laudat Gronovius, *Laudem ut cum sanguine pensent.* et ex Claudiani IV. Paneg. *Laudem pensat cum crimine.* Deinde compositum *compensare* eodem modo constructum reperitur. Cicero V. de Fin. *Cum maximis curis et laboribus compensare eam quam ex discendo capiant voluptatem.* Ex quibus apparet non tantum *mala bonis*, sed et *bona cum malis pensari* et *compensari* dici. Vir Cl. in Velleii II. 12. 5. ubi legitur, *bona malis repensasse*, facilius legi putat, *mala bonis repensasse.* Sed manifestum est dici utrumque. Est autem *pensare*, *compensare*, *repensare bona malis*, vel *cum malis*, idem quod bona malis aequalia facere, vel *existimare.* Quod etiam apparet ex his Plinii VII. 40. *Bona malis paria non sunt, etiam pari numero; nec laetitia ullo minimo moerore pensanda.* Vorst. — Med. Magl. sec. quint. Leid. Coll. N. ed. Rom. *pensare*, approbante Avo. Flor. Ald. Iunt. *pensantem.* Abr. Gronov.

4. Sed apud Lacedaemonios virtus Alcibiadis etc. Vide Cl. Stephanium ad Saxonem lib. VI. pag. 103. 22. Abr. Gronov.

Virtus Alcibiadis. Vide de Xantippi sapiente facto prudens dictum Polybii I. 36. Bernec.

5. Interficiendum insidiis mandassent. Sunt, qui *insidiis* in dativo accipiant, ut in his accipi debet Flori III. 1. *Primum scelus mandat insidiis.* Sed ita dicendum fuisset potius, *cum principes* (eius) *velut aemuli g. a. interfectionem insidiis mandassent.* Iam vero non dubito, quin *insidiis* hic ablativus sit, adque *interficiendum*, non *mandassent* pertineat. Ut Suetonius in Caesare cap. XXVI. *Gladiatores notos, sicubi infestis spectatoribus dimicarent, vi rapiendos servandosque* mandabat. ubi *vi* nemo facile dativum esse credet. Wopkens.

Cognita re Alcibiades per uxorem Agidis. Gualterus, *quo cognito.* Vincentius lib. III. cap. 61. *quo cognito Alc. per Timaeam uxorem Agidis.* Abr. Gronov.

Per uxorem Agidis. Timaeam. Plutarch. in Alcib. cap. 42. et de Tranquill. An. 10. Athenaeus XIII. 4. Sic infra XLIII. 4. 11. Bernec.

Ad Tissaphernem. Thucyd. VIII. alii supra notati. Bongars.

Praefectum. Quem Persica voce *Satrapam* ut plurimum appellant auctores, Plinius, Curtius, Probus, Terentius, alii. Curtius etiam, ut et Cicero, *Praetorem.* Porro regnum Persarum eiusmodi Satrapiis seu Praefecturis 127 constitisse docet Iosephus Antiq. Iud. XI. 4. et 6. Quod et Sacris Literis Esdrae III. 3. 2. Estheris I. 1. et VIII. 9. confirmatur. Bernec.

Cui se celeriter — insinuavit. Gualterus, *adunavit.* Abr. Gronov.

6. Et aetatis flore et formae veneratione. Haec aliquando ita iungi solent. Eumenius Pan. ad Constantium cap. XVI. *Sed tuum te magis nomen, tua de memoria patris auctoritas, tuae* aetatis *gratia, tua denique ista venerabilis* forma *commendat.* Vellei. II. 29. *Fuit hic genitus matre Lucilia, stirpis senatoriae*, forma *excellens, non ea qua* flos *commendatur* aetatis, *sed dignitate et constantia, quae* etc. ubi forte legendum, *non ea quae flore commendatur aetatis, sed* etc. confer Livium XXVIII. 35. 6. Wopkens.

Eloquentia etiam etc. Propter omissam in vulgatis editionibus interstinctionem, vocabulo *etiam* sua emphasis, et proinde dicto gratia periit. Sic apud Senecam, si recte memini, est qui dicatur *vir magnus, etiamsi cum maximis comparetur.* At inter caecos luscus rex est. Alcibiadis eloquentiam celebrat et Demosthenes Orat. contra Midiam; Probus, *neminem ei dicendo potuisse resistere,* scribit. Certe belli Siculi suasor et auctor fuit, frustra dissuadente Nicia. Thucyd. lib. VI. Bernec.

7. Vir melior: quia morum vitia. Ed. Rom. *vir eo melior, quia*. Med. sec. quint. Leid. *cui morum vitia.* Arr. Gronov.

Morum vitia. Probus, *Constat*, inquit, *inter omnes, qui de Alcibiade memoriae prodiderunt, nihil illo fuisse excellentius vel in vitiis vel in virtutibus.* Eiusmodi temperaturam ex adversis moribus tribuit quoque Catilinae Cicero in Coeliana cap. 5. et 6. et Licinio Muciano Tacitus Histor. I. 10. Bernec.

8. Persuadet. Videndus Thucydides VIII. 8. 8. Bernec.

9. Vocandos in portionem muneris Ionios. Sebisius *oneris* legit. Bernec. — Eleganter hic *munus* pro onere auctor usurpat, quomodo etiam Cic. V. in Verr. 20. *Cum hoc munus imperaretur tam grave civitati.* Ibid. 21. *Id quoque munus leve atque commune Mamertinis remisisti.* et Liv. XXV. 7. *Dum ne quis eorum munere vacaret.* Idem XXVII. 9. *Non enim detrectationem eam munerum militiae, sed apertam defectionem a populo Romano esse.* et XXX. 18. *Utram vellet praetor muneris partem proconsule accipiente.* Vide Pomponium in L. 239. §. 3. D. de Verb. Sign. Gronov. — MS. *Iones.* Iuntae: *Ionas. Muneris* non est mutandum in *oneris. Munus* enim est onus. Sic *munera* ICtis sunt onera civilia. Hyginus Gromaticus; *Scholae cohortibus primis, ubi munera legionum dicuntur, intra scamnum legatorum contra aquilam dari debent.* ubi *munera legionum* sunt excubiae, vallum, fossa, pabulum, materia, lignorum aggestus, et alia onera militaria. Tacit. I. Ann. 16. *solita munia* dicuntur. Hinc *munifex*, qui munera seu onera praestare cogitur, cui opponitur *immunis.* Graev. — Supra quoque II. 5. 13. *Ioniis.* Iuntae tamen, ut Cl. Graevius testatur, hic habent *Ionas*, et Codex item MS. quem Bongarsius vidit, *Iones.* Pro *muneris* Sebisius coniecit legendum esse *oneris.* At Graevius contendit nihil mutandum esse, propterea quod *munera* ipsa quoque onera dicantur. Vorst.

11. Dissentientibus Graecis. Angl. *dissidentibus*, quod puto

genuinum, cum vulgatum sit ex glossa. Noster XXIV. 1. *Interim in Graecia dissidentibus inter se bello Ptolomaeo Ceranno et Antiocho regibus, omnes ferme civitates ad spem libertatis erectae.* Phaedrus noster I. 31.

*Humiles laborant, ubi potentes dissident.*

Scheff. — *Dissidentibus* Coll. N. ed. Rom. pro vulg. *dissentientibus:* Abr. Gronov.

12. Graeciam obterendam. Hoc *obterendam* inconveniens videtur. Certe quorum exaequantur vires, qui levantur auxilio contra alios, illi non obteruntur. Nam *obterere est conculcare, pessumdare.* In MS. pro eo habetur *exercendam*, quod haud dubie genuinum. *Exercere Graeciam* eleganter, est occupatam perpetuis bellis tenere, nunquam sinere venire ad quietem et pacem. Vocabulum *obterendam* natum ex glossa videtur, ut non pauca alia apud hunc scriptorem. Quod tamen esse ineptum sequens *vacet* ostendit, cui opponitur non *obterere*, sed *exercitum*, vel *exercitatum esse.* Scheff. — Angl. *adterendam*, quae lectio est egregia. Plus est in illo *obterendam*, quam quod Alcibiades suadebat. Obterit regionem, qui eam bello penitus conculcat et evertit. Quomodo de ala equestri Tacitus in vita Agricolae 18. 2. *Alam in finibus suis agentem prope universam obtriverat.* h. e. deleverat. Hoc vero noluit Alcibiades, sed suasit bello fatigari. quod proprie est *atterere.* Idem Tacitus III. Histor. 50. *Et ipsos in regione bello attrita inopia, et seditiosae militum voces terrebant.* Scheff. — Optime Angli, Scheffero applaudente, *Graeciam atterendam.* Suet. in Aug. *Attrito bellis civilibus patrimonio.* et in Galb. *Attritis facultatibus.* Graev. — Etiam nostri codices, ut reliqui, *obterendam.* Sed cum Anglis alterum recte a Scheffero praelatum: de Graecia enim debilitanda solummodo sermo est, non plane conculcanda. Atque ita occurrit rursum hoc verbum lib. XLI. 6. *Multa tamen Eucratides bella magna virtute gessit, quibus* attritus *cum obsidionem* etc. Sallust. Iug. cap. LXXIX. *Postquam utrimque legiones, item classes fusae fugataeque, et alteri alteros aliquantum* attriverant; *veriti ne* etc. *Atterere* autem pro devastare alibi haud infrequens. Wopkens. — Hegesippus lib. I. cap. 9. f. *maiore victor detrimento, quoniam regni sui vires attriverat.* et lib. V. cap. 15. *sed patres vestri cum Persarum praeliis gravibus attererentur.* Vide Avum Observat. in Script. Eccles. cap. 6. pag. 66. Abr. Gronov.

14. Classem regiam. Quae Phoenicum navibus centum quadraginta septem constabat. Thucyd. VIII. 15. 3. Bernec.

Ne victoriam daret. Antiquiores quidam typis expressi, *ne victoriam totam daret.* Sed Bongarsius *totam* expunxit, quod in Codd. MSS. id non reperiret. Et videtur sane commode abesse. Vorst. — Otiosam vocem *totam*, cum Bongarsii codicibus, etiam recte praetermisit Franeq. et prima manus in Dorv. 3. Wopkens.

Necessitatem deponendi belli imponeret. Hegesippus lib. II. cap. 20. *paratum se, ut incolumes servaret, si bellum deponerent.*

Paullo ante quatuor Leid. Perizon. Bodl. Coll. N. et C. C. ed. Ald. Bongars. *ne aut victoriam daret*, omisso adiectivo *totam*. in ed. Rom. τὰ *totam daret* desiderantur. Abr. Gronov.

## CAP. III.

1. Hanc operam civibus venditabat. Hoc *venditabat* mihi quidem parum isto loco conveniens videtur. Explicat quidem Freinshemius per *imputabat*, *iactabat apud cives suos, sua opera id factum.* Qui autem hoc potuerit apud cives constitutus in exilio, et degens apud Tissafernem? Neque nunciis vulgare licebat rem proditioni similem, et sic in periculum vitae ipsum coniectuam. Quare praefero, quod legitur in impresso, *civibus vendicabat*, isto sensu: quicquid agebat, id vertebat omne in commodum suorum civium, id est, Atheniensium, id omne tribuebat ipsis. Error inde, quia scriba negligens *vendicare* et *vindicare* scribi promiscue nesciebat, et propterea τὸ *vendicare* putabat esse vitiosum. Scheff. — Mallet vir doctissimus eum antiquioribus editionibus: *hanc operam civibus vindicabat.* cui minime hic auscultandum. Qui enim rescissent Athenienses, quo animo esset erga patriam, quam ante tot cladibus affecerat; et qui potuissent in animum inducere, ut legatos ad eum mitterent, nisi per litteras, aut certos homines eis significasset, quid in eorum gratiam apud Tissafernem dixisset effecissetque. hoc vero est *venditare operam civibus*, quam scilicet eis navarat apud Persas. Si quid novandum, mallem cum Iuntina, *hanc operam civibus indicat.* Sed nil venustius et pulchrius vulgata. Graev.

2. Si respublica. Non repudio. Quia tamen scripti libri habent, *res populo*, sive *res a populo*, ideo suspicor illud *publica* annexum a sciolo neque genuinum esse. *Rem* simpliciter pro *republica* poni, frequens bonis scriptoribus. Sic *potiri rebus*, *praeesse rebus*, passim, et apud ipsum Nostrum *res Macedoniae* VIII. 6. 8. Scheff. — Placebat Scheffero, quod *publica* post *res* in quibusdam MSS. omissum est. Similiterque variant libri in his infra cap. X. 3. *Qui remp. regerent.* Et lib. IX. 4. *Meliusque cum rep. actum.* Atque ita tres Dorv. cum alio *res* pro *gens* habent lib. XVIII. 3. *Tyriorum gens condita a Phoenicibus fuit.* Sed quia *res*, in sing. numero, sic pro republica vel statu poni apud Iustinum non solet, vox *respublica* mihi omnibus his locis adservanda videtur. Wopkens.

3. Sperans, ut aut dux belli ab omnibus legeretur. Pro *sperans se aut ducem belli ab omnibus lectum iri.* Atque ita Noster non raro. Vide III. 6. 10. Est autem *ut* pro *quod* in talibus. Cuius generis multa et in Lib. de Latinit. F. Susp. cap. 24. congessimus. Vorst.

4. Maior salutis quam etc. Livius XXIII. 14. 4. *Rebus extremis, honesta utilibus cedunt.* Val. Max. VII. 6. *Cedit interdum generosus spiritus utilitati, et fortunae viribus succumbit, ubi, nisi tutiora elegerit consilia, speciosa sequenti concidendum est.* Sa-

pienter in hanc mentem Thucyd. V. 16. 41. et Liv. XXII. 8. 3 Bernec.

5. Itaque permittente. Flor. Ald. Iunt. *ita permitt.* Abr. Gronov.

Imperium ad senatum etc. Ad quadringentos, quorum meminit et Strabo lib. IX. Bongars. — Adde Thucydidem VIII. 11. Diodor. XIII. 34. Bernec. — Hic vero, sicubi alias, experiundum arbitror, quid iudicatrix illa facultas efficere possit. Neque enim dubitandum, quin hoc loco turpissimum mendum sit; id quod paucis a me ostendetur. Imperium defertur ad senatum, ait Iustinus. At senatus, cum insita *genti* superbia in plebem crudeliter consulere coepisset, tum vero mutatio rerum consecuta est. Ergo senatus est gens, quod magnopere falsum est. Nam gens et plebem complectitur et senatum. Quare mentem alio convertas necesse est. Quaero itaque cur gens Attica sumi possit pro senatu? Haud sane, inquis. At senatus, quid? Nonne ille *nobilitas* est? Hoc negari non potest. Nonne *plebs* et *nobilitas* (id est, *senatus*) perpetuo inter se dissidio laborant? Nonne hoc quoque perpetuae veritatis est, ut *nobilitas sit superba et impotens in plebem.* Hoc tale est ut eum esse in rebus publicis hospitem et peregrinum oporteat, qui de eo dubitandum putarit. Quare corrigendus necessario hic locus et sic legendus: *Imperium ad senatum transfertur, qui cum, insita nobilitati superbia, crudeliter in plebem* etc. Vin' tu addi aliquid? En tibi oraculum non ex specu Trophonii, sed ex adyto Sallustii in Iugurth. opinor: *superbia, solenne nobilitatis malum.* At MSS. tamen nihil habent, unde id confirmetur, quod dicis! Sed ratio et iudicandi facultas, et veritas ipsa nullone in loco apud te sunt? deberent certe, nisi te ab illis semotum esse profiteris. Faber. — *Genti* intellige nobilium, quod adeo Fabro placuit, ut refragante exemplarium consensu in textum admitti contenderet. Oxon. — Puto locum aliter curandum. Nempe illud *genti* existimo corruptum per scripturam compendiosam, ac pro eo ponendum *gentili*, delendum autem vocabulum *insita*, tanquam τοῦ *gentilis* glossam. Est enim *superbia gentilis*, quae huic genti insita. Nisi retinere *insita* malumus, et delere alterum. Scheff. — Non temere reiiciendum monet Gronovius (ad Liv. XXVIII. 24.) quod in quibusdam libris est *insita gentis* superbia. Ut Livius l. d. *insita* hominum *libidine alendi de industria rumores.* et lib. XXXVIII. 10. *Quum in fide societatis Romanae mansissent, insita gentis tranquillitate quiesse eos aiebat.* Nec tamen alterum spernendum. Tacit. Hist. V. 23. *Causa instruendae classis, super insitam genti vanitatem, ut* etc. Atque ita hic omnes nostri cum plerisque aliis codicibus habent, et melius quidem, ut mihi videtur. Wopkens. — Med. pr. sec. tert. Leid. ed. Rom. *gentis*, idemque in exemplari typis exarato reperit Bongarsius, et vulgato praefert Avus ad Livium lib. XXVIII. cap. 24. Abr. Gronov.

6. Qui cum, insita genti superbia, crudeliter in plebem consuleret. Hoc est: Cum in plebem saevirent, ac impotenter in-

hiberent imperium pro ingenio illius gentis, pro illa quae insita est Atticis superbia, ut quicunque ex iis, sive sint ex populo, sive ex nobilibus, ad imperium provehuntur tale, ut soli rerum potiantur, ceteros cives premant, vexent, superbeque habeant. Nihil hic video difficultatis, cur contra omnium codicum auctoritatem hic locus sit interpolandus, aut mendae suspectus habendus. Senatus non erat gens, sed erat ex illa gente, cui insita erat superbia, de qua et saepe alii scriptores questi sunt. Qui Thucydidem legerunt, id non possunt ignorare. Praeterea nec in rep. Atheniensi nec Romana senatus fuit nobilitas. Multi legebantur ex plebe senatores, cum senatoria dignitas communicata fuit cum populo. Marius, Cicero, et quot alii fuerunt senatores, sed non nobiles, antequam ad maiores magistratus eveherentur. Graev.

Singulis tyrannidis sibi impotentiam vindicantibus. Vide an cum impressis quibusdam ac duobus Dorv. malis *tyrannidis sibi potentiam v.*, i. e. tyrannidem. Wopkens.

Revocatur. Id valde contendente Pisandro, et aliis optimatum fautoribus. Thucyd. VIII. 13. Probus a Pisandro destitutum scribit. Bongars. — Annitente praecipue Thrasybulo. Thucyd. VIII. 13. et Probus in Alcib. Bernec.

Dux. Probus: *Praetor.* *Στρατηγός* Plutarch. in Alcib. Huc usque Thucydides, quem excipit Xenophon. Bongars. — Eam *συνέχειαν* notat et Diodorus XIII. 42. Bernec.

7. Athenas mittit. MS. et Iuntae, *scribit.* Sed cave vulgatum moveas. Nam *mittere* nonnunquam est scribere, et sive litteris, sive nunciis missis significare. Cic. XI. ad Fam. Ep. 16. *Mitte ad Lupum nostrum, ut is nobis eas centurias conficiat.* et II. ad Att. Ep. 2. *Nam ita ad me mittunt, Nigidium minari in concione, se iudicem, qui non adfuerit, compellaturum.* Sic et *ἐπιστέλλειν.* Aelian. Var. Hist. II. 5. et 19. et *πέμπειν* apud Scriptores Novi Foederis. Graev. — MSS. habent *scribit*, quod fortasse non reiiciendum. Nam *mittit se venturum*, nescio an commode dicatur: alii profecto mallent, *mittit, qui nunciarent, se venturum.* Scheff. — MSS. ed. Rom. Ald. Iunt. *scribit.* Abr. Gronov.

Statim igitur Athenas scribit. Hanc lectionem tam MStis quam vett. edit. firmari, testatur A. Gronovius, eamque Dorv. 1. et 2. ac, ni fallor, Franeq. etiam exhibent. Sic Sallust. Iug. cap. LXV. 4. *Uti* Romam *ad suos necessarios aspere in Metellum de bello* scribant. Ita Livius aliique. Latinitatem tamen Dorv. 3. et aliorum librorum scripturae *A. mittit, ex continenti* etc. recte contra Schefferum defendit Graevius, deque eo usu verbi *mittere* egit etiam Gronovius ad Livii VIII. 23. et XXXIV. 29. Wopkens.

Recepturumque a quadringentis iura populi. *Iura populi* nihil aliud sunt, quam quod paulo ante *imperium* et *remp.* vocavit. Cicero quoque eandem rem *ius publicum* vocat. ut IV. ad Fam. Ep. 4. *Postquam armis disceptari coeptum est de iure publico.* Porro *quadringentis* illis, abdicata democratia, imperium permiserant Athe-

nienses tum cum in Sicilia male rem gessissent; ut ex Diod. Sic. lib. XIII. scire licet. VORST.

9. ATQUE ITA IN BELLUM ADVERSUS LACEDAEMONIOS PERGIT. *In bellum* elegantius omisisset Iustinus, ex sententia Cortii, quia sic Sallustius Iug. cap. LXXIV. *Modo* adversum *hostes*, *interdum in solitudines* pergere. ubi tamen haec biga invenustior foret. WOPKENS.

## CAP. IV.

1. MINDARUS. Ita Graeci, et hic vulgati libri. MSS. *Zestromindareus*. Is navali ad Cyzicum pugna periit. Xenoph. I. Ἑλλην. Diodorus XIII. 51. Plutarchus Alcibiade cap. 58. a quibus historiae huius fusior explicatio petenda. BONGARS. — In omnibus MSS. legitur *Zestromindarus;* unde fac*: Iam Sesti Mindarus et Pharnabazus* etc. Nam in Hellesponto factam esse hanc pugnam cum alii, tum etiam Frontinus tradit lib. II. cap. 5. *Alcibiades dux Atheniensium in Hellesponto adversus Numidarum et Lacedaemoniorum ducem, cum amplum exercitum et plures naves haberet* etc. Sed ineptissima est haec Frontini lectio. Quis enim unquam prodidit, Numidas Lacedaemoniis opem tulisse? Nihil certius est, quam rescribendum esse, *adversus Mindarum, Lacedaemoniorum ducem*. VOSS. — In MSS. Bongarsii erat *Zestromindarus*, scriptura vitiosa. Legendum autem *Sesto Mindarus* etc. *Sesto* autem positum a Iustino fuit pro ad Sestum (quae urbs est Hellespontiaca in ora Europae,) ut alibi *Abydo*, pro ad Abydum (in ora Hellespontiaca Asiae.) lib. II. cap. 13. *Sed Graeci audita regis fuga consilium ineunt pontis interrumpendi, quem ille Abydo velut victor maris fecerat.* Sic et alibi *Cypro exsulabat*, pro apud Cyprum insulam. Sic et XX. 3. *Nam eadem die, qua in Italia pugnatum est, et Corintho et Athenis et Lacedaemone nuntiata est victoria.* Porro istud *Lacedaemoniorum* delere debes. Nam Pharnabazus Persarum satrapes erat, non dux Lacedaemoniorum. FABER. — Codices MSS. omnes, ut Bongarsius testatur, habent *Zestromindareus:* et veteres typis expressi Becharii et Sichardi *Zestromidarus.* Unde Cl. Vossius legendum censet, *Iam Sesti Mindarus.* At ego mutata terminatione malim, *Iam Sesto Mindarus:* quoniam in Codd. MSS. et antiquioribus typis expressis est *Zestro;* et quia non insolens Nostro nomina urbium secundae declinationis, si motus in loco notetur, casu sexto ponere. ut II. 13. 5. *Pons quem ille Abydo fecerat.* et XVIII. 4. 3. *Cum interim rex Tyro decedit.* et XX. 3. 9. *Corintho est nuntiata victoria.* Bongarsius et Berneccerus nomen loci, ubi Mindarus et Pharnabazus expectarunt, prorsus neglexere. Verum facile intelligitur, quia auctor instructis illos navibus exspectasse scribit, eundem additum item voluisse, ubi expectarint. Nihil autem commodius, quam Sesto eos expectasse. Notum de cetero est pugnam illam ad Ioniam et in Hellesponto commissam fuisse. Ipse Noster infra V. 4.

17. *Non Syracusarum, sed Ioniae Hellespontique meminerunt.* id est, rerum apud Ioniam et in Hellesponto ab Alcibiade gestarum. Frontinus quoque II. 5. ita: *Alcibiades in Hellesponto adversus Mindarum* (sic enim legendum) *Lacedaemoniorum ducem cum amplum exercitum et plures naves haberet.* Vocatur etiam pugna ad Cyzicum: qua de Diodorus XIII. 51. VORST. — Sub Persici huius Satrapae auspiciis militare non erubuerant Lacedaemonii, unde non immerito inter eorum duces numeratur Pharnabazus. Eruditissimus Isaacus Vossius reponendum iudicabat, *adversus Mindarum, Lacedaemoniorum ducem;* cui lectioni, si MS. accederet suffragium, calculum libentissime adiecerim. OXON. — *Iam Sesto Mindarus.* Recepi hanc lectionem, quam firmant MSS. Anglicani, et probarunt Oxonienses, et ante eos Vorstius: Isaaco tamen Vossio τῷ πάνυ debetur laus huius emendationis. Iuntae quoque perinde ut multi codices: *Iam Zestromidarus et Pharnabazus.* GRAEV.

PHARNABAZUS. Persicum hunc Satrapam nescio quare *ducem Lacedaemoniorum* appellet auctor: socium rectius et amicum dixisset. BERNEC.

4. QUIBUS EA RES QUAESTUM PRAEBEBAT. Diodorus XIII. 53. pr. Οἱ πολεμοποιεῖν εἰωθότες, καὶ τὰς δημοσίας ταραχὰς ἰδίας ποιούμενοι προσόδους. BONGARS. — Sic apud Livium III. 66. 3. ut Aequi et Volsci contra Romanos arma caperent, *persuaserant iis duces cupidi praedarum.* Hi tales nimirum, *tanquam artifices improbi, opus quaerunt, qui et semper aegri aliquid esse in republ. volunt, ut sit, ad cuius curationem adhibeantur.* Liv. V. 3. 6. BERNEC.

QUAESTUM PRAESTABAT. Med. Magl. pr. sec. tert. et a sec. manu quintus Leid. Coll. N. et C. C. ed. Bongars. *praebebat.* ABR. GRONOV.

5. ILLATUM A CARTHAGINIENSIBUS. De quo vide Diodorum XIII. 43. et seqq. BONGARS. — In Dorv. 3. alioque MS. erat *ob* (vel *propter*) *illatum a C. b. d. revocantur.* Mera interpretatio haec est. Sic lib. XIV. 5. *Cassandrum a Graecia turbatus Macedoniae status* revocavit. Lib. XX. 5. *Sed Dionysium in Siciliam adventus Carthaginiensium* revocavit. Liv. XXXVIII. 7. *Et Aetolos inde avocavit populatio maritimae orae.* WOPKENS.

DOMUM REVOCAVIT. Illud *domum* abest a MS. unde suspicor adiectum ex interpretatione glossatoris. SCHEFF.

6. QUIBUS REBUS DESTITUTIS LAC. Suspicari posset, *rebus* eliminandum, inque *quibus* subaudiendum *auxiliis* ex praecedentibus, *Syracusanorum* auxilia . . *bellum domum revocavit.* Atque ita *auxilio destituti* lib. XXXII. 1. Verum ut *destitutus* absque eiusmodi ablativo rursum occurrit lib. XXVI. 2. 10. et alibi: ita illud *quibus rebus* (quod hic interpretandum, quo auxiliorum discessu ac praeliandi infortunio) inter dictiones Iustino frequentissimas est. Vide infra cap. X. 10. lib. IV. 4. 6. lib. XI. 2. 5. lib. XXXIII. 1. 3. et lib. XXXVII. 2. 9. Sic Cicero II. in Rullum cap. V. quibus rebus *quanto in metu fuerimus* etc. ubi Graevius, *quibus in rebus.* WOPKENS.

— Nihil est, quo destituti dicantur Lacedaemonii, nisi *auxilia* Syracusanorum. Quid autem ineptius quam haec auxilia *res vocari*? Ergo expunge inertem vocem, scriptoribus antiquis ab oscitante glossatore saepe obtrusam. ut apud Cicer. de Divin. II. 1. *Quibus rebus editis, tres libri perfecti sunt de Natura Deorum* cet. ubi vide, quae dixi. HOTTINGER.

ASIAM VASTAT; MULTIS. Pr. tert. Leid. Coll. C. C. *As. vastat, iam multis.* De particula *iam* vide Cl. Graevium ad XLI. 5. 4. ABR. GRONOV.

7. ADIICIT. MSS. mei *addicit.* et mox: *praecipue tamen Alcibiadem miratur*, pro vulgata *Alcibiadem mirantur*; sed neutrum recipio. MOD. — Rectum hoc: sed MSS. alii *addicit*, alii *adicit:* quod posterius e veterum pronuntiatione est, et exterendi *i* vocalem consuetudine, de qua Agellius IV. 17. Sic Martialis idem verbum scripsit X. Epigr. 82.

*Si quid nostra tuis adicit vexatio rebus.*

Haec Acidalius ad Vell. II. 130. 8. BERNEC.

8. HIS OMNIBUS PRAELIIS. Quinque terrestribus, et tribus navalibus. Probus. BONGARS.

9. MIRANTUR. Per Synthesin. Modii tamen MSS. *miratur.* BERNEC.

10. DE COELO MISSUM. Minutius Octav. *In hodiernum inopinato visos caelo missos, ignobiles et ignotos, terrae filios nominamus.* BONGARS. — Et ex eo Lactantius I. 11. *Virtute nobilitatos et inopinato visos, coelo lapsos nominamus.* Cicero I. Epist. ad Q. Fratrem cap. 2. *Graeci sic te ita viventem intuebuntur, ut e coelo divinum hominem esse in provinciam delapsum putent.* Simillime Nostro Amm. Marcell. XXII. 2. *Effundebatur aetas omnis et sexus, tanquam demissum aliquem visura de caelo.* Lips. Antiq. Lect. II. 12. hoc dici putat imitatione Homeri Odyss. VIII. 173. BERNEC. — Angli una voce auctius, *quasi Deum de coelo.* Videtur non ineleg ans. Sed si recte examines, glossa est, nec ea satis apta. Sequitur enim *ut ipsam Victoriam*, ubi illud *ipsam* positum emphatice ostendit, plus inesse hisce verbis, quam antecedentibus. At si Deus missus dicitur, qui possit esse minor, quam missa Victoria. Hoc igitur non dixit Iustinus, sed simpliciter Alcibiadem missum de coelo, id est, singulari gratia coelorum tributum Atheniensibus. SCHEFF.

ET UT IPSAM VICTORIAM INTUENTUR. Confer Savaronem ad Sidonium lib. XII. epist. 5. Med. tert. quint. Leid. Bodl. *et velut ipsam.* Coll. N. *et veluti ipsam.* ABR. GRONOV.

EXCUSANTES IPSI, IRATUM PROVOCATUMQUE FECISSE. Mallem cum vetere ed. *excusantes ipsum iratum p. f. Excusare* hic est in excusationem afferre. Excusabant illa, eo quod iratus p. fecisset. Cicero Philipp. Or. V. 5. *Si Lysiades citatus testis non responderit*, excuseturque *Areopagites esse, nec debere . . res iudicare, accipietne excusationem is qui* etc.? Livius XXXVIII. 52. *L. Scipio morbum caussam esse cur abesset, excusabat . . Tribunus pl. . .*

*ita decrevit; cum L. Scipio* excuset *morbum esse caussam fratri, satis id sibi videri.* Lib. XLI. 19. *Crassus sacrificiis se impediri solennibus*, excusabat. Vide et lib. XLIII. 6. Confer Sallust. Iug. cap. CIV. *Postquam errasse regem et Iugurthae scelere lapsum*, deprecati sunt. i. e. in deprecationem causati sunt. WOPKENS.

12. TANTUM IN UNO VIRO. Isocrat. Orat. ad Philippum. BONGARS. — Sic Livius VI. 8. 5. de Camillo: *Quocunque se intulisset, victoriam secum haud dubiam trahebat.* Adde eundem Livium II. 43. 8. et IV. 28. 9. et XXXIX. 49. 5. Aemil. Probum fin. Epamin. BERNEC.

13. ONERANT. Quod e MSS. in variantibus lectionibus affertur *honerant*, esse legitimum, et pro *honorant* antique dictum, pertendit Acidalius ad Vell. II. 124. 5. BERNEC. — Non placet coniectura Acidalii, *honerant*, quod in MSS. quibusdam est, esse pro *honorant*. Est enim potius pro *onerant*. Neque novum est rebus quoque bonis atque acceptis *onerari* quosdam dici. Phaedrus V. 86. *Multis onerare laudibus.* Cuius generis plura in lib. de Latinit. vulgo fere neglecta congessimus. VORST. — Quamvis hanc lectionem cum aliis praeferat Drakenborchius ad Silium III. 15. mihi tamen non minus placet trium Dorv. aliorumque codicum scriptura *honoribus honorant.* ut Vellei. Pat. II. 124. *Post redditum coelo patrem, et corpus eius humanis* honoribus, *nomen divinis* honoratum, *primum* etc. Sallust. Cat. cap. XXXV. *Quod non dignos homines* honore honestatos *viderem.* Plaut. Capt. II. 1. 50.

*Ne me secus* honore honestes, *quam ego te.*

Sic idem Actu II. 2. 106. WOPKENS. — Ed. Rom. *ornant.* Quart. quint. Leid. Periz. ed. Ven. Flor. Med. Paris. Ald. Iunt. *honorant.* ut in Actis Apost. XXVIII. 10. οἳ δὲ πολλαῖς τιμαῖς ἐτίμησαν ἡμᾶς. Interpres vetus: *qui etiam multis honoribus nos honoraverunt.* Adde notam Cl. Wopkensii ad h. l. ABR. GRONOV.

14. IPSOS ILLI. Forte rectius, *ipsos illos.* FREINSHEM. — Cur Freinshemius hic et in Indice Flori voc. *ipse*, mallet *ipsos illos Deos*, ratio nulla erat. WOPKENS. — Admonent haec verba loci, qui habebatur supra cap. 1. 3. ubi vulgo legitur, *etiam diris per omnium sacerdotum religiones devotum cognovit.* Videtur enim ex collatione huius loci restituendum, quod occurrit in MS. *etiam diis iratis per omnium* etc. Nam *devotus exsecrationibus deorum* et *devotus diis iratis*, idem, non vero *devotus diris.* SCHEFF.

QUORUM EXSECRATIONIBUS ERAT DEVOTUS. Mod. ed. Rom. *fuerat.* ABR. GRONOV.

15. OMNEM HUMANAM OPEM INTERDIXERANT. Suet. Ner. 52. *Et cum interdixisset usum amethystini ac Tyrii coloris.* et Domit. 7. *Interdixit histrionibus scenam.* Nepos Hamilc. 3. *Quod moribus eorum non poterat interdici socero gener.* Noster quoque infra XLI. 3. *Quamobrem feminis non convivia tantum virorum, verum etiam conspectum interdicunt.* GRONOV.

18. NUNQUAM MEDIOCRIBUS, NEC IN OFFENSA, NEC IN FAVORE,

STUDIIS. Iuntae quoque cum MSS. *offensam* et *favorem*. GRAEV. — Med. Magl. sec. quint. Leid. Periz. Bodl. *in offensam nec in favorem*. ed. Bech. Ven. Flor. Med. Paris. Ald. Iunt. *in offensam nec favorem*. ABR. GRONOV.

## CAP. V.

1. LYSANDER. Post Xenophontem, vide Plutarchum et Probum in eius vita, Diodorum XIII. 70. qui eum Sardis ad Cyrum profectum scribit. M. Cicero in Cat. maiore cap. 17. ex Xenoph. Oeconom. BONGARS.

CYRUM IONIAE LYDIAEQUE PRAEPOSUIT. Cum Cyro minore, Darii filio, Lysander, qui classi belloque praefectus a Lacedaemoniis fuit, amicitiam coluit, Sardibus eum visitavit, magnamque pecuniae vim ab eo accepit. Vide Diodorum XIII. 70. VORST.

2. OPPRESSERE. Non Alcibiadem, sed Antiochum, qui quidem erat ἀγαθὸς κυβερνήτης, ἀνόητος δὲ τ' ἄλλα καὶ φορτικός. Plutarchus Alcib. cap. 66. et Pausanias Boeoticis. BONGARS. — Adde Diodorum XIII. 71. BERNEC.

4. ERAT. Cod. 1. Voss. *esset*. GRONOV.

6. EIS. Hoc referendum ad Athen. BERNEC.

7. MORUM LUXURIA. S. Maximus Taurinensis Homil. IX. *Dolendum plane est, istos morum abiicere nolle luxuriam.* ABR. GRONOV.

## CAP. VI.

1. CONON. Eius vitam descripsit Probus, qui eum proelio ad Aegos flumen, quo Atheniensium imperium concidit, non interfuisse scribit, contra quam Xenophon lib. II. Histor. Graec. Plutarchus Lysandro, Diodorus XIII. 106. BONGARS. — Quibus testis accedit Isocrates in Euagora, et ad Philippum: item Aristot. Rhetor. II. 23. In Oratione Demosthenis adversus Leptinem, res gestae Cononis praecipuae commemorantur. BERNEC.

CLASSEM MAXIMA INDUSTRIA EXORNAT. Veteres quidam typis expressi, *adornat*. Et perinde est *exornare*, *adornare*, idemque simplex *ornare*, idem quoque sunt quod instruere. Cuius generis itidem varia in praedicto libello congessimus. VORST.

4. ATHENIENSIUM DELETUM etc. Hinc *Athenienses tot cladibus exstinctos* criminatur Piso apud Tacitum Annal. II. 55. BERNEC.

5. SERVIS LIBERTATEM. Supra III. 5. 6. BERNEC.

6. EX QUA etc. Ita MS. rectius, opinor, quam quomodo Bongarsius et alii ediderunt, *eaque*. Sequentia verba ordini suo restitui, cum in aliis editionibus ita confunderentur: *Eaque in coll. hominum, dom. an. Graeciae, conscr. exercitu, vix lib. tueb.* BERNEC.

8. TANTA VIRTUS ANIMORUM ERAT, UT CUM PAULLO ANTE SALUTEM DESPERAVERINT, NUNC NON DESPERENT VICTORIAM. Non tentarem hunc locum, nisi in optimae notae codice Leidensi longe ali-

ter haec exarata invenirem; nempe hoc modo: *Tanta virtus animorum erat, ut paullo ante salutem, post speraverint victoriam.* Venusto et recto sensu. Primo de salute, mox de victoria certavere. Non aliter Tacitus in Agricola de Britannis: *Tum de salute, mox de victoria certavere.* De salute certat, qui tantum hoc agit, ut diutius non sit sub victore; de victoria, qui cum victore mutare fortunam contendit, talemque sibi esse vult, qualis ipsi victus fuit. Boxhorn. — Vid. Gronov. Praefat. pag. 36. Fr. — Miror, retinuisse hanc lectionem editos, cum sine dubio legendum sit, *desperarent.* Quanquam mihi longe elegantior videatur lectio, quae occurrit in quibusdam MSS. *ut cum paulo ante salutem desperaverint, post speraverint victoriam.* Scheff. — Schefferum male habere non debuit haec temporum enallage, quamvis analogia requireret, *ut cum p. a. s. desperassent, nunc non desperarent v.* Sic lib. XI. 4. *Ut bellum deprecantibus ita demum remiserit, ut oratores . . sibi dedantur.* i. e. dederentur. Lib. VI. 1. *Lacedaemonii . . quo plura habent, eo ampliora cupientes . . totius Asiae imperium affectare coeperunt.* Lib. XXIV. 5. *Nec minus ferociter se legatis . . iactavit, aliter se pacem daturum negando, nisi principes suos obsides dederint, et arma* tradiderint. ubi vir insignis tentabat *darent* et *traderent.* Lib. XXXVIII. 2. *A Mithridate deficiunt, fratremque . . ab Asia, ubi* educabatur, *revocant.* Ita dubito, an vere MSS. quidam *esset* habeant pro *sit*, in his lib. II. 10. *Tantoque rem maiorem, quanto* sit *occultior, putabant.* et lib. VIII. 2. *Dignum itaque, qui diis proximus haberetur, per quem deorum maiestas vindicata* sit. Ad istam enallagen, Graecis etiam usitatam, non attendebat Erud. Lamb. Bos in explicandis verbis D. Matthaei II. 18. *Et noluit consolari, quia non* sunt. Sic et Actorum XII. 9. *Et nesciebat, quia verum* est, *quod fiebat per Angelum.* Ex Caesare et aliunde innumera istiusmodi proferri possunt. Wopkens.

9. Sed neque is miles erat, qui nomen Atheniensium tueretur. Cl. Perizonius editionis Bernecceri margini adscripserat: „*Nomen,* id est dignitatem. Sic Virgilius lib. II. Aeneid. vs. 89.

*et nos aliquod nomenque decusque*
*Gessimus.*

„Hinc Salustius: *vulgus sine nomine. Tueretur.* Ita Cicero lib. „XIII. ad Att. ep. 49. *Erat enim in consulatus petitione per te mi-* „*hi pollicitus, si quid opus esset: quod ego perinde tuebar, ac si* „*usus essem.* et Catil. III. cap. 12. *Illud perficiam profecto, ut ea,* „*quae gessi in consulatu, privatus tuear, atque ornem.*“ Abr. Gronov.

10. Cum dux Conon eo praelio superfuisset solus etc. Aut legerim *ex praelio* pro *eo praelio:* ut lib. XXVIII. 4. *Quatuor millia sola* ex *pugna* superfuisse. aut potius, cum tribus Dorv. aliisque MSS. *praelio*, sine *eo* vel *ex:* quemadmodum lib. XVIII. 3. *Omnes qui* praelio superfuerant . . . *crucibus adfixit.* Lib. XVII. 1. *Hi qui* caedibus superfuerant . . . *ad S. deficiunt.* Lib. XIX. 2.

*Egredientesque paucos e navibus, qui* cladi superfuerant, *de suis percontantur.* Livius XXXIX. 31. *Ex quibus tam exigua pars* pugnae superfuerat. Lib. XLI. 31. *Nam qui* superfuere praelio, *in oppida sua dilapsi sunt.* Sic Tacitus aliique. Conferatur Dictys Cret. V. 17. *Cuncti qui* bello residui *nocturnam civitatis cladem evaserant* etc. et cap. 10. *Cuncti barbarorum socii, qui bello* residui *erant* etc. Hegesippus I. 14. *Comitantibus secum qui* bello reliqui *fuerant, confugit in Antoniam.* Ruffinus Hist. Eccl. V. 3. *Si quid forte vel* bestiis *vel* igni reliquum *ex corpore martyrum fuerat.* Vetus Int. Exodi X. 5. *Sed comedatur, quod* residuum *fuerit* grandini. Atque ita vox *superstes* cum dativo obvia est. Wopkens. — Pronomen *eo* abest a Thuan. tert. Leid. Coll. N.° ed. Bech. Ven. Med. Paris. Orosius lib. II. cap. 16. *solus dux Conon superstes bello, et populo.* Infra XVIII. 3. 38. *qui praelio superfuerant.* Tacitus lib. I. Hist. cap. 79. *donec pauci, qui praelio superfuerant, paludibus abderentur.* et IV. 60. *cunctosque, qui praelio superfuerant, incendium hausit.* Confer Cl. Wopkensium h. l. Abr. Gronov.

Solus. Scilicet e ducibus ac trierarchis. Bernec.

Cum octo navibus. Plutarchus. At Diodorus XIII. 106. *Τῶν μὲν οὖν τριηρῶν δέκα μόνον διεξέπεσον, ὧν μίαν ἔχων Κόνων ὁ στρατηγὸς, τὴν μὲν εἰς Ἀθήνας ἐπάνοδον ἀπέγνω* etc. Bongars. — Hanc pugnam, praeter Diodorum, egregie describit Xenophon Hist. Graec. lib. II. Vide Pausan. III. pag. 180. Bernec.

Ad regem Cyprium concedit. Bechar. Ven. Flor. *contendit.* Ald. Iunt. *ad regem Cypri contendit.* Abr. Gronov.

## CAP. VII.

3. Recepit. Melius *recipit:* et mox *relinquit*, ut congruat praecedenti *mittit.* Freinsh. — Vide not. ad V. 9. 11. Bernec. — Med. sec. quint. Leid. Coll. N. *recipit* et *relinquit:* quomodo correxit Freinshemius. Tertius Leid. *recipit* et *reliquit.* Orosius: *ademtis omnibus civitatibus, nihil Atheniensibus praeter inanem urbem reliquit.* Abr. Gronov.

4. 5. 6. etc. Epitomatorem professo minime conveniens et affectione prope putida hypotyposis. Bernec.

6. Fortunam publicam questibus iterant. Hoc est, denuo conquerebantur de fortuna publica. Sed an *iterare questibus fortunam* commode dicatur, haereo. Certe non tam fortuna ipsa iteratur, quam eius memoria, ut saltem genus hoc sit paulo durius et insolentius. In MS. quodam legitur, *fenerant*, ex quo prope venio in hanc sententiam, scripsisse Iustinum, *questibus onerant.* Esset profecto haec lectio elegantior, et suetior Latinis. Sic enim et *laudibus, contumeliis, iniuriis, maledictis, probris onerare* passim legitur. Adde, quod re vera querelas non iteraverint, cum de fortuna publica prius non fuerint conquesti, sed tantum anxii et dubii. Scheff. — Angli *onerant;* quod egregie firmat coniecturam nostram,

quam in notis proposuimus. SCHEFFER. — Schefferus cum MSto legebat *questibus onerant.* Atque hoc modo Seneca Phoen. 194. dixit *casus suos onerare:* et Oedip. 82. *questu gravare mala.* Sed non facile equidem vulgatam lectionem deseram, in qua *fortunam questibus iterare* est, illi continuis questibus illacrimari, vel illam querendo commemorare, sibi invicem ob oculos ponere. Apuleius Metam. V. pag. 91. *Sed eo simul cum nocte dilapso, diem totum lacrimis ac plangoribus misella consumit: se nunc maxime prorsus perisse* iterans, *quae* etc. Horatius II. Od. 19.

*Fas pervicaces est mihi Thyadas*
*Vinique fontem, lactis et uberes*
*Cantare rivos, atque truncis*
*Lapsa cavis iterare mella.*

Plautus Asin. III. 2.

*Nae illa edepol pro merito nunc tuo memorari multa possunt:*
*Ubi fidentem fraudaveris, ubi hero infidelis fueris* etc.
*Verum edepol nae etiam tua quoque malefacta* iterari *multa*
*Et vero possunt.*

Vide et in Casina V. 2. 5. et 6. Mamertinus Grat. Act. cap. XXX. *Superfluum forte videatur, quae vosmet ipsi vidistis* iterare: *neque enim auribus expetuntur, quae fuerint usurpata luminibus.* WOPK.

7. CUM PRIVATIS CASIBUS QUERELAM PUBLICAM MISCENT. Pro *cum querela de casibus privatis querelam publicam miscent.* Cuius generis plura ad I. 7. 14. et II. 14. 10. notavimus. VORST.

8. FORTUNAM IUDICANTES. Angl. *iudicant.* Nec displicet. VORST.

9. ET SUPERBUM VICTOREMQUE HOSTEM PROPONENTES. Eiiciendae e textu scriptoris hae duae voculae *que hostem*, quod me paene pudet admonuisse, ita res clara est et manifesta. Legendum: *et superbum victorem proponentes.* FABER. — Magna fiducia, tanquam nihil certius ac manifestius esset, Faber legendum statuit, *et superbum victorem proponentes.* In quo tamen magnopere fallitur, idque ex ignorantia usus elegantissimi copulativae coniunctionis, de quo vidimus ad haec Velleii II. 60. *maluitque avunculo* et Caesari *de se, quam vitrico, credere.* Sic etiam Val. Maximus III. 2. 27. *Sed quis dubitet, quin et Galli* et victores *illam admirationem mox in risum essent conversuri?* Lib. IV. 3. 1. *Virginem . . et caelebs* et victor *. . sponso inviolatam tradidit.* Lib. VI. 2. 1. *Eodem tempore* et victoribus *et iratis subiecta.* WOPKENS. — Saxo lib. X. pag. 203. f. *ut iam sibi victoriam ante oculos praeponentes* (leg. *proponentes*) *in praelium prosilirent.* ABR. GRONOV.

11. FELICIORES URBIS RUINAS DUCENTES. Angli *dicentes*, quod et ipsum rectum videtur. Proponuntur enim hic eorum lamentationes et querelae per suas partes. At illud *ducere* ad secretum animi refertur iudicium. Sic Noster alibi, ut XXIV. 4. 9. *Actum de Macedonia dicens, si egeat.* et XI. 5. 4. *Se quoque non debere melius sperare dicentes.* SCHEFF.

TAXATAE SINT. Hoc est, constiterint, aestimatae fuerint. Senec.

Consol. ad Marciam cap. 19. *Tanti quodque malum est, quanti illud taxavimus.* BERNEC. — Plin. XXXV. 11. *Talentum Atticum XVI M. taxat Varro.* Vide et Florum I. 12. 8. et II. 6. 18. Est autem *taxare* idem quod aestimare. VORST.

12. PRIDEM. Supra II. 12. 16. BERNEC.

## CAP. VIII.

1. SIC DEFLETAE. Ea notione vox usurpata, ut apud Sueton. Calig. cap. 38. *Diplomata ut vetera et obsoleta deflebat.* ubi male rescribunt alii, *difflabat.* Nam *deflendi* voce in eodem sensu utitur Suetonius Calig. 30. 9. Ita verbum *deplorare* ponitur apud Livium XLIII. 7. 4. Ita Seneca Consol. ad Marciam cap. 26. princ. Curtius VIII. 6. 10. Velleius II. 119. 1. BERNEC. — Vide Diod. Sic. XIII. Xenoph. Hist. Graec. II. Plut. in Lysand. et Alcibiad. Aelian. IV. Var. Hist. Thucyd. I. Strab. IX. OXON.

OBSIDIONE CIRCUMDATA OBSESSOS FAME URGENT. Iuntae: *obsidione circumdatos fame urgent.* Sic scripsit Iustinus. *obsessos* est interpretatio τοῦ *obsidione circumdatos*, quae postea ipsis Iustini verbis fuit immista. Mox *Pyraeeum* Iuntae et hic et ubique recte scribunt. GRAEV. — Quanquam hoc sit satis Latinum, *obsidione circumdata obsessos* (nam dicimus *circumdare urbem obsidione*, et *circumdare urbi obsidionem*) tamen validius placet, quod in optima illa Iuntarum editione, qua usus est doctus amicus noster Io. Graevius, *et obsidione circumdatos fame urgent.* FABER. — Becharii atque aliae antiquiores editiones sic: *obsidione circumdatos et obsessos fame urgent.* Iuntarum autem, ut Graevius testatur, *et obsessos* ut supervacuum plane omittit, habetque, *obsidione circumdatos fame urgent.* Si genuinum sit *obsidione circumdata*, erit id simile illi, quod supra vidimus, *munitionibus circumdatis.* VORST. — Recte Graevium cum ed. Iuntina emaculasse priorem lectionem, *et obsidione circumdata obsessos fame urgent*, fidem quoque facit Dorv. 3. WOPKENS.

2. NEQUE EX ADVECTIS COPIIS. Illud *copiis* abest a plerisque MSS. unde suspicor ex glossa natum. Sed sic mox pro *novae*, *nova* fuerit scribendum, plane sicut in quibusdam antiquis scriptum reperitur. SCHEFF.

3. QUIBUS MALIS ATHENIENSES. Ita MSS. et auctor etiam alibi, ut III. 7. 1. et V. 4. 4. Bongars. et alii: *Quibus malis rebus Athenienses fracti.* BERNEC. — Bongarsius ex suis, *quibus malis rebus.* Alterutrum horum glossatoris est, non Iustini. Berneccerus stat pro voce *malis*, quoniam et alibi sic Noster. Mihi potior videtur vox *rebus*, quoniam ipsa opus habebat explicatione per glossam, non altera, quae per se intelligitur. SCHEFF.

4. MULTI. Lysander et Agis. Pausan. in Laconicis. BONGARS. — Praecipue vero Corinthii ac Thebani, aliique Graeci non pauci. Xenophon lib. II. Hist. Graec. BERNEC.

Cum multi delendum Atheniensium nomen, urbemque incendio consumendam censerent. Huc spectat fragmentum Lycurgi apud Suidam v. *Μηλόβοτος χώρα· κεῖται δὲ τοὔνομα καὶ τῷ* (lege ex MSS. Leid. *καὶ παρὰ τῷ*) *Λυκούργῳ ἐν τῷ κατ' Αὐτοκλέους· ἀλλὰ καὶ μηλόβοτον τὴν Ἀττικὴν ἀνῆκε· βουλευομένου δὲ ὅπως τῇ πόλει χρήσεται. Ἀθηναῖοι μὲν μηλόβοτον ἀνεῖναι συνεβούλευον· Φωκεῖς δὲ ἀντεῖπον σῶσαι.* Pro *Ἀθηναῖοι* Cl. Kusterus corrigit *Θηβαῖοι*, et pro *ἀνεῖναι* MS. Leid. dat *ἀεῖραι*. Abr. Gronov.

Ex duobus Graeciae oculis. Ne scilicet illa fieret *ἑτερόφθαλμος*, lusca, ut notat Plutarch. in Praec. politicis. Ea de re consultus etiam Apollo respondit, *τὴν κοινὴν ἑστίαν τῆς Ἑλλάδος μὴ κινεῖν*. Aelian. IV. Var. Hist. 6. Haud absimili figura Cimon Spartanis subveniendum arbitrabatur contra Messenios, *adhortatus eos, ne Graeciam claudam reddi, neu urbem socia destitui sinerent.* Plutarch. in eius vita. Bernec.

5. Si demissa Piraeum versus. *Ὥστε τὰ μακρὰ σκέλη καὶ τὰ τείχη τοῦ Πειραιῶς περιελεῖν.* inquit Diodorus XIII. 107. Plutarchus Lysandro: quos vide, et Xenoph. Hist. Graec. II. Et ita bello Peloponnesiaco finis impositus, quod Thucydides I. 1. 1. *ἀξιολογώτατον τῶν προγεγενημένων,* et *μακρότατον* vocat. In annum enim XXVI. protractum est. Bongars. — MS. *dimissa*, quae nec ipsa lectio mala est. Vide Nonium in *Dimittere*. Bernec. — *Piraeeum* scribendum est, non *Piraeum*, non *Pyraeeum*, denique non aliter scribendum. Ita Graeci omnes. Et ita Muretus monuerat ad Terentium. Faber. — *Demissa*, idem quod *deducta*. *Piraeeus* scribendum, non, ut quidam scribunt, *Piraeus*. Graeci enim *Πειραιεὺς* scribunt. *Brachia* vocat quae muri partes in longitudinem porrectae erant. Nec aliter infra V. 9. 12. Vorst. — Med. sec. quart. Leid. *demissa in Pyraeëum versus.* Cicero lib. IV. ad Fam. ep. 12. *in Italiam versus navigaturus.* Curtius lib. IV. cap. 7. *in meridiem versus Arabes spectant.* Inscriptio apud Gruterum pag. 207. ANTAS DUAS AD MARE VORSUM PROICITO. Marcianus Capella lib. VI. pag. 217. *Interior autem Africa ad meridiem versus habet Leuco-Aethiopes.* Ita MS. Laud. pro vulg. *Leucas Aeth.* Abr. Gronov.

Muri brachia. Haec erant 5000 passuum. Plin. IV. Nat. Hist. 7. *Brachium* autem in aedificiis notat omne id, quod extra ordinariam aedificii lineam et rectum ordinem excurrit. Statius V. Theb. 279.

*gemini qua brachia muri*
*Littus eunt.*

Liv. IV. 9. *Consul muro Ardeae brachium iniunxerat.* et XXII. 52. *Brachio flumini obiecto eos excludit.* Frontin. III. Strat. 17. 4. *Brachiis a latere ductis.* Strabo XIV. pag. 654. vocat *σκέλη*. Gronov.

Navesque, quae reliquae forent, traderent. Exceptis decem, quas, nec plures, illis possidere licuit. Diod. XIII. 107. Bernec.

Ex semet ipsis. Hoc est, Atheniensibus. Quod non putassem

notatu dignum, nisi hic etiam Hispanicus auctoris interpres impegisset. Posset autem et aliis accidere, quod illi potuit. BERNEC.

7. INSIGNIS HIC ANNUS. Is fuit quartus Olympiadis XCIII. ab U. C. CCCXLVIII. BERNEC.

EXSILIO DIONYSII. Orbis literarii phoenix Ios. Scaliger insigniter auctorem et tempore et persona hic errare demonstrat, lib. V. de Emend. Temp. pag. 224. tempore, quod 48 annis illud exsilium post acciderit: persona, quod non Dionysius senior, Hermocratis filius, in exilium actus sit; sed Dionysius iunior huius filius. Sed Iustinus habebat in animo, eo anno Dionysium victum a Carthaginiensibus fuisse: propterea cladem acceptam illius Dionysii cum filii exilio confuderit. BERNEC.

INSIGNIS HIC ANNUS ET EXPUGNATIONE ATHENARUM, ET MORTE DARII REGIS PERSARUM, ET EXSILIO DIONYSII SICILIAE TYRANNI FUIT. Cl. Corsinius in Fastis Atticis pag. 256. pro *exsilio* legit *exordio*. Cl. Iensius margini editionis Graevianae adscripserat: „*exilio* Henninius in literis ad nos III. Kal. Decembr. MDCCI. ut ad Dionysium „maiorem referatur.“ Dein suam de hoc loco sententiam aperit vir Cl. „Sed haud dubie tota haec periodus est spuria, inserta ex „margine in contextum. Etenim Darii huius mortem aggreditur „auctor cap. XI. *Eodem fere tempore Darius rex Persarum mo„ritur*. Quod non attexuisset, si id hic iam esset factum, vel de„buisset saltem ibi addi, *ut supra monui*, vel simile quid, uti iste „est Historicorum mos.“ Ita sane respectu relationis ad praecedentia uti solet auctor his formulis, *ut* vel *sicut supra dictum est*, II. 5. 9. XXXVIII. 9. 2. XLI. 5. 8. *sicuti supra significatum est*, II. 9. 7. *cuius mentio supra habita est*, X. 2. 2. Quod autem ad hanc περιοχὴν spectat, eam genuinam esse persuadent Orosius lib. II. cap. 17. et ipse auctor, qui eodem modo loquitur infra XXXII. 4. 9. *Insignis hic annus trium toto orbe maximorum imperatorum mortibus fuit Hannibalis, Philopoemenis et Scipionis Africani*. ubi eiusmodi formulam quoque omittit, quamvis Philopoemenem veneno sumto exspirasse etiam antea retulerit, nempe eiusdem libri cap. 1. 9. ABR. GRONOV.

9. TRIGINTA RECTORES. Vide praeter citatos (ad §. 5.) Diodorum initio lib. XIV. BONGARS.

TRIGINTA RECTORES REIPUBLICAE CONSTITUUNTUR; QUI FIUNT TYRANNI. Seneca Epist. 104. *Viginti et septem annis pugnatum est: post finita arma triginta tyrannis noxae dedita est civitas, ex quibus plerique inimici erant*. ABR. GRONOV.

10. QUIPPE A PRINCIPIO TRIA MILLIA SIBI SATELLITUM STATUUNT — ET DCC MILITES A VICTORIBUS ACCIPIUNT. Vincentius lib. III. cap. 68. *adunatis sibi tribus millibus satellitum et septingentis millibus de exercitu victoriae*. Lege, *et septingentis militibus de exercitu victore*. Orosius lib. II. cap. 17. *qui primo se tribus millibus satellitum stipant; mox etiam septingentos milites victoris exercitus lateribus suis circumponunt*. ABR. GRONOV.

12. Caedes deinde civium ab Alcibiade auspicantur. De morte Alcibiadis, ad cuius caedem triginta tyranni Lysandrum impulerunt, vide Plutarchum, Diodorum, Probum, Ciceronem de Divinat. II. 62. Val. Max. I. 8. Bongars.

Sub obtentu liberationis invaderet. *Liberatoris*, quod in MS. reperit Bongarsius, merito improbat Vorstius ad I. 6. 1. Infra XXXVII. 3. 4. *Ptolemaeus sub specie sororiae ultionis Asiae inhiabat.* Curtius lib. X. cap. 8. *cum iste sub tutelae specie regnum occupaturus sit.* Abr. Gronov.

14. Vivus crematus etc. Non vivus, sed mortuus iam et barbarorum telis confixus, iuxta Probum et Plutarch. in Alcib. Bernec. — Contra habent Plutarchus, et Cornelius Nepos, ut iam vidit Cl. Berneccerus. Verba Cornelii in mendo cubant: *Illi, cum eum ferro aggredi non auderent, noctu ligna contulerunt, circa domum samenam, in qua quiescebat, eam succenderunt* etc. Non attinet, virorum doctorum super hunc locum coniecturas apponere. Lege, *circa domum Sanisenam.* Sanisene appellatur tractus in confinio Phrygiae et Galatiae. Voss.

## CAP. IX.

1. Hoc ultoris metu. Angli, *ultoris huius metu.* Graev.

Rapinis exhauriunt. Saxo lib. XIV. pag. 258. *bona eorum qui ad Canutum concesserant, rapinis exhauriunt.* Abr. Gronov.

2. Theramenı. Uni de XXX. vide Xenoph. Hist. Graec. lib. II. et M. Ciceron. Tusc. I. 40. Bongars. — Item Plutarchum in Nicia et Consol. ad Apollon. cap. 9. Bernec.

Ipsum quoque ad terrorem omnium. Angli rectius: *ipsum quoque ad documentum ceterorum, et terrorem omnium.* ubi *documentum ceterorum* videtur intelligendum, quod docere ceteros debet, qui nimirum ita grassabantur caedibus, ne et ipsis hoc inciperet displicere. At hoc modo nescio, an facile ullibi reperias. *Documentum alicuius est*, quod quis edit. Ita *documenta egregii principis* apud Sueton. in Galba cap. 14. per quae docet se talem futurum. Haereo igitur, nec satis scio, an hoc admittendum sit augmentum. Scheff.

4. Quod etiam ipsum auxilium cum miseris eriperetur. MSS. nonnulli cum Iuntis: *Quod cum etiam ipsum auxilium unicum miseris eriperetur.* Graev. — *Auxilium* pro refugio. Vulg. Numeri XXXV. 6. *De ipsis autem oppidis . . sex erunt in fugitivorum* auxilia *separata.* Wopkens. — Ed. Bechar. *auxilium a miseris er.* Coll. N. *cum etiam ipsum auxilium unicum miseris eriperetur,* omisso pronomine relativo. sec. Leid. Magl. *quod etiam i. auxilium unicum miseris eripitur.* ed. Ald. Iunt. *quod cum etiam ipsum auxilium unicum m. eriperetur.* Abr. Gronov.

6. Thrasybulus. *Τυριεὺς ὀνομαζόμενος.* Diodor. XIV. 33. Vide Xenophont. Hist. Graec. lib. II. Pausaniam Atticis. Bongars. —

Huic *neminem praeferre se fide, constantia, magnitudine animi, in patriam amore*, scribit in eius vita Probus. BERNEC.

NOBILIS. Probus: *Multi eum nobilitate praecucurrerunt.* BONG.

ETIAM CUM PERICULO. *Δράσαντάς τι καὶ κινδυνεῦσαι δεῖ.* Thucyd. I. 4. 5. et III. 9. 4. Quod dictum ad ancipitem febris hecticae curam accommodat Galenus Meth. Med. X. 10. Et proverbio iactatum, patet ex Aeschylo Choëphoris vs. 303.

δράσαντι παθεῖν,

Τριγέρων μῦθος τάδε φωνεῖ.

BERNEC. — Saxo lib. XIV. pag. 258. 53. *audendum aliquid cum periculo ratus.* et pag. 357. 7. *pro patria difficilia audere solitus.* ABR. GRONOV.

CASTELLUM PHYLEN. Stephanus de Urbibus. *χωρίον* vocant Xenophon et Diodorus. BONGARS.

7. CRUDELES etc. Bongarsius et alii *crudelis* ediderunt. Praetuli, quod MSS. codices, ipso referente Bongarsio, probant, cum praesertim auctor alibi quoque *miserari* cum accus. iungat: ut VIII. 5. 13. XII. 5. 8. XXVII. 1. 5. XXVIII. 4. 12. BERNEC. — Bongarsius et alii ediderant, *crudelis*. Quod Bernecccerus in *crudeles* mutavit; quod vereretur, ne *crudelis* pro casu secundo num. sing. haberetur. Verum si maxime *crudelis* legatur, potest id nihilominus pro vocabulo quarti casus et pluralis numeri haberi. VORST.

8. ITAQUE ISMENIAS. Med. Magl. ed. Rom. Ald. Iunt. *Itaque et Ism.* Flor. Paris. *Itaque et Hismenias.* ABR. GRONOV.

9. LYSIAS. Paulo aliter Plutarchus in vitis Rhetorum, quem vide. BONGARS.

EXUL TUNC. Non improbo, tantum relinquo cogitandum, cum in MSS. sit *exultans*, utrum non Iustinus scripserit et distinxerit, *et Lysias Syracusanus orator exul, tamen quingentos milites* etc. Efficacius sane esset. Tantum miseratus est Athenas, ut licet esset exul, atque adeo ipse opus haberet subsidio aliorum; tamen tot miserit eis in auxilium. SCHEFF.

PATRIAE COMMUNIS ELOQUENTIAE. Cicero de Orat. I. 4. *Athenis summa dicendi vis et inventa est et perfecta.* Idem in Bruto cap. 10. *In ea urbe et nata et alta est eloquentia.* Adde Velleium I. fin. et Nostrum II. 6. 6. BERNEC.

10. SECURIUS PUGNARETUR. Maluit Sichardus olim legere, *incurius pugnaretur:* credo quod ita in veteribus libris (neque enim solebat temere aliquid in classicis scriptoribus immutare) hunc locum legi deprehendisset, et probam eam vocem censeret, et ad quem modum Apuleius *agnum incuriosum* dixit pinguem, quasi curae expertem, quod qui cura vacant et solicitudine, citissime pinguescant. neque novum sane videri debet hoc, cum et Lucretius *intactus* dixerit, et Ovidius *inambitiosus*, et Seneca *inperpetuum*, et Tertullianus *inbonus*, et Arnobius denique *inodor*. MOD. — Accurata illa Sichardi editio Basil. habet *incurius*, ex quo Freinshem. facit *incuriosius*. BERNEC. — Caussa non est, ob quam τὸ *securius* in in-

*curius*, vel *incuriosus*, debeat mutari. *Secure*, id est, segniter, non serio pugnat ille, qui alienae dominationis conatus bello cogitur promovere. Et ita loquuntur optimi scriptores. BOXHORN. — Pro *securius*, quod sane hic incongruum, malunt viri docti *incurius* vel *incuriosius*. Tu vero mecum ex Dorv. 3. lege *segnius*. Frontin. Strat. IV. 7. 24. *Cum quatuor millia ex his, qui* segnius pugnaverant . . . *in* . . *collem coissent*. Livius XXIV. 16. *Qui* pugnaverant segnius, *nec in castra irruperant simul*. et lib. XL. 40. *Egregie legiones, sed* segnius *duae alae* pugnabant. Lib. IV. 29. *Non* segnior *oppugnatio est, quam pugna fuerat*. Vide et Iustin. XXXII. 3. extr. WOPKENS. — Periz. *segnius pugn*. ABR. GRONOV.

11. REFUGERUNT. Sebis. *refugiunt*, ut tempora congruant. Sed auctorem talium incuriosum passim deprehendas. BERNEC. — Angl. *refugiunt*. Probo; quia praecedit *vincuntur*, item quia sequitur *spoliant*, simillibus temporibus. SCHEFF.

EXHAUSTAM CAEDIBUS SUIS etc. Haec sequenti modo videntur distinguenda: *exhaustam caedibus, suis etiam armis spoliant*. GRONOV. — Non video, quare haec ita distinguenda videantur Gronovio, *e. caedibus, suis etiam armis sp.*; sive *caedibus suis* intelligas caedes a se (tyrannis) factas, sive caedes urbis vel quas urbs perpessa fuerat: ut lib. XI. 13. *Cum in aciem secum tam tristem memoriam* caedium suarum . . *ferrent*. Lib. VIII. 2. *Poenasque violatae religionis sanguine et* caedibus suis *pendunt*. Incertus Paneg. Constantino Aug. cap. 16. *Ut* . . *ipsum diem natalis sui ultima* sua *caede signaret*. Adde lib. IX. 7. *Nec ipsum Al. ignarum* paternae caedis *extitisse*. WOPKENS.

14. ACCITIS. Sebisius *acceptis* legit. BERNEC. — Hoc *accitis* vix est sanum. Magis probo, quod habet Sebisius, *acceptis*. nisi quis putet, scripsisse Iustinum *excitis*. Et usurpat Noster alibi quoque tali sensu. Vide II. 4. 22. SCHEFF. — Non offenderet verbum *accitis*, si hoc modo legeremus, *auxiliis a Lacedaemoniis accitis, iterato p.* ut Orosius II. 17. *Quod ubi frustra speratum est*, arcessitis *a Lacedaemone* auxiliis, *rursus in bellum ruunt*. Sed iam cum Sebisio lego, *quibus acceptis, i. p.*; non autem cum Scheffero, *quibus excitis*, licet *excire auxilia* dixerit Livius. WOPK.

15. CRITIAS. Τὴν ἡγεμονίαν ἔχων. Diodor. XIV. 34. *Dux tyrannorum*. Probus. *Crudelissimum omnium tyrannorum* vocat Lactantius lib. III. de Falsa Sap. BONGARS.

HIPPOLOCHUS. Ita habent veteres omnes. Eius Diodorus et Probus non meminerunt. Xenophon lib. II. Graec. *Hippomachum* vocat, quomodo habet editio vulgata. BONGARS. — Ita sane Codices MSS. omnes, quos quidem Bongarsius vidit. Sed legendum tamen fortasse *Hippomachus*, ut Xenophon lib. II. Hist. Gr. vocat. Habet ita editio Coloniensis, et in margine editio Sichardi. Paulus quoque Leopardus ita legendum censuit. Pari modo IV. 5. 7. *Eurylochus* erat pro *Eurymedon*. VORST.

## CAP. X.

1. Maior pars Atheniensium. Lucan. X. 403.

*Pars maxima turbae*
*Plebis erat Latiae.*

Liv. XXIII. 35. *Ea maxima pars volonum erat.* Idem XXIV. 16. *Et ea maior pars equitum* etc. et XXVII. 9. *Et erant maior pars Latini nominis sociorumque.* Gronov. — Similia huius constructionis exempla adfert ad h. l. Avus, qui in nota ad Livium lib. XXIII. cap. 35. legendum conieccrat, *ex quibus maior pars Athenienses erant.* Ita Tacitus lib. III. Hist. cap. 12. *Magna pars Dalmatae Pannoniique erant.* Abr. Gronov.

Ex quibus maior pars Atheniensium erat. I. e. ex Atheniensibus constabat, ut probat Grenovius, postquam ad Livii XXIII. 35. quondam *Athenienses erant* legendum credidisset. Ita Livius XXXVI. 2. *Ita ut in iis duae partes* socium *Latini nominis*, *tertia* civium *Rom. fuerit.* Lib. XXXVIII. 10. *Ex quibus* coquorum . . *maior numerus* fuit. Lib. XLI. 2. *Exercitum* . . *non* liberorum, *sed maiorem partem* servorum *habent.* Hirtius B. Afric. cap. XXI. *Quorum omnino numerus fuit* XXX cohortium. Orosius IV. 12. *Cetera multitudo* sociorum *fuit.* Sulp. Severus Dial. II. cap. 4. *Turba processit*, *quae erat tota* gentilium. Florus I. 18. *Quum* . . *legati* . . *urbem templum sibi visum*, *senatum* regum *esse confiterentur.* id est, ex regibus constare, qua phrasi hac in re utitur Livius IX. 17. Neque opus esse credo, cum quibusdam MSS. ibi *consessum* post *regum* iniici. Workens.

Magna voce Thrasybulus. Non Thrasybulus, sed Cleocritus κῆρυξ μάλιστα ἔμφωνος ὤν. Xenoph. Histor. Graec. I. Bongars. — Quo loco refertur haec oratio. Bernec.

Quam ut vindicem. Cum Dorv. 3. libens induxerim particulam *ut* ante *vindicem:* neque agnovisse Orosius videtur, quum sic Nostri verba exprimit: *quin potius omnes* . . *sequi oportere Atheniensium libertatis ultores.* ubi malim *ultorem.* Wopkens.

3. Admonet deinde. MSS. *Admonens deinde.* Sine dubio legendum, *Admonens deinde cognationis* etc. nam *admonet*, *orat*, non satis commode cohaerent. Scheff.

Sacrorum communium. Ita Curtius IX. 10. 28. *Sacrorum societatem* vocat Plinius Panegyr. cap. 37. pr. Tacit. II. Annal. 65. 5. Bernec.

Tum vetusti. Hoc *tum* ignorant MSS. et videtur natum ex similitudine litterarum in fine vocis praecedentis. Scheff.

Si tam patienter ipsi serviant. MSS. quidam, *si tam servitutem pati*, *nec eripi si serviant.* Inde colligo, lectionem veram huius loci esse, *si tamen servitutem patiantur ipsi*, *nec eripi se sinant*, *serviant*, *reddant sibi patriam*, *aut patriae acceptam libertatem.* Vulgatae sane non cohaerent. Quis enim quaeso sensus

horum verborum, *si tam patienter ipsi serviant, accipiant libertatem?* Cur enim acciperent? qui libenter serviunt, libertatem negligunt, manentque potius in servitute; frustra igitur libertas his offertur. At in nostra emendatione omnia sunt elegantia et emphatica, et convenientia rei. Nec in ea insolens aliquid. *Tamen* ipsum *tam* est, compendiose scriptum; *patiantur* est ex *patienter*, iisdem paene litteris. *sinant* omissum videtur, tanquam superfluum, propter sequens *serviant*, a librario indocto, cum ne litterae quidem multum sint dissimiles. *Aut* absumsit antecedens *m* totidem constans lineis. *Patriae* in plerisque MSS. reperitur. SCHEFF. — Legendum puto, *neu tam patienter ipsi serviant.* WOPKENS.

REDDANT SIBI PATRIAM, ACCIPIANT LIBERTATEM. Periz. *reddant ipsi patriam.* Coll. N. *accipiant ipsi libertatem.* ABR. GRONOV.

4. HIS VOCIBUS TANTUM PROMOTUM EST, UT etc. Saxo lib. XIV. pag. 290. 50. *cuius excellenti virtute tantum promotum est, ut deinceps Sclavi* etc. ABR. GRONOV.

SUBSTITUTIS DECEM. *Praetoribus.* Probus in Thrasyb. BONGARS. — Vide Maussaci notas in Harpocrationem pag. 153. BERNEC.

QUI REMPUBLICAM REGERENT. In MS. est, *qui rem regerent*, quod non displicet vel propterea, quia simile quid occurrebat supra cap. 3. ubi vide, quae notavi. SCHEFF.

5. QUI NIHIL EXEMPLO PRIORIS DOMINATIONIS TERRITI. *Terrere* pro deterrere. Tacit. Hist. I. 18. *Non* terruit *Galbam, quo minus in castra pergeret.* et lib. V. 17. *Ne* terrerentur *vario Treverici proelii eventu: suam illic victoriam* etc. lib. II. 41. *A paucioribus Othonianis quo minus in vallum impingerentur, Italicae legionis virtute* territi *sunt.* ubi cum MS. Florent. non opus est rescribi *deterriti sunt.* Incert. Panegyr. Const. Augusto cap. XXII. *Illico obvius adfuisti, et praesentia tua ne auderent transitum* terruisti. Sallustius Frag. I. 6. *Dum vos metu gravioris servitii a repetunda libertate* terremini. Lactant. de M. Pers. cap. VI. *Talibus et tot exemplis coërceri posteriores tyrannos oporteret; at hi non modo* territi *non sunt, sed audacius etiam contra Deum confidentiusque fecerunt.* Hegesipp. II. 15. *Quibus rebus amplius* conterrebantur, *ne adversum se hostem suis subsidiis armarent.* Prudentius Peristeph. I. 22.

*Quos nec catenae, dura nec mors* terruit
*Unicum Deum fateri sanguinis dispendio.* WOPKENS.

6. IN BELLUM ATHENIENSES EXARSISSE. Longe politius Britanni ex vetere codice: *bellum Athenis exarsisse.* quod maxime probo. GRAEV. — *Bellum Athenis exarsisse* non displicet. SCHEFF.

BELLUM ATHENIS EXARSISSE; AD QUOD COMPRIMENDUM. Med. pr. sec. quart. quint. Leid. Periz. ed. Rom. Ald. Iunt. *in bellum Athenienses exarsisse. Comprimere bellum*, ut *comprimere motum* in inscriptione Plautiana apud Gruterum pag. 453. MOTUM ORIENTEM SARMATAR*um* COMPRESSIT. ABR. GRONOV.

PAUSANIAS. Et ante eum Lysander cum XL navibus. Diodor.

XIV. 34. Hic autem pacem facit non misericordia, sed *φθονῶν Λυσάνδρῳ*, et *θεωρῶν τὴν Σπάρτην ἀδοξοῦσαν* etc. vide Diodorum et Xenophontem Histor. Graec. lib. II. BONGARS.

7. PERMOTUS PATRIAM. Probo coniecturam docti viri, Bongarsii puto, qui legit, *permotus et patriam.* item mox, *Eleusina emigrare*, quoniam in MS. est, *permotus set patriam*, item *Eleusinae emigrare.* SCHEFF. — Med. sec. quint. Leid. *emigrare;* ut paullo ante: *tyrannos emigrare Eleusina iuberet.* Periz. *Eleusin emigrare.* ABR. GRONOV.

9. SED AD COLLOQUIUM, VELUTI DOMINATIONEM RECEPTURI, PROGRESSI, PER INSIDIAS COMPREHENSI, UT PACIS VICTIMAE TRUCIDANTUR. Manca est oratio; legendum, *Et per insidias comprehensi* etc. FABER. — Ne manca oratio sit, legit Faber *progressi*, *et per insidias comprehensi* etc. Sed ut ad Cicer. N. Deor. I. 38. et alibi observavimus, asyndeton hoc usitatissimum est. Sic lib. VI. 1. *Lacedaemonii . . eo ampliora cupientes*, *non contenti accessione* etc. ubi eodem in luto haerebat Graevius. Lib. XII. 5. *Fremere . . coepere*, *innoxii senis filiique casum miserantes*, *interdum se quoque non debere melius sperare dicentes.* Lib. XIV. 5. *Interea Eurydice . . muliebri aemulatione perculsa*, *abutens valetudine* etc. Lib. XVIII. 3. *Post multos deinde annos a rege Ascaloniorum expugnati*, *navibus appulsi*, *Tyron urbem . . condiderunt.* Lib. XXI. 6. *Inter haec Carthaginienses tanto successu rerum Alexandri M. exterriti*, *verentes*, *ne Persico* etc. Frustra quoque a viris eruditissimis sollicitantur sequentia loca: Cicero Catil. III. cap. 8. *Lactentem*, *uberibus lupinis inhiantem.* Lactantius de M. Pers. cap. LI. *Apud Thessalonicam cognita*, *comprehensa cum matre.* Auctor de causis Corr. Eloq. cap. 3. *Sedentem*, *ipsum . . librum intra manus habentem.* Frontin. Strat. II. 5. 19. *Quos dissipatos*, *nihil tale exspectantes . . fudit.* et cap. 6. 3. *inclusos*, *ex desperatione fortius pugnantes.* et lib. IV. 1. 1. *Exprobrante subinde imperatore timiditatem*, *frangente delicatioris* etc. Restituenda haec forma cum Rubenio eidem Frontino lib. III. 7. 6. *Qua usos pro fluvio decipiens* (leg. *deficientes*) *cepit.* et Lactantio I. 10. *Nam cum faceret in muris adsidentem Priamo Helenam*, *cunctos Graeciae principes recognoscere*, *solos autem* (rescribo *aientem*) *se fratres suos requirere; subiecit* etc. WOPKENS.

10. TANTUM. An forte *tandem* legendum? FREINSHEM. — *Tandem* pro eo quod quidam edidere, *tantum*, legendum censuit Freinshemius. Habentque ita Sichardi et Coloniensis editiones. VORST. — *Tandem* recte Vorstius ex coniectura Freinshemii, et editis vetustioribus. SCHEFF. — Receperant *tandem* Angli quoque ex MSS. et sic etiam Iuntina. GRAEV.

11. DISCORDIARUM OBLIVIONEM, *Ἀμνηστίαν.* M. Tull. Philipp. II. 1. Val. Max. IV. 1. Plutarch. Cicerone: *Μὴ μνησικακεῖν.* Xenoph. Et ita Siculos inter se pacem fecisse refert Thucyd. lib. IV. 12. 33.

ἔχοντας ἃ ἕκαστοι ἔχουσι. **Bongars.** — Idemque Lacedaemonios cum Atheniensibus. Idem IV. 23. 7. In Dione Cassio lib. XLIV. extat oratio Ciceronis, qua Thrasybuli exemplo, Romanis *amnestian*, seu *oblivionis legem* (ita Probo in Thras. vocatam, Floro IV. 6. 4. *abolitionem*) suasit. Adde Sueton. Claud. cap. 11. princ. Velleium II. 58. 4. Florum fine lib. III. Vopiscum in Aureliano cap. 39. **Bernec.**

## CAP. XI.

1. **Darius.** Diod. lib. XIII. 108. De Cyri (cognomento minoris) ἀναβάσει, id est, ut Hieronymus loquitur, *ascensu*, Xenoph. Diodor. XIV. 20. et Plutarch. in Artaxerxe. **Bongars.** — Orosius II. 18. **Bernec.**

**Artaxerxe.** Qui ante regnum *Arsicas*, vel ut Ctesias, *Arsaces* dicebatur: post *Mnemon* est cognominatus. **Bongars.** — Alius supra III. 1. 4. **Bernec.**

2. **Regnum Artaxerxi.** Quippe natu maiori, etsi patre adhuc privato genitus esset. Contra Xerxes supra II. 10. 2. ubi citatis auctoribus imprimis adde Hug. Grotium de Iure Belli et Pacis II. 7. 28. **Bernec.**

**Civitates.** Lydiam et maritimas civitates. Plut. **Bernec.**

3. **Iudicium.** Hoc est, testamentum; quod et *supremum iudicium* dicitur in libris iuris, ut etiam apud Suetonium in Aug. 66. 8. *Amicorum suprema iudicia morosissime pensitavit.* Causa est, quod si unquam homo, tunc certe quando testamentum condit, ad *iudicii* lancem omnia exigit. Quam in rem videatur egregius locus apud Senecam lib. IV. de Benef. cap. 11. item in fine libri I. **Bernec.** — Adde Cic. XIII. Epist. Fam. 46. *Hominem probum existimares, qui patroni iudicio ornatus esset.* Idem pro Domo 19. *Denique etiam ille novicius Ligur, cum M. Papirii, sui fratris, esset testamento et iudicio improbatus, mortem eius se velle persequi dixit.* Et *suprema iudicia* Plin. VII. Ep. 20. et 31. **Gronov.** — Vocabulo *iudicii* testamentum designat, cuius ante mentio facta. Sic et Valerio Max. VII. 7. 4. *Suprema iudicia* nihil aliud sunt, quam testamenta. Vide et Suetonium Aug. 66. 8. **Vorst.**

**Occulte.** Wasseus ad Sallustium Iug. cap. 7. ex MS. Bong. malebat *occulto.* verum prius etiam occurrit §. 5. h. cap. et infra XIII. 4. 8. XVI. 4. 20. et XVIII. 3. 9. **Abr. Gronov.**

4. **Dissimulatione belli.** Explicari possunt, quod negaverit a se bellum ullum esse paratum. Mihi tamen ex glossa irrepsisse videntur. **Scheff.**

**Compedibus aureis.** Ne scilicet familiae regiae honos non haberetur. Qua causa quoque Darium, Bessi et Nabarzanis conspiratione prehensum, aureis compedibus catenisque vinctum fuisse scribit Curtius V. 12. 26. et Noster XI. 15. 1. Vide Dionis Chrysost. Ora-

tionem ultimam. Appianum pag. 214. Gebhard. in Catull. pag. 185. m. BERNEC.

5. COEPIT: AUXILIA. Suspicor ob litterarum similitudinem hic excidisse coniunctionem *et*. SCHEFF.

AUXILIA UNDIQUE CONTRAHIT. Iustinus meo quidem iudicio, quantulumcunque in his rebus est, scripsit, *auxiliis undique contractis*. Qui verborum collocationem sentiunt, et qui Rhetorice sapiunt, non adversabuntur. FABER. — Hoc nimis longe recedit a scriptura veteri. Propior est emendatio, quam iam indicavi in Notis. SCHEFF.

6. ATHENIENSI BELLO ENIXE SE EIUS OPERA. Forte, *enixa*. Plin. IX. Nat. Hist. 8. *Enixioris operae conscii sibi*. GRONOV. — Malebat Gronov. ut etiam est in duobus MSS. *enixa*, quemadmodum Plinium *operam enixam* dixisse observat Hist. Nat. IX. 8. Addo et Frontinum Strateg. II. 5. 30. *quam dein* . . *promptam et* enixam operam *exhiberet*. et Ammianum XXII. 12. *In praeparandis congruis* operam *navabat* enixam. Atque ita *studium enixum*, monente A. Gronovio, dixit Livius, ac saepius *fortem operam*. Attamen non minus recte retineamus adverbium. Supra cap. II. 10. *Sed nec* auxiliis *nimis* enixe *Lacedaemonios iuvandos*. Livius XXVI. 47. *Si ad ministeria belli* enixe operam *navassent*. Ruffinus H. Eccles. lib. V. 18. *Ut per hoc invitati* enixius *doctrinae eius* operam *praebeant*. WOPKENS. — Tert. Leid. *Atheniensium bello*, i. e. *bello adversus Athenienses*, ut infra XV. 4. 21. *in bellum Antigoni descendit*. Pro *enixe* Avus ex coniectura legit *enixa*, quomodo scriptum in Med. Coll. N. Seneca lib. VI. de Benef. cap. 17. *si nobis opera illorum enixior vita est*. et VII. 16. *enixa et sedula opera*. Ammianus lib. XXVI. cap. 3. *Apronianus opera curabat enixa*. Ita *enixo studio* apud Livium lib. XLII. cap. 2. *Q. Fulvius Flaccus censor aedem Fortunae equestris faciebat enixo studio*. et Valerium Maximum lib. VII. cap. 15. ext. 1. *enixo Crotoniatae studio ab eo petierunt*. Aldhelmus de Laud. Virg. cap. 52. *Capitolii flaminem enixa prece poposcit*. ABR. GRONOV.

7. QUAERENTES APUD CYRUM GRATIAM, ET APUD etc. Med. Coll. N. ed. Bechar. *quaerentes et apud C.* ABR. GRONOV.

8. FORS PROELII. Ἡ τύχη. Diodorus XIV. 24. BONGARS. — Ex antiquioribus editionibus *sors* lego, non *fors*, ut Berneccerus et alii. VORST. — Iuntina cum nonnullis aliis *sors proelii*, quod perperam probat Vorstius. *Fors proelii* est fortuna proelii. Sensus est, cum forte in proelio frater in fratrem incidisset. Liv. XXXI. 4. *Castra quo fors tulisset loco, sine ullo discrimine aut cura muniendi posita*. Curt. IV. 15. *Plura simul abrupta a ceteris agmina, ubicunque alium alii fors miscuerat, dimicabant*. *Sorti* hic nullus locus est. GRAEV.

UTRUMQUE FRATREM. Propter obscuritatem narrationis, quae inest lectioni vulgatae, adducor, ut existimem scripsisse Nostrum *utrisque fratrem*. SCHEFF.

9. A COHORTE REGIA. *Cohors* hoc loco non milites notat, sed comites, regique proximos, qui regem comitabantur. Liv. XXVIII. 5. *Ibi exercitu omni relicto, cum cohorte regia Demetriadem se recepit.* Idem XL. 5. *Proxima est regia cohors custodesque corporis.* Proprie enim *cohors* notabat provincialium magistratuum domesticos, comitesque honoratiores. unde Horat. I. Sat. 7.

*laudat Brutum, laudatque cohortem.*

et Iuvenal. VIII. 127.

*Sit tibi sancta cohors comitum.* GRONOV.

10. DECEM MILLIA GRAECORUM. 14000 numerat Frontinus IV. Strat. 2. 7. et 8. BERNEC. — Dux eorum Xenophon fuit. Vide Aelianum III. Var. Hist. 17. VORST.

IN AUXILIO CYRI FUERE. MSS. habent *auxilio*, reiecta praepositione, quam lectionem puto praeferendam vulgatae. SCHEFF. — Praeferendam Schefferus putat quorumdam MSS. scripturam *a. Cy. fuere*, reiecta praepositione. Ego secus omnino sentio. Sic enim rursus Iustinus IV. 2. *Qui numerus* in auxiliis *Cyri adversus Artaxerxem fuit.* et lib II. 3. *Equitatum et elephantos* in subsidiis *esse iussit.* Orosius lib. IV. 20. *Scipio Africanus habens* in auxilio *Eumenem.* Et iterum ibidem: *nam* in auxilio *Romanorum tota primum Italia, deinde Ptolemaeus rex Aegypti, et . . Massanissa Numidiae fuerunt.* Frontinus Strat. II. 7. 8. *Equites, quos* in auxilio *habebat.* Lib. III. 37. *Quum . . illi* in auxilio *haberent M. archipiratam.* ubi cave quidpiam immutes. lib. eiusdem cap. 9. 10. *Rhodiis, quos* in auxilio *habebat, praecepit, ut* etc. Ceterum ut *auxilia* in plur. pro *auxilio* poni videmus lib. IV. 4. 3. et alibi: sic allubescere alicui queat, quod in quibusdam codicibus *in auxilia Cyri* habetur. ut Sext. Rufus Breviar. cap. XI. *Semperque* in auxilia *nostra fuere Cappadoces, et ita maiestatem* etc. Eutrop. VI. 22. *Qui Pompeio* in auxilium *apud Thessaliam fuerat.* Sed in Iustino vulgata obtineat lectio. WOPKENS. — Pr. tert. Leid. MSS. Bongars. *in auxilia.* Cl. Burmannus ad Anthologiam I. 70. 22. legit *Graecorum auxilium fuere.* ABR. GRONOV.

---

# COMMENTAR. IN LIB. VI.

## CAP. I.

1. QUO PLURA HABENT, EO AMPLIORA etc. Seneca II. de Benef. 27. *Eo maiora cupimus, quo maiora venerunt: multoque concitatior est avaritia in magnarum opum congestu collocata, ut flammae infinito acrior vis est, quo ex maiore incendio emicuit.* BERNEC. — Hanc sententiam planam esse non ignorabam. Sed hoc non pla-

num est, quam belle dicatur, *Lacedaemonii eo ampliora cupientes, non contenti.* Ista duo participia sic iungi sine interposita copula non recte posse, qui Latine doctus est et animum advertet, facile videbit. Sed si illa verba coniungas, *more ingenii humani, quo plura habet, eo ampliora cupientis,* omnia liquida erunt et sana. Lacedaemonii non contenti accessione Atheniensium vires sibi duplicatas, totius Asiae imperium affectare coeperunt, *more ingenii humani, quo plura habentis, eo ampliora cupientis.* Sic enim legendum nunc censeo. Nec offendi debemus hac locutione, quod *ingenium* humanum dicatur habere multa: sensum enim respexit ut millies et hic Noster, et alii, ac si scripsisset: more hominum, quo plura habentium, eo ampliora cupientium. Graev. — Sunt qui hic aliquid corruptum esse existimant; non ego. Nam nulla opus mutatione est, cum haec sententia sit plana et perspicua: Lacedaemonii quo plura habent, eo et ampliora cupientes, more ingenii humani, scilicet etc. Deinde non satis ex usu bellae Latinitatis videtur, ut dicas, *ingenium quo plura habet, eo etiam et plura cupit.* Faber. — Non aspernor emendationem Boxhornii, *Quo plura habet, eo ampliora cupientis;* quam et Cl. Graevio placere video. Altera tamen lectio iam aevo Orosii fuisse videtur. Habet enim et exscriptor ille III. 1. sic: *quo plura habeant, eo ampliora cupientes.* Vorst. — Graevius, *quo plura habet, eo ampliora cupientis;* nihilque ait esse certius. Ita olim et Boxhornius. Ego temere nil mutem, quia in isto *habent* non tam adtendit ad ingenium humanum, quam quod in animo erat, ipsos homines. Et occurrunt talia alibi. Vide quae notamus passim ad Hyginum. Scheff. — Quod Graevius legendum censebat, *quo plura habentis, eo ampliora cupientis,* nequidquam obiicit Faber, sic parum ex usu bellae Latinitatis dici, *ingenium quo plura habet, eo plura cupit:* passim enim ita de *ingenio, animo*que hominum, tanquam de ipsis hominibus, sermo fit. Dictys Cret. II. 15. *More ingenii humani, quod . . anteiri se a meliore haud facile patitur.* Hegesippus IV. 21. *More ingenii humani, cui satis est, ubi cupita acceperit, cetera non requirere, sed statim dissipare atque inexploratum in vulgus mittere, quod delectaverit.* ubi pro *cetera, certa* rescripserim. Vegetius de Re Mil. II. 20. *More ingenii humani, ut pro illis habeat maximam curam, in quibus suam videt positam esse substantiam.* Nihilominus ab emendando loco sibi rectius temperasset Graevius, quoniam nihili est (ut ad lib. V. 10. 9. vidimus), quod participia illa *ampliora cupientes, non contenti,* sic sine copula iungi posse negat vir ille doctissimus. Nec ob praeteritum sequens *affectare coeperunt,* pro *habent, habebant* reponi necesse est, ut liquet ex adnotatis ad lib. V. 6. 8. Denique ad vulgatam quoque scripturam propius accedit Orosius III. 1. *Lacedaemonii, utpote homines et Graeci homines, quo plura habebant, eo ampliora cupientes, postquam* etc. et Saxo Grammat. H. Dan. lib. V. pag. 91. *Humanae siquidem cupiditatis, more, quo plura possederat, plus affectans, etiam vastissimam* etc. Wopkens.

— *More ingenii humani* etiam dixit Hegesippus lib. I. cap. 36. et 37. Ed. Ald. Iunt. *quo plura habebant*. Coll. N. *quo plura habebant, eo plura cupiebant, et non contenti*. Abr. Gronov.

2. Hercyllides. Δερκυλλίδας Xenoph. lib. III. Diodoro XIV. 39. Plutarcho in Artaxerxe: quos vide. Huc spectat Trogi Pompeii Fragmentum apud Priscianum lib. VI. cuius etiam MSS. habent, *ab Herculide*. Orosius lib. III. cap. 1. vocat *Hercilidem*. *Dercyllidas* meminit et Plutarchus in Apopht. Lacon. Bongars. — Leopardus contendit legendum esse *Dercyllides*. Et sane auctores Graeci Xenophon, Diodorus, Plutarchus, ita eum vocant. Quia tamen ipsius Trogi Fragmentum apud Priscianum lib. VI. in manu exaratis Codd. itemque qui Iustinum exscripsit Orosius III. 1. habet *Hercilidem*; ac praeterea antiquus quoque Prologus in hunc lib. *Herculide*: nihil ausim mutare. Quod si non ipse Trogus, aut Iustinus, ita appellaverit, mendum saltem antiquum id fuerit. Vorst. — Ad hos, qui *Dercyllides* ex MSto restituunt, accessit Burmannus ad Gratium vs. 103. Wopkens.

Dercyllides. Ita recte emendarunt pro vulg. *Hercyllides*, vel *Hercylides*, ex Graecis Scriptoribus Leopardus lib. XVII. Emend. cap. 11. et Bongarsius: nec aliter scripsisse Trogum persuadent MSS. prologi h. l. in quibus legitur *Derculide* vel *Dercullide*. Med. sec. quint. Leid. Coll. N. ed. Rom. *Herculides*. Abr. Gronov.

Praefectos Artaxerxis. Med. Magl. pr. quart. Leid. Periz. Coll. N. Thuan. ed. Rom. aliaeque addunt, *regis*. Abr. Gronov.

Maximarum gentium viribus succinctos. Saxo lib. XIV. pag. 255. 48. *quorum viribus succinctus*. pag. 256. 39. *Canutus magnis Orientis viribus succinctus*. pag. 271. 43. *alienorum viribus succinctus*. et pag. 282. 42. *rex magnis viribus succinctus*. Abr. Gronov.

Pacificari etc. Prudentiae huius exempla alia vide infra VII. 6. 5. et XXIX. 2. 8. Thucyd. I. 10. 18. Pachymer. I. Hist. Byzant. 3. Apophthegma Imp. Rudolphi I. *Quicumque tres lites habet, duas, si poterit, componat*. refertur a Lipsio Miscell. Epist. III. 77. Bernec. — Franeq. cum Oxoniensi *pacificandum*. Et solet ita gerundium aliquando infinitivi vice adhiberi. ut lib. XXXVIII. 1. *Sororis . . filios . .* tollendos *statuit*. Nepos Eumene cap. VIII. *Statuit aliquid sibi consilii novi esse* capiendum. Addatur Dictys Cret. II. 31. *Achille . . suadente exitio* vindicandum. et cap. 34. Abstinendum *publico consilio decreverat*. Lib. III. 24. *Omnia quaeque imperarentur*, facienda *decrevit*. et cap. 26. *Quae dum* etc. Internecandum *editum partum placuisse*. Augustinus Epist. III. pag. 12. *Si autem utrumque nobis pariter inexpertum* credendum *praeciperentur* etc. et Epist. CCII. *Deus, qui haec omnia . . non solum iubet* aggredienda, *verum etiam donat implenda*. Wopkens.

Pacificari cum altero statuit. Bodl. Coll. N. *pacificare*. Thuan. pr. sec. quart. quint. Leid. Coll. C. C. *pacificandum*, quomodo edid erat Bongarsius. Valerius Maximus lib. II. cap. 9. 3. *Cato*

*eo magis illum notandum statuit.* Salvianus lib. VII. de Gubern. cap. 21. *qui statuunt non adulterandum, et primi adulterant; statuunt non furandum, et furantur.* Saxo lib. XIV. pag. 343. 41. *pacificandum cum nostris ratus.* ABR. GRONOV.

3. CYRI QUONDAM REGIS. Mala haec aut lectio, aut scriptio. FREINSH. — Freinshemius malam hic aut lectionem, aut scriptionem esse suspicatur. At ego non video quid desiderari hic iure possit. Intelligitur utique Cyrus minor, Darii Nothi filius: qui sane quondam pro rege sese gesserat. VORST. — Sed tamen rex non fuit, verum regiam dignitatem affectavit. Puto igitur verba, *quondam regis*, esse glossam, quae a mala interpolatrice manu irrepserunt hominis, cuius menti obversabatur Cyrus ille magnus, non hic minor. GRAEV. — Ita habent omnes MSS. nec quidquam mutandum. *Rex* hic vocatur, qui filius regis erat. Similiter regis Orodis filius *rex* appellatur inf. XLII. 4. 10. *Ventidius universam Parthorum manum cum rege ipso Pacoro interfecit.* Florus IV. 9. 6. *Rex* (Pacorus) *fortissime dimicans cecidit.* ubi plura exempla congessit Cl. Dukerus. Zonaras lib. X. Annal. cap. 26. ὅ τε γὰρ βασιλεὺς ἐκείνων (Πάρθων) ὁ Πάκορος ἐν τῷ πολέμῳ ἔπεσε. Virgilius lib. IX. Aeneid. vs. 223.

*statione relicta*
*Ipse comes Niso graditur, regemque requirunt.*

ubi Servius notat: *Regemque requirunt, regis filium, ut:*

*Magnum reginae sed enim miseratus amorem.*

Regem et regis filios *reges* appellat Livius lib. II. cap. 3. *legati ab regibus superveniunt.* et cap. 9. *Nunc monebant etiam, ne orientem morem pellendi reges inultum sineret.* et Livium imitatur Seneca Octav. vs. 294.

*Illi reges hac expulerunt*
*Urbe superbos; ultique tuos*
*Sunt bene manes, virgo, dextra*
*Caesa parentis.*

et Troad. vs. 138. regis filios *reges* vocat:

*post elatos*
*Hecubae partus, regumque gregem,*
*Postrema pater funera cludis.* ABR. GRONOV.

STATUTIS CONDITIONIBUS, AB ARMIS DIMITTITUR. Nimis sane durum et insolens, imperatorem cum quo alter pacificatur, dici *ab armis dimitti*, hoc est ut in Indice explicatur, *ad arma deponenda adduci*; cum dictio ista significet militia absolvi, ut ex Virgilio Aen. X. 46. et XII. 844. aliundeque satis constat. Cogitabam igitur, *et statutis conditionibus pacis*, (vel *ab armis discedendi*,) *dimittitur*, scil. e colloquio: vel potius *et statutis conditionibus ab armis dimovetur*, i. e. adducitur ut arma deponat. Sic *dimovere de vera et certa sententia.* Cicero in Verr. Prooemio cap. 17. *Dimovere a causa alicuius.* Idem pro Cluentio cap. 15. *Dimovere ab officio religioso.* Symmach. IX. Epist. 36. Horatius I. Od. 1.

*Gaudentem patrios findere sarculo*
*Agros Attalicis* conditionibus
*Nunquam* dimoveas, *ut trabe Cypria*
*Myrtoum pavidus nauta secet mare.*

4. CRIMINATUR. Oros. III. 1. *Defert ut proditorem.* MS. P. Danielis *differt.* Vide Nonium. Tacit. I. Ann. *Pars multo maxima imminentes dominos variis rumoribus differebant.* Petronius: *Alioqui mille causae nos quotidie collident, et per totam urbem rumoribus different.* Ita malo, quam *deferent.* BONGARS. — Ita Tacit. III. Annal. 12. et IV. 25. *Differri per externos, per manipulos.* Sueton. Aug. 14. 2. *Rumore ab obtrectatoribus dilato.* Planissime respondet nostrati *austragen*, hoc est divulgare. In illo tamen Orosii loco retinendum *defert*, non dubito. BERNEC.

IMPENSIS REGIIS ALUERIT. Notator Anglicanus ait in MS. uno legi, *adiuverit.* Puto glossam esse; nam alterum elegans et receptum. Cic. in Parad. *Neminem esse divitem, nisi exercitum alere possit sine fructibus.* SCHERF.

MERCETURQUE AB HIS, QUAE DIFFERANT BELLA, QUAM GERANT. Plauto familiaris locutio: subintelligendum *potius*, quod in uno Cod. reperitur, aut *magis.* Plautus Rud. IV. 4. 70. *Tacita bona est mulier semper, quam loquens.* Terent. Eunuch. Prolog. *Qui placere se studeat bonis Quam plurimis.* BONGARS. — Sallust. Catil. 8. 1. *Fortuna res cunctas ex lubidine quam ex vero celebrat.* Tacit. III. Annal. 32. *Nobilitatem sine probro actam, honori quam ignominiae habendam ducebat.* Graecismus est. Ita Thucyd. II. 18. 10. Τῇ δυνάμει πίσυνοι ἢ τῇ γνώμῃ ἐπέρχονται. Nazianzenus: Θέλω τύχης σταλαγμὸν ἢ φρενῶν πίθον. Sic infra XII. 8. 14. Vide B. Rhenani Thes. Locut. in Tacit. pag. 19. BERNEC. — MS. et Iuntae: *quae gerant.* lege cum Gronovio: *Merceturque ab his quae differant bella, quae gerant.* Recte vidisse τὸν πάνυ MS. Anglicanus ostendit, ex quo receperant hanc lectionem Oxonienses. mox optime ex eodem MS. iidem, *a Tissaferne alienatum.* GRAEV. — In MSS. legitur, *ut differant potius bella, quam gerant.* Quod iam aliquantulum lucis huic loco affert; sed et sic tamen aliquid vitii in eo superest; non quod necessarium videri debeat iis, qui Latine sciunt, isthuc *potius.* Ut ut sit, legerem, *ut differat potius bella, quam gerat.* hoc sensu, deberet ipse bella gerere, non differre. At nihil tale ab ipso fieri video; imo et numerato pretio mavult dilationem emere, sive timore praepeditus, sive id perfidia impulsus faciat. Sic igitur locus integer legeretur: *merceturque ab iis, ut differat potius bella quam ipse gerat.* Aliter Gronovius: *Merceturque ab his, quae differant bella, quae gerant.* Quod elegantissimum est; utrum verius sit, nescio. FABER. — Vera lectio haec est, *ut differant bella, quam gerant.* ac nihil mutandum videtur. Subaudiendum autem *potius*; quod in uno MS., ut Bongarsius testatur, et diserte additum fuit. Frequens sane ellipsis vocum *potius* et *magis*; eaque imitatione Graecorum ita facta videtur. Vide

Hellenol. Vechneri lib. I. cap. 5. Vorst. — Gronovius, *quae differant*, *quae gerant*. Probat Graevius ob Iunt. et MS. Vorstius servat vulgatam. Scheff. — Angl. *quae differant bella*, *quae gerant*. Placet admodum haec lectio. Nam vulgata habet eum sensum, quasi effecerint, ut bella gererent nulla, cum tamen pax spectarit ad solum Tissafernem. Atque ita coniectaverat et Gronovius. Scheff.

Tanquam non ad unius summam imperii etc. Hoc *summam* mihi admodum suspectum fateor. Scio quomodo exponi posset, sed scripsisse ita Iustinum vix mihi persuaderi patior. Deliberent sagaciores. Scheff. — Non video, cur haec cuiquam debeant esse suspecta. sensus et verba sunt elegantissima. quasi non clades et damnum, quod hic vel ille praefectus regius faciat, pertineat ad salutem unius imperii. Augustus in epistola ad Tiberium apud Suetonium in Tib. 21. *Te rogo*, *ut parcas tibi*, *ne si te languere audierimus*, *et ego et mater tua exspiremus*, *et de summa imperii sui populus Romanus periclitetur*. *Summa reipublicae* est res, quae spectat totam rempublicam, eiusque salutem aut dignitatem. pro quo et saepe dicitur *summa respublica*. Liv. XXIV. 10. *Cuius imperio consilioque summam rempublicam tuendam commiserunt*. Cic. V. ad Att. *Rogatus ego sententiam multa dixi de summa republica*. De hoc loquendi genere plura notavi ad ipsum Tullium. Graev.

7. His vocibus regem Tissaferni alienatum. Angl. *a Tissaferne alienatum*. Ita Noster VII. 19. *Et uxorem*, *veluti tradito alii amore*, *a se alienavit*. C. Nep. Alcib. cap. 5. *Neque vero his rebus tam amici Alcibiadi sunt facti*, *quam timore ab eo alienati*. ubi poterat omittere illud *ab eo*, si probasset, quod nunc vulgo apud Nostrum legitur. Scheff.

Hortatur, ut in locum etc. Ita et Diodorus XIV. 40. Pausanias Atticis id Euagorae Cyprio regi tribuit. Vide Probum Conone. Bongars.

Amissa bello patria. Quid est, *patriam amittere bello?* Num *in bello*, an *ex bello*, sive *ob bellum?* Neutrum satis historiam declarat. nam primum falsum, nec secundum sic simpliciter verum, quia non ob bellum, sed ob bellum male gestum exulabat. In impresso quodam reperitur *amisso*, quam lectionem puto esse veram, eiecta voce *Cypri*, quam ex glossa natam liquet etiam ex eo, quia sunt, qui pro ea *Cypro* habent. Ceterum *amissum bellum* est *amissum praelium*, iam *amittere praelium* est dictum, ut *amittere causam*, *amittere litem*, apud optimos scriptores. Scheff. — *Amissa bello patria* est, quia patriam propter praelium infeliciter gestum amiserat. nam post cladem illam Conon sibi ipse voluntarium indixerat exsilium. vide finem capitis sexti libri superioris. Graev. — Male Schefferus eiecta voce *patria*, *amisso bello* legebat, ut vidit Graevius. Male itidem *Cypri*, quasi glossema, resecandum putabat, observante Torrenio ad Val. Max. IV. 1. 15. Atque ita *Cypri* pro in Cypro solere dici, iam monuit Gronovius ad Livii Epitom. lib. LIX. Orosius in parallelo loco III. 1. *Apud Cyprum exulabat*. Dorv. au-

tem 3. cum alio, *Cypro exulabat:* ut *Corintho* pro Corinthi, lib. XX. 3. 9. ubi vide. Wopkens.

8. Et si fractae sint opes. Angl. *fractae sint res et opes.* Non solet ita Noster. Ita alterutrum ex glossa natum. Graev. — Ed. Bechar. Ven. Flor. Mediol. Paris. Ald. Iunt. *sunt.* Coll. N. *sint res et opes.* Abr. Gronov.

Navalem usum. Hinc etiam Polyaen. V. Strat. pag. 392. describit Lacedaemonios τὰς Ἀττικὰς ἐμπειρίας δεδιότας. Gronov.

## CAP. II.

1. Hercynione. Veteres hic variant: quidam *Mercinioni*, alii *Mercimoni*, alii *Inercinioni. Hercynione* habet etiam Orosius III. 1. eum Diodorus XIV. 80. vocat Νεφρέα. Bongars. — Quomodo fere Euseb. in Chron. *Nepherites.* Bernec.

A rege Aegypti Hercynione auxilia etc. Pr. Leid. *a. r. Aegypti auxilia.* Otto Frisingensis lib. I. Chron. cap. 22. *Porro Lacedaemonii ab Hermione Aegypti rege petito et accepto auxilio, sociorumque undique contractis copiis, bellum parant, Agesilaumque pede claudum, sed manu fortem, ducem sibi creant.* Abr. Gronov.

2. Modiorum. Med. sec. quart. quint. Leid. ed. Ald. Iunt. *modium.* Abr. Gronov.

3. Tanto exercitui. Ita supra II. 10. 21. Bernec.

4. Agisilaum ducem. Hoc *ducem* non agnoscunt libri MSS. plerique, nec est dubitandum, quin ex glossa irrepserit in textum. Scheff.

Responsum oraculi. Quod exstat apud Pausaniam Laconicis, et Plutarchum Agesilao. Vide etiam Xenoph. lib. III. Histor. Graec. et in Agesil. Vide et Probum ibidem. Bongars. — Cum Oxon. etiam quatuor nostri *responsa oraculi*, idque ex more Iustini, quo numeros permutare amat. Lib. XIV. 5. *Urbem . . contra responsa fatorum et veterem maiorum gloriam, armis diffisi, murorum praesidio includunt.* Wopkens. — Decem MSS. ed. Rom. *responsa:* ut supra III. 5. 5. ex ed. Iunt. *cum responsa cognovissent.* et infra XIII. 7. 11. *virginis nomine ex responsis agnito.* ubi Med. Magl. sec. quint. Leid. Bodl. Coll. N. ed. Bech. Ald. Iunt. dant, *ex dei responsis.* et XIV. 5. 6. *responsa fatorum.* Vitruvius lib. IV. cap. 1. init. *quem* (Ionem) *etiam Apollo Delphis suum filium in responsis est professus.* Abr. Gronov.

5. Cum regium claudicasset imperium. Hoc oraculum, quod an ab aliquo ex gente Grammaticorum explicatum usque adhuc fuerit, haut equidem scio, id ego sic interpretor: Lacedaemonii duos reges habebant ex duabus familiis Heraclidarum, perpetua et non interrupta serie; idque eo fine (de duobus loquor) ut eo minus reges essent, quam si singulares illi fuissent. Quo enim plures fuerint reges in uno aliquo imperio, eo et infirmiores sint necesse est. At si unus tantum fuisset, tum vero grave et exitiale reipublicae peri-

culum imminebat, ut putabant. Qui enim sine consorte rerum potitus esset, is et facile tyrannus evadere potuisset. Idque adeo oraculum praemonens, Lacedaemoniis cavendum esse dixit, ne quando ipsorum regnum claudicaret. Illi autem quod de rege claudicante aliquando dictum fuisse volebant, id ego non de rege, sed de regno dictum fuisse arbitror. Faber. — MSS. plerique habent, *cum rege.* an scripsit Iustinus, *cum in rege claudicasset imperium?* Sed forte nihil mutandum, quia mox ponuntur tanquam diversa et contraria, claudicatio regis, et claudicatio imperii. Scheff. — Angl. *quam imperatore regnum.* Oppositio haut apta, nec habet sensum idoneum. Scheff. — *Claudicare* pro defectu vel vitio laborare. Livius XXII. 39. *Nunc et collegam tuum et te talem virum intuenti mihi tecum omnis oratio est: quem video necquidquam et virum bonum et civem fore, si altera parte* claudicet *respublica.* Saxo Grammat. H. Dan. lib. VI. initio: *quum iam regnum haeredis inopia* claudicare, *nec in regia gente continuari posse videretur.* Wopkens. — Saxo lib. XI. pag. 207. 47. *Suenonis regnum ante admodum claudicaverat.* Abr. Gronov.

7. Non facile dixerim, quod etc. Saresberiensis lib. VI. cap. 14. init. *cuius* (militaris disciplinae) *quanta sit utilitas, non facile dixerim.* Abr. Gronov.

9. Invictum tamen ab altero utrumque servavit. Legerim *invictum etiam ab a. u. s.* Hoc nempe et inter illa paria, ipsis a fortuna data, erat. Wopkens.

11. Cononem seditio militum invadit, .... eo instantius debita poscentibus etc. Videri possit legendum, *poscentium.* Sed de hoc loco et aliis similibus dictum est superius ad II. 3. Faber. — Ed. Rom. Ald. Iunt. *poscentium:* quemodo ex coniectura legit Faber. Abr. Gronov.

Praesumebant. *Praesumere* pro sibi proponere, opinari, credere. Orosius V. 5. *XL millia ibi militum Rom. sola impatientia sua, de qua sibi victoriam Annibal* praesumebat, *amisit.* Pacatus Paneg. cap. XLII. *Si igitur nec* praesumere *veniam reus, nec sperare fugam clausus .. potuit* etc. Hegesipp. IV. 2. *Ineruditi ingenii, secundos semper successus* praesumere ... *infirmi autem lapsu aliquo summae rei diffidere.* et rursum: *de virtutibus vestris non solum consolationem, sed etiam, quod est amplius, vindictam* praesumite. Ruffinus H. Eccl. VIII. 6. *Hoc a nostris factum falsa suspicione* praesumsit. et lib. X. 19. *Nihil sibi ultro iam tutum in Constantii regno* praesumens. Symmachus II. Epist. 51. *Emiseram prior scriptum, quod in manus tuas* praesumo *venisse ... nam quae te scire velle* praesumsi, *priusquam quaereres, indicavi.* Tertullian. Apolog. cap. XIII. *Irreligiosi erga deos istos deprehendimini, ut quos* praesumitis *esse, negligatis.* Boëthius Consol. III. 10. *Ne hunc .. summum bonum .. ita naturaliter habere* praesumis, *quasi* etc. Aur. Victor Epit. cap. XII. *Cum mereri se omnia* praesumunt. et cap. XLVIII. *Cum sibi imperium deberi* praesumeret. *et*

cap. XVI. *Omnes pari sensu praesumserunt, Marcum coelo receptum esse.* ubi *praesumere* minus recte interpretantur *anticipatam notitiam habere.* Adde quae supra ad lib. III. 4. 3. WOPK.

13. A CUIUS ADSPECTU — PROHIBITUS EST. Praepositionem ignorant Periz. ed. Bech. Ven. Flor. Mediol. Paris. Ald. Iunt. ABR. GRONOV.

ADORARE NOLLET. Probus: *Venerari, quod προςκυνεῖν illi vocant.* BONGARS. — Adde Curtium VI. 6. 3. et VIII. 5. 11. et VIII. 5. 42. De Persico hoc adorationis ritu plura Brissonius lib. I. de Regno Persarum. BERNEC.

14. DILABI. Bongarsius, *delabi.* Praetuli quod etiam in MS. exstat. Ita Sallust. Iug. 10. 8. *Discordia res maximae dilabuntur.* hoc est, sensim dissolvuntur, pessum eunt. BERNEC.

QUA LONGE SUPERIOR SIT. Livius XXII. *Locis natis ad equestrem pugnam, qua parte virium invictus erat.* et lib. XXIII. *Hasdrubal Poenorum imperator neutra parte virium satis fidens.* vid. Gron. ad XXI. 17. Iustinus XXXVIII. 4. *Gallorum autem nomen . . in partem virium suarum numerat.* WOPKENS.

15. MINISTRUM IMPENSAE. *Ταμίαν* Diodor. XII. 12. BONGARS. — Male alii *ministerium*, et ad ipsum Cononem referunt. Corn. Nep. Con. cap. 4. BERNEC.

16. MULTA FORTITER, MULTA FELICITER AGIT. Ubi haec egerit Conon, Iustinus non indicat: at verba, quae hic mox subiunguntur, perinde sonant atque Conon in Europam venerit, in Laconum imperium, ita ut Lacones coacti fuerint revocare ex Asia Agesilaum. Verum non ita multo post Conon ex Asia revertitur ad populandos Lacedaemoniorum agros, ut hic auctor scribit. Locus est bene perpendendus: non enim ab omnibus *ἀντιλογία* haec percipitur. GLAREAN.

## CAP. III.

1. PISANDRUS. Ita MSS. omnes. vulgo *Lysander*, contra historiam. Graecis est *Πείσανδρος*. Xenoph. lib. IV. Plutarch. Agesilao, et Probus. Diodoro XIV. 84. est *Περίαρχος*, ut alii notarunt, mendose. BONGARS. — Ita dicitur *Pisandrus* pro Pisander, ut *Menandrus* pro Menander, *Euandrus* pro Euander, et alia eius commatis. FABER.

2. MAGNA. Non male MSS. *ex magna.* Ita Florus I. 9. 5. BERNEC. — MSS. plerique habent, *et magna* vel *ex magna.* Vera scriptura *ex magna* videtur. Omiserunt praepositionem, qui Latinis putarunt insuetum apponi. Atque tali modo ipse Cicero, vel quisquis alius est auctor librorum ad Herennium lib. III. *Putamus oportere ex ordine hos locos habere, ne quando perturbatione ordinis impediamur.* Hic *ex ordine*, quod vulgo sine praepositione, *ordine.* Sic paulo post: *In locis ex ordine collocatis eveniet, ut in quamlibet partem quoto quoque loco libebit, imaginibus commoniti dicere*

*possimus id quod locis mandaverimus.* SCHEFF. — Quint. Leid. *et magna cura.* pr. quartus et Magl. Coll. C. C. *ex magna cura*, probante Scheffero. Confer Freinshemium in Ind. Flori v. *Ex.* ABR. GRONOV.

3. NON TAM DUCUM IN EO PROELIO, QUAM MILITUM. Cum omnes et Bongarsii, et mei MSS. habeant: *non ducum tantum in eo proelio, quam* etc. et videatur illud *tantum* adiectum ab eo, qui alioqui parum plenam hanc locutionem putabat, legerim: *Summa igitur non ducum in eo proelio, quam militum aemulatio fuit.* Insane bene. enim subaudimus in hisce τὸ *tam*, qua de re multi multa, et nos in Novantiquis nostris dicere meminimus. MOD. — Freinshemio, haec ita transponenti, *non tam militum in eo praelio, quam ducum*, suffragatur num. sequens, et magis antecedentes duo. Fr. Modius cum omnes et sui et Bongarsiani MSS. habeant, *non ducum tantum in eo praelio quam* etc. et videatur illud *tantum* adiectum ab eo, qui alioqui parum plenam hanc locutionem putabat, legendum censet, *non ducum in eo praelio, quam militum*, ut subaudiatur τὸ *tam*. Quomodo Curtius VII. 7. 39. *Nec me ars mea, quam benevolentia perturbat.* Et Iustinus ipse XXVII. 3. 10. *Non amicus debito, quam hostis factus.* Cum omnia exputo, mens auctoris, quicquid ipse scripserit, ita legi postulat: *tam ducum in eo praelio, quam militum*, vel, *non tantum ducum i. e. p. sed et militum.* Nam ecce mox subiicitur assertionis ratio, primum de utroque duce, Conone et Pisandro; deinde num. 9. de militibus ipsis. BERNEC. — Pugnant sequentia, in quibus et ducum et militum par alacritas extolluntur. Quomodo alii haec aut transposuerint aut correxerint, apud alios videatur. Non dubito quin scribendum sit: *Summa igitur non tantum ducum in eo praelio, etiam militum aemulatio fuit.* BOXHORN. — Iuntae quoque ut omnes MSS. *Non ducum in eo proelio, quam militum aemulatio fuit.* Pro *quam* mallem cum Berneccero rescribere *sed et*, si MSS. eo inclinarent. GRAEV. — Freinshemius legebat, *non tam militum in eo proelio, quam ducum* etc. FABER. — Omnes MSS. quos Bongarsius et Modius videre, habent, *non ducum tantum in eo proelio, quam militum.* Nec aliter antiquiores typis expressi Iuntarum et Becharii. At Maior edidit, *non tam ducum in eo proelio, quam:* eumque Bongarsius et alii videntur secuti. Verum lectio ea neque his quae antecedunt, neque his quae sequuntur, consentanea est. pluribus enim auctor exponit, quantam curam duces adhibuerint. Quod considerans Berneccerus coniecit legendum esse vocula *non* omissa, *tam ducum, quam:* vel, *non tantum ducum, sed et militum.* Mihi τὸ *non ducum tantum*, quia in tot MSS. et antiquioribus quoque typis expressis reperitur, omnino retinendum videtur. Sed pro *quam* legendum tum, *sed etiam*, quod ad τὸ *quam* paulo propius accedit, quam quod Berneccerus volebat, *sed et.* Et fortasse *sed* ab auctore plane omissum fuit, et scriptum modo *etiam*; quomodo XXIV. 8. 6. *Nec oculis tantum haec se perspexisse, audisse etiam stridorem arcus.* pro *sed etiam audisse.* atque ita fa-

cillimus ad τὸ *quam* transitus fuit. Vorst. — Omnes MSS. miro consensu habent *tantum*. At huic non respondet *quam*. itaque pro eo scribunt *sed et*, vel *sed etiam*, quod tamen quam recedat longe, videt quilibet. Mihi vitium in *tam*, aut *tantum*, esse videtur, proque eo, ut compendiose scripto, ponendum *tantorum*, ut oratio sit elliptica omissumque intelligatur non *tam*, sed *magis*, quasi scripsisset, *Summa igitur non magis tantorum ducum in eo praelio, quam militum aemulatio fuit.* Quod si pro *non* scriberetur *nec*, adhuc melius oratio se haberet. *Magis* alias omitti apud optimos scriptores in priori membro, notum. Scheff. — Angli, *summa igitur in eo praelio tam ducum, quam militum.* Accommodate ad sensum. Sed hanc esse genuinam scriptionem vix crediderim, cum recedant MSS. fere omnes. Scheff. — Omnes hae legendi rationes rem acu tetigisse mihi non videntur. Testatur Modius et Bongarsius in MSS. omnibus, quos viderunt, ita legi: *non ducum tantum in eo praelio, quam militum.* quoniam autem Modio illud *tantum* adiectum ab eo videtur, qui alioquin parum plenam hanc locutionem putabat, legit ipse, *summa igitur non ducum in eo praelio, quam militum aemulatio fuit*, ita ut subaudiatur *tam*. Atque ita Iuntas habere, testatur Graevius. quae si lectio admittatur, ut admittenda videtur, parva quadam mutatione loco obscurissimo lucem afferri posse crederem. Totius capitis argumentum docet summam et ducum in eo praelio et militum aemulationem fuisse, quod recte viri, quos laudavi, annotarunt. at miror iisdem non esse observatum, eo in sequentibus spectare Iustinum, ut exponat diversam fuisse ducum et militum aemulationem. Conon patriae studebat, non Persis, n. 4.; quo Persas victores faciendo restitueret patriam, n. 7. Pisander autem contendebat, ne tot bellis ac saeculis quaesitum imperium brevis momenti culpa subverteret, n. 8.; milites autem tam regios, quibus praeerat Conon, quam Lacedaemonios solicitudo cruciabat, non tam ne ipsi quaesitas opes amitterent, quam ne pristinas Athenienses reciperent, n. 9. Quis igitur dubitabit, auctorem in verbis controversis hanc diversam ducum et militum aemulationem nobis indicasse? quae quum ita sint, verba Iustini sic legenda, coniectura ex allatis facta, arbitror: *summa igitur non ducum in eo praelio, quae militum aemulatio fuit.* nam pronomen *quae* facile a scriba mutari potuit in *quam*, propter primam litteram sequentis verbi *militum*. Sensus vero hic erit: *summa quidem in eo praelio et ducum et militum fuit aemulatio, sed non eadem,* quum duces imperium patriae aut restituere, aut conservare contenderent, milites autem id spectarent, ne Athenienses imperium pristinum recuperarent. Dresig. — Recte in MSto *non* omittitur ante *tam ducum*, nisi malimus *non magis ducum in eo praelio* etc. In Franeq. autem tribusque Dorv. pro *militum* est *vulgi*. Forte dederat Noster *vulgi militum ae. f.* ut lib. XIII. 1. *Quod principes regnum et imperia*, vulgus militum *thesauros . . . spectabant.* Livius XXII. 30. *Romae, ut est perlata fama rei gestae, dein litteris* non magis *ipsorum imperato-*

*rum*, *quam* vulgi militum *ex utroque exercitu affirmata* etc. Sic Tacitus aliique: sed et *vulgus* et *milites* pro vulgo militum dici, obvium est. Wopkens.

Summa igitur non ducum in eo praelio quam militum aemulatio fuit. Ita ed. Paris. Bongars. verum MS. Coll. N. *summa igitur in eo pr. tam ducum q. m. aem. fuit:* nec male. Reliqui cum ed. Ven. Flor. Med. Ald. *non ducum tantum*, et novem MSS. cum ed. Rom. *quam vulgi.* Reg. pr. quart. Leid. Coll. C. C. *aemulatus*, quam vocem quoque usurpavit Tacitus lib. XIII. Annal. cap. 46. *ne in urbe aemulatus ageret.* Ita *dominatus* pro *dominationis* exstat in MS. quem Bongarsius consuluit, et sec. quint. Leid. supra V. 10. 7. *nihil exemplo prioris dominatus territi:* nec temere. Cicero lib. II. de Orat. cap. 55. *qui hunc populum dominatu regio liberavit.* Caesar in Anti-Catone apud Gellium lib. IV. cap. 16. *unius arrogantiae superbiaeque, dominatuque.* Orosius III. 84. *regis fraus*, *ferocia et dominatus.* Ita *responsus* apud Vitruvium lib. I. cap. 2. pag. 6. ed. Amstel. *Symmetria est ex ipsius operis membris conveniens consensus*, *ex partibusque separatis ad universae figurae speciem ratae partis responsus.* et *perfectus* lib. V. cap. 5. pag. 87. *Haec autem si quis voluerit ad perfectum facile perducere.* et X. 8. init. *principia pariunt ad duos perfectus.* et *significatus* IX. 7. f. *ut etiam videantur, divina mente tempestatum significatus post futuros*, *ante pronuntiare.* ac *cogitatus* X. 14. init. *Transferatur nunc cogitatus scripturae ad rationem non inutilem.* Abr. Gronov.

6. Eo speciosius. Tacit. Agric. cap. 35. *Ingens victoriae decus*, *citra Romanum sanguinem bellare.* Bernec.

Sed alieni imperii viribus dimicet. Iuntae: *alienis viribus dimicet.* Graev. — Pr. Leid. ed. Bech. *sed alieni praelii v. d.* Ald. Iunt. *sed alienis viribus praelio dim.* Abr. Gronov.

8. Coniunctione Agesilai. Erat uxoris eius frater. Bongars. — *Coniunctionem* pro affinitate cognationeve sumit et Corn. Nepos in vita Pompon. Attici: *Ipsum Pompeium coniunctum non offendit.* Quam lectionem infeliciter alii lacessunt, assertam a Iano Rutgersio Var. Lect. II. 8. Bernec.

Ne a rebus gestis eius etc. Videtur auctor scripsisse, *ne rebus gestis eius et gloriae splendore decederet.* Ita Horatius lib. II. Carm. Od. 6. vs. 14.

*ubi non Hymetto*
*Mella decedunt.*

Gronov. — Malim cum MSS. aliquot *discederet.* Vide Gronovium ad Livii XXVII. 10. Wopkens. — Cl. Iensius malebat, *ne a r. g. eius gloriae spl. d.* omissa coniunctione; eaque abest MS. Coll. N. in quo scriptum: *ne a r. g. eius gloria et splendore discederet.* Ita Salvianus lib. II. de Gubern. cap. 2. quamvis diverso sensu: *Ille per hoc ostendere voluit*, *quod a nobis adfectu et protectione iugiter non discederet.* *Discedere a continentia* etiam dixit Valerius Maxi-

mus IV. 3. 12. *Multum a prisca continentia posterior Cato discedit.* Confer Avum ad Livium lib. XXVII. cap. 10. ABR. GRONOV.

NEVE TOT BELLIS — BREVIS MOMENTI. Med. sec. quint. Leid. *nec tot bellis.* Periz. *neu t. b. Ne . . . . neu*, ut apud Curtium VIII. 5. 14. *ne in peregrinos ritus degenerare se cogeres, neu invidiam tali adulatione contraheres.* Idem MS. cum Bodl. ed. Rom. Bechar. Flor. Paris. Ald. Iunt. *brevissimi.* ABR. GRONOV.

9. EADEM MILITUM ET OMNIUM REGUM CURA ERAT. Quinam sunt isti reges? Spartanorum? an Persarum, aut alii? Nugae. Torsit me, fateor, hic locus, donec ingeniosissimus Sebisius suggessit, pro *regum* legendum esse *remigum.* Ita rursus auctor infra VI. 9. 5. *milites* et *remiges* coniungit. Confirmat emendationem Orosius III. 1. ubi Nostrum, ut solet, secutus, hac ipsa de re, *Milites*, inquit, *et remiges*, *ipsique ductores uno pariter in mutuam caedem ardore rapiuntur.* Geminum huic mendum detexit Lipsius in Velleio II. 84. 2. *Vigebat in hac parte miles atque imperator: illa marcebant* (ita Freinshemius optime, cum esset antea, *illam arcebant*) *omnia. hinc remiges* (male *reges*) *firmissimi: illinc inopia affectissimi.* BERNEC. — Iuntae: *eadem militum et omnium civium cura.* Probo Sebisii emendationem certissimam: *eadem militum et omnium remigum cura.* GRAEV. — Ingeniose, ut solebat, Sebisius pro *omnium regum*, legebat, *omnium remigum.* Tamen cum addat Iustinus, *quos maior* (seu *eo maior*, ut Berneccerus) *solicitudo cruciabat, non tam ne ipsi quaesitas opes amitterent* etc. Et cum tam nobilis tamque heroica solicitudo duces multo attingat propius quam remiges, vile hominum genus et ad poscam et porcinam natum, hic locus et commode et ex mente Iustini sic mihi legi posse videtur: *Eadem militum et omnium ducum cura erat.* FABER. — Nulla mihi religio fuit in textum recipere emendationem Sebisii, pro *regum*, quod vulgo legitur, rescribendum iudicantis *remigum.* Quippe *regum* per se nihili hic est. Remiges autem in hac historia cum militibus coniungit et exscriptor Iustini Orosius III. 1. *Milites, remiges*, inquit, *ipsique ductores uno pariter in mutuam caedem ardore rapiuntur.* Sed et ipse Iustinus infra VI. 9. 5. et scriptores item alii, *milites* et *remiges* subinde coniungunt. VORST. — Sebisius pro *regum*, quod hic est ineptum, legit *remigum.* Viri doctissimi certissimam hanc vocant emendationem, alii et in textum recipiunt. Nempe et alibi *milites* et *remiges* aiunt iungi. At MSS. optimi vocem *militum* non agnoscunt, alii pro eo habent *civium*, ut Graevius testatur. Quae res manifestissimo est indicio vocem eam non Iustini esse, verum glossatoris. Manet ergo unica vox *regum.* de qua ecce, quae sit mea sententia: existimo pro ea *gregariorum* legendum. Vox est loco huic, si quae ulla, accommodata, cum nil crebrius, quam duces et gregarios sibi mutuo opponi. Et docent glossae *militum*, item *civium*, sic enim illud *gregariorum* putabant, nec inepte, posse explicari. Porro vitium ex eo natum, quod quis scripserat *gregum* per compendium, imposita in capite li-

neola, et quia scriba indoctus eius sensum assequi non potuit, mutaverat in *regum*. Remiges seorsum hic nil faciunt. SCHEFF. — Angli, *et omnium civium*. GRAEV. — Coll. N. *E. m. et omnium civium c. e.* Ed. Ald. Iunt. *et civium omnium*. ABR. GRONOV.

QUOS MAIOR SOLICITUDO CRUCIABAT, NON TAM etc. Scribendum vel, *quos maior solicitudo cruciabat, ne ipsi*; vel potius, *quos solicitudo cruciabat, non tam ne ipsi* etc. aut male cohaerebit oratio. BERNEC. — Bernecceruus legendum censet vel *quos maior solicitudo cruciabat ne ipsi*, extruso *non tam*; vel *quos solicitudo cruciabat non tam ne ipsi*, extruso *maior*. Verum *non tam* abesse non potest. *Maior* autem et ipsum tolerari potest, si credamus positum id pro *magna:* id quod frequenter sane fit. Nepos XXV. 4. 4. *Si qua res maior acta est*. Noster infra XIII. 2. 11. *Valetudo maior* pro valetudo magna. Vide et Gifanium Obs. L. L. VORST.

11. VICTI LACEDAEMONII. Ad Cnidum. BONGARS.

12. ERIPITUR. Ovid. XV. Met. 284.

*nisi vatibus omnis*
*Eripienda fides.*

Et Cic. IX. ad Att. Ep. 8. *Eripe mihi hunc dolorem*. Id. X. 4. *Me libente, eripies mihi hunc errorem*. GRONOV.

## CAP. IV.

1. LACEDAEMONIIS HABENDAE. Isocrates Orat. ad Philippum de Conone: *Λακεδαιμονίους ἐξέβαλον ἐκ τῆς ἀρχῆς* etc. Orosius III. 1. *Magnitudine atque atrocitate belli istius, inclinatus ex hoc semper in posterum Lacedaemoniorum status. Prona namque ex illo fluere, ut retro sublapsa referri spes Spartanorum visa est.* Ita locus ille ex MS. P. Danielis legendus est. BONGARS.

2. THEBANI. Et alii ad id pecunia Persarum inducti. Pausan. lib. IV. BONGARS.

4. EX INFIMIS INCREMENTIS. Ita quidam impressi, recte: alii, *infinitis*. MSS. *finitimis*. BONGARS. — Locus hic mihi quidem admodum suspectus est, nec scio satis, an *infima incrementa* recte dicantur. Sane ubicunque incrementa, ibi factus iam processus est ex infimo. Adde, quod MSS. omnes consensu miro pro *infimis* habeant *finitimis*. Quid autem commodum possit substitui, quod ab illo *finitimis* non longe recedat, hactenus me fateor non excogitasse. Nisi hoc obstaret, mallem pro *ex infimis* facere *eximiis incrementis*. SCHEFF. — Certe non est nullius momenti dubium, quod de hoc loco movet vir doctissimus, praesertim quum Bongarsius quoque testetur, MSS. prae se ferre *finitimis*. Videamus ergo, annon lectio MSS. retineri et commoda inde sententia mentique auctoris conveniens erui possit. Quid vero obstat, quo minus *finitima incrementa* intelligantur de imperio Atheniensibus per victos Lacedaemonios a Conone Persarum copiis restituto? Ita sane Iustinus, commemorato praelio, quo Lacedaemonii a Conone, regii exercitus duce,

prostrati fuerunt cap. 3., pergit cap. 4. n. 1. *hoc initium Atheniensibus resumendae potentiae et Lacedaemoniis habendae finis fuit.* en incrementa Atheniensium. iam vero Geographia docet, Athenienses Thebanis finitimos fuisse. nonne igitur *finitima incrementa* significant initium resumendae potentiae Atheniensibus? Tum hoc ipso capite n. 8. primi Thebani, auxiliantibus Atheniensibus, bellum Lacedaemoniis intulisse memorantur. quod profecto nec Thebani ausi fuissent, nec Athenienses, nisi horum imperium, victis, ut modo demonstravimus, Spartanis, crevisset. Itaque Thebanorum civitas finitimis incrementis Atheniensium adiuta Lacedaemoniis bellum fecit, et duce Epaminonda ad imperium Graeciae adspiravit. quae si quis attente cogitaverit, non dubito, quin lectionem MSS. *ex finitimis incrementis* ipsa narrationis serie confirmatam antepositurus sit coniecturis, quibus Viri acutissimi aut *infimis*, aut *infinitis*, aut *eximiis* substituerunt. Dresig. — Schefferus coniicit *q. c. eximiis incrementis.* Ego mallem *q. c. ex infimis inchoamentis*, nisi insuetior illa vox Latinis esset et sic alibi *incrementa* pro primis incrementis vel incrementorum initiis occurreret. ut lib. VII. 1. *Huius* (Macedoniae) *sicut* incrementa *modica*, *ita termini perangusti fuere . . sed postea virtute regum . . imperium usque extremos Orientis terminos prolatum.* Lib. XVIII. 5. de Carthagine adhuc condenda: *si* incrementa *urbis toto orbe auspicatissimae interpellasset.* Lib. XLII. 3. *A cuius montibus Tigris fluvius modicis primo* incrementis *nascitur.* Wopkens.

Epaminondae. De quo praeter ceteros Plutarchus in Pelopida, et Probus in eius vita. Non vult Iustinus eum proelio interfuisse, quod Orosius III. 2. putavit; sed eius virtute auctam rem Thebanam. Bongars.

6. In eo bello. Angl. vocem *bello* non agnoscit. Scheff.

Lysander. Apud Haliartum. Xenoph. III. Plutarch. et Probus Lysandro: Diodorus XIV. 82. Pausanias Laconicis. Bongars.

8. Potiti victoriae. Sic Angl. Alii *potiti victoriam.* Utrumque nostro usurpatur. Scheff. — MSS. ed. Bech. Ven. Flor. Med. Paris. Ald. Iunt. atque Orosius lib. III. cap. 1. *victoria.* Infra IX. 7. 12. *Spectaculoque pendentis ultione potita est.* Ita sec. quart. Leid. Periz. eaedemque editiones atque Ienson. XII. 7. 10. ex Magl. sec. quart. Leid. Bodl. Col. N. ed. Rom. Bechar. Ven. Flor. Mediol. Paris. Ald. Iunt. *qui postea regno Indorum potitus est.* Adde XXXVII. 1. 4. Abr. Gronov.

Potiti victoria. Sic tres Dorv. et plerique credo alii MSS. non *victoriam.* Quod autem utrumque Iustino usurpari dicit Schefferus, non ita certum est: tametsi in gerundio dicat *urbis potiundae* lib. XI. 7. 4. Certe paucissima loca cum accusativo constructum hoc verbum referunt, ut lib. IX. 7. 12. lib. XII. 7. 10. et lib. XXXVII. 1. 4. In quibus tamen locis plerique vel omnes nostri cum aliis codicibus ablativum exhibent: atque ita lib. I. 2. 10. lib. XIV. 5. 10. lib. XVIII. 3. 7. lib. XLIII. 1. 12. et 2. 1. Et alibi

construit Iustinus. De constructione autem accusativi vide Comment. Nepotis Eum. cap. III. et Hirtii Afric. cap. XXXVI. WOPKENS.

9. EX ASIA, QUI IBI. Pausan. lib. III. et IV. De pugna ad Coronaeam vide supra citatos auctores: qui Agesilaum non supervenisse pugnae, sed ab initio interfuisse referunt. BONGARS.

QUI IBI MAGNAS RES. Angl. *ubi magnas res gerebat*. Bene. SCHEFF. — Schefferus probabat cuiusdam MS. lectionem istam . . *ex Asia*, *ubi magnas* etc. credo, quia putabat, alioquin hoc ordine scripturum fuisse auctorem, *ex Asia regem suum Agesilaum*, *qui ibi* etc. Verum frequentissimum hoc, ut pronomen relativum ita a nomine, ad quod spectat, duriuscule dirimatur. Lib. XXXIX. 5. *Quo facto et Syriae et Aegypti regna*, *Romana vicinitate artata*, quae *incrementa* etc. Vulg. I. Paralipom. IV. 41. *Hi ergo venerunt*, (i. e. venerunt ergo hi) quos *supra descripsimus nominatim*, *in diebus Ezechiae regis Iuda*. Livius XXII. 45. *Itaque Varro postero die*, cui *sors eius diei imperii erat* . . . copias flumen traduxit. Sallust. Catil. cap. XXXVIII. *Homines adolescentes summam potestatem nacti*, quibus *aetas animusque ferox erat*, *coepere Senatum criminando plebem exagitare*. ubi frustra sunt Gruterus Cortiusque. Rursum cap. XLVIII. *Interea plebes coniuratione patefacta*, quae *primo* . . *nimis bello favebat*, *mutata mente* etc. Lactantius de Ira Dei cap. IX. *Ut* . . *libros eius in concione* quibus *haec continebantur*, *exusserint*. et Epit. cap. XXXIX. *Diogenes cum choro canum suorum*, qui *virtutem profitetur*, *mendicare victum maluit*. Utrobique etiam transpositio haec immerito vexata est ab interpretibus. Cicero pro L. Manil. cap. II. *Equitibus Rom. honestissimis viris*, *afferuntur ex Asia quotidie literae*, quorum *magnae res aguntur* etc. *vicos exustos esse complures*. Vide quae ad lib. XXXVIII. 5. 4. WOPKENS.

12. SED VICTIS etc. Sic infra XI. 13. 19. Tacit. III. Hist. 1. *Quamquam atrociter loquuntur*, *minor est apud victos animus*. et XIV. Annal. 36. *Hostes statim cessuros* Paullinus ait, *ubi ferrum virtutemque vincentium toties fusi agnovissent*. Adde eundem V. Hist. 16. Sallust. Iugurth. 106. 3. Liv. II. 6. 15. II. 65. 10. IV. 32. 1. VIII. 16. 6. XXXIV. 20. 7. Vide tamen, quomodo Nicias suos ex clade consternatos erigat, apud Thucyd. VII. 11. 9. In primis autem VII. 17. BERNEC. — Malim cum Dorv. 3. *Nec animi neque vires p. f.* cap. VII. 5. *Tantum* animorum *viriumque patriae et penatium conspectus subministrat*. Livius XXIII. 35. *Fractis partis alterius viribus*, *alterius mollitis* animis, *segnius bellum gessit*. Lib. XLII. 63. *Tamen ipsi* animis *magis*, *quam viribus resistebant*. Vide et lib. I. 27. WOPKENS. — Ed. Maioris, *nec animi*, quomodo etiam edidit Vorstius; eamdemque scripturam ex tertio Dorviliano merito tuetur Cl. Wopkensius. ABR. GRONOV.

PRIMA IGITUR CONGRESSIONE. Med. Magl. pr. sec. Leid. Thuan. ed. Rom. *prima itaque congr.* ABR. GRONOV.

13. INDURATO. Seneca de Prov. 4. *Deus quos probat*, *quos*

*amat*, *indurat*, *recognoscit*, *exercet*. Infra IX. 8. *Assiduis bellis indurata virtute Macedonum vincuntur*. Diodor. Sic. συνήθης τῇ κακοπαθείᾳ. Gronov.

## CAP. V.

2. Iphicratem. De quo praeter superiores Probus in eius vita. Hoc autem bellum, quia circa Corinthum gerebatur, *Corinthium* est appellatum, Κορινθιακὸς πόλεμος. Bongars.

5. Non imperatoriae etc. Talis Alexandri M. pater, infra IX. 8. 12. Cato apud Plin. VII. 27. Caesar apud Sueton. cap. 51. Plures alios eloquentia simul ac imperatoriis artibus excellentes memorat auctor Dialogi de Oratoribus cap. 37. et Ammian. Marcellin. XXX. 11. Rara copula. Nam fere *viri nati militiae*, *factis sunt magni: ad verborum linguaeque certamina rudes*. Livius X. 22. 6. *Auctoritas viro militari pro facundia*. Tacit. XV. Annal. 26. Huc respicit Hercules, Ovid. IX. Metam. V. 29.

*melior mihi dextera lingua est*. Bernec.

Verum etiam oratoriae artes fuere. MS. *verum etiam oratoriae artes magnae fuerunt*. Mod. — MS. *artes magnae fuerunt*. Bernec. — Ed. Bech. *verum etiam*. sec. quint. Leid. Coll. N. cum MSS. Fuldensibus, *oratoriae artes magnae f.* Ald. Iunt. *verum etiam orat. artes magnae f.* Abr. Gronov.

Ad depopulandos Lacedaemoniorum agros. Coll. N. ed. Bechar. Med. Ald. et Orosius, *ad populandos:* ut V. 5. 2. et XVI. 3. 10. *agros populatur*. XXIV. 6. 2. *cum agros villasque popularetur*. Abr. Gronov.

9. Praedarum sumptu, et exercitu Persarum restituit. Libentissime fateor, me non capere, quid sit *praedarum sumptus*. Manuscripti inter se variant. Revoco lectionem veram: *Itaque*, *quae incensa fuerant pridem*, *sumptu et exercitu Persarum restituit*. Vulgatam quoque lectionem reprobat Xenophon, qui nihil de praeda. Error autem ortus est ex scripturae compendio. Voss. — Hunc locum optime emendavit Is. Vossius sic: *quae incensa fuerant pridem*, *sumptu et exercitu Persarum restituit*. Optime, inquam, et ex fide historiae. Adde quod *praedarum sumptus* res Latina non est. Faber. — Non placet Vossio *praedarum sumtu*; proque *praedarum* legi ille vult *pridem*. Verum nihil id opus. Confirmatur lectio vulgata eo quod mox sequitur, *ex spoliis Lacedaemoniorum restituerentur*. Vorst. — Nullam huic loco controversiam moveo renuentibus libris omnibus antiquis. *Sumtus praedarum* est, qui contrahitur ex vendita praeda. Latine proprie *manubias* dici contendit Favorinus apud Gellium. Sed *manubias* fuisse pecuniam ex vendita praeda imperatori victori a Senatu in praemium virtutis donatam, quam tamen plerique impendebant in opera publica, Asconio Pediano potius credo, idque alibi docebo pluribus. *Praedarum sumtu et exercitu Persarum*, statim his verbis exponit, *Persarum manibus* et

*spoliis Lacedaemoniorum.* GRAEV. — Ald. Iunt. *pr. sumptu restituit, et exerc. P. quae dirupta fuerant, reficit.* ABR. GRONOV.

10. MANIBUS EORUM. Recte. Vulgo *manubiis*, contra libros et mentem auctoris. Orosius, *Persis aedificantibus.* Legendi Xenoph. IV. Diodorus XIV. 86. Pausanias Atticis. BONGARS. — *Manubiis* retinet et confirmat Iustus Rycquius Cent. II. Epist. 25. *Manibus* tamen rectius videtur ex illis verbis num. praec. *exercitu Pers. rest.* BERNEC. — Legendum omnino *manibus;* non ut Rycquius vult, et in antiquioribus typis expressis est, *manubiis.* Firmat et hanc lectionem contextus, quodque antecedit, *quae incensa fuerant, exercitu Persarum restituit.* Sed et codices MSS. id habent. VORST.

Ex SPOLIIS etc. Simile oraculum apud Esaiam XLIX. 17. *Καὶ ταχὺ οἰκοδομηθήσῃ, ὑφ᾽ ὧν καθῃρέθης.* GRONOV.

## CAP. VI.

1. ARTAXERXES. *Pax Antalcidae* dicta, quod esset eius opera impetrata. Xenoph. V. Diodorus XIV. 110. Plutarchus in Agesilao, et Artaxerxe. BONGARS. — Similem, sed effectu dissimili, Tarentinorum legationem refert Livius IX. 14. 1. Adde Appian. pag. 10. 2. Tacit. I. 23. 7. Liv. XLIV. 14. 7. BERNEC.

IUBET OMNES AB ARMIS DISCEDERE. Saxo lib. XV. pag. 869. init. *Plebs ab armis se discessuram promittit.* ABR. GRONOV.

2. ASSIDUISQUE BELLORUM INTERNECIVIS ODIIS. Non satis aptum videtur illud *assiduis internecivis odiis*, rarissime profecto adiectiva sic iunguntur sine copula. In MSS. *interne civis*, ex quo impressi quidam fecerunt *inter cives.* At ego censeo, Iustinum scripsisse *interve-necivis* per tmesin, non insolitam optimis scriptoribus figuram. Coniunctionem *ve*, quae hic valet idem ac *que*, absumsit *ne*, quod in *necivis* sequitur. SCHEFF. — Saepius quidem sic duo adiectiva ἀσύνδετα uni substantivo iunguntur, ut hic *assiduis internecivis odiis:* mallem tamen legi *assiduisque internecivorum odiis*, prout *internecivum bellum* quoque dixit Iustinus lib. XXVI. 2. 3. vel potius *assiduisque bellorum inter civitates odiis;* quemadmodum post *Graeciam*, *civitates* subiici videmus in praecedentibus: *legatos in* Graeciam *mittit, per quos* etc. Civitatibus *libertatem suaque omnia restituit.* Et huc etiam facit, quod in duobus nostris aliisque MSS. est *inter cives.* WOPKENS. — Penultima vox abest Magl. *inter cives odiis* Med. sec. quint. Leid. Periz. Reg. Bodl. ed. Rom. aliaeque cum Ald. Iunt. *interve cives* Ienson. *internecinis* ed. Oxon. ABR. GRONOV.

3. AEGYPTIO BELLO. *Κυπριακὸν πόλεμον* commemorat Diodorus, in quod pace constituta incubuerit Artaxerxes. Nisi haec de ea pace accipias, de qua Diodorus XV. 38. *Ἀρταξέρξης μέλλων πολεμεῖν πρὸς Αἰγυπτίους, καὶ σπεύδων ξενικὴν δύναμιν ἀξιόλογον συστήσασθαι, διέγνω συλλύσασθαι τοὺς κατὰ τὴν Ἑλλάδα πολέμους* etc. quae compara cum Iustini verbis. Sed de Aegyptio bello vide Gemistum, et Plutarchum Artaxerxe. BONGARS. — Lacedaemo-

nii ab Hercynione Aegypti rege auxilia navalis belli petierant, ab eodemque centum triremes et sexcenta millia modiorum frumenti impetrarant. Vide sup. VI. 2. 1. VORST.

IN GRAECIA DETINERENTUR. Iuntae *distinerentur:* quod praeferendum esse vulgato, nemo non videt paulo humanior. Tac. XIV. Ann. 26. *Quae facilius proveniebant, quia Parthi Hyrcano bello distinebantur.* et IV. Hist. 56. *Omnes exercitus suis quemque bellis distineri.* GRAEV. — Melius certe et haud paulo elegantius in editione Iuntarum, quam habuit Io. Graevius, *distinerentur.* FABER. — Iuntae teste Graevio, *distinerentur:* quod Graevius et probat. Mihi placet lectio vulgata. *Distineri* non ita nude et sine vocabulo quarti casus poni solet. VORST. — Optimo iure illud *detinerentur,* pro quo cum Iunt. ed. *distinerentur* reponunt alii, vindicat Vorstius, suffragantibus etiam quatuor nostris codicibus. Atque ita *in Italia detineri* Noster dixit lib. XVIII. 2. 5. Ex distinctione autem Graevii ad lib. XXIX. 2. recte *distinendi* verbum adhiberi videmus lib. XXIX. 2. 8. et lib. XXXI. 1. 6. WOPKENS.

IN GRAECIA DISTINERENTUR. Ita Graevius edidit ex Iuntina pro *detinerentur,* quod alteri merito praefert Vorstius. Periz. ed. Ven. Flor. Paris. *in Graeciam detinerentur,* idemque in duobus MSS. reperisse se testatur Cl. Oudendorpius ad Caesarem de B. G. II. 17. 3. ABR. GRONOV.

5. HIC ANNUS. Is fuit secundus Olympiadis nonagesimae octavae, ab U. C. CCCLXVI. BERNEC.

PAX TOTA GRAECIA FACTA EST: SED ETIAM EO, QUOD etc. Coll. N. *pax in tota Gr.* ed. Rom. *repente tota Gr. pax f. est; sed etiam quod.* ABR. GRONOV.

URBS ROMANA. Strabo extremo lib. VI. BONGARS. — Polybius I. 6. Livius V. 41. Florus I. 13. Plutarchus Camillo, et plures. BERNEC.

6. LACEDAEMONII SECURIS INSIDIANTES etc. Lubet ex MS. voces aliquot Orosio III. 2. restituere. *Lacedaemonii,* inquit, *inquieti magis (quam strenui; et furore potius) quam virtute intolerabiles, post bella posita, tentant furta bellorum.* BONGARS. — Impressus quidam, *securi insidiantes,* quod fortasse non repudiandum. Veterem esse lectionem hanc observo ex auctore Fori Romani, quippe qui pro auctoritate vocis *insidianter* adducit hunc ipsum Iustini locum. Sed et sententia videtur elegantior. Cum, inquit, Lacedaemonii facti essent securi, bello per regem Persarum sublato, non potuerunt manere quieti, sed speculati sunt, quos adorirentur; ceterum exhausti, cum aperte magnaque vi agere non possent, per insidias hoc faciunt. Estque hoc id ipsum plane, quod Orosius ait: *Lacedaemonii inquieti magis, quam strenui, et furore potius, quam virtute intolerabiles, post bella posita tentant furta bellorum.* Sane ipse Noster ostendit invasionis causam Lacedaemoniis non fuisse Arcadum securitatem, sed absentiam, quia tenebantur bello cum Eleis. Absentes autem propter bellum non possunt dici securi. Quia

tamen vix invenies *insidianter* apud alios scriptores probos, nolo certi quid hic definire. SCHEFF. — Securi, quibus insidiabantur Lacedaemonii, non soli erant Arcades, sed omnes finitimi populi, qui sibi non metuentes, securi erant. Primos autem invaserunt Arcades, tum absentes. Et hoc est, quod dicit Orosius, quod *post bella posita tenturint furta bellorum*, hoc est, quod insidiati sint securis, et absentes invaserint. GRAEV.

CASTELLUM. *Κρῶμνον* Xenoph. Hist. Graec. VI. Civitas est Peloponnesi Stephan. De hoc bello vide Xenophontem. BONGARS.

7. AMISSA BELLO. Locus suspectus. MSS. habent, *amisso bello*, vel *amissum bellum*. Credo Iustinum scripsisse, *amissum, bello*, ut *amissum* referatur ad *castellum*, *bello* autem significet *praelio*; nam sequitur, *in eo praelio*; quod ostendit de praelio ante locutum. Et sunt MSS. qui hic quoque *bello* habent, id quod rectius videtur. SCHEFF. — Cl. Bondam lib. I. Var. Lect. cap. 2. ex Orosio lib. III. cap. 2. et Adone Aet. V. huic loco lacunam inhaerentem ita supplet, *amissa furto, bello repetunt*. ABR. GRONOV.

9. QUI CUM CAEDI SUOS IAM UT VICTOS. Qui caeduntur, nil novi est si caedantur ut victi, neque enim ut victores, puto. Lego itaque: *Qui cum iam cedere suos ut victos videret* etc. *Cedere*, id est terga vertere, non ut interdum facere illi solent, qui ex arte militari fugam simulant, quo gravius incautos et exsultantes successu persecutores impetant; sed ut ii faciunt, qui ex animo fugiunt, et qui se nisi victos fatentur, tales certe ex validissima et strenuissima cursura se ostendunt, dum totis fugiunt viribus. FABER. — Angli, *caedi suos iam et victos*. scil. *esse*. Proba lectio. Vulgata *victos iam* dicit *caesos*, quasi primum sit victoria praelio, post caedes. SCHEFF. — Potest defendi vulgata lectio, cuius est sententia, cum caedi suos pro victis videret, sive tanquam iam plane victos. Caeduntur in praeliis multi etiam, si acrius pugnatur, in victorum exercitu. Verum qui caeduntur ut victi, seu, ut Caesar loquitur, pro victis, non pugnantes caeduntur, sed aut terga dantes, aut ordinibus perruptis iam incompositi, ut adversarios victores esse plane appareat. Verior est lectio librorum Anglicanorum, *cum caedi suos iam et victos videret*, quibus suffragatur editio Iuntina. GRAEV. — Pro hac lectione merito stetit Abr. Gronovius, postquam quidam ex Iuntina et MStis nonnullis maluissent *et victos*; et alterum nostri quoque agnoscunt. WOPKENS.

QUI CUM CAEDI SUOS IAM ET VICTOS VIDERET, PER PRAECONEM CORPORA INTERFECTORUM AD SEPULTURAM POSCIT. Ita Ald. Iunt. verum Med. Magl. sec. quart. quint. Leid. Periz. Bodl. ed. Rom. Bechar. aliaeque, *ut victos*. Orosius lib. III. cap. 2. *cum iam caedi suos ut victos videret*. Ita ex optimo codice Florentino edidit Cl. Havercampus pro vulg. *cum etiam*. Coll. N. *corpora interemptorum*. Porro Med. quint. Leid. Coll. N. *poposcit*. ed. Rom. *deposcit*. ABR. GRONOV.

10. HOC EST ENIM SIGNUM. Diodorus XVII. 68. *αἴτησιν τῶν*

νεκρῶν ait περιέχειν ἥττης ὁμολόγησιν. Bongars. — Idem XIX. 31. *Eumenes ad caesos regredi proposuerat, tollere eos maturans, ut ancipitem hactenus victoriam certo sibi assereret.* Unde laudandi Niciae sumpta materia Plutarcho in eius Vita cap. 13. Nam licet in more positum esset, ut qui caesorum corpora per inducias recepissent, renuntiare victoriae viderentur, adeoque ne tropaeum quidem erigere rite possent: (victores enim sunt, qui praevalent; nec praevalere videntur, qui petunt quod suis viribus capere non possunt:) maluisse tamen Niciam profundere lauream et decus, quam duos cives inhumatos relinquere. Quale quid etiam de Atheniensibus memorat Thucydides IV. 9. 18. Bernec.

## CAP. VII.

1. Tacito consensu induciae. Quae *induciae tacitae* dicuntur Livio II. 18. 24. et XXIII. 46. 5. Bongars. — Eae sunt, quae sine pacto, mutuo velut consensu fiunt. Bernec. — Coll. N. *tacito ex consensu:* ut paullo post: *atque ita ex placito consensu e praelio disceditur.* ubi *ex tacito* malebat Berneccerus, cuius coniecturam firmat Orosius: *veluti ex consensu tacito utrimque discessum est.* Abr. Gronov.

2. Principio noctis. Vide Plutarchum Agesilao. Frontin. I. Strat. 11. Bongars.

3. In ipsis portarum angustiis armati occurrunt. Periz. *concurrunt.* Orosius lib. III. cap. 2. *in ipsis se portarum angustiis obiecerunt.* Abr. Gronov.

4. Et adversus quindecim millia militum, non amplius centum iam effoetae aetatis viri pugnae se offerunt. Lector cogitet, num bene habet numerus *centum effoetae aetatis virorum,* qui XV millia Thebanorum a Spartae moenibus arcuerint. Glarean.

5. Penatium. Pr. Leid. Bodl. Magl. ed. Bech. Med. Ald. *penatum.* Saxo lib. XIV. pag. 356. 8. *penatum suorum hospitio.* Abr. Gronov.

Tantoque praesentia, quam recordatione sui, maiores spiritus largiuntur. Periz. *quam praeterita rec.* Magl. ed. Rom. *elargiuntur.* Abr. Gronov.

7. Ante diem. MS. Bongars. *ante dies.* quod malo. Nam sic Iulius Capitol. in Pertin. 15. *Stellae etiam iuxta solem per diem visae sunt clarissimae ante dies, quam obiret.* et Iulianus ICtus in L. 17. D. de Manum. Testam. §. 1. *Post annos liber esse iussus.* Noster infra XX. 5. *Ante menses.* et XXXVI. 1. *Interiectis mensibus.* et XLIV. 4. *Post dies.* ut et I. Reg. XVII. 74. Ἐγένετο μεθ' ἡμέρας. et D. Lucas in Euang. XXI. 11. Κατὰ τόπους. Gronov. — *Ante dies* (scil. aliquot), quod ex Bongarsii MSto malebat Gronov., etiam in Dorv. 3. Franeq. alioque codice conspicitur. Dictys Cret. IV. 16. *Interponendam dierum moram ad reficiendos militum eius animos.* Min. Felix cap. 11. Horarum *sal-*

*tem permisso commeatu.* cum nota Davisii. WOPKENS. — Med. quint. Leid. Perix. Coll. N. Bodl. *ante dies*, probante Avo. ABR. GRONOV.

9. CUM INTERIM, AGESILAI ADVENTU NUNTIATO, THEBANI RECESSERE. Coll. N. *Interim cum Ag.* Perix. ed. Bech. Ven. Flor. Med. *adventus nunciatur.* Ald. Iunt. *adventus nunciaretur.* ABR. GRONOV.

NEC BELLUM DIU DILATUM. Proelium ad Mantineam, de quo Xenophon lib. VII. Diodorus XV. 84. Plutarchus Agesilao, et Apopth. Lacon. Probus Epaminonda: Pausan. Boeoticis: Strabo lib. VIII. praeter quos de Epaminondae morte legendus Cicero Fam. Epist. V. 12. ad Lucceium. Val. Max. III. 2. Aelian. XII. Var. Hist. 3. Pausanias Atticis, et Arcadicis, quem sequitur Orosius III. 2. Huc usque Xenophon, cuius historiam prosequitur Diodorus XV. et Gemistus Pletho. BONGARS.

10. TENERI NON POTUIT. Pro tenere se non potuit. Passivum pro activo cum pronomine reciproco: ut *exerceri luctando*, pro exercere se: *lavari*, pro lavare se. Cicero XVI. ad Fam. Epist. 24. *Vix teneor quin accurram.* Ovidius IV. de Pont. El. 1.

*Non potuit mea mens, esset quin grata, teneri.* VORST.

12. HIS EX DOLORE METUS, ET ILLIS EX GAUDIO STUPOR INIICITUR. Dele istud *et*, nam inelegans est, ac praeter usum honestae Latinitatis. FABER. — Rectissime Faber, cui adstipulatur Iuntina. GRAEV. — Med. sec. quint. Leid. Coll. N. *et his ex d. metus, et illis.* pr. Leid. *et illis ex g. stupor mittitur.* Magl. *immittitur*, haud dubie ex interpretatione. Infra XXV. 1. 7. *quibus ostentatione virium metum se iniicere existimabat.* Saxo lib. IV. pag. 64. 8. *Tantum autem stuporis Uffo praesentibus iniecit.* et lib. XV. pag. 331. 44. *ne supervenientibus metus iniiceretur.* et pag. 368. 40. *ad metum consimilis audaciae ceteris iniiciendum.* ABR. GRONOV.

VELUTI EX PLACITO CONSENSU. Forte *tacito*, ut est et supra hoc ipso cap. num. 1. BERNEC. — Berneccerus suspicatur *tacito* legendum; quoniam et supra sic locutus est. Mihi secus videtur, atque illud *placito* tanquam glossa τοῦ *consensu*, penitus eiiciendum. *Placitum* pro *consensu* frequens apud novissimi aevi scriptores. SCHEFF. — Schefferus τὸ *placito* veluti interpretamentum sequentis *consensus* eliminat. Sed verius Bernеggerus suspicatur *ex tacito consensu*, ut modo: *cum quasi tacito consensu induciae essent.* Et Orosius in loco parallelo III. 2. *Velut ex consensu* tacito *utrinque discessum est.* WOPKENS.

## CAP. VIII.

1. POST PAUCOS DEINDE DIES etc. Imo non post paucos dies, sed statim ut e praelio ad castra relatus est, animam efflavit. Quod ex omnium consensu constat. VOSS. — Lege, *Post paulo deinde Epaminondas* etc. Nec ullus erit auctoris nostri ab aliis dissensus.

Eademque locutione utitur Liv. XXII. 60. *Annibalem post paulo audistis*. GRONOV. — Nepos et alii significant statim a praelio, et quam primum renunciatum esset vicisse Boeotios, animam exspirasse. VORST.

CUM QUO VIRES QUOQUE etc. Adeo vere Tacitus Germ. cap. 30. *Plus reponendum in duce quam exercitu.* Curtius X. 6. 13. *Militaris sine duce turba, corpus est sine anima.* Florus II. 18. 15. *Tanti est exercitus, quanti imperator.* Vide Valer. Max. III. 2. 5. Ext. BERNEC. — Ed. Rom. *vires pariter reip.* ABR. GRONOV.

2. PRAEFREGERIS. Ita MS. rectius, opinor, quam hactenus editi, *perfregeris*. Ita Liv. VIII. 10. 4. et XXXII. 17. 11. *hastas praefringere*. BERNEC.

RELIQUO FERRO. In MS. est *ferrum*, quod efficit, ut hoc quoque suspicer ex glossa natum. Sane *reliquo* intelligendum est de *telo*, at id non est ferrum totum, sed mucro solum. Igitur *reliquo ferro* Iustinus scribere non potuit, cum demto mucrone teli reliquum sit lignum. SCHEFF.

SIC ILLO VELUT MUCRONE TELI ABLATO DUCE THEBANORUM, REI QUOQUE PUBLICAE. Idem translationis genus Tullio placuit, ut pro Caecina 29. *Hic est mucro defensionis tuae.* et pro Cluentio 44. *Ne censorium stilum, cuius mucronem multis remediis maiores nostri retuderunt, aeque posthac atque illum dictatorium stilum pertimescamus.* GRONOV. — Distingue: *Sic illo, velut mucrone teli, ablato duce, Thebanorum rei quoque p. v. h. sunt.* GRAEV. — Isthaec verba, *velut mucrone teli*, hinc exturbanda, non modo quia non sunt necessaria, sed quod et insulse addita, cum in prima parte periodi dixerit Iustinus: *Sicuti telo si primam aciem praefregeris, reliquo ferro* etc. Quare legendum est, *Sic illo ablato duce, Thebanorum quoque reipublicae vires hebetatae sunt.* FABER. — Distinguendum monet Graevius, *sic illo, veluti mucrone teli, ablato duce, Thebanorum*. In sequentibus, *ablato duce Thebanorum*, illud *duce* nescio, an sit Iustini; deinde *Thebanorum* puto cum sequentibus, non praecedentibus iungendum. SCHEFF. — Notator Anglicanus docet, verba haec a Fabro expungi, tanquam nata per glossemata ex superioribus. Non improbo. SCHEFF. — Demades in Orat. pag. 180. τῷ Ἐπαμινώνδου σώματι συνέθαψε τὴν δύναμιν τῶν Θηβαίων ὁ καιρός. Haec Cl. Iensius. Saxo lib. X. pag. 200. 35. *hebetatis pristinae militiae nervis.* et XVI. pag. 376. f. *militaris roboris nervos otio hebetari.* ABR. GRONOV.

CUM ILLO INTERIISSE. *Unus homo pluris quam civitas fuit.* Probus Epaminond. in fine. BERNEC.

4. VIR MELIOR, AN DUX. Quae duo iuncta non nimis frequenter invenias. *Antonius Primus, pace pessimus, bello non spernendus*: inquit Tacit. II. Hist. 86. *Tarquinius iniustus in pace rex; dux belli non pravus.* Livius I. 53. 1. *C. Marius, vir, si examinentur cum virtutibus vitia, haud facile sit dictu, utrum bello melior, an pace perniciosior fuerit.* Idem Epit. LXXX. Et qui-

dem Aristot. Politic. V. 9. in legendo duce, militaris peritiae maiorem, quam virtutis aut morum rationem habendam esse tradit. BERNEC.

5. NAM ET IMPERIUM NON SIBI SEMPER. Sebis. *semper non sibi*, alio et vero sensu. BERNEC. — Vult Sebisius, *semper non sibi*. Possumus sententiam iuvare sola distinctione mutata, commateque non post *semper*, sed post *sibi* collocato. Nec traiectio huiusmodi Nostro plane incognita, praecedit quippe paulo ante, *hunc ante ducem*, pro *ante hunc ducem*, simili ratione. SCHEFF. — Vitiosissimum est, et corruptissimum quoque hoc, *imperium non sibi semper, sed patriae* etc. ut multa alia in hoc scriptore. Si enim *non semper* sibi imperium quaesivit, ergo *interdum* sibi quaesivit, tanto viro indignum est, ac planissime culpandum, et id tamen Iustini consilium non esse intelligimus. Sebisius quidem vir acri ingenio et acuto, coniecit legendum, *sibi non semper*, quae lectio Bernecc*e*ro placet, mihi autem minime. Quid enim mox addit Iustinus *Recusanti omnia imperia ingesta sunt?* Si recusavit omnia, nunquam igitur omnino quaesivit; quamobrem sic a Iustino hunc locum conceptum fuisse mihi persuasum est: *Nec sibi imperium unquam, sed patriae semper quaesivit.* Nihil a me verius excogitatum arbitror, ex quo has literas, pessimo meo fato, tractare coepi. FABER. — Locum hunc esse contaminatum recte monuit acutissimus vir, Tanaquillus Faber, et ante illum Sebisius, qui pulchre vidit *semper* esse traiectum, coniecitque legendum esse: *Nam et imperium semper non sibi* (non ut amicus noster scribebat, *sibi non semper.* haec enim longe alius sunt sententiae.) *sed patriae quaesivit.* Quorum verborum eadem mens est, quae emendationis viri docti, qui contra librorum fidem intrusit *unquam*. Sed vera huius loci lectio est in Iuntina, in qua venuste: *Nam et imperium non sibi, sed patriae semper quaesivit.* Vides voculam hanc excidisse suo loco, quae nunc in illum reposita omnes nebulas discussit. Facile enim, qui Latine docti sunt, vident hanc eius esse sedem genuinam. GRAEV.

6. ET PECUNIAE ADEO PARCUS FUIT. Id est, adeo non cupidus, adeo acquirendae non studiosus. Sequitur mox, *Gloriae non cupidior, quam pecuniae.* Ita *parcus somni*, qui parum dormit, XI. 13. 2. *parcus in cibum*, pro *parcus cibi*, id est, qui modico cibo contentus est XLI. 3. 9. *parcus vini*, apud Suetonium Caes. 53. 1. et Aug. 77. 1. VORST. — Haec quidem hactenus probo, ut Iustinum hoc voluisse minime dubitem, quamvis loquendi genere vitioso, certe haud usitato, illum sic dixisse contendam. Alia ratio est locorum quae tanquam similia laudat Vorstius. In illis enim omnibus de *usu* sermo est, non de *appetentia*. Itaque ad horum similitudinem si Iustinus *parcum pecuniae* Epaminondam dixisset, non abstinentem dixisset, sed potius *avarum* et *tenacem*. Fuit igitur, cum negationem excidisse, atque *adeo non parcus* legendum existimarem. Sed re adcuratius pensa, hunc eius vocis usum refe-

rendum puto inter illa, quae singularia Iustinus habet, et apud scriptorem alium nullum obvia. Sic V. 2. *formae venerationem.* et XIII. 1. simpliciter *venerationem* de formae pulcritudine ac dignitate dixit, quod, ut opinor, alius nemo. HOTTINGER.

UT SUMTUS FUNERI DEFUERIT. Idem de Aristide Plutarchus in eius Vita cap. 52. et de P. Valerio Livius II. 16. 7. deque Menenio II. 33. 13. BERNEC.

7. RECUSANTI OMNIA IMPERIA etc. Imp. Traianus *Praefectum praetorii non ex ingerentibus, sed ex subtrahentibus legit.* Plin. Paneg. cap. 86. Sed et de ipso Traiano cap. 5. *Recusabas enim imperare, recusabas; quod bene erat imperaturi.* Adde Lamprid. in Alex. Severo cap. 19. Item L. 31. Cod. de Episc. et Cler. *Saepius* tamen *recusare, ambiguam, ac potius illam interpretationem habet, tanquam minorem* (hoc est, muneri imparem) *te putes.* Plin. ibid. cap. 59. BERNEC.

8. SED DARE IPSI DIGNITATI VIDERETUR. Angl. *sed dare ipsis dignitatem.* Liquet ex diversitate lectionis, vocem *dignitati* ex glossa irrepsisse. Scripsit Iustinus, ut existimo, *ut ornamentum non accipere, sed dare ipsis videretur.* dare ipsis sc. honoribus. SCHEFF. — Schefferus legebat *sed dare ipsis* (scil. honoribus) *videretur.* Sed passim ita nomen substantivum pronominis demonstrativi vice fungitur, quemadmodum hic *ipsi dignitati* ponitur prò illis, sc. honoribus. Lib. XVI. 1. *Quamquam in parricidio nulla satis iusta causa ad* sceleris (id est, illius, nempe parricidii) *patrocinia praetexi potest.* Lib. XXIII. 4. *Pulchritudo ei corporis insignis: vires quoque in* hominé (i. e. illo) *admirabiles fuere.* ubi plura. ad rem ipsam confer ista Sallustii Iugurth. cap. 4. *Proinde quasi praetura et consulatus atque alia omnia* (forte *munia*) *huiuscemodi per se ipsa clara et magnifica sint, ac non perinde habeantur, ut eorum, qui ea sustinent, virtus est.* WOPKENS. — Octo MSS. *ornatum.* ed. Ald. Iunt. *ipse.* Coll. N. *sed dare ipsis dignitatém vid.* Vulgatum imitari Saxonem observavit Cl. Stephanius ad eumdem praef. pag. 1. 37. ubi ait: *ut potius magistratui ornamentum dare, quam ab ipso accipere videretur.* ABR. GRONOV.

9. LITTERARUM STUDIUM. In quo praeceptorem habuit Lysidem Tarentinum Pythagoreum. Cicero de Oratore III. 34. Diodor. XVI. 2. Diogenes Laërt. in Pythagora: Probus in Epam. BERNEC.

10. NEQUE AB HOC VITAE PROPOSITO. *Propositum* auctoribus certa vivendi ratio est. Phaedrus praef. lib. III. *Mutandum tibi propositum est et vitae genus.* Seneca Epist. 68. *Aliud proposito tuo nomen impone.* ubi *propositum* vocat institutum Lucilii in secessu vivendi. VORST.

11. SEMIANIMIS. Cl. Wasseus ad Sallustium Fragm. Hist. IV. 31. legit *semianimus* ex MS. Bongarsii, quem tamen illud ex editionibus, non vero ex codice MS. protulisse, constat ex eiusdem variis Lectionibus. ABR. GRONOV.

ID UNUM A CIRCUMSTANTIBUS REQUISIVIT. De Philopoemene non

dissimilia Livius XXXIX. 50. 9. Bernec. — Ita, ut Iustinus, ceteri quoque omnes id narrant. Aelianus tamen longe aliter lib. XII. Var. Hist. cap. 3. cuius verba emendata apponam: *Ἐπαμινώνδας ὅτε ἐτρώθη ἐν Μαντινείᾳ, καιρίαν εἰς τὴν σκηνὴν κομισθεὶς ἔτι ἔμπνους Δαΐφαντον ἐκάλει, ἵνα ἀποδείξῃ στρατηγόν. οἱ δὲ ἔφασαν τεθνᾶναι τὸν ἄνδρα· εἶτα Ἰολαΐδαν καλεῖν διὰ ταχέως ἠξίου. Ἐπεὶ δὲ καὶ αὐτὸς ἐλέχθη τεθνᾶναι, συνεβούλευσε διαλύσασθαι πρὸς τοὺς πολεμίους, καὶ φιλίαν θέσθαι, ὡς μηκέτι στρατηγοῦ καταλιμπανομένου ἐν Θήβαις.* Vulgo, *ὡς μηκέτι στρατηγοῦ καταλαμβανομένου ἐν Θήβαις.* Male. Vide quoque Plutarchum in Apophthegmatis Epaminondae, qui *Ἰολαΐδαν* perperam, ut puto, vocat *Ἰολλίδαν*. Voss. — Coll. N. *ab una a* (leg. *e*) *circumstantibus quaesivit.* Diodorus lib. XV. cap. 87. *Πρῶτον μὲν γὰρ τὸν ὑπασπιστὴν προςκαλεσάμενος, ἐπηρώτησεν, εἰ διασέσωκε τὴν ἀσπίδα. τοῦ δὲ φήσαντος, καὶ θέντος αὐτὴν πρὸ τῆς ὁράσεως, πάλιν ἐπηρώτησε, πότερον νενίκασιν. ἀποφαινομένου δὲ τοῦ παιδὸς, ὅτι Βοιωτοὶ νενίκασιν, ὥρα, φησὶν, ἐστὶ τελευτᾷν.* Abr. Gronov.

12. Allatumque velut laborum etc. Magis placet, quod in antiquioribus typis expressis est, *allatum velut laborum socium osculatus est;* omissa scilicet enclitica *que.* Vorst.

Allatum velut laborum gloriaeque socium osculatus est. Ita quint. Leid. Thuan. Coll. N. ed. Bechar. Flor. Paris. Ald. Iunt. *allatumque* reliqui MSS. cum ed. Rom. quae etiam dat, *deosculatus est.* Abr. Gronov.

## CAP. IX.

2. Amisso, cui aemulari consueverant. Alii libri, *quem aemulari consueverant.* et utroque modo loquitur Cicero, illo II. Tuscul. inquiens: *Obtrectare alteri, aut illa vitiosa aemulatione, quae rivalitatis similis est, aemulari, quid habet utilitatis?* isto pro Flacco, dum ait: *Omnes eius urbis instituta laudare facilius possumus, quam aemulari.* Volunt autem litteratores inter utramque locutionem hanc esse differentiam, quod cum accusativo in bonam partem, in malam cum dativo accipiatur. Grammaticum acumen mihi vide. Mod. — Ea nimirum de causa Scipio Nasica Carthaginem servandam, nec ex sententia Catonis excidendam pronuntiavit, *ne metu ablato aemulae urbis, luxuriari felicitas Urbis inciperet.* Florus II. 15. 8. Bernec.

In segnitiam torporemque resoluti. Saxo lib. VII. pag. 139. 48. *ne militum animos in desidiam resolvi pateretur.* Magl. pr. Leid. ed. Ven. Flor. Paris. Iunt. Ald. *in segnitiem.* Abr. Gronov.

3. 4. 5. Iunge Plutarchum de Gloria Atheniens. cap. 10. et 11. Bernec.

Non ut olim classem. Has delicias tam arcte sunt amplexi, ut capitis poenam indicerent, si quis de pecunia publica ad militiae priscum usum revocanda, verba facere unquam auderet. quod Liba-

nius refert in Argumento Olynth. 1. Demosth. Conatum tamen esse Demosthenem, apparet ex prima eius tertiaque. Olynthiaca. BERNEC.

4. CUM ACTORIBUS NOBILISSIMIS POETISQUE. Iuntae: *Cum actoribus nobilissimisque poëtis.* Mox iidem cum aliis editionibus: *versificatores oratoresque meliores.* GRAEV.

THEATRA CELEBRANT. Pro saepe ad theatra eunt. Cicero pro Mur. *A quibus si domus nostra celebratur, diligenter adiri videmur.* et pro Sext. *Viae multitudine legatorum undique missorum celebrabantur.* Sic et *celebris via, celebris locus,* proque eo *celebritas* dicunt. VORST.

VERSIFICATORESQUE MELIORES. Id est, qui meliores versificatores, quam duces essent. VORST.

5. QUO MILITES ET REMIGES ALEBANTUR. MSS. ed. Rom. Bongars. *quo antea mil.* Ven. Flor. Med. Paris. Ald. Iunt. *quo ante mil.* ABR. GRONOV.

CUM URBANO POPULO DIVIDI COEPTUM EST. Sebis. *urbano populo dividi coeptum,* in casu dandi. Bene. Cicero ad Attic. lib. I. *Nummos vobis dividere solebat.* hoc est distribuere. *Διενέμοντο τὰ χρήματα,* inquit Libanius in modo citato loco Demosth. Sic infra XII. 1. 1. et XIV. 4. 20. BERNEC. — Illud frustillum vocis *cum* delendum esse putat Sebisius; idem et ipse puto. Intelligit autem Iustinus, quod popello dabatur ex aerario ad cicercula frixa, nuces, ficus aridas, et alia id genus obrodenda, ut in aedilitiis ludis fieri Romae solebat. Horatius, Cicero, et Plutarch. in Vita Catonis Uticensis etc. FABER. — Sebis. malit *urbano populo,* casu tertio. Idque probat Bernecceru, et aliud verbi cum casu tertio constructi exemplum profert. Verum nihil mutandum. Minime insolens est *dividere cum aliquo.* Infra XXV. 2. 11. *Regnum cum eo diviserunt.* et XXXVII. 4. 3. *Paphlagoniam cum socio dividit.* Sic et *partiri aliquid cum aliquo* dicunt. Valerius Max. IV. 7. Ext. 2. *Tam paucis verbis se cum comite suo partitus est.* Vide et librum de Latinitat. falso susp. pag. 233. Quid quod plane aliud est, *dividere populo,* aliud *dividere cum populo?* Illud dicitur, si populus id quod dividitur capiat totum: hoc vero, si eius modo partem capiat. VORST. — Angl. verbum *est* non exhibet. Et abest elegantius, quoniam mox sequitur, *effectum est.* SCHEFF. — Sic et Iuntina. GRAEV.

7. PHILIPPUS OBSES. Thebis ab Alexandro fratre datus. Orosius III. 12. BERNEC.

EPAMINONDAE. Diodorus XVI. 2. Aliter Plut. in Pelop. cap. 47. BERNEC.

ASIAE CERVICIBUS. Ita Curtius VII. 7. 1. BERNEC.

# COMMENTAR. IN LIB. VII.

## CAP. I.

1. MACEDONIA. Dicta a Macedone Osiridis filio. Diodor. lib. I. alias Iovis filio et Deucalionis nepote. Steph. de Urbibus. Solinus cap. 14. Eustath. in Dionys. apud quem et Hesychium *Macetia* dicitur, et Macab. I. 1. 1. *terra Cethim*. Est autem Cethim Genes. X. 4. filius Iavan, et Danielis XI. per *Iavan* Graeci intelliguntur. Inde *Macetae* sunt Macedones. Auson. in Clar. Urbibus: *Macetumque attollite nomen*. BONGARS. — Macedoniae descriptionem ampliorem vide apud Plinium IV. Nat. Hist. 10. quo auctore illa olim complexa fuit populos 150. Adde Livium XLV. 29. BERNEC.

ANTE NOMINE. MS. *antea nomine*, quod Sebis. recte dividit: *ante a nomine*. BERNEC.

NOMINE EMATHIONIS REGIS EMATHIA COGNOMINATA EST. Legendum fortasse, *A nomine*, vel *ex nomine Emathionis*. VORST. — MSS. *antea nomine*. Hinc Sebis. *ante a nomine*, probante Berneccero. Posses quoque legere, *ante e nomine*, cum praepositio *e* videatur absumpta per litteram praecedentem. SCHEFF. — Angli: *ante a nomine Emathionis regis*. rectissime. Nam si ipso eius nomine fuisset dicta, non *Emathia*, sed *Emathion* debuisset nominari. SCHEFF. — In Franeq. est *ante nomine*, in aliisque *antea nomine*, quemadmodum vulgo sine praepositione legimus lib. XLIII. 1. *Itaque Italia regis* nomine *Saturnia appellata est*. dum tamen in duobus Dorv. exhibetur *a regis nomine*. Inque his lib. XV. 4. *Namque et urbem* ex *Antiochi patris* nomine *Antiochiam vocavit*. praepositionem *ex* ignorat tertius. Et saepe omitti alibi solet. Ovidius Trist. I. 10. 37.

*Et arces*
*Praetereat dictas* nomine, *Bacche*, *tuo*.

Livius I. 27. *Condita urbs conditoris* nomine *appellata*. Hyginus Fab. CLXXVIII. *Cilix suo* nomine *Ciliciae nomen indidit*. ubi plura de hac forma. Videtur tamen Noster praepositionem addere maluisse: certe ita lib. XXIII. 1. *Bruttiosque se* ex nomine *mulieris vocaverunt*. lib. XXXII. 3. *Istrique* ex vocabulo *amnis* . . *appellati*. lib. XXXIV. 2. *Omnesque* ex nomine *Iudae* . . *Iudaeos appellavit*. Livius I. 1. *Aeneas* ab nomine *uxoris Lavinium appellat*. Sic idem cap. 23. et saepius Hyginus Fab. CXCII. *Ex his quinque primae* . . *a fratris* nomine *appellantur Hyades*. Confer quae ad lib. XX. 5. WOPKENS.

EMATHIONIS. Ita Probus in I. Georg. Virgilii. *Emathium* vocat Solinus cap. 9. quem facit *genuinum terrae*, id est, *αὐτόχθονα*. BONGARS.

EMATHIA. Antoninus Liberalis cap. 9. ex Nicandro: ὑπὸ δὲ τὸν χρόνον τοῦτον ἐβασίλευσε Πίερος αὐτόχθων Ἠμαθίας. Periegetes

anonymus, qui sub Nicomede vixit: *Μετὰ δὲ ταῦτα Μακεδόνων ἀπὸ τῆς Μακέσσης Ἠμαθίας τε λεγομένης.* Ex nostro emendandus est Rabanus Maurus lib. XVI. de Serm. Propr. cap. 2. ubi vitiose editum est: *Macedones a nomine Macionis regis antea Emarci nuncupati sunt: postea Macedones dicti.* Apud Valerium Maximum IX. 11. 4. et Marcianum Capellam lib. VI. pag. 211. *Emathia* quoque legendum pro *Aemathia.* Ptolemaeus lib. III. Geogr. cap. 13. *ΜΑΤΙΑΣ Εὔρωπος. ΗΜΑΘΙΑΣ Τύρισσα.* Lege ex MS. Florentino et Coisliniano *ΗΜΑΘΙΑΣ Εὔρωπος, Τύρισσα.* Abr. Gronov.

2. Ita termini. Coll. N. *ita et termini.* Abr. Gronov.

3. Populus Pelasgi, regio Boeotia dicebatur. Peyraredus, vir doctus, putabat legendum *Paeonia*, non *Boeotia.* Optime. Confirmant eius lectionem Polybii excerpta, et Livius XL. 3. Voss. — *Paeonia.* Sic scribi iussi, non ut alii, *Boeotia.* Est autem emendatio Peyraredi, quae vel ex ipso Iustino potest confirmari, qui mox scribat: *in regione Paeonia, quae nunc portio Macedoniae est:* portio, inquit, quia successu temporis longe latiores fines habuit Emathia, quam quos a primordio habuerat. Deinde et Homerus, omnis literaturae princeps, Macedonas saepe vocat Paeonas, quae res ab Interpretibus Graecis observata fuit et notata. Praecipue autem vide Iliad. XX. ubi Asteropaeus loquitur. Faber. — Adstipulor Peyraredo, pro *Boeotia* legendum esse *Paeonia.* Quod paulo post sequitur, *in regione Paeonia*, id non ita nude positum fuisset, nisi mentio *Paeoniae* ab auctore iam ante facta esset. Vorst.

4. Subactis primo finitimis. Ita Ninus supra I. 1. 8. et Romani Flor. I. 9. 11. Bernec.

5. Paeonia. A qua olim Macedonia *Paeonia* dicebatur. Livius XL. 3. 1. Bongars. — Antiquiores typis expressi, *in regione Paeoniae*, qualia et ipsa non rara. Foret enim dictum, ut *urbs Antiochiae.* Vorst. — Recte, sic et Iuntina. Graev.

Telegonus pater Asteropaei. In utroque nomine error est vulgatis codicibus: *Πηλεγών* est et *Ἀστεροπαῖος* in Graecis. Telegonus Ulyssis filius errori ansam dedit. Sed adducamus Homeri locum ex Iliad. *Φ.* ubi Achilles Asteropaeum aggreditur:

*Τόφρα δὲ Πηλέος υἱὸς, ἔχων δολιχόσκιον ἔγχος,*
*Ἀστεροπαίῳ ἐπᾶλτο, κατακτάμεναι μενεαίνων,*
*Υἱέϊ Πηλεγόνος.*

et quae sequuntur reliqua. Fieri tamen potest, ut Iustinus ex genitivo *Πηλεγόνος* fecerit nominandi casum *Pelegonus*, auctoritate Latinorum, qui multa alia ad eundem modum corruperunt. Glarean. — *Πηλεγών* Homero Iliad. *Φ.* ut notavit Glareanus. Vett. omnes *Telegonus*, quod est Ulyssis filii nomen, ab hoc loco alienum. Bongars. — *Pelegon.* Vel *Pelegonus.* Monitu Pauli Leopardi XVII. Emendation. 10. et Ioan. Hartungi Locor. Memorabil. Decur. II. 2. 3. reddidi auctori suam vocem. Is enim est *pater Asteropaei*, teste Homero Iliad. XXI. 140. et Strabone Epitome VIII. Veteres MSS. omnes (teste Bongarsio) et hactenus editi, *Telegonus* habent, quod

est Ulyssis filii nomen, alienum ab hoc loco. Bernec. — Hunc locum pridem restituit P. Leopardus, vir doctissimus, Emendat. XVII. 10. legens *Pelegon*. Sed diu ante Leopardum Iuntae ediderunt *Pelegonus*, cum tamen Bongarsius omnes codices manu exaratos et veteres editiones *Telegonus* habere testetur. Ex quo bonitas et praestantia editionis Iuntae facile poterit aestimari. Graev. — In MSS. omnibus teste Bongarsio, itemque in antiquioribus typis expressis, est *Telegonus*. Sola vetus Iuntarum editio, teste Graevio, habet *Pelegonus:* quomodo legendum esse pridem Leopardus et Hartungus monuerant ex Homeri Iliad. XXI. Malo autem *Pelegonus*, quam quod Berneccerus edidit *Pelegon*; quia prior ista vocis terminatio in omnibus codd. et in ipsa quoque editione Iuntarum observata est. Vorst. — *Pelegonus* Ald. quoque. Abr. Gronov.

6. In Europa regnum Europus etc. Macedonis filius, a quo *Europus* Macedonica urbs. Stephan. Bongars. — Europa est pars Thraciae ad Haemum montem. Sed illa nihil huc facit, cum de Macedonia sola loquatur. Puto legendum, *in Europia*. Europia est portio Macedoniae, in qua Europus civitas; ubi Europum, Macedonis filium, regnum tenuisse, penes auctores fides est. Voss. — Geographorum quidam hanc regiunculam in Thracia statuunt, alii in Macedonia. Et res hodie pervulgata et contrita est. Tamen malim scribere, *Europia*, ut Cl. Vossius, quam *Europa*. Faber.

Europus nomine. Sic amat loqui Noster, ut II. 9. 2. XIII. 2. 7. XXI. 1. 1. Vell. II. 6. 2. Ita *naves ducentae numero*, sup. II. 10. 20. Ceterum Europus ille Macedonis filius fuit, a quo *Europus* Macedoniae urbs. Stephan. in Urbibus et Thucyd. II. 21. 36. At Eustathius in Lycophronem, eundem cuiusdam Himeri facit filium, a quo nominatam Europam credibile est. Quanquam etymon Europae mortalium nemini compertum tradit Herodotus IV. 45. Bernec.

7. Caranus. Solinus cap. 9. et ita emendandus Eusebius ex MSS. Bongars. — Apud quem est *Cramaus*. Velleius I. 6. 5. hunc *generis regii* fuisse dicit: Suidas tantum *unum ex Herculis posteris*. Auson. Epist. XIX.

*Et Caranum, Pellaea dedit qui nomina regum.*

Vid. Scalig. Canon. Isagog. pag. 334. f. Bernec.

In Emathiam venisset. Abest praep. *in* quatuor nostris, ut solere etiam ante regionum nomina omitti, Berneccerus ad lib. XIV. 5. et commentatores Flori III. 23. extr. et Caesaris Gal. III. 7. aliique observarunt. Ita lib. VIII. 3. *Qui cum in Macedoniam venissent.* praepositionem ignorat Dorv. 3. et vice versa Dorv. 1. illam adiicit lib. XXVIII. 4. Aegyptum *ad Ptolemaeum proficiscitur*. Omittitur autem lib. XX. 4. 3. et alibi. Vide ad lib. XVIII. 2. 9. Wopkens. — Ita Magl. Periz. verum reliqui MSS. ed. Paris. praepositionem omittunt. Abr. Gronov.

8. Regni sedem statuit. Lego, una parvula vocula addita, *ibi regni sedem statuit*. Faber. — Nihil inculcandum contra librorum fidem, sed repetendum ἀπὸ κοινοῦ *Edessam*. *Edessam regni*

*sedem statuit*, hoc est, regiam facit sedem Edessam. Graev. — Faber legebat *ibi regni sedem s.* Graevius autem adstipulante Heinsio ad Vellei. I. 3. 3. ad vocem *sedem* ἀπὸ τοῦ κοινοῦ subaudiebat *Edessam urbem.* Ego vero, quia sic non amat Iustinus, Fabro potius accesserim. Supra lib. III. 4. *Et occupata arce Tarentinorum* . . *sedes* ibi *constituunt.* ubi dicta vide. Sed praestare arbitror, ut subaudiamus voculam *ibi;* quemadmodum lib. XLIV. 3. *Inde Gallaeciam transisse, et* positis sedibus, *genti nomen dedisse.* Gellius lib. XIX. 10. *Non ex me, sed ex grammatico quaerendum est: ac simul digito demonstrat grammaticum* . . sedentem. Vulg. Int. Euang. Lucae V. 17. *Et factum est in una dierum, et ipse sedebat docens, et erant Pharisaei* sedentes, *et legis doctores qui* etc. Actorum XXVII. 12. *si quo modo possent devenientes Phoenicen,* hiemare. Ruffinus H. Eccles. III. 24. *Qui etiam usque ad tertium coelum raptus, quae* gererentur, *inspexerat* etc. Aur. Victor Vir. Illustr. cap. LXXVI. *Literas per totam Asiam misit, ut quicunque Romanus* esset, *certa die interficeretur.* Livius XL. 21. *Cupido eum ceperat in verticem Aemi montis adscendendi, quia vulgatae opinioni crediderat, Alpes* conspici *posse.* scil. illic. Wopkens.

9. Religioseque postea observavit . . ante signa easdem capras habere. I. e. ut . . haberet. Gregorius Hist. Franc. V. 44. Observare *te convenit, neque Deum neque sanctos eius* habere *offensos.* Wopkens.

10. Edessam. Ptolemaeus III. 13. *Αἰδέσσαν* commemorat. Bongars.

Aedessam. Et hic Iuntae rectius scribunt *Edessam.* Graecis enim *Ἔδεσσα* dicitur, non *Αἴδεσσα*, quod Isacus Vossius ad Melam II. 3. docuit, qui et ibi ostendit bene in MSS. esse *Aegeades. Αἰγειάδης* enim dici dialecto Macedonica pro *Αἰγειάτης.* Graev.

Aegeas. *Aegas* vocat Plin. IV. Nat. Hist. 9. et Solinus cap. 9. Ptolem. III. 13. *Αἰγαία.* Bongars. — Salmasius ad Solin. 156. A. 1. tradit, in Plinii libris MSS. haberi *Aegiae,* quod est Graecum *Αἴγειαι.* nam utroque modo dici, et *Αἰγαὶ*, et *Αἴγειαι.* Latine *Aegiae* vel *Aegeae*, quasi *Caprarias* dixeris: et a dissyllabo quidem esse gentile *Αἰγαῖος*, a trisyllabo *Αἰγεάτης*, quomodo et hic rescripsimus, *Aegeatas* (quomodo et Tacit. Annal. II. 47.) cum hactenus editi omnes *Aegeadas* habeant. Bernecker. — Antiquiores typis expressi et MSS. *Aegeadas:* Bernecerus tamen maluit, *Aegeatas.* Sed rectum esse *Aegeadas*, idque dialecto Macedonica dici pro *Aegeatas*, docet Is. Vossius in Notis ad Melam. Vorst. — Ed. Bechar. Flor. Ald. Iunt. *Aegaeam.* Paris. *Aegeam.* Med. Magl. quint. Leid. *Eges*, pro *Aegas.* Solinus cap. 9. de Carano: *urbem condidit, quam dixit Aegas.* Ita duo MSS. Florent. *Αἴγαν* ed. Ald. et Grasser. *Αἴγας* Stephan. *Aegeas* Salmas. *Αἰγαὶ* etiam haec Macedoniae civitas appellatur a Pausania lib. I. cap. 6. et Stephano Byzant. Adde notam ad IX. 6. 4. Abr. Gronov.

11. Pulso deinde Mida, nam is quoque portionem Macedo-

NIAE TENUIT. Brygorum Midam regem fuisse, testatur Herodotus. *Βρύγοι* autem, et *Βρύγες*, et *Φρύγες*, sunt iidem. Strabo lib. XII. *ὁμοίως δὲ καὶ Βρύγοι, καὶ Βρύγες, καὶ Φρύγες, οἱ αὐτοί.* Male vulgo *Βρέγοι*, et *Βρέγες*. Vide quoque Eustathium ad Dionysium. Macedones enim *τὸ Φ* mutant in *B*. Non autem pulsum esse Macedonia a Carano, Conon apud Photium inquit, sed *ὅπως αὐτῷ χρυσὸς ἐγίνετο τὰ εἰς τρυφὴν παραθέμενα ἅπαντα, καὶ ὡς διὰ τούτου πείσας τὸ ὑπήκοον, ἀπ' Εὐρώπης διαβῆναι τὸν Ἑλλήσποντον, ὑπὲρ Μυσίαν ᾤκησε, Φρύγας ἀντὶ Βρύγων βραχύ τι παραλλαγείσης τῆς λέξεως μετονομασθέντας.* Voss.

PULSIS. Abundare videtur. BERNEC. — Berneccerus putat, hoc *pulsis* abundare, quoniam praecedit, *pulso deinde Mida*. Sed hoc *pulsis* agnoscunt MSS. non item alterum *pulso*. Itaque illud potius delendum. SCHEFF. — Angl. hoc *pulsis* non agnoscit. Itidem bene, quoniam proxime praecessit, *pulso deinde Mida*. SCHEFF. — Sic quidem unus codex Anglicanus; ceteri tamen cum Iuntina aliisque pro vulgata stant. Ille tamen unicus ceteris praeferendus. GRAEV.

12. ADUNATIS GENTIBUS VARIORUM POPULORUM. Mela I. 19. *Una gens*, *aliquot populi*. *Gens* enim notat ipsam regionem, *populus* vero frequentiorem vicum. Vid. Not. ad Liv. V. 34. GRONOV. — Ex distinctione Gronovii ad Livium V. 34. aptius videri posset *adunatis populis variarum gentium*. ut Orosius lib. V. 1. *Non requiro de innumeris diversarum* gentium populis . . *quid de temporibus* iudicarint. Valer. Max. IX. 9. Ext. 6. *Consentaneus igitur regibus suis* gentis *Aegyptiae* populus, *qui* etc. Hegesipp. I. 45. *Adserens laetitiae* populis gentis *Iudaeae mortem suam futuram*. Sed recte *gentes variorum populorum* dicuntur, quae variis populis constant. Livius II. 50. Gensque *una* populi *Romani saepe ex* . . *Etrusca civitate victoriam tulit*. Hegesippus I. 25. *Quibus tota* gens populi *Iudaeorum ab* etc. Augustinus de C. Dei lib. V. 12. *Quamvis ut aliae gentes*, *excepta* una populi *Hebraeorum*, *falsos deos colerent*. Notetur et iste harum vocum concursus infra lib. XXVIII. 3. *Quod facinus dii immortales assiduis cladibus* gentis, *et interitu prope totius* populi *vindicaverunt*. WOPKENS. — Vide Avum ad Livium lib. V. cap. 34. ABR. GRONOV.

VELUTI UNUM CORPUS. Florus I. 1. 16. BERNEC.

## CAP. II.

1. PERDICCA. Herodotus VIII. 139. *Περδίκκης, ὁ κτησάμενος τὴν ἀρχήν*, inquit, quia primus rex in Macedonia nominatus est. Solinus cap. 9. Eusebius hunc quartum facit. Quomodo hic ad regnum pervenerit, vide Herodotum VIII. 37. Meminit et Thucydides II. 21. 8. BONGARS.

MORTIS. Forte *morientis*. FREINSHEM. — Non sane cum Freinshemio retinxerim *morientis postrema*. Lucanus VIII. 665.

*Nihil* ultima mortis
*Et habitu vultuque viri mutasse fatentur.*

Addatur Ausonius in Mosella 270.

*Vidi egomet quosdam* leti *sub* fine *trementes*
*Collegisse animas.*

Boëtius Consol. II. 4. *Dubitare nequit, si* etc. *quin omne mortalium genus in miseriam* mortis fine labatur. Valer. Maximus lib. V. 1. Ext. 4. *Cuius tam mitis ingenii debitum fructum* ultimo fati *sui* tempore *recepit.* et lib. VII. 2. Ext. 2. *Quod ad* ultimum *usque* fati diem *ancipiti fortunae subiecti essemus.* Sulp. Severus Epist. IV. 11. *Poenitentiam malorum vestrorum nec sub* ultima die *vestri* finis *egistis.* Ita *exitum mortis* pro morte, mortis casu, vidimus apud Dictyn. Cret. lib. IV. 15. WOPKENS. — *Mortis postrema* contra Freinshemium, qui legit *morientis postr.* egregie tuetur Cl. Burmannus ad Antholog. III. 150. ABR. GRONOV.

2. ARGAEO. Eusebio *Archeus* est: Herodoto VIII. 139. Ἀργαῖος. BONGARS. — Recte Iustino dicitur *Argeus.* Unde in Nummis exstat *ΑΡΓΕΙΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ.* Vid. Ios. Scalig. ad Eusebium pag. 122. GRONOV. — Med. ed. Paris. Ald. Iunt. *Argeo*, et paullo post cum Florentina, *Argeus.* Ἀργεῖον quoque hunc regem vocant Auctor συναγ. ἱστορ. pag. 367. et Georgius Syncellus Chronogr. pag. 262. ABR. GRONOV.

SED ET SUCCEDENTIUM SIBI REGUM. Magl. *sibi in regno.* quatuor Leid. Bodl. Coll. C. C. Thuan. Periz. ed. Bechar. Ven. Flor. Med. Paris. Ald. Iunt. *sibi in regnum.* Ita Orosius lib. II. cap. 9. init. *Xerxes Dario in regnum succedens.* ABR. GRONOV.

3. REGNUM IN FAMILIA MANSURUM. MSS. multi habent, *regnum familiae.* Forte scripsit Iustinus, *regnum ei familiae mansurum*, hoc est, ipsam servaturam, habituram regnum. SCHEFF. — Placet illud *in familia*, quamvis nec male quidam MSS. habeant *familiae.* Velleius I. 4. *Sed* aliis *diligentior ritus patrii* mansit *custodia.* Tacitus Hist. I. 5. *Sed quamvis capite defectionis sublato*, manebat plerisque *militum conscientia.* Supra lib. VI. 1. *Quippe* Atheniensibus *etsi fractae sint opes*, manere *tamen navalem usum* etc. Sic Ovidius aliique passim. WOPKENS. — Tert. quart. Leid. *regnum familiae m.* ut supra VI. 1. 8. *quippe Atheniensibus, etsi fractae sint opes, manere tamen navalem usum.* Infra XV. 4. 9. ex ed. Ven. Flor. Med. Paris. Ald. Iunt. *Originis eius argumentum etiam posteris mansit.* Plinius Paneg. cap. 24. *manet imperatori quae prior humanitas.* Vetus interpres lib. Ecclesiast. XI. 17. *Datio Dei permanet iustis.* ABR. GRONOV.

4. HAC SUPERSTITIONE. MSS. multi habent, *hanc superstitionem*, quod facit, ut putem, in aliquibus fuisse *per*, vel *ob hanc superstitionem.* Videtur autem ex hac ipsa variatione liquere, quod sit neutrum Iustini, verum glossatorum. Sane superstitionem appellare hoc, Christiano magis convenit, quam ethnico aut Iustino, quam praesertim paulo ante cum oraculo comparaverit. SCHEFF. — Schef-

ferus illud *hac superstitione* glossatori acceptum referendum autumat, quia hoc ita credere non Iustinus ethnicus, sed potius homo Christianus superstitionem appellaturus fuerit. Sed passim ut apud Graecos δεισιδαιμονία, sic apud Latinos *superstitio* in genere religionem denotat, quod ad lib. XXII. 6. observavit Graevius. Ita lib. XI. 4. *Privata etiam regem* superstitione *deprecatur geniti apud ipsos Herculis, unde* etc. lib. XXI. 3. *Probato consilio, quo et* superstitioni *et pudicitiae consulebatur* etc. et infra hoc cap. 2. lib. VII. *Futuri vel propterea victores, quod ex* superstitióne *animum vincendi ceperant.* i. e. ex religiosa de auspiciis regis sui opinione. Wopk.

In Alexandro stirpem. Praefero quod habent quidam scripti, *in Alexandri stirpe.* Habuit enim, sed qui patri succedere non potuit. Scheff. — Nihil muta. Nam quamvis Alexander filius filium habuerit, non tamen rex fuit Macedoniae. Stirps itaque regiae Macedonum familiae in Alexandro fuit deleta. Graev.

5. Successorem filium Philippum reliquit; qui immatura morte raptus. Eusebius ait hunc Philippum 38 regnasse annos: non igitur immatura morte raptus videri potest. Porro eius filium Herodotus lib. VIII. *Aëropum* vocat, non *Europum.* Hoc etiam lector perpendat, quam ἀκολούθως dicat auctor. Cum Macedones ob assidua cum Thracibus et Illyriis certamina indurati essent, ut gloria bellicae laudis finitimos terrerent; igitur Illyrios, qui infantiam regis pupilli contemnerent, movisse Macedonibus bellum. Glarean. — Quomodo immatura morte raptus, cum annos triginta et octo regnarit? Voss.

Europum. Herodotus VIII. 139. *'Αέροπον* vocat, ut Diodorus XIV. 38. Et ita in Eusebio legendum ex vestigiis veteris scripturae, non *Europs.* Bongars. — Iuntae: *Aëropum*, ut Herodotus et Diodorus, quibus dicitur *'Αέροπος.* Graev. — Bongarsius ex Herodoto et Diodoro, *Aëropum;* optime. Faber. — Editur vulgo *Europum.* Sed Herodotus lib. VIII. *'Αέροπον* vocat. Et editio Iuntarum, ut Graevius testatur, itidem *Aëropum* habet. Quare non dubito geminam hanc nominis scriptionem esse: quae et Panegyrico Nazarii reddenda sit, ubi vulgo legitur, *Illyrici quondam despicientes Eropi regis infantiam Macedones bello lacesserunt.* Vorst.

Aeropum parvulum admodum. *Aëropum* etiam exhibet Aldina. *Europum filium parvulum adm.* Rom. Saxo lib. VIII. pag. 154. 20. *Iarmericus cum sororibus admodum parvulis.* lib. XIV. pag. 275. 15. *filia admodum parvula.* et pag. 331. 57. *Waldemarus admodum parvulus.* Abr. Gronov.

Quorum armis. Ita Florus, verum longe venustius; II. 3. 5. Bernec.

8. Rege suo in cunis prolato. Marcellinus XXVI. 26. Bongars. — Panegyr. Nazarii cap. 20. *Illyrici quondam, despicientes Eropi* (scrib. *Europi*) *regis infantiam, Macedones bello lacesserunt. Et prima quidem congressio secundum illos fuit: verum Macedones cum bellum reficerent, regem suum in cunis ad aciem de-*

*tulerunt. Cum illos ira, hos miseratio, illos signorum cantus, hos pueri vagitus accenderet; mutata est ratio certaminis: vicerunt, qui amore pugnabant.* Eodem exemplo Franci pro Clothario contra Childebertum strenue pugnarunt, cum viderent Clotharium adhuc in cunis, et a matris Fredegundis uberibus pendentem, agmen praecedere. Aimoinus de Gestis Francor. lib. III. cap. 81. Limnaei notitia Franciae I. 8. BERNEC.

QUI PRAELIO PULSI — REPETIVERE. Saresberiensis lib. VI. cap. 24. *qui secundo praelio pulsi*, et *repetiere.* Med. sec. quint. Leid. Bodl. Ald. Iunt. *et ante aciem.* Periz. ed. Rom. Bechar. Ven. Med. Paris. *et pugnae ante aciem.* Nazarius Paneg. cap. 20. a Vorstio ad h. l. laudatus: *regem suum in cunis ad aciem detulerunt.* Ammianus lib. XXVI. cap. 9. init. *sicuti aliquando dimicaturi Macedones cum Illyriis, regem adhuc infantem in cunis locavere post aciem, cuius metu ne traheretur captivus, adversos fortius oppresserunt.* ABR. GRONOV.

9. VICTI FUISSENT ANTEA. *Antea* omittit Saresberiensis. ABR. GRONOV.

QUOD BELLANTIBUS SIBI REGIS SUI AUSPICIA DEFUISSENT. Idem: *quod bellantibus defuerant auspicia regis sui.* Coll. N. etiam omittit pronomen *sibi.* ABR. GRONOV.

10. QUOD EX SUPERSTITIONE ANIMUM VINCENDI CEPERANT. Idem: *quod ex superstitione vel fide animum v. c.* ABR. GRONOV.

11. SIMUL ET MISERATIO EOS INFANTIS TENEBAT, QUEM, SI VICTI FORENT etc. Idem: *nam et miseratio infantis eos tenebat: quoniam si victi essent* etc. ABR. GRONOV.

CAPTIVUM DE REGE FACTURI. Ita Florus II. 6. 50. *Fecerant de servitute Romanos.* FREINSHEM.

13. HUIC AMYNTAS. *Alcetam* interponit Herodotus VIII. 139. et Eusebius in Chron. BONGARS. — Mira est auctorum dissensio super successione regum Macedonum. Vide omnino Scaligeri Canonum Isagogicorum librum III. BERNEC.

14. CUI ALEXANDRO TANTA OMNIUM VIRTUTUM NATURA ORNAMENTA DATA SUNT. Lego, *ornamenta a natura data sunt.* Hoc tamen scio legi apud Ciceronem, dialogo de' Oratore, *natura datum*; sed eum locum in vitio esse arbitror. Recte enim, fateor, et Latine dixeris, *Titius et Maevius natura boni sunt et modesti*, sed non itidem dicere possis, *Hoc mihi datum natura est*; sed, *a natura.* FABER. — Tanaq. Faber legebat, *tanta omnium virtutum ornamenta a natura data sunt.* Burmannus ad Phaedrum, *tam matura omnium virtutum incrementa extitere.* Mihi quidem coniicere liceat, *tanta omnium virtutum maturarum incrementa extitere:* id est, qui omnibus virtutibus adultioris aetatis ita abundavit. *Tanta incrementa* hic etiam Dorv. 1. et 2. habent, ut lib. XX. 4. *Magnisque sapientiae incrementis ornatus*, ubi vide. *Maturae* autem *virtutes* dicuntur, ut Livius III. 12. *Neque in civitate Romana tantam indolem tam maturae virtutis unquam extitisse.* Et *indoles maturior*

supra lib. VI. 5. 4. WOPKENS. — Cl. Burmannus ad Phaedrum lib. I. fab. 18. vs. 5. legit: *tam matura omnium virtutum incrementa. Incrementa* quoque dat ed. Rom. ABR. GRONOV.

VARIO LUDICRORUM GENERE. Puta cursu, saltu, iactu disci, iaculatione, et luctatione. *Πένταθλον quinquertium* vocant. BERNEC.

## CAP. III.

1. TURPI AB SCYTHIA FUGA SUMMOTUS. Sic de eodem Dario et supra II. 3. 2. *Darium turpi ab Scythia summoverunt fuga.* VORST.

NE UBIQUE DEFORMIS MILITIAE DAMNIS HABERETUR. Sic Sallust. Iug. cap. 14. *Nunc* deformatus *aerumnis, inops alienas opes exspecto.* ubi consule interpretes. WOPKENS.

MEGABAZUM. Herodoto V. 17. est *Megabyzus*, a quo haec narratio petenda est. BONGARS. — Iuntae *Megabyzum*, cum Herodoto. GRAEV. — Herodoto est *Μεγάβυζος*. Quare suspicor, lectionem veram Iustini esse *Megabuzum*. Nisi malis *Megabyzum* cum Iuntis. SCHEFF.

MEGABYZUM. Med. *Megabaxum*, et §. 7. *Megabaxus*. Paris. *Magabasum*, et *Magabasus*. Ed. Rom. *Megabassum*, et *Megabassus*. Ven. Med. Paris. *Megabasum*, et *Megabasus*. Bongars. *Megabazum*, et *Megabazus*, quae huius nominis vera scriptura est. Herodotus lib. V. cap. 14. *'Ενθαῦτα Δαρεῖος γράφει γράμματα πρὸς Μεγάβαζον, τὸν ἔλιπε ἐν τῇ Θρηΐκῃ στρατηγόν.* et paullo post: *περαιωθεὶς δὲ διδοῖ τὸ βιβλίον τῷ Μεγαβάζῳ.* Adde cap. 15. 16. 23. et 24. ABR. GRONOV.

2. IN PIGNUS. Praepositio ista videtur abundare, quam ipse etiam auctor omisit, XI. 15. *In quam rem unicum pignus fidei regiae, dextram se ferendam Alexandro dare.* et Liv. XXXVI. 40. *A quibus obsides abduxerit pacis futurae pignus.* Idem XLIIII. 10. *Ut nec ex iis, qui venerant, quemquam retineret, nec obsides, pignus futuros furto et fraude agendae rei, posceret.* GRONOV. — Non opus, cum viro eximio praepositionem *in* ante *pignus* deleas, quamvis usitatissimae sint istiusmodi appositiones, ut videmus etiam ad lib. XI. 12. Sic pariter, ut in hoc loco, in illam praep. consentiunt Iustini codices lib. XXII. 3. *Sicut ab initio Syracusae* in pignus *societatis sint traditae, urbs* etc. Atque ista ratio Iustino frequentata non minus fuit. ut *in praemium* lib. II. 3. 15. et 4. 24. lib. XXVII. 2. 6. et lib. XXX. 4. extr. *in dotem* lib. XXXVIII. 5. 3. *in remedia* lib. XII. 10. 3. *in monumenta* lib. XII. 10. 6. quem locum frustra rursum, invitis libris, tentari existimo. WOPK.

3. ADHIBITIS IN CONVIVIUM SUUM FILIIS ET UXORIBUS. *Filiis* dixit pro *filiabus*. Ennius: *Filiis propter te obiecta sum innocens Nerei.* Legitur et *Diis*, pro *Deabus*. vid. Priscian. VII. BONGARS. — Hic ego ut non negaverim apud scriptores quosdam inveniri *filiis* pro *filiabus*, quemadmodum *diis* pro *deabus*; ita hic legendum omnino existimo, *adhibitis in convivium suis ac filii uxoribus*, quo

pacto et disertim in duobus optimis meis MSS. legitur, et vero legendum coniecit ex MS. scriptura, quae referebat, *suis hac filii uxoribus*, Bongarsius. Mod. — *Adhibitis in convivium suis ac filii uxoribus* disertim in duobus optimis suis MSS. legi scribit Modius, et vero legendum coniecit in libello variantium lectionum Bongarsius, qui tamen edidit, *adhibitis in convivium suum filiis et uxoribus; et filiis* ait esse pro *filiabus:* sicut et *diis* pro *deabus* legitur. Priscian. lib. VII. Sed quod est in seq. num. 5. et 6. *mulieres*, et *matronali habitu*, ad filias virgines aptari non potest. Bernec. — Iuntae: *adhibitis in convivium suis ac filii uxoribus ac filiabus.* Graev. — Ed. Ald. Iunt. addunt, *et filiabus.* Coll. N. Bech. Ven. Flor. Med. Paris. *adhibitis in conv. suum filiis et uxor. et filiabus.* Coll. C. C. Periz. ed. Rom. Bongars. *adh. in conv. suum filiis et uxoribus.* Bodl. *conv. suis filiis et uxor.* Abr. Gronov.

Id apud Persas etc. Contrarium Plutarchus adstruere videtur lib. I. Symposiac. cap. 1. *Persas scilicet non cum uxoribus, sed pellicibus, inire convivia solere.* Noster ipse XLI. 3. 2. de Partho-Persarum moribus: *Feminis non convivia tantum virorum, verum etiam conspectum interdicunt.* Ita Vaste ab Ahasvero ad coenam proceribus Persicis instructam evocata, venire detrectavit, Persicum morem causata, quo mulieres virilibus conviviis arcebantur, unisque se coniugum oculis conspiciendas praebebant. Ioseph. Antiq. Iud. XI. sub init. capitis 6. Vid. Curt. V. 1. 67. Bernec. — Libentius legerim, *id enim apud Persas.* Faber. — Frustra plane Faber *enim* ingerit post *id*, quum amputari eiusmodi coniunctiones in stilo historico soleant, ut innumeris exemplis, si opus esset, ex Nostro aliisque demonstrari posset: licet cum talibus tricis criticorum in nostris ad Ciceronem, Lactantium aliosque scriptores, animadversionibus multoties nobis luctandum fuerit. Wopkens.

Petulantius Persis eas contrectantibus. Dorv. 2. et 3. cum Franeq. aliisque nesciunt bigam istam *Persis eas:* et facile ex praecedentibus utraque vox per ellipsin subintelligitur. Sic *denuntiantibus*, sc. illis, lib. II. 3. 16. *verentibus* lib. VIII. 5. 10. *profectis* lib. XIII. 6. 13. *egressis* lib. XXII. 6. 2. *vindicantibus* lib. XXIII. 2. 5. *cunctantibus* lib. XXVI. 1. 9. *pulso* lib. XXXIX. 4. 2. Ita et *interfecto*, sc. illo, dixit Nepos in Eumene cap. 12. *profecto* Aur. Victor Caesar. cap. 4. *appropinquante* Livius XXXVI. 14. *comprehenso* idem lib. XLII. 16. *iussis* ibid. cap. 53. *dimissis* cap. 36. *abducto* lib. XXXIX. 49. Non igitur vexaverim ista Livii lib. XXXVIII. 15. *Inde* progredientibus *ad Lagon proximam urbem, metu incolae fugerunt.* ubi Gron. tentabat *progredientes.* et Hygini Fab. LXIII. *In arca . . quam piscator Dictys cum invenisset*, effracta, *vidit mulierem cum infante, quos* etc. ubi Tollius *effracta ea.* Wopkens. — Med. Magl. Bodl. Periz. Thuan. pr. tert. Leid. Coll. C. C. ed. Flor. Ald. *petulantius contr.* quint. L. *petulantius Persis contr.* Rom. *petulantius eas contr.* quod Iustini esse videtur. Abr. Gronov.

Temperaturum iocos. Hinc apud Senecam de Vit. Beat. 14. *Temperatores voluptatis.* et Varron. *Modimperator convivii.* et Plaut. Stich. V. 4. 2.

*Omnibus modis temperare certum est nostrum hodie convivium.*

et Martial. IV. Ep. 8.

*Temperat ambrosias cum tua cura dapes.* Gronov.

5. Cultius exornaturus, gratioresque reducturus. Angl. *Cultius exornatas gratioresque redituras.* Hic illud, *exornatas*, puto genuinum. Nec enim verisimile Alexandrum promisisse ipsum se exornaturum eas, quod vult lectio vulgata. At in voce *redituras* haereo, quanquam forte melius ut credamus, promisisse eas redituras, quam se reducturum. Scheff. — Magl. Coll. N. *cultius exornatas.* Coll. N. sec. Leid. *gratioresque redituras.* Abr. Gronov.

8. Tam foedae gentis. Angl. *tam sordidae gentis.* quae mea sententia lectio est genuina, cum altera sit ex glossa. Ubique Noster ita amat loqui. De ipsis hisce Macedonibus supra VI. 9. *Sordidum et obscurum antea Macedonum nomen.* Scheff. — Magl. Coll. N. ed. Rom. *tam sordidae g.* Abr. Gronov.

9. Bubares. Βουβάρης. Herodotus filiam Amyntae vocat *Γυγαίην* lib. V. et VIII. Bongars.

Amore filiae Amyntae captus. Magl. ed. Rom. addunt, *cui nomen erat Gygea.* Abr. Gronov.

## CAP. IV.

1. Successori Alexandro. Solinus cap. 9. tamen Perdiccae successisse vult hunc Alexandrum: cuius errorem convincit in absolutissimis ad illum auctorem exercitationibus Cl. Salmasius 156. A. 2. Bernec.

3. Per ordinem. Eum ordinem vide apud Eusebium. Legendus ad hunc locum Solinus cap. 9. et inprimis Diodorus lib. XIV. et XV. quorum varietatem explicare non est huius loci. Bongars.

Menelai. Euseb. *Archelai.* Bernec. — *Μενέλαος ὁ Φιλίππου πάππος* Aelian. XII. Var. Hist. 43. Gronov.

5. Tres filios. Duorum, Perdiccae et Philippi, meminit Probus Iphicrate. legendus Georg. Gemistus. Bongars.

Philippum, Alexandri Magni Macedonis patrem. Dele istud *Macedonis*; putidum enim est, puerile, et ex oscitantia ac dormitatione scriptoris librarii natum. Faber.

Euryonem. Iuntae: *Eurynoem.* leg. *Eurynoen.* Mox in eadem editione pro *Cygnaea*, legitur *Gygaea*, ut scribendum censuit Is. Vossius; et pro *Archideum*, uti et Eusebius ac Orosius, *Arideum.* Confirmat editio Vindobonensis, nisi quod scribat *Aridaeum.* Graev. — Ald. Iunt. *Eurynoem.* Fabro corrigenti *Eurynomen*, adstipulatur Cl. Burmannus ad Antholog. I. 77. Abr. Gronov.

Ex Cygnaea. Praeclare Is. Vossius, *Gygaea.* In quibusdam

impressis, quod non longe a vero est, legitur, *Cygaea*. Paulo ante lege, ut in editione Iuntarum, *Eurynoen*, Graevio monente, nisi fortasse legendum, *Eurynomen*, quod ego verissimum puto; nam hoc nomen in puellis Graecis frequens est. FABER. — Scribe, *ex Gygaea*, pro *ex Cygnaea*. VOSS. — *Gygaea* pro *Cygnaea* legendum iudicaverat Is. Vossius. Ipsumque illud in vetere editione Iuntarum reperit deinde Graevius. Sed et Bongarsius observarat, codices quosdam typis expressos *Cygaea* habere. Herodotus lib. VIII. et *Gygaeam*, Amyntae filiam, quae Bubari Persae nupserit, commemorat. VORST.

EX GYGAEA. Ita etiam Aldina: eadem paullo post cum Rom. Ven. Flor. Paris. Iunt. *Arideum*, pro vulg. *Archideum*. ABR. GRONOV.

ARCHIDEUM. *Aridaeum* legunt Eusebius et Orosius. BERNEC. — Graecum non est; legendum itaque vel *Aridaeum* (nomen est Macedonicum) vel *Arideium*; sed ego suspicor Macedonas dixisse *Arridaeum*, et verum est. FABER. — Eusebius, Orosius, Iuntae, probante Graevio, *Aridaeum*. Puto, in aliis fuisse *Arrhideum*, sed *r* unum, adspectum pro *c*, peperisse *Archideum*. SCHEFF.

7. INSIDIIS AUTEM EURYDICES — OCCUPATUS FUISSET. Saxo lib. XIV. pag. 259. 14. *invictum foro insidiis occupant*. Med. Magl. sec. tert. quint. Leid. Bodl. Coll. C. C. ed. Rom. *insidiis etiam Eurydices*. ABR. GRONOV.

PELLICATUM. Hanc vocem etiam usurpavit Saxo lib. IV. pag. 68. 20. *indignum tamen aiebat maritali gratiae pellicatus odium anteferri*. Vetus Interpres Levitici XVIII. 18. *sororem uxoris tuae in pellicatum non accipies*. Aldhelmus de Laud. Virg. cap. 53. *perfidi pellicatus stupro deceptus*. ABR. GRONOV.

8. FUNCTUS ITAQUE TOT PERICULIS. Dorvill. 1. *defunctus*. ut Cicero pro S. Roscio cap. VIII. *Cum . . iam* defunctos *sese* periculis *arbitrarentur*. Curtius IV. 6. *Denuntiato in illum diem* periculo, *ut arbitrabatur ipse*, defunctus. et cap. 16. *Rex extraordinario* periculo defunctus, *incolumes suos reduxit in castra*. *Perfungi periculis* etiam alibi dixit Cicero. WOPKENS. — Coll. N. *defunctus*. ABR. GRONOV.

## CAP. V.

3. PRIMA PUERITIAE RUDIMENTA DEPOSUIT. Sic infra IX. 1. 8. *Ut sub militia patris tirocinii rudimenta deponeret*. et XII. 4. 6. *Si non solum tirocinia, verum et incunabula in ipsis castris posuissent*. Est autem *ponere*, et *deponere rudimenta*, et *tirocinia*, nihil aliud quam exuere et finire, ut deinde ad maiora adspirare possis. Deinde *prima rudimenta* dictum, ut paulo ante, *prima initia*; per pleonasmum quendam. VORST.

IN DOMO EPAMINONDAE. Diodorus XVI. 2. *Thebani*, inquit, τῷ Ἐπαμινώνδου πατρὶ παρέθεντο τὸν νεανίσκον. a quo dissentit Plutarchus in Pelopida cap. 47. Vide praeter hos Gemistum. BONGARS.

4. INSIDIIS EURYDICES etc. Interfectus a Ptolemaeo Alorite, qui post eum regnavit annos tres. Diodorus XV. 77. mendose habet ἔτη τριάκοντα, legendum enim ἔτη τρία. Eum deinde interemit Perdicca: cui, cum adversus Illyrios cecidisset, successit Philippus, cum adhuc Thebis esset, ut Diodorus. Iustinus enim, quem sequitur Orosius III. 12. triennium tantum obsidem fuisse scribit: accurate haec Gemistus. BONGARS. — Ed. Rom. *Eur. matris insidiis impetitus*, et cum Periz. *occubuit*. Saxo lib. V. pag. 94. 10. *ne clandestinis insidiis appeteretur*. ABR. GRONOV.

7. SCELERUM. Sebis. *a scelerum*. BERNEC. — Sebisius emendavit, *quam a scelerum suorum, suppliciis* etc. Bene quidem, sed nihil necesse fuit mutare quidquam. Qui enim dicunt, *liberari supplicio*, et *liberari a supplicio*, tam bene illi, quam illi loquuntur. FABER. — Probo Sebisii coniecturam, *a scelerum* scribentis; quoniam et alias sic scriptor noster solet. SCHEFF. — Angl. *quam a scelerum*. Rectissime. Atque sic coniiciebat quondam Sebisius. SCHEFF. — Praepositionem *ex* ante ista *scelerum suorum s.* exhibent duo Dorv. Bodleianus autem codex *a scelerum s. s.* prout etiam Sebisius volebat. Post Fabrum quidem Burmann. ad Vellei. II. 28. subaudiri malebat praepositionem posteriorem: sed illam perpetuo addit Iustinus, ut lib. IV. 5. 10. lib. VIII. 2. 9. lib. XV. 4. 14. lib. XLIV. 5. 3. et alibi. Et insolentior ellipsis esse videtur, quam agnoscunt viri laudati. WOPKENS. — Ed. Rom. *quam ex scelerum*. Coll. N. *quam a scelerum:* quomodo legendum coniecerat Sebisius. Supra III. 1. 9. *se ab insidiis Artabani vindicavit*. et IV. 5. 10. *a captivitate gladio et voluntaria morte se vindicat*. Curtius lib. IX. cap. 9. *Itaque fame dumtaxat vindicatus exercitus*. ubi N. Heinsius legit, *Itaque a fame*, coniectura adsecutus scripturam MS. Florentini. Adde notam Cl. Wopkensii. ABR. GRONOV.

8. NEC PARVULUS QUIDEM FILIUS. Ed. Rom. Ald. Iunt. *ne parvulus quidem*. ut infra XIX. 3. 11. *ne filiis quidem admissis*. XXIII. 1. 2. *cuius imperii partem ne speraverat quidem*. XXXVIII. 4. 2. *ne eos quidem dubitare*. Ita sec. Med. et Avus ex coniectura; atque eod. cap. §. 16. *ut ne vacaturos quidem bello putet*. Valerius Maximus IX. 15. 2. ex MS. *ne divi quidem Augusti numen ab hoc iniuriae genere intentatum*. Columella lib. II. cap. 18. *propter quod ne pecora quidem oportet teneris adhuc et subsidentibus pratis immittere*. lib. III. cap. 10. *ne generandi quidem data est facultas*. lib. VII. cap. 8. *quam ob causam rustici ne patiuntur quidem sua sponte pigro humore defluere*. lib. IX. cap. 8. *quamquam ne sic quidem velim nisi optimas possidere*. et lib. XII. praef. *Itaque ne villici quidem aut villicae magna erat opera*. Ita omnibus hisce locis MS. Abbatiae S. Germani Paris. cuius ope etiam corrigendus est locus eiusdem lib. VI. praef. *sed ne apud nostros quidem colonos alia res uberior, ut etiam M. Cato prodidit*. Vulgo, *et nunc apud n. q. c. a. res uberior nulla est, ut etiam M. Cato credidit*. Macrobius lib. I. Comment. in Somn. Scip. cap. 1. pag. 2.

*sed ne exiguus hominum coetus, nec domus quidem parva constabit.* Ita MS. a pr. m. ed. Iunt. Ven. Basil. Lactantius lib. I. de Ira cap. 4. init. ex MS. Regio Londin. *sicut iram in Deo non esse, ita ne gratiam quidem.* et cap. 11. ex eodem: *sed ne in caelo quidem multi soles esse potuerunt.* Celsus de Med. lib. VIII. cap. 1. init. *Neque enim certus earum* (suturarum) *numerus est, sicut ne locus quidem.* Ita vetustae editiones. Eodem cap. *ac ne sustinere quidem caput posset, nisi* etc. ABR. GRONOV.

9. NON REGEM, SED TUTOREM PUPILLI EGIT. Impressus quidam habet, *non se regem.* Suspicor Iustinum scripsisse, *non regem se, sed.* idque se per similitudinem litterarum subsequentium, tanquam supervacuum, deletum. SCHEFF. — Male. *Regem, patrem, principem agere,* frequentissima sunt Tacito, Suetonio, Iustino, aliisque. GRAEV.

10. AT UBI GRAVIORA BELLA IMMINEBANT, SERUMQUE AUXILIUM IN EXSPECTATIONE INFANTIS ERAT etc. Ed. Rom. *At quia, ubi gr. b. imminebant, serum aux. in exp. infantis omnibus erat.* Tò *omnibus* huc male translatum est ex initio capitis sequentis, *magna de illo spes omnibus fuit:* ubi eadem istud male omittit. Coll. N. *spes omnium fuit.* ABR. GRONOV.

## CAP. VI.

1. UT EST INGRESSUS IMPERIUM. *Ingredi* pro incipere, frequenter Ciceroni fuit in usu, ut in Orat. pro Caecina 28. *Cum istam disputationem mecum ingressus esset.* et Topic. 1. *Maiores nos res scribere ingressos.* et Sueton. in Octav. 92. *Ingrediente se longinquam peregrinationem.* Quum tamen auctor Bell. Afric. 22. addita praepositione dixerit, *ingredi in rempublicam.* GRONOV.

2. CUI SPEI SCELUS MATRIS HUNC RESIDUUM FECERAT. Saxo lib. V. pag. 93. 48. *quem solum ex tanto sociorum agmine fortuna residuum fecit.* Coll. N. *scelus maternum hunc.* ABR. GRONOV.

3. et 4. Planus intellectu locus, quem in vulgatis editionibus interstinctio prava et *bellaque*, pro *bella quae*, positum obscuravit. BERNEC.

PRINCIPIO REGNI. MSS. habent *rerum*, pro *regni.* Ergo alterutrum est glossatoris, non Iustini. Magis autem inclino eo, ut lectionem veram putem *rerum.* SCHEFF.

INOPIA CONTINUI BELLI. Forte legendum, *continuis bellis exhausti regni, immaturam aetatem tyronis urgerent, et bella quae* etc. BONGARS.

INDE INOPIA CONTINUIS BELLIS EXHAUSTI REGNI. Coll. N. *continui belli exh. r.* Med. Magl. sec. quart. quint. Leid. Periz. ed. Bongars. aliaeque, *continui belli et exh. r.* Magl. *inde pompa continui belli et exh. r.* ed. Rom. *inde pompa c. belli et exh. regni penuria.* ABR. GRONOV.

PAR ESSE NON POTERAT. Hoc est, par non erat. Cicero pro L.

Manilia cap. 18. *Nullo in loco iam praedonibus pares esse poteramus.* Caesar Gall. I. 40. *Qui tamen pares esse nostro exercitu non* potuerint. Nepos Themist. cap. 4. *et universos pares esse* posse *aiebat.* ubi vide Intt. Addatur Frontinus Strat. III. 9. 6. *Sufficere propugnationi murorum* poterunt. Vulg. Interpres II. Paralipom. XXX. 3. *Quia sacerdotes, qui possent sufficere, sanctificati non fuerant.* Augustin. de C. Dei X. 8. *Desiderantibus carne vesci, quae tanto populo nulla sufficere* (sic lego pro *efficere*) posse *videbatur.* Wopkens.

Dispensanda. Supra Not. ad VI. 1. 2. Bernec. — Ut non omnia bella uno impetu, ac momento, sed per partes ac vices gereret. Proprie enim hoc verbum usurpatur de patrefamilias, qui, ut sibi constaret ratio accepti et expensi, sumtus dispensare solet, nec omnia uno tempore simul et semel effundit. Liv. XXVII. 5. *Dispensarique laetitia inter impotentes eius animos potuit.* et Ovid. VI. Med. 279.

*ordine nullo*
*Oscula dispensat natis.*

et Statius VI. Theb. 766.

*Doctior hic differt animum, metuensque futuri*
*Cunctatus vires dispensat.*

Senec. Epist. 88. *Temperantia voluptatibus imperat; alias edit atque abigit, alias dispensat.* Idem VI. de Benef. 16. *Tum ingenium latens et pigrum, iniecta (ut ita dicam) manu, extraxit: nec quae sciebat, maligne dispensavit.* et III. Nat. Quaest. 27. *Ad originem rerum parce utitur viribus, dispensatque se incrementis fallentibus.* Gronov. — *Dispensare* pro partiri, distribuere: ut bella alia gerenda suscipias, alia quocunque modo declines. Quae verbi significatio et praecipua est. Vorst.

5. Alia interposita pactione componit. Saxo lib. VI. pag. 104. 14. *nuper se eius societati, interposita pactione, subduxerat.* et lib. X. pag. 187. 45. *ter regem a piratis captivum, interposita munerum pactione, receperat.* Abr. Gronov.

Contemtum sibi etc. Malim, *contemtum sui hostibus demeret.* Bongars. — Ita Liv. XXV. 37. 18. Bernec. — Bongarsius mallet, *Contemtum sui hostibus demeret.* Ad quem modum Livius XXV. 37. *Ultro inferendo arma contemtum sui demturum.* Vorst. — Bongarsius malebat *sui*, applaudente Gebhardo ad Livium lib. XXV. cap. 37. f. Abr. Gronov.

6. Cum Atheniensibus certamen. Diodorus XVI. 2. Regem Macedoniae Argaeum facere volebant Athenienses, misso Mantia duce cum exercitu. De victis Illyriis vide eundem sub anno secundo Philippi. Bongars.

7. Bello in Illyrios translato. Med. sec. quint. Leid. Reg. Bodl. Coll. N. *ad Illyrios.* Abr. Gronov.

Multa millia. Ultra septem millia. Diodorus XIV. 4. Bernec.

Urbem nobilissimam Larissam capit. Hinc Thessaliam. Iu-

stinus ita Larissam Illyriis subiungit, quasi Larissa Illyriorum, non Thessalorum urbs fuerit, rursus Thessaliam Larissae subnectens, quasi Larissa non sit Thessalorum urbs: sed duo hi errores eodem fonte manant, quod pro *Lysso* legerunt *Larissa*. Est autem *Lyssus* prima Dalmatiae urbs post Dyrrhachium ad mare Adriaticum, cuius apud magnos auctores frequens est mentio. GLAREAN. — Veteres *Lariseam*. *Larissas* plures recensent lib. IX. et XIII. Strabo, et Stephanus de Urbibus; nullam, quae huic loco conveniat, nisi legas, *Larissam in Thessalia:* et ea lectio uno MS. confirmatur. habet is, *Larissam hinc in Thessaliam*. Ceteri, *Larissam capit, hic in Thessaliam*. Glareanus *Lissum* legit, quae est urbs Illyriae. Ptolem. Stephan. Thessaliam aggressus est Philippus, contra tyrannos vocatus. Diodorus XVI. 14. BONGARS. — Iuntae, ut pridem coniecit Bongarsius: *Larissam in Thessalia non praedae cupiditate*. Quae lectio non est sollicitanda. Nam Larissa capite Thessaliae subiugata, ceteri cogebantur nolentes volentes iugum servitutis subire, et equites, quos imperabat Philippus, praestare. Paullo post iidem Iuntae, itidem ut coniiciebat Bongarsius, *tutore virginis Arrymba*. GRAEV. — Scio quid ad haec docti dixerint, et in primis Bongarsius V. Cl. sed hoc mihi persuasissimum est, Glareanum, hominem Helvetium, cuius ego libros Musicos, et animadversiones in Livium pene puer legi, virum acutissimum fuisse. Ille non *Larissam* legit, sed *Lissum*. Optime, si quid in his sapio. Erat enim Lissus inter primarias Illyriae urbes, ad mare scilicet. Scio et hoc, multa quoque contra posse afferri. Sed uno verbo, dico iterum, Glareanus homo bonae mentis fuit; et legendum, *Lissum*; cetera plana sunt. Bongarsius mihi non satisfacit, hoc in loco scilicet, nam alibi vir mihi magnus et praestantissimus videtur. *Hinc* autem, id est, postquam Lissum ad mare Adriaticum cepit, in Thessaliam se confert etc. Si de Larissa vellem aliquid, hoc dicerem, Larissam Thessaliae nobilissimam urbem fuisse, vel hoc nomine tantum, quod Achilles dicitur Larissaeus, vel quod Larissa a Livio caput Thessaliae fuisse dicatur. Sed haec nil ad Lissum Glareani, qui meo iudicio valde sapiebat. FABER. — Unus Cod. MS. quem Bongarsius vidit, *Larissam hinc in Thessaliam*. Unde ille legendum censet, *Larissam in Thessalia*. Atque ita manifeste editionem Iuntinam habere testatur Graevius. VORST. — Lectio vitiosa; nulla enim Larissa in Illyrico, nec videtur emendatio Bongarsii iuvare, legentis, *urbem nobilissimam Larissam in Thessalia* etc. An enim verisimile, Philippum ex una illa urbe tantum exspectasse equitatum? Quare plus propendeo in sententiam Glareani, qui existimat, corruptum esse nomen urbis non Thessaliae, sed Illyrici. Et quid, si Iustinus scripsit, *urbem nobilissimam Illyrici, Issem capit*. Potest vitium esse ortum, quod pro *Illyrici* vetusta ratione scriptum esse litteris minusculis et per compendium, *inliri*. Sic enim primae duae litterae *in* absumtae per praecedens *m* totidem lineolis constans. Ceterae connexae vocabulo sequenti, unde factum *liriissam*, ex quo peritior geographiae scili-

cet fecit *Larissam*. De Isse, Illyrici urbe, videndus est Plinius II. 21. et Stephanus de Urbibus, in ea voce. SCHEFF.

8. HINC THESSALIAM. MSS. habent, *hinc in Thessaliam*, quae lectio videtur proba, sed repudiata ab illis, qui non observabant ex superioribus hic quoque verba, *bello translato*, esse intelligenda. Liquet autem simul, emendationem Bongarsii recte a nobis in praecedentibus reiectam esse. SCHEFF. — Perperam haec sollicitantur a Scheffero, quod in nonnullis MSS. vitiosé legatur *Hinc in Thessaliam* etc. WOPKENS.

ROBUR THESSALORUM EQUITUM — IMPROVISUS EXPUGNAT. Seneca Phoen. vs. 627.

*Licet omne tecum Graeciae robur trahas.*

Saxo lib. I. pag. 12. f. *Orientalium robore debellato.* lib. IV. pag. 60. 80. *omne virtutis Suetiocae robur.* et lib. XIV. pag. 280. f. *in eam classem Danicum penitus coisse robur.* Pro *improvisus* Periz. a sec. m. exhibet *de improviso*, et Orosius atque Freculphus tom. I. lib. IV. cap. 19. *ex improviso.* Vulgatum tamen imitatur Orosius lib. III. cap. 1. *Agesilaus improvisus bello supervenit.* Praeter Iuntinam Aldina etiam firmat coniecturam Bongarsii, *Larissam in Thessalia.* ABR. GRONOV.

METUENTEM IMPROVISUS. Legendum distinguendumque, *metuentem. Eam improvisus expugnat, unumque* etc. Pronomen abstulere litterae similes ante et post ipsum. SCHEFF.

9. EXERCITUS FACIT. Sic Angl. quod praefero, quia praecedit *expugnat.* SCHEFF. — Ita Reg. Coll. N. Reliqui et veteres Edd. atque Bongars. *fecit.* ABR. GRONOV.

10. QUIBUS REBUS FELICITER PROVENIENTIBUS. Saxo lib. XIV. pag. 252. 16. *rebus in Scania parum feliciter provenientibus.* Ed. Rom. *His rebus f. pr.* ABR. GRONOV.

OLYMPIADA NEOPTOLEMI REGIS MOLOSSORUM. *Olympias* etiam lib. XVII. sub finem, Neoptolemi filia dicitur. Ceterum eodem in loco Arymba Neoptolemi pater nominatur, ac proinde avus Olympiados, ac Alexandri Epirensis. Atqui hoc loco Olympiados patruelis frater vocatur. Rursus sub finem lib. VIII. Alexander Epirensis Arymbae privignus proditur: duos igitur Arymbas intelligere oportet, avum Olympiados, ut lib. XVII. alterum sororis Olympiados, nempe Troados maritum. Nec tamen satis claret, quomodo Alexander Epirensis fuerit Arymbae privignus, ut lib. VIII. sub finem habetur. Sed lector tres hosce locos secum etiam atque etiam comparet. GLAREAN.

OLYMPIADEM. Med. Periz. ed. Bech. Ven. Flor. Med. Paris. Ald. Iunt. *Olympiada.* Infra IX. 7. 2. Magl. sec. tert. quart. Leid. *Olympiadam* pro *Olympiada:* quomodo habent Periz. ed. Rom. Med. Paris. Ald. Iunt. XI. 11. 5. et Med. Magl. tert. quint. Leid. ed. Bechar. Ven. Med. Paris. XIV. 5. 1. item Periz. ed. Ven. Med. Paris. Ald. Iunt. eod. cap. 4. 10. ABR. GRONOV.

NEOPTOLEMI. *Euruchae* habet Orosius III. 12. BERNEC.

11. Altore. Veteres *auctore*, forte *tutore*. De hoc loco dicam XVII. 3. 9. Bongars. — Angl. *tutore virginis*. Alterum horum est ex glossa. Puto tamen in vulgato nihil mutandum, ut quod docet, non modo tutelam eius habuisse, quod glossator innuebat, sed et educasse ipsam domi suae. Scheff.

Arruba, rege Molossorum. Hunc infra VIII. 6. 4. *Arrybam regem Epiri* vocat auctor: quomodo *Sulla* et *Sylla*, *Purrhus* et *Pyrrhus* indifferenter dixerunt. Bernec. — Graecis promiscue appellatur, *Ἀρύβας*, et *Ἀρύμβας*. Saepe enim inseritur *τὸ μ.* ut, *Sybaris Symbaris*, *Thynias Thymnias*, *Senones Semnones*, et sexcenta alia. Apud Frontinum male vocatur *Harridas*, pro *Arubas*, aliquoties II. 5. Voss. — Infra VIII. 6. 4. *regem Epiri* vocat: quod et rectius videtur. Nam qui ei successit Alexander, Olympiadis frater, itidem rex Epiri fuit. Scribitur autem *Arruba* pro *Arryba*; ut infra VIII. 6. 4. vocatur: quomodo *Sulla* pro *Sylla*. Becharius tamen et hic *Arryba* habet. Vorst. — Vorstius putat rectius, *rege Epiri*, ut infra VIII. 6. 4. Sed hoc nimis abit, nec necesse est, cum Molossi pars sint Epiri. Scheff.

Conciliante nuptias fratre patruele, altore virginis, Arryba. Coll. N. *patruele ac tutore v.* ed. Rom. *patruele*, *tutore v.* Bongarsius ad XVII. 3. 9. legit *patruo tutore virginis*. Olympias Arrybae soror dicitur Orosio lib. III. cap. 12. et Freculpho I. 4. 19. *Olympiadem Arubae* (Frec. *Auruchae*) *regis Molossorum sororem duxit uxorem*. atque Adoni in Chronico: *cum Aruba rege Molossorum pacatus*, *sororem eius Olympiadem duxit*. *Ἀρύμβαν* fratrem Olympiadis etiam nominat Plutarchus in Alexandro init. *Λέγεται δὲ Φίλιππος ἐν Σαμοθρᾴκῃ τῇ Ὀλυμπιάδι συμμυηθεὶς, αὐτός τε μειράκιον ὢν ἔτι, κἀκείνης παιδὸς ὀρφάνης γονέων ἐρασθῆναι, καὶ τὸν γάμον οὕτως ἁρμόσαι, πείσας τὸν ἀδελφὸν αὐτῆς Ἀρύμβαν.* Huc respicit Himerius in Epithal. apud Photium Cod. 243. pag. 1115. *Λέγεται δέ ποτε καὶ Ὀλυμπιάδα τὴν ἐπὶ τοῖς Ἀλεξάνδρου τόκοις εὐδαίμονα, ὀργιάζουσαν τὰ Καβείρων ἐν Σαμοθρᾴκῃ μυστήρια, ἰδεῖν κατὰ τὴν τελετὴν τὸν Φίλιππον· ἦν δὲ ὑπηνήτης ἔτι· ἰδοῦσαν δὲ ἐρασθῆναι τοῦ νεανίσκου, καὶ ὁμολογῆσαι γάμον, προτέλειά τε ποιησαμένην τοῦ γαμηλίου πυρὸς μυστηρίου.* Abr. Gronov.

Troadam in matrimonium habebat. *Troadem* potest ferri, sed tamen *Troada* praetulerim, inflexione Graeca scilicet. Ita alibi *Olympiada* pro Olympiadem. Sed tamen, cum in memoriam redeo, nunquam memini me legere *Olympiadam*; legi tamen *Crotonam*, sed mihi dubium est. Faber. — Ab accusativo Graeco *Τρωάδα* fit eiusdem terminationis nominativus: unde deinceps accusativus *Troadam* formatur. *In matrimonium habebat* non quidem sine exemplo; sed testatur tamen Bongarsius, codices suos MSS. habere *in matrimonio*. Vorst. — Omnino scripsit Iustinus *in matrimonio habebat*, sicut Oxon. aliique codices repraesentant. Quamquam altero quoque modo Eutropius VIII. 10. Wopkens. — Med. Reg. pr. sec. tert. quart. Leid. Bodl. Thuan. Coll. C. C. *in matrimonio*. Abr. Gronov. —

Optime Faber, *Troada*, et paulo post, *acquisiturum se sperat*, legendum esse contendit, applaudente Iuntina. GRAEV.

QUAE CAUSA ILLI EXITII MALORUMQUE OMNIUM FUIT. Manu exaratorum codicum alii, ut quidam profitentur, habent: *Illi exitium malorumque omnium causa fuit.* alii: *illi malorum omnium exitium fuit.* quibus vitiosis quamvis scripturis confirmor magis, ut probem lectionem duorum Fuldensium librorum membranaceorum, in quibus absque ulla litura est: *quae causa illi exitii, malorumque omnium initium fuit.* MOD. — Malim, *quae res* (coniunctio nempe cum Philippo) *illi exitii* etc. Ita lib. I. 7. Quae res *multorum bellorum Cyro causa et origo fuit.* Lib. III. 4. Quae res *initium dissensionis Graeciae et intestini belli causa et origo fuit.* Lib. XXXVIII. 10. Quae res *exitii causa fuit.* WOPKENS.

MALORUMQUE OMNIUM INITIUM FUIT. Ita Fr. Modius in duobus Fuldensibus libris membranaceis absque ulla litura scriptum ait: eaque lectio non longe discedit a vestigiis aliorum MSS. quos variantium libellus exhibet. Bongarsii et aliorum editiones, *omnium fuit.* BERNEC. — *Initium* adiecit Berneccerus, quod duos Codd. Fuldenses ita habere testatus esset Modius. Antiquiores editiones, et ipsa quoque Bongarsii, vocem non habent. VORST.

QUAE CAUSA ILLI EXITII, MALORUMQUE OMNIUM INITIUM FUIT. Penultima vox desideratur in novem MSS. et sex vet. editionibus. Coll. N. *omniumque malorum fuit.* Magl. ed. Rom. *malorumque omnium origo fuit.* Mediol. *q. c. illi exitii malorum omnium fuit.* ABR. GRONOV.

12. ACQUISITURUM SPERAT. Lego, *acquisiturum se sperat.* Et ita in quibusdam impressis scriptum. Istud *se* omissum est ob initium vocis sequentis *sperat.* FABER. — Antiquiores editiones, *acquisiturum se sperat.* Ceterum pronomen reciprocum omitti, ac subaudiendum relinqui, nihil novi. VORST. — Pronomen reciprocum eleganter abest a pr. tert. quart. Leid. Thuan. Bongars. Ita VIII. 4. 11. *iureiurando adactis responsum nemini prodituros.* XXXVIII. 9. 3. *regnumque Syriae restituturum promittit.* Gellius lib. XVII. cap. 9. ex MSS. *cui facturum id promitteret.* ABR. GRONOV.

PROPRIO REGNO AB EODEM PRIVATUS. Med. sec. quint. Leid. *prius proprio.* ABR. GRONOV.

14. METHONAM. Veteres, *Mothanam. Methana* Straboni lib. VIII. aliter est *Μεθώνη.* Praeter Diodorum sub anno VIII. vide et Solin. cap. 14. et Plin. VII. 37. *Sagittam autem iecerat Aster oppidanus inscriptam suo nomine, locoque vulneris, et nomine* (id est nomine Philippi) *quem petebat:* ut est apud Solinum. BONGARS. — In Prologo lib. VII. Historiae Trogi, *Mothone* est, atque ita Latinos huius urbis nomen scripsisse, plane sibi constare dicit Salmasius ad Solinum 153. A. 2. Quomodo quae Graecis *Κέρκυρα*, et *Βερενίκη*, Latinis *Corcyra*, et *Beronice* dicitur. BERNEC. — Pr. Leid. *Mothanam.* sec. et Coll. C. C. *Mathonam.* tert. et Periz. Coll. N. ed. Rom. Paris. *Mothonam;* nec aliter Freculphus et MSS. Orosii.

et Solinus cap. 8. *Mothona oppidum est, quod cum obsideret Philippus* etc. Ita MSS. atque ed. Salmasii. *Methone* ed. Delrii ac Grasseri, et Mela II. 3. Harpocration: *Μεθώνη, Δημοσθένης Φιλιππικοῖς· λέγοι ἂν τὴν ἐν Θρᾴκῃ, ἣν πολιορκῶν Φίλιππος ἐξεκόπη τὸν δεξιὸν ὀφθαλμόν.* Strabo lib. IX. pag. 436. *ἡ μὲν οὖν Μεθώνη* (Thessaliae urbs) *ἑτέρα ἐστὶ τῆς Θρᾳκίας Μεθώνης, ἣν κατέσκαψε Φίλιππος.* et in Excerptis lib. VII. pag. 330. *ἐν δὲ τῷ πρὸ τῆς Μεθώνης πεδίῳ γενέσθαι συνέβη τῷ Φιλίππῳ τῷ Ἀμύντου τὴν ἐκκοπὴν τοῦ δεξιοῦ ὀφθαλμοῦ καταπελτικῷ βέλει κατὰ τὴν πολιορκίαν τῆς πόλεως.* Ed. Rom. et Vincentius lib. IV. cap. 15. *expugnaret* pro *oppugn.* Abr. Gronov.

Sagitta iacta. Ab Astere Olynthio, teste Plutarcho Parall. min. cap. 8. Hunc versum inscriptum habuit sagitta:

*Ἀστὴρ Φιλίππῳ θανάσιμον πέμπει βέλος.*
*Aster letale Philippo mittit spiculum.*

Plutarch. in Alexandro cap. 3. tradit, ab oraculo Delphico Philippo nuntiatum, ideo ipsum amisisse oculum alterum, quod eum rimae ostii admovens, Iovem Ammonem conspexisset, serpentis figura cum Olympiade uxore sua concubantem. Commemorabilis hic adulatio Clisophi, qui in Philippi gratiam, altero privati oculo, ipse etiam alterum de suis oculum deligare voluit. Aelian. IX. Hist. Animal. 7. Athenaeus VI. 12. Bernec.

15. Quo vulnere nec segnior in bellum. MS. Dorv. 3. *segnior in bello:* sed alterum mutari necesse non est. Lib. IX. 8. in seria *et iocos artifex.* Lib. XLII. 3. *in externos aut in domesticos* motus *inquieti.* Lib. XXIX. 3. *Quem promptum* in bella *industriumque cognoverat.* Lib. I. 9. *Viro nobili et* in coniecturas *sagacissimo.* Sic enim haud male MStus. Tacitus Hist. IV. 76. *Neminem adeo* in arma *promptum, ut non idem pretium quietis quam periculi malit.* Wopkens.

---

# COMMENTAR. IN LIB. VIII.

Lib. VIII. Iustini omnium optimus et castigatissimus. Freinshem.

## CAP. I.

2. Omnibus perire quod. Ita Vett. omnes et Orosius, nullo sensu, ut mihi quidem videtur. P. Pithoeus, sagaci corde et ingenio unico coniecit legendum, *omnibus perviae*, proxime ad antiquam scripturam. nam quod vulgo legitur, *ab omnibus victae periere,* nugae. De hac civili Graecorum discordia Callisthenes apud Plutarchum in Alexand. cap. 95.

*Ἐν δὲ διχοστασίῃ καὶ ὁ πάγκακος ἔλλαχε τιμῆς.*
*At per dissidium vel pessimus est in honore.*

cum diceret, illam Philippo magnitudinis et potentiae occasionem et causam exstitisse. BONGARS. — Prava distinctio, et *quid* pro *quod* positum fecit, ut hunc locum (planum utique, modo syntaxin attendas) infelici curiositate viri magni tentarent. Nam quod pridem Gruterus Suspicion. II. 12. monuit, hoc dicit auctor, Graeciae civitates non ante persensisse, omnes amittere quod singulis peribat, quam cum iam oppressae essent. Idem de Britannis Tacitus affirmat in Agric. cap. 12. *In commune non consulunt: rarus duabus tribusve civitatibus ad propulsandum commune periculum conventus. Ita dum singuli pugnant, universi vincuntur.* Hinc monitum Hermocratis ad Siculos suos apud Thucyd. IV. 12. 31. *Alienigenas arma nobis intentantes, universi, si sanae mentis sumus, communi consensu propulsabimus. Quippe dum singuli cladibus afficiuntur, universi in periculo sumus.* Adde Nostrum infra XV. 2. 15. Acumen Senecae in re dissimili simillimum Epist. 90. 11. 8. *Societatem avaritia distraxit, et paupertatis causa etiam his, quos fecit locupletissimos, fuit. Desierunt enim omnia possidere, dum volunt propria.* Et num. 81. *Avaritia dum seducere aliquid cupit, atque in suum vertere, omnia fecit aliena: et multa concupiscendo, omnia amisit.* BERNEC. — Perperam olim a nonnullis turbae datae fuerunt in phrasi *perire omnibus*, pro amittere omnes. Livius XXXIX. 18. *Quia* multis *actiones et res* peribant. Velleius II. 116. *Ne nihil non optimo* civi . . periisset. Minuc. Felix cap. 24. *Tu* perire *et* Deo *credis, si quid* etc. Hegesippus IV. 29. *Victori patria manet,* victo perit. et lib. V. 14. *Qui adverterat, iam* sibi perire, *quidquid periisset.* WOPKENS.

IN MUTUUM EXITIUM SINE MODO RUENTES. Saxo lib. XIV. pag. 310. 49. *in exitium suum ruentes.* ABR. GRONOV.

3. PHILIPPUS, REX MACEDONIAE, VELUT E SPECULA QUADAM, LIBERTATI OMNIUM INSIDIATUS. Periz. *Philippus ex Macedonia velut specula q.* idemque in exemplaribus typis excusis reperit Bongarsius. Orosius lib. III. cap. 12. *quorum dum insanas concertationes Philippus veluti e specula observat.* atque ita sec. MS. Leid. Freculphi, apud quem vulgo praepositio desideratur. Ceterum mira est scripturae varietas, quam suppeditat primus eiusdem codex: *Philippus velut vulpecula observat.* ABR. GRONOV.

E SPECULA QUADAM. Id est, e loco alto, ut totum agrum detegere oculis posset, unde occasiones peterent. Quomodo haec loquutio etiam aliis placuit, ut Cic. IX. ad Att. Epist. 10. *In speculis esse.* Idem pro Deiotaro cap. 8. *Reliqua pars accusationis duplex fuit: una, regem semper in speculis fuisse, cum a te animo esset alieno.* Liv. XXXIV. 26. *Diem deinde unum in speculis fuit.* Quintil. Decl. CCLXXXI. *In aliqua vos positos specula putate: illa, quae facta sunt, videte.* Claud. Bell. Get. 570.

*gentes pendere paratas*
*In speculis.* GRONOV.

AUXILIUM INFERIORIBUS FERENDO. Ita supra V. 2. 12. et Philippus III. apud Livium XXXIX. 23. 11. BERNEC.

4. THEBANI. Hoc est initium belli sacri seu Phocici, quod in annum nonum duravit. Diodorus XVI. 21. sub anno sexto Philippi: decennium durasse scribit Pausanias in Boeoticis et Phocicis. Vide et Gemist. BONGARS. — Initium eius incidit in Olympiadis centesimae quintae annum quartum. BERNEC.

SECUNDAM FORTUNAM IMBECILLO ANIMO FERENTES. Thucyd. III. 6. 25. *Prope facilius esse dixerim propulsare adversa, quam tutari secunda.* Tacit. Hist. I. 15. 7. *Secundae res acrioribus stimulis animum explorant; quia miseriae tolerantur: felicitate corrumpimur.* Ovid. II. de Arte 438.

*Non facile est aequa commoda mente pati.*

Adde Sallust. Catil. 10. 2. Senec. Epist. 51. 8. Probus pr. Timol. *Id quod difficilius putatur, multo sapientius tulit secundam, quam adversam fortunam.* Idem de Conone sub fin. *Accidit huic quod ceteris mortalibus, ut inconsiderantior in secunda, quam in adversa esset fortuna.* BERNEC. — Livius lib. IX. *Loquimur de Alexandro nondum merso secundis rebus, quarum nemo intolerantior fuit.* Vocantur tales et *impotentes.* Cicero in Epp. *Victoria quae etiamsi ad meliores venit, tamen eos ferociores impotentioresque facit.* VORST.

GRAECIAE CONCILIUM. Amphictyonum. Diodor. XVI. 60. 61. Pausanias Phocicis. Aelianus XII. Var. Hist. BONGARS.

5. LACEDAEMONIIS CRIMINI DATUM, QUOD ARCEM THEBANAM. Libro VI. superius hic auctor *Arcadum* castellum vocavit. Hic eius rei oblitus, *Thebanam* vocat *arcem.* GLAREAN.

6. QUASI POST ARMA. *Post arma*, pro, postquam arma iam sunt sumta. Sic sup. I. 6. 12. *post necessitatem pugnandi.* Vide et Notas. Cicero IV. ad Fam. Epist. 4. *Sic fac existimes, post has miserias, id est, postquam armis disceptari coeptum est de iure publico, nihil esse actum aliud cum dignitate.* ubi *post has miserias* concise dictum pro, postquam in has miserias incidimus: idque verbis deinde pluribus exponitur sic, *postquam armis disceptari coeptum est de iure publico.* VORST.

LEGIBUS. C. Marii dictum, *se prae armorum strepitu leges exaudire non posse.* Plutarch. Apophthegm. Rom. cap. 29. Et Caesaris: *Non idem armorum ac legum esse tempus.* Idem in Caes. cap. 53. BERNEC.

8. PHILOMELO QUODAM DUCE. Apud Polyaenum lib. V. male appellatur *Φιλόμηδος*, pro *Φιλόμηλος*. VOSS. — Philomelus iste Theotimi filius, vir sine dubio fortissimus, ac patriae amantissimus, nemine inter suos Phocenses dignitate inferior (ut ait, sed Graece, Pausanias.) Quae res facit ut eo magis mirer istud *quodam*, quasi de opilione aliquo aut caprario ageretur. FABER. — Miratur

Faber adiectum illud *quodam*, quasi de opilione aut caprario ageretur, cum tamen Philomelus vir fortis summaque inter suos dignitate esset. At vero non semper vox illa vilitatem interque suos obscuritatem personae cuiusdam denotat, ut post alios notavimus ad haec Velleii II. 64. *Fugiens, in hospitis* cuiusdam, *nobilis viri, nomine Cameli, domo iugulatus est.* Wopkens.

10. Tametsi omnes exsecrarentur. Med. *tamen etsi.* Pacuvius apud Gellium I. 24. *tamen etsi properas.* Terentius Andria V. 2. 23. *tamen etsi hoc verum est.* L. Seneca lib. IV. de Benef. cap. 9. *tamen etsi nihil aliud sequendum est, quaerimus quid faciamus.* Adde paterna ad Ciceronem lib. II. de Orat. cap. 52. Abr. Gronov.

12. Thebanos castris exuit. Saxo lib. VI. pag. 99. 26. *cum se gemina strage omnibus propemodum copiis exutum videret.* Abr. Gronov.

13. Dimicans cecidit. Diodorus XVI. 31. et Pausanias Phocicis, praecipitem se e rupe dedisse referunt, anno Philippi septimo. Bongars.

Et sacrilegii poenas impio sanguine luit. *Impio sanguine* i. e. sanguine suo, hominis impii. Phaedrus Fab. XXIX.

*Sed inquinari nolo* ignavo *sanguine.*

i. e. sanguine ignavi animantis. Tacitus Ann. XIV. 39. *Nam cruore* captivo *adolere uras . . fas habebant.* Ovidius Metam. XIII. 563.

*Foedataque sanguine* sonti,
*Non lumen, neque enim superest, loca luminis haurit.*

ubi tentandum non fuit *sontis.* Seneca in Medea 810.

*Assuesce manus stringere ferrum*
Carosque *pati posse cruores.*

Prudentius in Symm. I. 516.

*Contiguos fossis muralibus agros*
*Sanguine iustorum* innocuo *maduisse recordans.*

et Diptych. XXXIV.

*Respersis manibus de sanguine* iusto.

Min. Felix cap. 30. *Putas fieri posse, ut tam molle, tam parvulum corpus fata vulnerum capiat? ut quisquam illum* rudem *sanguinem novelli et vix dum hominis caedat, fundat, exhauriat?* Adi quoque Nic. Heinsii Advers. I. 4. quaeque nos infra ad lib. XXXII. 3. 3. Wopkens.

14. Onomarchus. Ita Graeci. In Vett. est, *Oenomenaus*; aut *Oenomaus*, ut in Orosio MS. Bongars. — Sichardus *Oenomanus* ad oram libri notavit. Bernec. — Iuntae, *Oenomaus*, cum Orosio MS. et aliis editionibus vetustioribus. Sed rectius recentiores. Graev. — Hoc loco pro *Onomarchus* Iuntarum editio habet *Oenomaus*, cum Orosio et cum editoribus Iustini. Sed et Orosius et Iuntae errant, Nam a Pausania planissime dicitur *Onomarchus*, idque duobus locis, pag. 318. in Phocicis. Oenomaus autem, quem

isti in animo habebant, bello servili Romano cum Chryso et Spartaco inclaruit. Faber.

## CAP. II.

1. Thessalique. Non video, quid hic *Thessali* faciant, qui iam ante victi erant a Philippo. Nec eorum ulla vel in praecedentibus vel in sequentibus fit mentio. An huc tractum ex sequenti cap. 4. Sed et ibi legunt, *Thebani*. Scheff.

Non ex civibus suis, ne victoris potentiam ferre non possent. *Non ex civibus suis*, subaudi *aliquem*. Et *victoris* est pro *si is victor fuisset*. Sic Livius IX. 18. *Etiam victis Macedonibus graves, nedum victoribus*. id est, etiamsi victi fuissent. Et lib. V. *Itaque ne penes ipsos culpa esset cladis forte Gallico bello acceptae, cognitionem de postulatis Gallorum ad populum reiiciunt*. id est, si clades acciperetur, vel si accepta fuisset. Vide et Gronovium ad Livium IX. 18. Vorst.

2. Externae dominationi. In *discordia civili, pars quae domestico certamine inferior est, externo potius se applicat, quam civi cedit*. Livius XXXIV. 48. 11. Bernec.

Quam in suis timuerunt. Lege, *timuerant*. Faber. — Faber legi iubet *timuerant;* sed quamvis etiam ita scribi potuerit per enallagen, quam ad lib. V. 6. 8. illustravimus, analogiae tamen magis congruit *timuerunt*, quia sequitur praesentis temp. verbum *succedunt*, non praeteriti *succedebant* vel *successerant*. Wopkens. — Fabro corrigenti, *timuerant*, suffragantur Mediceus, sec. Leid. quibus accedit Coll. N. in quo etiam scriptum, *a suis:* ut apud Livium lib. XXIV. cap. 38. *Et consulis castra in propinquo sunt, ne quid ab Himilcone et Carthaginiensibus timeri posset*. Auctor lib. II. ad Herennium cap. 19. *a quo sibi non iniuria summum periculum metuebat*. Abr. Gronov.

4. Insignibus Dei. Quia laurus Apollini sacra. Plin. XII. 1. pr. Ovid. Metam. I. Fab. 14. etc. Bernec.

6. Ultorem religionum. De magno quodam principe, qui colore religionis, quam omnibus actionibus suis semper praetexebat, ad ambitionem et inexplebilem propagandi imperii cupiditatem, mira, et huic Philippicae simillima calliditate fuit abusus, omnino videndi Thuanus lib. I. Guicciardin. lib. XII. Machiavelli Princeps cap. 21. Bernec.

Solum, qui piacula exigeret etc. Angl. sic distinguit et legit, *exstitisse. Dignum itaque, qui diis proximus haberetur, per quem*. Quam lectionem puto verissimam, cunctisque praeferendam. Scheff. — Certissima est lectio et interpunctio libri Anglicani: *Solum, qui piacula exigeret, extitisse. Dignum itaque, qui diis proximus haberetur*. quam merito probarunt Oxonienses et Cl. Schefferus, cuius obitus rei litterariae plagam ingentem inflixit. Quis enim in vulgatis intelligit, qui Latinam linguam intelligit, *dignum*

*extitisse, qui piacula exigeret?* Quid enim est, ille dignus existit, qui scelera puniat? cum *dignus* nihil hic loci est. Sed si interpungas cum Anglicano codice, nihil superest quod quenquam possit morari. Hoc enim dicit Iustinus, Philippum solum extitisse, qui exigeret piacula, quae orbis viribus debebant expiari, seu ad quae vindicanda totus orbis debebat conspirare, ea solum Philippum puniisse. Nondum tamen perpurgatum hunc locum esse puto. Scribendum videtur: *solum qui piaculum exigeret.* Id ostendunt verba praecedentia: *quod orbis viribus expiari debuit.* Nam si *piacula* scripsisset Iustinus, scribendum etiam fuisset, *quae orbis viribus expiari debuerunt. Piaculum* autem est piaculare scelus, sacrilegium scilicet illud. Si quis se vulgatam existimet posse tueri, ellipsi vocis *criminis, sceleris, facti*, aut si quod aliud huic loco appositum intelligi queat, is, si rationem, et consuetudinem emendate loquentium in consilium adhibuerit, facile suam damnabit sententiam. Fac scripsisse non neminem: Ille vindex est religionis, ille maiestatis divinae et sacrilegorum ultor, ille, quod orbis viribus expiari debuit, solus impietatem puniit. Qui Latine sciunt, dicent illico scribendum fuisse, *quae orbis viribus expiari debuit.* Non alia est ratio huius loci in Iustino. Aut scribendum, *piaculum*, aut, *quae orbis viribus expiari debuerunt.* Graev. — Mihi vero transponendae voces *sacrilegii* et *religionum* videntur, simulque hoc modo mutanda interpunctio: *Illum vindicem religionum, illum ultorem sacrilegii, quod orbis viribus expiari debuit: solum qui piacula* etc. Qui *ultor* est *sacrilegii*, sive sacrilegium iusta poena prosequitur, per hoc *vindex* est *religionum*, illasve adserit ac protegit: quamquam hae voces non semper ita distinguuntur. Sic autem *ultor sacrilegii* supra: *Philippus quasi* sacrilegii, *non Thebanorum* ultor *esset* etc. et infra cap. 3. *Prorsus ut non tam* sacrilegii ultor *extitisse.. videretur.* Ista vero, *solum qui piacula exigeret extitisse*, dicuntur ad hancce formam lib. XII. 8. *Solos se esse, qui .. continuam militiam* pertulerint. Wopkens. — Saxo lib. XII. init. *parricidii iusta exegit piacula.* Abr. Gronov.

Qui Diis proximus haberetur. Quint. Leid. Coll. N. Periz. ed. Rom. *habebatur* corrupte, pro *habeatur*, quod exstat in Med. sec. quart. Leid. Bodl. Adde notam Cl. Wopkensii ad V. 6. 8. Abr. Gronov.

8. Angustias Thermopylarum. Ad quas occupandas Philippus contendebat. Diodor. Bongars.

Sicuti antea. Supra II. 11. 2. Diodor. XI. 4. Bernec.

10. Cuius turpe erat alios vindices fuisse. Quia quondam Athenienses ad se potissimum putabant pertinere, ut vindicarent scelera commissa in deos. Videtur autem scripsisse Iustinus, *cuius turpe erat alias, alios vindices fuisse.* Scheff.

11. Illo Deo. Apolline, cuius oraculum consuluerunt, supra II. 12. 13. Bernec.

Tot bella victores inierant. Hoc non capio; quomodo enim

victores inire possunt bella? *Inire bella* est, ordiri, incipere. At nemo victor intelligitur, cum bellum incipit. Lego igitur, *victores finierant*, sensu optimo. *Finire bella* Noster alibi quoque usurpat. Scheff. — Non est interpolanda librorum omnium scriptura. Sententia est liquida: Illo nimirum Deo saepe se bella suscepisse, in quibus fuissent victores. Si enim Deus auctor fuit belli, quis de victoria dubitet. Graev. — Quia minus proprie *victores* dici possunt *bella inire*, qui in illis victoriam reportant, hinc Schefferus *finierant* refingit pro *inierant*. Sed ita Sulp. Severus H. S. I. 46. *siquidem Idumaeorum fines* victor ingressus, *idola gentis eius adsumserat*. Eiusdem quoque *ἀκυρολογίας* tollendae causa *finituros* legebat Muretus in his Livii XLIV. 34. *Ut facile quis cerneret*, *ubi primum conserendi manum cum hoste data occasio esset*, *aut* victoria *egregia*, *aut morte memorabili* inituros *bellum*. Et modo non uno sollicitantur ista Velleii lib. II. 25. *Post* victoriam, qua *descendens montem Tifata cum C. Norbano* concurrerat *Sulla*, *grates Dianae . . solvit*. Mihi quidem mutuo se patrocinio defendere haec loca videntur. Confer Florum II. 1. *Totum denique orbem terrarum bellis* victoriisque *peragravit*. Liv. XXX. 17. *Numidiam omnem egregia* victoria *peragratam*. Wopkens.

Quod illo duce . . . tot urbes auspicato condiderant. Vide Illustr. Spanhemium ad Callimachi Hymnum in Apollinem vs. 55. Abr. Gronov.

12. Tantum facinus admisisse. Ed. Rom. *admittere*. Abr. Gronov.

Ut, quid posthac succensere iure barbaris possent, non haberent. Ven. *ut qui unde posthac*, et *possint*. Ed. Rom. *ut quod posthac succ. barbaris iure p.* Bechar. Flor. Med. Paris. Ald. Iunt. *ut quid unde posthac s. i. b. possint.* quomodo etiam edidit G. Maior, qui in margine notat: „Alii, *quod posthac.*“ Abr. Gronov.

## CAP. III.

1. Sed nec Philippus melioris fidei. Philippi scelera egregie suis coloribus depingit Demosthenes Olynthiaca II. Bernec.

2. Civitates. Vide supra IV. 3. 5. Notam. Bernec.

3. Coniuges liberosque omnium sub corona vendidit. Id est, coronatos vendidit. Solebant enim qui bello capti essent, coronati venire. Vide et Gellium VII. 4. Eandem phrasin vide et infra XI. 4. 7. et XXXIV. 2. 6. Vorst.

4. Hospitaliter. Tanquam hospes, et amicus; qua notione hoc adverbium valde amatum fuit Livio, ut VI. 26. *Moti extemplo patres*, *vocari eos iam tum hospitaliter magis*, *quam hostiliter iussere*. et XXII. 30. *A notis ignotisque benigne atque hospitaliter invitati*. Item 54. *Cetera publice ac privatim*, *et hospitaliter facta*. Gronov.

6. Inde veluti rebus egregie gestis, in Cappadociam. Nomen *Cappadociae* hoc loco suspectum mihi est. Nimis enim distat ea natio a Macedonia. Sed vide num *Euboea* pro eo legendum. Et quamvis, quod subiungit, *occisis finitimis regibus*, aliquem commoveat: tamen cum recordor Alexandrum, cum exercitum in Asiam duceret, iaculum velut in hostilem terram iecisse, ut postea lib. XI. ostendit auctor, et Cappadocia longe ultra sita sit, non videtur mihi verisimile Cappadociam a Philippo hoc saltem tempore petitam. Certe Diodorus anno Philippi XII. sub finem scribit Chalcidensium urbes bello a Philippo petitas ac vi occupatas. Est autem Chalcis in Euboea velut caput. Tempus in Diodoro nobiscum est, nec minus et antea et postea facta. Glarean. — Hellesponti urbes Micybernam et Toronem Philippum anno XIII. occupasse refert Diodorus XVI. 54. Putavi aliquando, legendum *Chalcidem*, ex eodem Diodoro XVI. 53. Bongars. — Omnino ex Diodoro lege, *Chalcidicam*, nempe Thraciae partem, ubi olim floruit Diomedes. *Cappadocia* enim in Asia minore sita est, quo nunquam penetravit Philippus. Gronov. — Iuntae: *Thraciam*. Mox iidem: *locare muros per civitates*. Graev. — Hoc falsum est, et vidit Bongarsius (unde enim tam facile in Cappadociam Philippus, quae fere in ultima parte maris Pontici posita est?) Quare legit ipse *Chalcidem*, quae Thraciae portiuncula est ad mare Aegaeum; at ego propius ad vestigia corruptae lectionis, *Chalcidicam* lego; ita enim et illa regiuncula dicitur, quae Macedoniae confinis est. Faber. — Iuntina editio, uti Graevius testatur, *in Thraciam*. Quod rescriberem, nisi de regibus Thraciae oppressis in fine demum huius capitis actum viderem. Vellem et *in Chersonesum*, nisi de Chersonensium multis urbibus expugnatis initio demum sequentis libri mentio fieret. Bongarsius legendum putat, *in Chalcidem:* quoniam Diodorus XVI. 53. scribit, Philippum urbes Chalcidicas subegisse. Et iuvat coniecturam hanc, quod in vetere quoque Prologo libri VIII. Trogi Pompeii, mentio fit belli quod Philippus cum Chalcidoniis seu Chalcidicis urbibus, et inter ceteras Olyntho, gesserit. Vorst. — Vocabulum corruptum, pro quo *Thraciam* et *Chersonesum* alii substituunt, sed recte a Cl. Vorstio refelluntur. Quanquam nec placere possit *Chalcis*, quam ipse cum Bongarsio substituit, cum quae de Olyntho pro firmamento huius lectionis adducit, apud Nostrum prodantur demum in sequentibus. Locus hic est emendatu admodum difficilis, quia nec historiae, nec libri veteres nos multum iuvant, quantum hactenus cognovimus. Scheff. — Ald. Iunt. *in Thraciam*. ed. Rom. *in Thraciam pergit*. Cl. Valesius ad Harpocrationem pag. 38. legit, *in Cassiopeam*. Lipsius editioni Bongars. adscripserat. „*L. Cassiopeam* vel *Chaoniam*.“ Abr. Gronov.

7. Invidiae famam. Aut *perfidiae famam*, aut *invidiam famae* scribendum, iudicio Freinshemii. Sic *invidiam obtrectationis* dixit auctor Praefat. n. 6. Bernec. — Freinshemio assentior legendum esse, *invidiam famae:* quomodo in Praefatione *invidiam ob-*

*trectationis* vocat. Vorst. — Suspectum habent hunc locum; sed fortassis sine causa, cum *fama invidiae* possit explicari *fama de invidia*, qua nempe dicebatur flagrare apud civitates omnes. Scheff. — Merito praestantissimus Schefferus nihil censet invitis libris novandum esse. Ad invidiae famam abolendam est, ad famam odiosarum rerum, quas commiserat. ut in XII. 6. *Reputabat deinde, quantum in exercitu suo, quantum apud devictas gentes fabularum atque invidiae, quantum apud ceteros amicos metum et odium sui fecerit.* quantum fabularum atque invidiae est, quantum odiosorum sermonum. Graev. — *Famam invidiae* cum Graevio explicandum, famam odiosarum rerum, quae commiserat: nisi malimus credere, quod mihi quidem verisimile videtur, Iustini fuisse *ad abolendam avaritiae famam, qua* etc. Huc enim spectabat ista Philippi munificentiae opinio, quod magnam pecuniam videbatur impendere velle reficiendis ubique muris, exstruendisque fanis ac templis. In sequentibus *et ut per praecones s. s.* elegantius particula *ut* abesset. Wopkens. — Coll. N. *inopiae f.* Infra IX. 1. 6. de eodem Philippo: *Captis itaque centum septuaginta navibus, mercibusque distractis, anhelantem inopiam paululum recreavit.* et eiusdem libri cap. 8. 5. *cui maximae opes erant instrumenta bellorum: divitiarum quaestu quam custodia sollertior. itaque inter quotidianas rapinas semper inops erat.* Abr. Gronov.

Qua insignis praeter ceteros tunc temporis habebatur. Ed. Rom. *prae ceteris.* Ita Hegesippus lib. I. cap. 1. *consilio bonus et prae ceteris fide promtus.* et cap. 11. f. *nam prae ceteris sese offerre solebat periculis.* Sed prius non minus elegans est. Infra XXI. 6. 1. *Vir sollertia facundiaque praeter ceteros insignis.* Cicero lib. II. de Off. cap. 7. *Testis est Phalaris, cuius est praeter ceteros nobilitata crudelitas.* Abr. Gronov.

8. Fana et templa facienda. Angli, *et fora et templa.* Lectio, mea sententia, verissima. Nam *fana* et *templa* non sic differunt, ut tanquam in diversis illud *et* debuerit repeti. Aliter se res habet cum *foris.* Et fuit horum cura magna apud veteres. Suet. Iul. 36. *Forum de manubiis inchoavisti.* Item Augusto 29. *Publica opera plurima exstruxit: Forum cum aede Martis ultoris* Scheff. — Coll. N. *et fora*, probante Scheffero, quem merito refellit Cl. Oudendorpius ad Suetonium Iul. cap. 54. qui eadem nomina iunxit: *In Gallia fana templaque Deum donis referta expilavit.* Apuleius Apol. pag. 64. ed. Pric. *Nullum templum frequentavit: si fanum aliquod praetereat, nefas habet adorandi gratia manum labris admovere.* Pro *per civitates* idem MS. dat *civitatibus.* Abr. Gronov.

Et ut per praecones susceptores sollicitarent. Ed. Rom. *et per praecones*, omissa coniunctione causali, quam abundare hoc loco quoque suspicabatur Cl. Wopkensius. Abr. Gronov.

Susceptores. Qui et *redemptores;* et in L. Un. Cod. de Monop. *Ergolabi* dicuntur. *Magistri Comacini* esse videntur in

legibus Longobardicis. Vide Plin. XXXVI. 15. 23. BERNEC. — Ovid. XI. Met. 201.

*susceptaque magna labore*
*Crescere difficili.*

Vide Henr. Vales. ad Ammian. Marcell. XVII. 11. GRONOV.

9. TACITI PROFICISCEBANTUR. Angli, *profugiebant*. Praefero vulgatam, cuius hoc existimo esse glossam. Vide Nostrum supra V. 4. 8. SCHEFF. — Coll. N. *taciti profugiebant*. ABR. GRONOV.

10. OLYNTHIOS. Vide praeter Diodorum XVI. 54. Demosthenis Olynth. et Libanii Argumenta. BONGARS.

DUOS FRATRES. Quart. Leid. *duo:* ut supra I. 2. 10. *duo et quadraginta annos.* Cicero lib. III. de Orat. cap. 47. *in quo impune progredi licet duo dumtaxat pedes.* Livius lib. VI. f. *Factum senatus consultum, ut duo viros aediles ex Patribus dictator populum rogaret.* lib. XXVI. cap. 13. *duo consules ad Capuam oppugnandam miserunt.* et XXVIII. 11. *et Albae duo soles visos referebant.* Lactantius II. 16. 17. *Hannibal duo exercitus populi Romani et astu et virtute confecit.* Orosius lib. I. cap. 4. *per duo et quadraginta annos.* et cap. 21. f. *duo duces delegerunt.* Ita optimus Flor. Idem lib. III. cap. 23. ex duobus Flor. et Freculphus I. 5. 26. ex utroque Leidensi: *res foedissimi spectaculi erat, duo reges concurrere.* lib. IV. cap. 6. ex iisdem Flor. *quae* (Carthago) *ante urbem Romam duo et quadraginta annos ab Elisa condita invenitur.* lib. VI. cap. 5. ex iisdem: *annos natus septuaginta et duo.* et cap. 11. *Dehinc duo colles sibi invicem obversos Romani Gallique ceperunt.* Imp. Iustinianus praef. de Confirm. Digest. §. 5. *Alius itaque liber post duo primos.* Ita MS. et editio Florentina. Adde Servium ad Virgilium Ecl. VI. vs. 18. Ita *ambo* pro *ambos* apud Livium lib. XLV. cap. 19. ex duobus MSS. *ambo omnibus iniuriis obnoxios fore.* ABR. GRONOV.

11. URBEM ANTIQUAM ET NOBILEM EXSCINDIT. Non quidem vi captam, sed venditam et proditam sibi a Lasthene nescio quo. Vide Servium ad illa Virgilii VI. Aeneid. 621.

*Vendidit hic auro patriam, dominumque potentem*
*Imposuit.* MOD.

— Diodor. XVI. 54. proditam a Lasthene et Euthycrate ait. Unde *callidus emptor Olynthi* Philippus dictus Iuvenali XII. 47. BERNEC. — Ita Silius lib. IV. vs. 474.

*Tum celso e curru Mavors Karthaginis arces*
*Exscindes.*

Tacitus lib. XIII. Ann. cap. 39. *exscindere castella.* Mamertinus Geneth. Maxim. cap. 17. *Gotthi Burgundios penitus exscindunt.* Ed. Rom. *exstinguit.* Ven. Flor. Paris. Ald. Iunt. cum Magliabequiano, *excidit:* ut infra XX. 1. 10. *exciso Ilio.* Ammianus lib. XXIV. cap. 4. *regna furentium Germanorum excidens.* Ibidem: *urbes excisae.* ABR. GRONOV.

ET FRATRES OLIM DESTINATO SUPPLICIO TRADIT. Neutiquam

damnanda haec scriptura fuit Burmanno ad Val. Flacci II. 484. quamquam eleganter cum illo ex MSto Oxon. legas *olim destinatos*, i. e. supplicio vel morti destinatos. ut Quinctilian. Declam. IV. 4. *Ut hunc mihi deploratum spiritum, hoc* destinatum *damnatumque corpus publicarum utilitatum usus absumeret.* Declam. VIII. 8. *Et inter tot* destinatos *totque perituros omnium tamen in se retorquet oculos unus aeger.* Decl. XVI. 4. *Ego non invenio, cur horreat mater carcerem, quid sibi velit quasi* destinatus *operire cervices.* cum nota Schultingii. Ad vulgatae autem lectionis formam Apuleius Metam. IV. pag. 86. *Sed monitis coelestibus parendi necessitas misellam Psychem ad* destinatam poenam *efflagitabat.* WOPKENS. — Coll. C. C. *destinatos*, et *tradidit.* ABR. GRONOV.

12. QUASI OMNIA etc. Vienn. editio Camertis, *quasi, quae agitasset, omnia.* BERNEC.

AURARIA IN THESSALIA. Circa Pydnam fuisse χρύσεια μέταλλα, auctor est Diodorus XVI. 8. e quibus Philippus annua talenta mille colligebat. De iis et Gemistus. BONGARS. — MSS. *auri in Thessalia* etc. non multum pugnem, utro modo legas. MOD. — Ceterum confirmat Modius, esse in suis MSS. *auri in Thessalia*, ut sequenti respondeat, *argenti*, me quidem iudice, rectius. Quanquam *auraria metalla* dixit et Plinius XXXVII. 12. 1. et *argentaria ferrariaque* Liv. XXXIV. 21. 6. BERNEC. — *Auraria metalla* etiam dixit Plin. VII. Nat. Hist. 57. Hinc autem Philippus sibi nummos percussit, quos *Philippos* vocat Plaut. Poen. I. 1. 38. et III. 5. 26. Ceterum etiam Bellonius I. Observat. 50. testatur Turcarum Imperatorem, deductis operarum impensis, hinc quotannis decies octies mille ducatos, nonnunquam triginta millia accipere. GRONOV. — Quia Modius in MSS. suis invenit, *auri in Thessalia*, et hoc ei, quod sequitur, *argenti metalla* magis congruit: ita omnino legendum arbitror. Ceterum per se spectatum τὸ *auraria metalla* satis probum est: diciturque similiter *argentaria, ferraria metalla.* VORST. — Ed. Rom. *auri in Th. argenti in Thracia metalla occ.* ABR. GRONOV.

14. DUO REGES. Cotys Thraciae rex, filios tres Berisaden, Amadocum, et Cersobleptem reliquit: Berisades mature obiit. Videtur igitur Iustinus de duobus illis loqui. Vide Demosth. in Aristocratem. Diodorus sub anno quinto refert, Philippum reges Thraciae, Illyriae et Paeoniae imparatos oppressisse: et de Cersoblepte sub anno VIII. et XVIII. BONGARS.

NE ALTERIUS VIRIBUS ACCEDERET. Nobil. Heinsius ad Petronium cap. 70. malebat, *ne alter alterius v. acc.* ABR. GRONOV.

15. NON IUDICIS MORE etc. Philippus in dirimenda lite similis leoni Aesopico in partienda praeda. *Quadruplatorem* et *interceptorem litis alienae* vocat Livius III. 72. 6. ubi simile populi Rom. de Aricinorum Ardeatiumque controversis finibus iudicium. *Infame iudicium* id vocat Liv. IV. 11. 8. BERNEC.

SPOLIAVIT. Etiam vita privatos scribit Orosius III. 12. BERNEC.

— Orosius lib. III. cap. 12. et Freculphus l. 4. 19. *inscios iuvenes vita regnoque privavit.* Abr. Gronov.

## CAP. IV.

1. Legati. De legatione hac Atheniensium ad Philippum pro pace petenda, Demosthenes in oratione *περὶ στεφάνου.* Bernec.

2. Pax facta. De qua passim in orationibus Demosthenes. Bongars.

4. Crudescente ira. Iunt. *recrudescente ira.* et statim: *ut professum se adversum Phocenses ducem Graeciae exhibeat.* Graev. — Ita Ammianus lib. XXV. cap. 1. *immani crudescente bellorum materia.* et lib. XXX. cap. 10. *quasi furore barbarico crudescente.* Coll. N. ed. Ald. Iunt. *recrudescente.* Rom. *incrudescente.* Abr. Gronov.

Thebani Boeotiique orant. Quidam codices habent *Thessali Boeotiique.* Sunt enim Thebani Boeotii, paulo ante in hoc adeo libro Thessali Boeotiique simul Philippum ducem elegisse dicuntur. Verisimile igitur est, et hoc loco hosce duos populos a Philippo petisse, ut Phocenses perderet. Sane anno XV. Philippi apud Diodorum hi duo populi etiam coniunguntur. Glarean.

Thessali Boeotiique. Anno Philippi XIV. Vide Diodorum XVI. qui haec latius persequitur. Bongars.

Ut professum adversum Phocenses ducem Graeciae exhibeat. Magl. ed. Rom. Ald. Iunt. et Orosius, *professum se adv.* Infra XXVII. 2. 10. *pro auxilio bellum, pro fratre hostem imploratus exhibuit,* ubi Magl. ed. Ven. et quinque aliae dant, *hostem impl. se exh.* Coll. N. *h. se impl. exh.* Cicero orat. pro Sextio cap. 50. *Qui se non solum auctorem meae salutis, sed etiam supplicem populo Romano exhibuit.* Pacatus Paneg. cap. 47. *ut te omnibus principem, singulis senatorem exhibueris.* Abr. Gronov.

6. Adhibitis Lacedaemoniis et Atheniensibus. Orosius: *adhibitis secum Ath. et Lac.* ubi duo Florentini, *adhibitis sibi.* Abr. Gronov.

Ter iam emerant. Coll. N. *ter iam pretio emerant.* Orosius lib. IV. cap. 1. *omnes bello utiles caesi, reliqui pretio venditi sunt.* Abr. Gronov.

7. Graeciam etiam nunc. Sebis. *etiam tunc.* Nam de Graecia, Iustini quidem aevo, ista praedicari non possunt. Cicero iam tum suo tempore *Graecos diuturna servitute ad nimiam assentationem eruditos* ait, ad Quintum Frat. Epist. I. cap. 5. Nisi forte *nunc* eandem hic vim habet, quam *tunc:* ut etiam infra num 9. Bernec. — Falsum id Iustini aetate. Nec de sua aetate auctor loquitur; adeo aut malo exemplo *nunc* in *tunc* mutaverint eruditi. Ego expungo *τὸ etiam*, ex praecedenti *Graeciam* sine dubio natum, servato *τῷ nunc.* *Nunc* idem est quod, illo tempore. Mirum est, inquit, Graeciam illo tempore, cum iam magnitudine virium

par omnibus esset aut maior, ad tam abiecta devenisse. Boxhorn. — Sebisius vulgatam lectionem improbat, sed male; nam ut auctor noster, ita et loquitur Cic. in Bruto 11. *Regnante iam Graecia.* Gronov. — Boxhornius *etiam* expungi vellet; sed sine causa. Utitur auctor voce *etiamnunc*, quasi de re suo tempore adhuc obtinente ageret. Sic et *adhuc*, quod est pro *ad hoc usque tempus*, usurpat in eo quod sequitur, *multarum adhuc urbium dominam.* Inepti fuerunt qui ex his talibus collegerunt Iustinum scripsisse tum demum, cum imperium Rom. Constantinopolim translatum fuit. Nec audiendus Sebisius, qui legi vellet, *etiam tunc;* quasi non et de tempore praeterito usurpari *etiam nunc* posset. Sic et *in praesenti*, et *in praesentia* usurpantur. Vide Ind. in Nep. voc. *Praesens.* Vorst. — Recte illud *etiam nunc* vitiosum putant, cum Iustini, adde etiam Trogi aetate falsum fuerit, quod hic dicitur. Sed et mox sequitur, *multarum adhuc urbium dominam*, quod non convenit, si prior lectio retineatur. Docet enim id *adhuc* Iustinum in praecedentibus locutum de vetustiori tempore. Neque tamen probo, quod scribendum censent *etiam tunc;* nam ne in Philippi quidem aetatem convenire potest hoc elogium de Graecia. Mallem penitus expungere. Scheff. — *Etiam nunc* intelligendum de tempore, quo haec agebantur. Sic historici nonnunquam loquuntur quasi scriberent illo tempore cuius gesta narrant. Graev.

Alienis excubare sedibus. Coll. N. ed. Rom. *al. excubare foribus.* Abr. Gronov.

Rogantem. Ald. Iunt. *rogitantem.* Abr. Gronov.

8. Eoque discordia sua civilibusque bellis redactos, ut etc. Med. Magl. Coll. N. ed. Rom. Bech. Ven. Flor. Mediol. Paris. Ald. Iunt. *eo usque discordia.* Tacitus lib. IV. Annal. cap. 2. *Tradit Cluvius, ardore retinendae Agrippinam potentiae eo usque provectam, ut medio diei offerret se saepius temulento comtam.* Mediceus paullo ante, *orbis terrarum principes.* Abr. Gronov.

Ut adulentur ultro sordidam paullo ante clientelae suae partem. MSS. mei hic plane antiquarii, habent: *ut adulent ultro sordidae paullo ante clientelae suae parti.* ut dixit Lucretius:

*gannitu vocis adulant.*

Accius Prometh.

*sublime advolans*
*Pennata cauda nostrum adulat sanguinem.*

quo tamen loco posteriore non significat blandiri, sed lambere instar canis. Mod. — Quin et recentiores ita: Ausonius Gratiar. Act. ad Gratianum: *Centurias non adulavi.* Bernec. — Philippus *clientelae Thebanorum pars* dicitur, quia a fratre Alexandro Thebanis obses datus, atque ita inter Thebanorum clientes fuerat. *Clientelae* pro clientibus satis notum. *Sordidum* idem hic quod humile, vile: quomodo et *sordes* pro vilibus vestimentis dicitur. Supra II. 11. 1. Macedones *gens foeda* dicuntur. In Codd. MSS. Modii fuit, *adulent sordidae clientelae suae parti.* Et dicunt sane et *adulare:* ipseque

Cicero I. de Off. *adulari* ut passivum usurpat, quod scribit, *Nec adulari nos sinamus.* Vorst. — *Sordidam paulo ante clientelae suae partem.* Unde et illos vocat barbaros Demosthenes, neque aliter putavit Homerus, qui Paeonas, id est Macedonas, ut paulo ante dictum est, inter auxiliares barbarorum copias numeravit. Faber. — Saxo lib. XIII. pag. 234. 33. *Sordidissimae clientelae frequentia.* Abr. Gronov.

9. Antea inter se imperii, nunc Graeciae etc. Latet hic ὕπουλον aliquod ulcusculum, alio indigens Aesculapio. Hispanicus interpres cauto silentio transmisit. Bernec. — Hunc locum perditum restituit praeclare Menso Altingius, Vir Amplissimus, levi mutatione, *antea inter se imperii, nunc gratiae imperantis aemulos.* Qui antea de imperio contendebant, nunc de gratia Philippi certant, utri primum locum eius gratiae teneant. Graev. — Ad hunc locum scribit Berneccerus, aliquid occulti ulceris latere; et verum est; sed quodnam illud sit, non expedivit. Ego sic existimo, esse hic oppositionem debere, quae sit huiusmodi: Antea Lacedaemonii et Thebani certabant inter se, utri Graeciae imperarent; nunc contra certare videntur, utri Graeciam priores, iugo servitutis imposito, possint opprimere. Itaque etiamsi nihil subsidii in MSS. codicibus reperiatur, nec in libris impressis, legendum putem: *antea inter se imperii, nunc Graeciae servitutis aemulos.* Sed et operae pretium est videre quod apud amicum nostrum Ioan. Graevium legitur: *Hunc locum perditum restituit praeclare Menso Altingius, Vir Amplissimus, levi mutatione,* Antea inter se imperii, nunc gratiae imperantis aemulos. id est, exponente Graevio, Qui antea de imperio contendebant, nunc de gratia Philippi certant, utri primum locum eius gratiae teneant. Ingeniosa quidem coniectura, fateor; hoc tamen fit ut mihi probetur minus, quod ea tempestate Philippus nondum imperitaret Graeciae, sed in animo tantum imperitandi consilium haberet. Dein mihi vox illa *Graeciae* necessaria videtur, pro qua substituit *gratiae.* Faber. — Non videtur χαριέστατος Faber hunc locum bene perpendisse et meam cepisse mentem. Etsi nondum Graeciam subiugasset plane, tanta tamen Philippi erat auctoritas, ut eius gratiam quaererent Graecarum civitatum legati, et tam contemtim haberentur in eius aula, ac si essent vilissimi aut civium Philippi aut clientium. Itaque merito dicuntur aemuli esse gratiae imperantis, qui certant, qui priores gratiae ferat apud Philippum, cum ante fuissent imperii Graeciae aemuli, hoc est, de principatu certassent. Graev. — Audacter amplissimi Mensonis Altingii emendationem in textum recepimus. Est enim nimis evidens illa: τὸ *Graeciae* vero quod adhuc toleratum fuit, nimis ineptum. Sic et supra Sebisii *remigum* propter evidentiam in textum recipiebamus. Vorst. — Coll. N. *gratiam* pro *gratiae;* quomodo legendum vidit Menso Altingius, applaudente Avo lib. IV. Observat. cap. 10. pag. 152. Voces *gratus* et *Graius*, *gratia* et *Graecia*, in MSS. misceri ostendit Cl. Graevius ad Suetonium Tib. cap. 46. *grata*

et *Graia*, Nob. Heinsius ad Ovidium lib. I. Art. Am. 686. et lib. V. Fast. 8. *Graeciae* pro *gratiae* Tertulliano Apolog. cap. 46. optime restituit Rhenanus: *adeo quid simile Philosophus et Christianus? Graeciae discipulus et coeli.* Rupertus in Epist. 41. pag. 323. ad Reinesium pro *antea inter se imperii* ex vetustis editionibus, quas Bongarsius consuluit, malebat, *antea inter se imperium agitantes, nunc Graeciae imperantis aemulos.* „Ut sensus verbi *agi-* „*tare* sit biceps: *Qui antea inter se imperium agitabant*, h. e. „de eo certabant, et alternis administrabant, ii nunc agitabant Ma- „cedonas Graeciae imperantis aemulos, id est, suppliciis et adula- „tionibus certabant, uter populus adipisci posset favorem Macedo- „num. Solet Iustinus verba non admodum commode ad omnia nar- „rationis membra referre. Lib. XI. cap. 4. §. 6. *Quorum pretium* „*non ex ementium commodo, sed ex inimicorum odio extenditur.* „Haec verba, *non ex ementium commodo*, satis incommode cum „sequenti verbo, *extenditur*, construuntur, tanquam si inimicorum „odium afuisset, potuerit pretium ex ementium commodo extendi. „Lib. XXXVII. cap. 4. §. 1. de Mithridate: *Non in vacationibus,* „*sed in exercitationibus contendebat. Vacationes* in Romana militia „quae sint, scio. Sed quid est *in vacationibus contendere?*“ Hactenus Cl. Rupertus. Priore loco ait auctor, pretium captivorum non propter usum, quem ex iisdem sperarent emtores, ut solet, sed propter odium inimicorum, qui ipsos ad servile opus cogere gestirent, auctum fuisse. In posteriore pro *vacationibus* rectius *advocationibus*, quomodo edidit Bongarsius, vel *avocationibus* legitur. Abr. Gronov.

Gratiae. Ante legebatur *Graeciae.* Scheff.

10. Fastidium. Impressi, *fastigium:* recte. Nam hoc confirmant sequentia: *utros potius dignetur, aestimat:* item illud *tantórum.* Vide Freinshemii Indicem in *Agitare.* Bernec. — Etiam Iuntae cum aliis editionibus, *fastigium agitat.* Sed lectionem, quam ex MSS. Bongarsius restituit, docte asserit Gronovius Observat. IV. 10. quem vide. Graev. — Ita omnino legendum cum Bongarsio e MSS. et mirum, Berneccerum in Notis posterioribus, et Freinshemium in Ind. praeferre quod in antiq. typis expressis est, *fastigium agitat.* Nostram lectionem defendit et Gronovius IV. Obs. 10. Vorst.

Philippus venditatione gloriae suae tantarum urbium fastidium agitat. Med. Magl. Thuan. Bodl. Periz. Coll. N. ed. Rom. Bechar. aliaeque, *Philippus inter haec vendicatione.* Ald. Iunt. *Phil. i. h. vindicatione.* Coll. N. *fastidium agit.* Abr. Gronov.

11. Utrosque vetat parare bellum, aut metuere. Coll. N. ed. Rom. Iunt. *utr. vetat aut par.* Abr. Gronov.

## CAP. V.

3. Pacta salute se dediderunt. Ita huic decennali bello impositus est finis. Diodorus XVI. 60. Pausanias Phocicis, anno

quarto Olympiadis centesimae octavae. quo anno Demosthenes orationem *de falsa legatione* scripsit, sed non habuit: in qua suadet, ut Athenienses patiantur Philippum victorem locum Phocensium occupare in conventu Amphictyonico. id quod evenit. CANGIS. — Med. Reg. Periz. ed. Ven. Flor. Paris. Ald. Iunt. *se dedunt.* sec. quart. Leid. Reg. Coll. N. *se dederunt.* ABR. GRONOV.

7. UT PECORA PASTORES. Hac similitudine utitur et Florus III. 10. 4. BERNEC.

SIC ILLE POPULOS ET URBES. MSS. multi habent *populos ad urbes*, quam lectionem puto esse veram. Est enim comparatio inter pecora et populos, inter saltus et urbes, et *transferre populos ad urbes* ita dicitur, ut *traiicere pecora in saltus.* SCHEFF. — Ita etiam habent MS. nostri. Scheffero tamen sequenda quorumdam codicum lectio videbatur, *sic ille populos ad urbes . . ad l. s. t.* Sed praeter quam quod minus grate sonet geminatio ista praepositionis *ad*, pro vulgata lectione etiam stetit Orosius III. 12. Et *urbes transferri* dicuntur, quarum incolae alio transferuntur. Lib. XVIII. 5. *Propter quod in alium locum* urbs translata. XXXIV. 1. *Quo facilius . . si quae* urbes *contumaces essent* traiicerentur. Sic enim ibi legendum, non *frangerentur.* Florus II. 15. *Medium senatus elegit, ut* urbs *tantum* loco moveretur. ubi consule Dukerum. Ovidius Metam. III. 538.

*Qui longa per aequora vecti*
*Hac Tyron, hac profugos* posuisti *sede penates.*

cum nota N. Heinsii. WOPKENS.

UT ILLI VEL REPLENDA, VEL DERELINQUENDA QUAEQUE LOCA VIDEBANTUR. Periz. *ut ei.* Coll. N. *ut illi replenda, vel relinquenda.* ABR. GRONOV.

TRANSFERT. Ad subtrahendam scilicet rebellionis materiam. Idem de Philippo III. Livius XL. 3. 2. affirmat, de Hellene eiusque liberis Thucydides I. 1. 13. de Romanis Tacitus Annal. IV. 46. 4. et XII. 39. 5. de Carolo Magno Cranzius lib. II. Saxon. cap. 4. Adde Lips. Admirand. I. 7. et eruditas Chr. Forstneri ad Tacit. Notas pag. 324. ubi plura traiectionis et quasi transplantationis populorum exempla. BERNEC.

8. MISERANDA UBIQUE FACIES ET EXCIDIO SIMILIS ERAT. Saxo lib. IV. pag. 38. 49. *Stupenda siquidem illa facies erat, quum exstincti raperentur ad praelia.* et lib. XIII. pag. 246. 39. *Calamitosa nimirum illa facies erat, cum* etc. ABR. GRONOV.

9. NON QUIDEM PAVOR ILLE HOSTILIS. Comparetur tota haec periodus cum ea, quae est apud Liv. I. 29. de Albanis Romam migrare iussis: *Non quidem fuit tumultus ille, nec pavor, qualis captarum esse urbium solet, cum effractis portis, strutisve ariete muris, aut arce vi capta, clamor hostilis et cursus per urbem armatorum omnia ferro flammaque miscet; sed silentium triste, ac tacita moestitia, ut prae metu obliti quid relinquerent, quid* etc. MOD. — Locus hic ex Livio I. 29. expressus et partim αὐτολεξεὶ

descriptus, ubi de Albanis Romam traductis. Similem imaginem in re simili proponit Ammianus XXV. 30. fin. BERNEC.

10. VERENTIBUS. Sebis. *verentium.* BERNEC. — Sebisius coniicit legendum esse, *verentium.* Sed nihil opus. Non novum est Nostro ablativos participiorum solos ponere, et alios subaudiendos relinquere. Aliud exemplum eius est XXX. 3. 2. *Nullius magis arma metuebant, reputantibus, quantum motum Pyrrhus parva manu Macedonum in Italia fecisset.* Aliud XVIII. 1. 1. *Additis Samnitium et Lucanorum precibus, et ipsis auxilio adversus Romanos indigentibus.* Vide et supra Notas ad II. 3. 16. VORST.

NE IPSAE LACRIMAE. *Nulla flendi maior est causa, quam flere non posse.* Seneca lib. IV. Controv. 1. BERNEC.

11. CRESCIT DISSIMULATIONE. Velleius II. 130. 8. de Tiberio: *Abstruso, quod miserrimum est, pectus eius flagravit incendio.* et Latin. Pacat. cap. 25. m. *Est aliquod calamitatum delinimentum dedisse lacrymas malis et pectus laxasse suspiriis* etc. BERNEC. — Coll. N. *Crescit ex dissim.* Orosius: *ipsaque dissimulatione dolor crescit.* Eamdem sententiam aliis verbis expressit Saxo lib. V. pag. 70. 51. *Internus omnium praecordia dolor hoc acrius, quo occultius, lacerabat.* ABR. GRONOV.

## CAP. VI.

1. IN SUPPLEMENTIS. Forte, *in supplementa.* FREINSH. — Recte Freinshemius, *in supplementa.* FABER. — Lego *supplementis urbium.* Est autem *supplementis urbium* pro *in supplementa;* quomodo XII. 4. loquitur. Saepe tertius casus pro quarto ponitur. Virgilius II. Aen. *Acies ferri stricta, parata neci.* Vide et Nostrum XXV. 5. 2. et XXVI. 3. 4. VORST. — Mutant, *in supplementa,* vel *supplementis.* Sed fortasse non necesse est. Nam et alibi Noster praepositioni *in* adiungere solet ablativum, ubi accusativum alii, et contra. Vide quae notavi ad II. 15. SCHEFF. — Lege cum Freinshemio ac Fabro *in supplementa,* vel cum MS. Dorv. 1. *in supplementum.* Lib. III. 5. *Ut* ad supplementum *exercitus servos suos manumitterent.* Lib. XII. 4. In supplementa *quoque militum minus exhauriri posse Macedoniam.* Frontinus IV. 1. 43. *Milites autem* in supplementum *ceterarum legionum distribuit.* Ita Curtius aliique. WOPKENS. — Ed. Rom. Iunt. *in supplementum:* adstipulatur Saresberiensis lib. VI. Policr. cap. 12. pag. 360. *Milites autem in supplementum aliarum urbium distribuit.* Coniecturam Freinshemii legentis, *in supplementa,* firmant Orosius et Freculphus I. IV. 19. ABR. GRONOV.

3. ORDINATISQUE MACEDONIAE REBUS. Magl. quart. Leid. ed. Rom. Bongars. *in Macedonia:* ut IX. 5. 1. *compositis in Graecia rebus.* Saxo lib. XIV. pag. 419. 12. *ordinatis in Dania rebus.* ABR. GRONOV.

FRAUDE CAPTOS. An scripsit *fraude deceptos?* Saltem illud *captos* ita debet intelligi, nec ad sequens trahi. SCHEFF. — Oscitanter admodum Schefferus coniicit legendum *fraude deceptos*, quum isto sensu alteram dictionem rursus habeamus cap. praecedente: *Tunc primum Phocenses* captos se fraude *Philippi animadvertentes*, *trepidi ad arma confugiunt*. et lib. XVIII. 6. *Hoc* dolo capta, *diu Acerbae viri nomine . . invocato* etc. Sic Nepos, Sallustius, aliique. WOPKENS.

4. ARRYBAM. Iuntae et hic et XVII. 3. *Arrymbam*. Hoc Plutarchus in Alexandro fratris Olympiadis nomen fuisse tradit. GRAEV. — Vide de hoc supra VII. 6. 11. ex quo loco apparet, nuptias Philippi cum Olympiade eum conciliasse. VORST.

5. ALEXANDRUM PRIVIGNUM. Quomodo Arrybae privignus sit Alexander, non video. Lege quae notavi ad XXVII. 3. 9. et Diodorum sub anno XIX. BONGARS. — Olympiadis uxoris Philippi fratrem vocat Orosius III. 14. BERNEC.

6. OMNIQUE STUDIO SOLLICITATUM SPE REGNI, SIMULATO AMORE AD STUPRI CONSUETUDINEM PERPULIT. Haec non videntur recte distingui. Nam verborum istorum sensus, sicut nunc se habent, is est, quasi Philippus simulaverit amorem. Atqui nulla in Philippo fuit simulatio, sed re vera perditeque ipsum amavit. Itaque locus totus ita distinguendus: *omnique studio sollicitatum*, *spe regni simulato amore*, *ad stupri consuetudinem perpulit*. Sententia: perpulit eum sollicitatum omni studio ad consuetudinem stupri, qui et ipse simulaverat se amare Philippum, quia speraverat hoc modo regnum sese adepturum, eam enim spem Philippus ipsi fecerat. Nisi malis ex MS. pro *simulato* legere *stimulato*, quasi Philippus stimulaverit et accenderit eum ad amorem, dum spem ei facit regni; quod fortasse optimum. Quanquam ne sic quidem distinctio non sit immutanda. SCHEFF. — Angli, *in spem regni*. Praefero vulgatam. Nec enim cohaerent bene, sollicitatum in spem, perpulit ad consuetudinem. Aliud sollicitare in spem, et rursum aliud perpellere ad consuetudinem. Posterius tantum fecit Philippus. Altero usus est tantum ut instrumento et medio perveniendi ad propositum scopum. SCHEFF. — Sensus, a quo miserrime aberravit Schefferus, hic est, ut Philippus Alexandrum omni studio per spem regni sibi conciliaverit, simulatoque amore ad stupri consuetudinem perpulerit, maiora in eo obsequia habiturus, sive regni beneficio, sive conscientiae pudore. Non male autem coniicias, *solicitatum spe regni ac simulato amore, ad s. c. p.* Sed mallem cum ed. vetere et quibusdam MSS. *solicitatum in spem regni*, *simulato amore ad s. c. p.* ut lib. II. 14. *Athenienses quoque* in spem *pacis amicitiamque regis* sollicitat. Et Livius XXVII. 38. *Neve Etruriam erectam* in spem *rerum novarum* sollicitaret. Sic ille, si recte memini, etiam alibi. Confer etiam lib. XXIII. 4. *Omnique studio* ad spem *maiestatis*, *quae promittebatur*, *instituit*. WOPKENS. — Ita Cornelius Nepos Pausan. cap. 3. *Hos quoque sollicitare spe libertatis existimabatur*. Med. Magl. Coll. N. sec.

quint. Leid. ed. Rom. aliaeque, *sollicitatum in spem regni.* ABR. GRONOV.

7. CUM IGITUR AD VIGINTI ANNOS PERVENISSET. Ed. Ven. Flor. Paris. Ald. Iunt. *Igitur cum viginti ad annos perv.* ABR. GRONOV.

ARRYBAE REGNUM PUERO ADMODUM TRADIT. *In mercedem perpetrati stupri.* Orosius III. 14. BERNEC. — Dissentit a Iustino Diodorus, qui lib. XVI. scribit, Philippum non Arrybae, sed filio eius Aeacidae (hic pater Pyrrhi fuit) regnum abstulisse. Sed forte hic locus ita erit restituendus, *ereptum regnum Arrybae filio, puero admodum Alexandro tradit.* GRONOV. — Hoc *admodum* mihi est suspectum. Nec enim admodum puer, qui est viginti annorum, ut Alexander ille fuit. SCHEFF. — *Puero admodum* est qui fere puer erat, qui vix pueritiae annos erat egressus. ut inferius, *bimus admodum.* Iustino *admodum* est circiter, praeter propter. Sic Augustus puer dicebatur post caedem Caesaris, iam rebus gerendis admotus, cum eiusdem fere esset aetatis, qua hic Arrybas. GRAEV.

IN UTROQUE. Rectius, *in utrumque.* SEBIS. — Sebisius mallet, *in utrumque.* Verum *in utroque* est pro *in utraque re.* VORST. — Cum Sebisio reponere *in utrumque* nihil opus est, quamvis hoc firmet Dorv. 1. Neque cum Abr. Gronovio ad lib. I. 7. acceperim pro *in utrumque* vel *circa utrumque hominem*, sed cum Vorstio pro *in utraque re.* Quemadmodum lib. XXIX. 1. *Scelestus in occupando regno.* WOPKENS.

8. IMPUDICUM. Hoc est, pathicum, muliebria passum. Tacit. Annal. XI. 36. *mollem*, verbo D. Pauli I. Epist. ad Corinth. VI. 10. Vide Sueton. in Vespas. cap. 13. 3. Nisi forte satius est, haec ignorari penitus. BERNEC.

---

# COMMENTAR. IN LIB. IX.

## CAP. I.

2. AD CUIUS EMOLUMENTUM. Amicissimus mihi Ianus Palmerius, cuius me olim familiaris consuetudo, nunc memoria delectat, censebat reponendum (Spicil. pag. 220.) *ad cuius molimentum*; neque ignoro hanc vocem aliis scriptoribus etiam ita usurpatam, dixisseque praeter alios laudatos, Ovidium:

*Magna tenent illud numen molimina rerum.*

quod pro eodem est. Scio, inquam, haec: contra libros tamen omnes omnino tam typis quam manu expressos nihil ausim hic mutare; maxime cum *emolumenti* vox apprime huc conveniat, neque aliter dixerit Cicero: *Si id tibi esse emolumento sciam.* MOD. — Ian. Mellerus Palmerius Spicilegior. fol. 220. b. hic reponendum censet *molimentum*, qua voce utuntur etiam Liv. XXXVII. 14. 8. Caesar

lib. I. Bell. Gall. Sisenna apud Nonium. Verum contra libros omnes omnino tam typis quam manu expressos, nihil ausim hic mutare, maxime cum *emolumenti* vox apprime huc conveniat. BERNEC.

BYZANTIUM. Id tentavit Philippus, quod Perinthiis, quos obsessos tenebat, Byzantini auxilia misissent. Cum ergo arbitraretur, optimos quosque Perinthum missos, cum parte copiarum *προσέπεσεν ἄφνω τῷ Βυζαντίῳ.* Diod. anno XX. et XXI. De Byzantii appellatione vide Eustathium in Dionys. et Stephanum de Urbibus. Ante *Lygos* dictum, Plin. IV. Cassiodorus in Chron. Tulli Hostilii temporibus conditum scribit. Vide et Tacitum Annal. XII. 3. BONGARS.

RECEPTACULUM. Ita supra II. 15. 3. Graecis apposite dicitur *ὁρμητήριον*, qua voce Diodorus XX. 105. et alii utuntur. *Urbem caput belli* vocat Florus III. 10. 40. BERNEC.

AD CUIUS EMOLUMENTUM — FUTURAM. Tert. quart. Leid. Thuan. ed. Rom. *in cuius emol.* Med. Magl. quart. quint. Leid. Bech. Ven. Flor. Med. Paris. Ald. Iunt. *futurum*, ut ad propius substantivum referatur. Vide Cl. Oudendorpium ad Suetonium Iul. cap. 56. ABR. GRONOV.

OBSIDIONE CINXIT. Ad opem Byzantiis ferendam Demosthenes hortatur Athenienses oratione Philippica IV. BERNEC.

3. HAEC NAMQUE URBS CONDITA PRIMO A PAUSANIA. Eusebius in Chronicis ait Byzantium conditum Olympiade XXX. Lacedaemoniorum autem reges defecisse ante primam Olympiada. Tu vide, ut haec cum Iustino congruant. Sed omnino puto, vel semel lectori de huiusmodi Chronicis nostram aperire sententiam. Opus ipsum a Divo Hieronymo versum proditur, dira praemissa execratione in eos, qui ipsius editionem describendo corrumperent. Verum quam religiose id a describentibus observatum, res ipsa clamat. Vix enim est ullus codex hodie corruptior illo, in quo saepe una res acta narratur, quae plus centum deinde annis rursus acta refertur. Quae si alicui dubia sint, is videat, quae de Perseo ac gestis eius diversis locis narrat; ita de Europae raptu: urbes primum conditae, ac post multos annos rursus primum condita Corinthus, Catana, Syracusae. Vidi ego hercle codicem quemdam ex Fuldensi Bibliotheca, ut puto, surreptum, ubi longe alius ordo erat. Multa omissa, quae in nostris codicibus sunt, post Eusebii praefationem; ea inquam omnia, quae tempora promittunt totius seculi, regesque omnium gentium. Nam ita incipit eam commendationem, quisquis fuit ille. Multi sane Bedam aut Bedae similem fuisse existimant. Caeterum manca ea et egregie corrupta. Mirum vero neminem hac aetate nostra dignatum medicas adhibere manus tam sancto, tam utili operi. Atqui non sunt *πρὸς τἄλφιτα*, alioqui iam pridem aliquis ei adfuisset. Hoc etiam eo in opere admonendum, numerum annorum mundi dubium esse, nec certum, Eusebiusne ipsum apposuerit, ut catenam omnium historiarum decadica illa ratione. In codice Fuldensi non erat, fortassis quia de illo numero a mundi initio etiamnum disceptant docti,

nec quicquam adhuc certi proditur, nec ab iis quidem, qui Hebraica tractant; cum tamen eius numeri veritas ex Pentateucho pendeat. Sed admonitionis est plus satis. Deus pro nobis in sua clementia excitet aliquem ad hunc utilissimum, honestissimum ac sanctissimum laborem, ut videamus hoc opus dignum authore suo, dignum interprete, sanctissimo eruditissimoque viro, D. Hieronymo. GLAREAN. — *Namque* delendum. SEBIS. — Sebisius illud *namque* delet. Puto non id solum, sed et duo reliqua delenda. Scripserat Iustinus, *condita primo;* ad hoc notaverat quispiam, *haec nempe urbs.* Quod cum receptum esset in textum, illudque *nempe* liqueret esse ineptum, fuit alius, qui pro eo fecit *namque.* SCHEFF. — Non sane fuit, cur Sebisius τὸ *namque*, aut Schefferus etiam trigam istam *haec namque urbs* deleret; quum his ratio detur praecedentium: satis nempe fiduciae habuisse hanc civitatem, ut portas Philippo clauderet, quia nec Lacedaemoniis nec Atheniensibus illam tanquam suam auxiliis adiuvantibus, iam dudum constantior in tuenda libertate facta esset. Saepius autem illud *namque* secunda periodi vox est. ut lib. XII. 2. *Erat* namque *tunc temporis urbs* etc. et lib. XXXVI. 3. *Est* namque *vallis*, *quae continuis* etc. WOPKENS. — Ed. Rom. *nam haec urbs.* ABR. GRONOV.

CONDITA PRIMO A PAUSANIA. Alii non conditam a Pausania, sed saltem expugnatam tradiderunt, inter quos est, inquit Lipsius ad illud Taciti ex Annal. lib. XII. *Byzantium in extrema Europa posuere Graeci*, Aemilius Probus. Quidquid id est: Spartanis adscribit originem huius nobilissimae urbis in de Nugis Curialium Ioannes Sarisberiensis, ubi ait: *Infecto itaque negotio reversus est*, *dicens se nolle gloriam Spartanorum*, *quorum virtus constructo Byzantio clarescebat*, *hac maculare infamia*, *ut* etc. Claudianus a Byzante nescio quo exstructam et denominatam innuere videtur, dum ait lib. II. in Eutropium:

*hoc Byzas Constantinusque videbunt?* MOD.

Consentit Isidorus Origin. XV. 1. Alii non conditam a Pausania, sed solum expugnatam tradunt: inter quos est Thucydides I. 15. 29. Aem. Probus in Paus. At Tacitus generatim Annal. XII. 63. *Byzantium in extrema Europa posuere Graeci.* Ioan. Saresberiensis de Nugis Curial. I. 5. *Spartanorum virtus constructo Byzantio clarescebat.* Claudianus a Byzante quodam exstructam non obscure vult, in Eutropium II. 43.

*hoc Byzas Constantinusque videbunt?*

Haec fere Lipsius Not. CXLIX. ad Tacit. XII. Annal. Ammian. Marc. XXII. 12. Atticorum coloniam facit Constant. Porphyrog. de Them. pag. 82. f. Megarensium ac Lacedaemoniorum, et Boeotorum. Vide Hesychium libro singulari de Rebus patriae Constantinopoleos. BERN. — Pausanias Byzantium condidit, sive coloniam fecit Spartanorum. Primo vero ab illo conditam esse, ut inquit Iustinus, falsum est. Iam diu enim ante a Byzante exstructam, sutoribus et tonsoribus notum. Deinceps condita a Megarensibus Olymp. XXX. anno II.

Inde a Milesiis deducta colonia. Tandem a Pausania. Atticorum quoque fuisse coloniam, probat quidam ex Ammiano, et Cornelio Nepote, cuius verba ita legebat: *Alcibiades, ubi hoc audivit, demum reverti noluit, et se Perinthum contulit, ibique tria castella communivit, Bornos, Byzantium, Macronticos.* cum vulgo legeretur, *Bornos, Byziam, Themeonticos.* Sed male. Legendum enim, *Bornos, Bysanthen, Neontichos.* *Βισάνθη* oppidulum hoc loco Ptolemaeo; *Νέον Τεῖχος* Scylaci. Voss. — Falsum est, ut Lipsius et Is. Vossius ostenderunt. Faber.

Deinde variante victoria. Ed. Rom. *deinde variante fortuna.* Infra X. 3. 6. *bellumque cum Alexandro Magno, diu variante fortuna, gessit.* Abr. Gronov.

Nunc Atheniensium iuris habita est. Semel quidem ab Alcibiade eiusque collegis Byzantium expugnatum fuit, ut ex Corn. Nep. VII. 5. 6. apparet. Vorst.

4. Nemine quasi suam auxiliis iuvante. *Nemo suum dicere potest, quem pereuntem contemsit.* L. Unusquisque Cod. de Infant. expos. etc. Adde Thucyd. I. 8. 10. Bernec.

5. Pecuniae commercium de piratica mutuatur. Hoc mihi quidem admodum suspectum. Nam commercium esse pecuniae, alibi non recordor me legere. Potius existimo, Iustinum scripsisse atque distinxisse ista hoc modo: *longa obsidionis mora exhaustus pecunia commercium de piratica mutuatur.* Est autem *mutuari commercium de piratica*, ope piraticae efficere, ut quis exercere commercia possit. Convenit, quod mox dicitur, merces navium centum septuaginta captarum distraxisse, atque sic exercuisse commercia. Scheff. — Orosius dicit lib. III. 13. *Philippum, ut pecuniam, quam obsidendo exhauserat, praedando repararet, piraticam aggressum fuisse.* Schefferus legebat *exhaustus pecunia, commercium de p. m.* atque ita habet Dorv. 1. Mallem tamen *exhausta pecunia* vel *exhaustis pecuniis. Commercium* dixit, ut Frontinus Strat. II. 5. 14. *Tiberius Gracchus in Hispania certior factus hostem inopem* commercio *laborare, instructissima castra omnibus esculentis deseruit, quae* etc. cum nota Franc. Oudendorpii. Wopkens. — *Pecuniae commercium* dictum eodem modo, quo *belli commercium* apud Virgilium lib. X. Aeneid. vs. 532.

*belli commercia Turnus*
*Sustulit ista prior, iam tum Pallante peremto.*

et *laboris commercium* apud Saxonem lib. VI. pag. 112. 22. *quod talibus* (rusticis) *vitae subsidia iusto laboris commercio peterentur.* et *de piratica mutuatur*, ut apud Macrobium lib. I. Comm. in Somn. Scip. cap. 6. pag. 37. *Sol quoque ipse, de quo vitam omnia mutuantur, septimo signo vices suas variat.* et cap. 17. pag. 87. *quod de Arato poëtae alii mutuati sunt.* et cap. 20. *cum defectum lunae conantur adserere, probationem de solis magnitudine mutuantur.* Idem lib. II. cap. 10. *ne totum videamur de fabulis mutuari.* Pro *de* alii scriptores adhibuerunt *a* vel *ab*, ut Tacitus lib. II. Annal.

cap. 38. *praesidium ab audacia mutuatus est.* et Valerius Maximus VI. 2. Ext. 1. *potius praesidium a libertate, quam ab innocentia mutuata.* lib. VII. cap. 4. 3. *praesidium ab astutia mutuari.* eumque imitari solitus Saxo lib. II. pag. 27. 19. *vires ab astutia mutuatus est.* pag. 29. 45. *lacessitae integritatis defensionem ab arctissimo naturae vinculo mutuatus.* et paullo post: *leniendi ardoris praesidium a clypeo mutuans.* lib. III. pag. 51. 41. *incolumitatis praesidium ab extrema delinimentorum specie mutuari.* pag. 54. 12. *propriae salutis obtentum ab astutia mutuatus.* lib. VI. pag. 107. 25. *at senex ab inolita sibi moderatione patientiam mutuatus.* et saepius alibi. Porro hunc Iustini locum ita interpretatur Otto Frisingensis lib. II. Chron. cap. 24. *piraticam adgreditur, centumque LXX navium spolia rapuit, et militibus suis dedit.* Abr. Gronov.

7. Ne unius urbis oppugnatione tantus exercitus tereretur. Lege cum Iuntis, *teneretur*, hoc est, detineretur, occuparetur. Superius III. 4. *Itaque cum contra praesumptionem suam annis decem in obsidione urbis tenerentur.* et. II. 5. *Quippe coniuges eorum, longa exspectatione virorum fessae, nec iam teneri bello, sed deletos ratae.* Cic. XV. 1. ad Fam. *Septimum iam diem Corcyrae tenebamur.* Graev. — Sic etiam Dorv. 1. non *tereretur*, et alterum ex Iuntina et priscis editionibus, nec non MSto Bodleiano, Graevius merito praetulit. Wopkens. — Bodl. Coll. N. *ne in unius.* Magl. Bodl. ed. Rom. Bech. Ven. Florent. Mediol. Paris. Ald. *teneretur.* Vide Cl. Graevium h. l. Abr. Gronov. — Bongarsius, et eum secutus Berneccerus, maluere *tereretur* [pro *teneretur.*] Sed magis placet quod antiquiores editiones et inter has, ut Graevius testatur, Iuntina habent, *teneretur:* idque est pro *detineretur.* Supra II. 5. 2. similiter scripsit *teneri bello*, et III. 4. 3. *annis decem in obsidione urbis teneri.* Vorst. — *Tereretur*, ex antiquioribus et Iuntina, probante Vorstio restituit Graevius. Scheff. — Angli, *ne in unius urbis oppugnatione tantus exercitus tereretur.* Recte se habere puto verbum *teneretur*, licet *tereretur* habeat editio Bernecceriana quoque, eamque secutus sit Vorstius in Indice. Noster sup. III. 4. *Cum contra praesumptionem suam annis decem obsidione urbis tenerentur.* Sane non perpetuum est, ut teratur qui obsessam habet, nunquam vero non tenetur. Scheff.

Multas Chersonensium urbes. MSS. *Chersonensi.* Lege: *Chersonesi.* aut cum Iuntis: *Cherronesi.* Graev. — Malim legere, *Chersonesi urbes;* quoniam unus MS. quem Bongarsius vidit, *Chersonnensi;* et vetus typis expressus Iuntarum, ut Graevius testatur, prorsus recte *Cherronesi* habet. Vorst. — Reg. Coll. N. et C. C. *Chersonesi.* ed. Ald. Iunt. *Cheronnesi.* Abr. Gronov.

8. Alexandrum decem et octo. Decem et sex annos natum fuisse Alexandrum, cum Byzantium oppugnaret Philippus, scribit Plutarchus in Alexandro cap. 14. Bongars.

Rudimenta deponeret. Ita VII. 5. 3. Bern. — Liv. XXXI. 11. *Et eum ipsum rudimentum adolescentiae bello lacessentem Romanos*

*posuisse.* et Quintilian. Declam. III. *Ut sub te ponere rudimenta militiae contingeret.* Gronov. — Saxo lib. IV. pag. 61. 26. *qui tirocinii rudimenta bellorum auspiciis ornare contendant.* Abr. Gronov.

9. Praedandi causa profectus est. Verbum substantivum male omittunt Ven. Flor. Paris. Ald. Iunt. Abr. Gronov.

Impensas belli alio bello refecturus. Sic Varro de Re Rust. I. 2. *Nemo enim sanus debet velle* impensam *ac sumtum facere in culturam, si videt non posse* refici, *nec si potest* reficere *fructus, si videt eos fore ut pestilentia dispereant.* Quem locum debeo Gronovio ad Liv. XXXV. 1. Wopkens.

## CAP. II.

1. Atheas. Ita e MSS. unus, et Orosius MS. III. 13. et Frontinus II. 4. 20. Ceteri partim *Metheas*, partim *Mattheas*, vitio librariorum, qui literam *m* ex vocis *Scytharum* extremo addiderunt. Straboni lib. VII. est Ἀτέας, et Plutarcho in Apophtheg. cap. 18. et de Fort. Alexandri Orat. II. 2. Bongars. — Et rursus in Commentar. Non posse suaviter vivi sec. Epicur. cap. 29. ubi refertur, illum Scytharum regem iurasse, hinnitum equi cantu praestantissimi tibicinis Ismeniae sibi iucundiorem videri. Bernec. — Bechar. *Matthaeas.* Ald. Iunt. *Anteas.* Lucianus in Macrobiis tom. II. pag. 469. Ἀντέας δὲ Σκυθῶν βασιλεὺς μαχόμενος πρὸς Φίλιππον περὶ τὸν Ἴστρον ποταμὸν ἔπεσεν, ὑπὲρ τὰ ἐννενήκοντα ἔτη γεγονώς. Abr. Gronov.

Istrianorum. Quos Μιλησίων ἀποίκους fuisse testatur Herodot. II. 33. Et Ἰστριανῶν πόλιν memorat Dion Cass. XXXVIII. pag. 64. Aliis etiam *Istropolitani* dicuntur. Gronov.

In successionem. Male in quatuor nostris aliisque duobus, *in successione*, quamvis barbarismi istiusmodi blandiri criticis soleant. Wopkens.

2. Rex decedens. Vett. *rex recedens.* Vulgatam lectionem et sequentia comprobant, et Orosius III. 13. sequitur: *Istrianorum rege mortuo*, inquit, etc. Bongars.

4. Nam neque vindicta. Ed. Ald. Iunt. *vindictae:* ut infra XXIII. 4. 7. *humanae opis egentem.* Cicero lib. IX. ad Fam. epist. 3. *ut medicinae egeamus.* Abr. Gronov.

Meliores. Hoc est, fortiores. Horat. I. Od. 15. *Tydides melior patre.* Lucan. I. 128. Sallust. Histor. I. 3. 31. *Fortuna meliores sequitur.* et in Iugurth. 92. 10. *Optumus quisque cadere, aut sauciari.* Graeci eodem modo suum ἀγαθός et κρείσσων usurpant. Bernec.

5. Ne inopia deserere bellum. Ita V. 2. 10. et VI. 2. 14. Bernec.

6. Quod eo promtius. Magl. ed. Rom. *Id eo promptius.* Abr. Gronov.

Ne sumptum quidem viae, non modo officii pretia dederit.

Pro, non modo officii pretia, sed ne sumtum quidem viae dederit. Deinde *non modo officii pretia* est pro, non modo non officii pretia. Ita enim unum *non* omittitur, si *ne quidem* sequatur. Cuius rei duo quoque alia exempla in hoc auctore sunt. Vide sup. II. 1. 6. et infra XI. 8. 4. Denique *pretia* pro mercede est. Vorst. — Iuntae: *non modo officii praemia dederit.* quod incautior arriperet facile. Sed *pretium* eiusdem notionis est nonnunquam. Phaedrus I. 8.

*Qui pretium meriti ab improbis desiderat,*
*Bis peccat.*

Florus IV. 11. *Haec mulier Aegyptia ab ebrio Imperatore pretium libidinum Romanum imperium petit.* Idem lib. I. 1. *Puella pretium rem, quam gerebant in sinistris, petierat.* Graev.

Non modo. Pro *non modo non.* Vide Notam ad II. 1. 6. Bernec.

7. Terrae sterilitatem causatus. Saxo lib. II. pag. 38. 20. *fortunam quoque causabatur.* lib. III. pag. 42. 49. *occultantis se regis inertiam causantur.* et *causari inopiam* lib. XIV. pag. 272. 41. *competentium alimentorum causabatur inopiam.* Abr. Gronov.

Alimentis exhibeat. *Exhibere* est alere, et alimenta praestare, Infra XI. 10. 9. et XXII. 1. 8. L. 1. §. 1. D. de Offic. Praef. Urb. L. 36. de Negot. Gest. L. 5. de Liber. Agnosc. Bongars. — Vide Giphan. Observat. pag. 87. f. Bernec. — Antiquiores quaedam editiones habent *alimenta.* Sed Bongarsius edidit *alimentis:* eumque Bernecceru est secutus. Et credo Bongarsium in plurimis, quos vidit Codd. MSS. ita reperisse. Sane et Gifanius in Obs. L. L. libros MSS. ita habere confirmat. Esset autem *exhibere* ita pro sustentare, alere, tolerare. Quae significatio sane XI. 10. 9. et XXII. 1. 3. observatur in phrasi *vitam exhibere.* Reperitur quoque in antiquorum ICtorum verbis, quae in Digestis sunt asservata. ut in verbis Ulpiani 25. 3. *Si quis a liberis ali desideret, vel si liberi, ut a parente exhibeantur.* id est, alantur. Cuius generis ibidem et plura videas. Usus ita vocabulo et Cyprianus, ut Gifanius in L. L. monuit. Vorst. — Heinsius ad Valer. Flacc. VII. 229. tentat, *sed vix alimentis se exhibeat.* Equidem, si quid mutandum, potius cum MSto et vetere ed. rescriberem, *sed vix alimentis sufficiat.* ut Livius XXIX. 31. *Quem ceperant exules montem . . hominum quoque . . abunde* sufficiebat alimentis. vel, *sed vix alimenta sufficiat;* prout *alimenta*, non *alimentis* est in duobus Dorv. et antiquo edito. Lib. XLIV. 1. *Adeo ut . . etiam Italiae urbique Romanae cunctarum rerum* abundantiam sufficiat. Sed *exhibere* pro sustentare, tentandum non puto ob ea quae hic Bongarsius aliique notarunt: unde et *exhibitio* pro alimento frequens satis est Tertulliano ac Cypriano, et *exhibere vitam* (ut Noster lib. XI. 10. 9. et lib. XXII. 1. 3.) Ioannes Sarisber. Policr. lib. I. 4. *Qui urgente stimulo necessitatis, non reprobati studii exercitio* vitam *cogitur* exhibere. Wopkens. — Sec. Leid. Thuan. a sec. m. Magl. Bech. ed. Ven. Flor. Med. Ald. Iunt. *alimenta.* Nob. Heinsius ad Valerium Flaccum lib. VII. vs. 229. male-

bat, *alimentis se exhibeat.* Coll. N. *alimentis sufficiat.* ed. Rom. *sufficiat alimentis.* Vide Cl. Wopkensium. Abr. Gronov.

9. Non opibus censeri. Des. Heraldus ad Martial. I. Epigr. 62. notat, *censeri* heic non vulgata, sed elegantiori significatione accipi. Censebantur Romani ope sua, ut ait ille, quibus facultates suppetebant: quibus contra nihil praeter paupertatem inerat, capite censebantur. Unde vox ad alia transfertur: ut Val. Max. V. 3. *Aristides, quo totius Graeciae iustitia censetur.* L. I. D. de Iust. et Iur. *Videmus cetera quoque animalia istius iuris peritia censeri.* Pulchre Seneca de Benefic. VII. 8. *Quum animum sapientis intuemur, potentem, omnium, et per universa dimissum, omnia illius esse dicimus: quum ad hoc ius quotidianum, si ita res tulerit, capite censebitur.* hoc est, sapiens ille, secundum philosophos, rerum omnium dominus, si ius commune respicimus, nihil in censum fortasse praeter caput adferet, et inter proletarios censebitur. Errant, qui hunc locum aliter exponunt. Adde Tacit. Agric. 45. 2. Nostrum XI. 11. 8. Bernec. — Plaut. Captiv. Prol. 15. *Vos qui potestis ope vestra censerier.* et Plin. XXXVI. Nat. Hist. 5. *Non vitibus tantum censeri Chium, sed operibus Anthermi filiorum.* et Minucius Felix in Octavio 37. *Nos igitur qui moribus et pudore censemur* etc. Gronov. — Saxo lib. VII. pag. 123. 14. *virtutum, non rerum aestimatione censeri.* Abr. Gronov.

10. Quibus derisus. Angl. *irrisus*, quod puto esse glossatoris. Vide Phaedrum passim. Scheff. — Quatuor nostri cum aliis MSS. *irrisus.* Wopk. — Sec. tert. Leid. Periz. Reg. Coll. N. *quibus irrisus.* ed. Rom. *quibus irrisis, soluto obsidione Byzantio.* Ald. Iunt. *Scythicum bellum.* Abr. Gronov.

12. Non modo ut ponatur, verum etiam ut inviolata maneat, pollicetur. Pro, non modo positum iri, verum etiam inviolatam mansuram. Sic sup. V. 3. 3. *sperans ut dux belli legeretur.* ad quem locum id genus plura notavimus. Vorst.

13. Versurumque aes statuae in aculeos sagittarum. Quint. Leid. et MS. Bongars. *in tubos vel in ac. s.* Abr. Gronov.

14. Cum virtute et numero praestarent Scythae. Becharii editio habet *virtute et animo praestarent.* Quod idem retinuerat et Bongarsius. Sed Berneccerus, cum sciret in uno eorum MSS. quos Bongarsius vidit, esse *numero animo praestatur*, et nonnullos quoque typis expressos habere *numero*, idem hoc resumendum putavit. Vorst.

Astu Philippi. Qui πανοῦργος, *veterator,* ex eo dictus a Demosthene Olynth. I. princ. Bernec.

15. Viginti millia puerorum ac feminarum capta. Coll. N. *In eo praelio viginti m.* Orosius lib. III. cap. 13. et Freculphus I. 4. 19. *In ea pugna vig. m. p. ac feminarum Scythicae gentis capta.* Abr. Gronov.

Fides inopiae Scythicae. Propter quam *Abii* dicti Scythae. Βίος enim ut vitam, ita victum facultatesque significat. Bernec. —

Ergo ante Philippi aetatem Scythis non creditum, quando inopes se ferebant? At ego vix opinor tam diu hanc eorum latere alios conditionem potuisse, in tam diuturna eorum claritate. Et diversum vel ex Herodoto potest constare. In MS. pro *Scythicae* legitur *Atheae*. Suspicor, scripsisse Iustinum: *Eo primum fides inopiae Atheae fuit*. SCHEFF.

EA PRIMUM FIDES — FUIT. Sc. Philippo. Locus igitur sanus. NAGEL. — Orosius lib. III. 13. sic expressit: *ea res primo fidem inopiae Scythicae dedit*. ut *fidem dare*, pro fidem facere, etiam dixit Noster lib. XXIV. 4. *Cui ea res virtutis admirationem et immortalitatis* fidem dedit. Sed alterum dicitur ad hanc formam Livii lib. XXI. 13. *Vestra autem causa me . . loqui, quae loquor, vel* ea fides *sit* (i. e. vel hinc liqueat) *quod neque dum* etc. Flori I. 2. *Ianumque geminum* fidem *pacis ac belli . . dedit*. ubi vide Dukerum, ut et A. Gronovium ad hunc Iustini locum. WOPKENS. — *Fides* hic notat indicium, vel argumentum, ut infra XXIV. 4. 4. *Cui* (Herculi) *ea res virtutis admirationem et immortalitatis fidem dedit*. Livius lib. I. cap. 15. *quorum nihil absonum fidei divinae originis, divinitatisque post mortem creditae fuit*. et VI. 13. *Pars maxima captivorum ex Latinis atque Hernicis fuit: nec hominum de plebe, ut credi posset mercede militasse, sed principes quidam iuventutis inventi; manifesta fides publica ope Volscos hostes adiutos*. et XLII. 45. *ut crimina delata ab Eumene fide rerum refellerent*. Tacitus IV. Hist. 85. *Praecipua victoriae fides dux hostium Valentinus*. Saxo lib. VII. pag. 141. 13. *ad vulgandam victoriae suae fidem ipsa latronum cadavera patibulis ingesta latius inspectanda constituit*. eodemque sensu *πίστιν* usurpant Graeci. Sophocles Elect. vs. 893.

*Τίν' ὦ τάλαιν' ἰδοῦσα πίστιν;*

D. Lucas in Act. Apost. XVII. 31. *πίστιν παρασχὼν πᾶσιν*. Vetus Interpres: *fidem praebens omnibus*. Iosephus de Bell. Iud. I. 20. Ἐπὶ τούτοις καὶ Βάθυλλος εἰς τοὺς ἐλέγχους συνέδραμεν, ἡ τελευταία πίστις τῶν Ἀντιπάτρῳ βεβουλευμένων. ABR. GRONOV.

16. EQUARUM. His enim uti per bella Scythae malunt, quoniam urinam cursu non impedito reddunt. Plinius VIII. 42. 25. BERNEC. — Atqui in procreanda sobole maior vis putatur maris, quam feminae, unde hodieque apud Turcas generosorum equorum originem ex solis maribus demonstrant. Itaque ignoro, annon rectius legatur, *equorum*, cum praesertim *facere genus* equi dicantur accommodate proprieque magis, quam equae. SCHEFF.

AD GENUS FACIENDUM. *Γονῆς χάριν*, hoc est, geniturae foetusque suscipiendi gratia, ut est in L. 52. §. 20. D. de Furtis. BERNEC.

## CAP. III.

4. BELLUM ATHENIENSIBUS. Anno XXII. Diodorus. Iunxerunt se Atheniensibus Thebani, Demosthenis eloquentia persuasi. Diodor.

XVI. 86. Plutarchus in Demosthene cap. 25. Gemistus lib. II. Bongars.

5. Ne victis Atheniensibus bellum, veluti vicinum incendium ad se transiret. Sic rescripsi cum Oxoniensibus ex libro Britannico. Vulgata est ineptissima. Graev. — Proba quidem haec est lectio: nollem tamen alteram istam, *belli veluti vicinum incendium ad se t.* ineptissimam dixisset Graevius. Florus II. 17. *Prorsus ut illae urbes diffudisse* quaedam belli incendia *toto orbe viderentur.* Orosius VII. 8. *Quanta celeritate tantorum* incendia bellorum *et excitata et repressa!* Virgilius Aen. I. 570.

*Quis Troiae nesciat urbem?*
*Virtutesque virosque aut tanti* incendia belli?

Velleius lib. II. 125. *Qui a patre in id ipsum, plurimo quidem igne emicans*, incendium *militaris* tumultus *missus erat.* Sic *nubem trucis et cruenti belli* dixit Iustin. XXIX. 3. Conferatur etiam Livius VII. 30. *Et ubi conflagrassent Sidicini, ad nos traiecturum illud* incendium *esse.* Quod autem Cortius ad Sallust. Iug. cap. LXIV. 5. delendam cum codice quodam vocem *belli* arbitratur, id mihi quidem non satis liquet. Wopkens. — *Vicinum incendium belli ad se transiret.* Codex aliquis MS. *τὸ belli* non habet. Mihi videtur abesse non posse; sed mutatum tamen in *bellum.* ut sensus sit: ne bellum veluti vicinum incendium ad se transiret. Ipsum bellum utique ab aliquibus ad aliquos transire, veluti vicinum incendium, potest. Si legeretur *incendium belli*, ipsa comparatio non satis concinna videtur; cum quid quomodo transiturum fuerit, non satis intelligi possit. Simile est quod XIV. 10. 6. legitur: *Quarum excidio veluti vicino incendio territi Spartani. Τὸ victis Atheniensibus*, pro si Athenienses victi essent, simile est his quae supra ad VIII. 2. 1. notavimus. Vorst. — Illud *belli* abest in quibusdam. Et fortassis potest abesse, si verba *ad se transiret* intelligamus de Philippo, qui incendio et igni, omnia vastante, comparatur, non ineleganter, ut opinor. Quanquam et si servetur, locutio non videatur inconcinna: metuebant, inquit, ne incendium belli, hoc est, fax, flamma belli ad se transiret, veluti vicinum, hoc est, velut quod incendium vicinum esset, tanquam quod vicinum esset. Nam *velut* hic est idem atque *tanquam, quippe*, neque comparationis notam continet. Scheff. — Angl. *Atheniensibus bellum, veluti vicinum incendium ad se.* Lectio elegantissima. Lectio vulgaris incommoda et mutila. Quid enim? transit ad eos incendium belli, velut vicinum. Potest quidem illud *velut* explicari per *tanquam*, sive *quia.* Verum magis est, ut credamus indicare similitudinem et referri non ad *vicinum*, sed *incendium*, quia optimi scriptores bellum comparare solent cum incendio. Ipse Noster infra XIV. 5. *Quorum excidio, veluti vicino incendio, territi Spartani.* Locus huic simillimus. Scheff.

6. Legationibus Graeciam fatigant. Saxo lib. XIV. pag. 358. 43. *nec minus Absalon et Roskildienses legationibus curiam*

*fatigant.* et lib. XVI. pag. 374. 25. *dubiis Absalonem legationibus fatigant.* ABR. GRONOV.

COMMUNEM HOSTEM. Thucyd. VI. 6. 12. et 13. *Belli pericula cum vicinis communia nobis sunt: et pro certo habendum est, si nos vicini negligant, extemplo postquam nos conflagraverimus, ad eos id incendium traiecturum.* Tacit. Agric. cap. 29. *Commune periculum concordia propulsandum.* BERNEC. — Saxo lib. XIV. 263. 38. *publicum ruborem communibus armis submovendum existimans.* ABR. GRONOV.

8. ATHENIENSIBUS SE IUNGUNT. Idem lib. XIV. pag. 256. 1. *Waldemarus Suenoni se iungit.* et pag. 277. 45. *ex Suenonis militia complures Waldemaro se iungunt.* ABR. GRONOV.

TRAXIT. Coll. N. *attraxit.* IDEM.

9. PRAELIO COMMISSO. Ad Chaeroneam, quo victor Philippus κατέστη τῆς Ἑλλάδος κύριος. Praeter Diodorum XVI. 87. et Plutarchum in Alex. cap. 14. ac Gemistum, vide Strabonem lib. IX. Pausaniam Achaicis et Boeoticis, Aelianum Var. Hist. VI. 1. BONGARS. — Hac clade cognita, Isocrates inedia quatridui se ipse necavit, cum Athenas quartum ab hoste occupatus adspicere se posse negaret. Plutarch. in vitis Rhetorum. BERNEC.

BELLIS INDURATA VIRTUTE. Ita de eadem pugna Frontinus II. 1. 9. Noster VI. 4. 13. et VII. 2. 6. Florus II. 3. 5. BONGARS.

10. ADVERSIS VULNERIBUS. Sallust. Catilin. 61. 3. Lucan. VI. 132. Tacit. Hist. III. 84. 7. Silius Ital. V. 669. BONGARS. — Sic incertus Panegyr. Constantino Aug. cap. XVII. *Qui desperata veniа locum, quem pugnae sumserant, texere corporibus.* Alia Berneccerus. WOPKENS.

11. HIS DIES etc. Elegans hic est loquendi modus, quo *dies* usurpatur pro re, quae illo die facta est: nec aliter loqui solet Cicero, ut I. ad Att. Ep. 14. *Hic dies me valde Crasso adiunxit.* et X. ad Fam. Ep. 28. *Hic dies, meaque contentio atque actio spem primum populo Romano attulit libertatis recuperandae.* et Tacit. XII. Ann. 34. *Enim vero Caractacus huc illuc volitans, illum diem, illam aciem testabatur.* GRONOV.

## CAP. IV.

1. DISSIMULATA LAETITIA. Lege Aelianum Var. Histor. VIII. 15. BONGARS. — Sic Epaminondas Leuctrica victoria potitus, postridie processit squalidus et humilis; quod diceret, castigare se immoderatum ex victoria gaudium. Plutarch. Apophtheg. cap. 97. qui nec dissimilia de Annibale in vita Marcelli cap. 53. refert. Praecipit hanc moderationem Onosander Strateg. cap. ult. BERNEC.

DENIQUE NON SOLITA SACRA PHILIPPUS ILLA DIE FECIT. *Τοῦ denique* usus non vulgaris, ut idem sit quod breviter. Vide Ind. in Nep. Flor. Curt. VORST. — Respondet gallorum *enfin.* ANONYM.

NON CORONAS AUT UNGUENTA SUMSIT. Ita disertim habent MSS.

nostri, sicque indubie legendum. quod enim in quibusdam est, *non coronam suam aut unguenta sumsit*, fugit illos ratio, estque ea interpolatio boni patris alicuius, qui hoc solum videbat, dici haec de rege. Caeterum coronas eas dicit, quas non tantum capiti inter vina veteres imponebant, sed bibebant etiam, ut locuples testis mihi Plinius, cuius sunt haec ex Natur. Histor. XXI. 3. *Et apud Graecos quidem*, inquit, *de coronis privatim scripsere Mnesitheus atque Callimachus medici, quae nocerent capiti: quoniam et in hoc est aliqua valetudinis portio, in potu atque hilaritate praecipue odorum vi surrepente fallaciter, scelerata Cleopatrae solertia. Namque in apparatu belli Actiaci gratificationem ipsius reginae Antonio timente, nec nisi praegustatos cibos sumente, fertur pavore eius lusisse, extremis coronae floribus veneno illitis, ipsaque capiti imposita, mox procedente hilaritate invitavit Antonium, ut coronas biberent. Quis ita timeret insidias? Ergo concerpta in scyphum incipienti haurire opposita manu, En ego sum, inquit, illa, Marce Antoni, quam tu nova praegustantium diligentia caves: adeo mihi, si possim sine te vivere, occasio aut ratio deest. Inde eductam custodia bibere iussit, illico exspirantem.* Mod.

Coronas. Convivales intellige, de quibus Car. Paschalius Coron. II. 3. et passim. Nam quod in MSS. quibusdam extat, *coronam suam*, haud dubie a manu interpolatoris est, qui veteris ritus ignarus hoc solum videbat, ista de rege dici. Bernec. — Nimirum convivia veteres coronati celebrabant, ut ex Plauto, Horatio, aliisque notum. Vorst.

2. Sed nec regem se etc. Ista Sosthenes infra XXIV. 5. 14. Factum id invidiae minuendae caussa. Quo fine etiam Imp. Augustus, *non regno, neque dictatura, sed principis nomine constituit Rempub.* Tacit. Annal. I. 9. 12. Et Imp. Fredericus I. teste Gunthero,

*Verba remittebat cartis odiosa superbis.* Bernec.

3. Atque ita inter tacitam. Tert. Leid. *atque ita se inter.* Abr. Gronov.

Inter tacitam laetitiam. MS. *tantam laetitiam*, quod praefero. Illud *tacitam* non est aptum, quia tacitae laetitiae non est moderatio, quoniam per id, quod tacita est, iam est moderata. Scheff.

4. Bello consumptorum. Hoc est, praelio. Sic supra II. 12. 23. *Inter primos duces bellum acerrime ciebat.* Qui tamen accuratius loquuntur, ista distinguunt. Liv. IX. 18. 8. *Populus Romanus etsi nullo bello, multis tamen praeliis victus.* et cap. 19. 10. *Unde praelio victus Alexander, bello victus esset.* et XXX. 35. 8. *Non praelio modo, sed bello victus Annibal.* Tacit. Annal. II. 88. 5. *Arminius praeliis ambiguus, bello non victus.* Curtius IV. 14. 25. *Bello vicerimus, si vincimus praelio.* Bernec.

Corpora sepulturae reddidit. In MS. legitur *corporum*, unde verosimile, Iustinum scripsisse, *bello consumtorum corporum sepul-*

*turam dedit.* Sane de Atheniensibus est sermo, quid nimirum concesserit ipsis, et in verbis praecedentibus proxime, et proxime sequentibus. At verba, *reddere corpora sepulturae*, sicut nunc leguntur, de Philippo sunt accipienda, quod non convenit. SCHEFF. — Perperam coniectat Schefferus, legendum *bello consumtorum corporum sepulturam dedit;* quod non intelligeret, alterius lectionis hunc sensum esse, Philippum Atheniensibus corpora bello consumtorum Atheniensium reddidisse in sepulturam, sive ut illi haec sepelirent. Virgilius Aen. II. 541.

*Sed iura fidemque*
*Supplicis erubuit*, *corpusque exsangue* sepulcro
Reddidit.

Tacit. Hist. I. 47. Concedi *corpora* sepulturae *cremarique permisit.* Dictys Cret. lib. III. 23. *Namque ad id tempus Graecos secutos morem in bellis optimum*, *quoscunque hostium pugna conficeret*, restituere sepulturae *solitos.* WOPKENS. — Reg. Magl. ed. Rom. *tradidit.* Supra III. 5. 11. *ut ex indicio titulorum tradi sepulturae possent.* et XII. 2. 15. *Curpus eius Thurii sepulturae tradiderunt.* ubi ed. Rom. *mandaverunt.* Ulpianus L. I. de Cadav. punit. *ut ossa et cineres collecta sepulturae tradi possint.* Paulus lib. I. Sent. tit. XXI. §. 1. et 4. *corpus perpetuae sepulturae traditum.* ABR. GRONOV.

CORPORA — RELIQUIASQUE FUNERUM. *Corpus* et *reliquias* coniunxit ita et alibi. ut XII. 15. 15. *Corpus regio more sepeliri et reliquias eius maiorum tumulis inferri iussit.* Item IX. 7. 11. *Refixum corpus interfectoris super reliquias mariti cremavit.* VORST.

6. PORRO. Forte *vero*, ut sit antithesis Athen. Vide tamen infra XIV. 3. 7. et XLIV. 4. 22. BERNEC.

SEPULTURAM VENDIDIT. Emendandus est Orosius III. 14. ex MS. *Mortuorum mortes*, *venditiones captivitatesque vivorum unius regis fraus*, *ferocia*, *dominatus agitavit.* a MS. abest vox *mortes.* mortuorum venditionem hanc intelligit. BONGARS. — Vide sis adagium Erasmi, *a mortuo tributum exigere.* BERNEC.

7. ALIOS IN EXSILIUM REDEGIT. Dicendum est, *in exsilium egit;* nemo enim in exsilium redigi dicitur, nisi qui prius exsul fuerit, et inde ultro ante tempus reversus sit. FABER. — Angl. *egit*, quod est glossatoris, qui notabat compositum usurpatum pro simplici. SCHEFF. — Sed recte Angli ex codice suo rescripserunt *egit;* rationem reddidit Faber. GRAEV. — Emendationi Fabri, qua, quamvis invito Scheffero, *egit* pro *redegit* restituit, adstipulatur non solum codex Oxoniensis, sed et Orosius III. 14. Neque aliter Noster n. 9. et passim alibi. WOPKENS. — Coll. N. Orosius lib. III. cap. 14. et Freculphus I. 4. 19. *egit:* quomodo ex coniectura legit Faber, probante Graevio. ABR. GRONOV.

8. PULSOS DEINDE PER INIURIAM IN PATRIAM RESTITUIT. Oro-

sius et Freculphus: *pulsos dudum* (*deinde* Frec.) *a civibus per iniur. rest.* Abr. Gronov.

9. Quod se in exsilium egissent. Pro *se* mallem scribere *ipsos*. Faber. — Faber malebat, *ipsos in exs.* Ed. Rom. *eos in exsilium misissent.* Abr. Gronov.

10. Quoniam rebus nequeunt ulcisci etc. Melius Iuntae: *quam rebus nequeunt ulcisci, verbis usurpant libertatem.* Graev. — Quod dicam, scio a multis minus probatum iri, sed mihi Iurisconsulti favebunt; hoc igitur aio, verbum illud *ulcisci* non posse hic locum suum tueri; dicendum enim fuerat, *vindicare;* quod quid valeat, nulli melius dicere possunt quam Iuris interpretes. Itaque meam ut sententiam aperiam, sic lego: *Et quam rebus nequeunt, verbis usurpant libertatem:* ita ut verbum bis sumatur, quod, puto, elegantiae est non vulgaris. Faber. — Mallet Graevius ex Iuntina, *quam rebus nequeunt ulcisci, verbis usurpant libertatem.* Scheff. — Notarum Anglicarum auctor docet Fabrum hic delere vocem *ulcisci*, quod valde placet. Scheff. — Assentior et ipse Fabro, quippe cui ad hanc emendationem praeivit editionis Iuntinae scriptura, quae pro *quoniam* exaratum habet *quam.* Graev. — Praeter Iuntinam Aldina, *et quam rebus.* Abr. Gronov.

## CAP. V.

1. Corinthum. Ed. Rom. *Corinthon;* atque ita eadem XI. 2. 5. Abr. Gronov.

Lacedaemonii et regem et leges contempserunt. Malo, ut est in nostris scriptis Codd. *et legem et regem cont.* nescio enim quomodo concinnior ea lectio videtur. et dixit supra proxime: *Ibi pacis legem universae Graeciae pro meritis singulurum civitatum statuit.* Mod. — Bongarsius, *et regem et leges.* Praetuli quod et veteres editiones habent, et in suis MSS. extare confirmat Modius: cum sit nescio quomodo concinnior ea lectio, dixeritque praecedenti num. 2. *pacis legem*, non *leges.* Bernec. — Med. quatuor Leid. Periz. Bodl. ed. Bongars. *et regem et leges.* tert. Leid. *et regem et legem.* Coll. N. *sed rege auctore ferretur.* Abr. Gronov.

Quae non ipsis civitatibus conveniret. Hoc est, de qua non inter ipsas civitates conveniret. Sichardus enim aliter haec accipere videtur; unde mox *pro victore* legit pro *a victore.* non bene. Bernec. — Cic. pro Cluent. 43. *Iudex qui inter adversarios convenisset.* Liv. I. 24. *Tempus et locus convenit.* Idem XXIII. 9. *Septunces auri in singulos pretium convenit.* Infra XXX. 3. 10. *Pax in Macedonia non conveniebat.* Gronov.

A victore ferretur. I. e. offerretur, constitueretur. Livius XXI. 13. *Pacem adfero ad vos magis necessariam quam aequam, cuius ita aliqua spes est, si eam quemadmodum ut victor fert Annibal, sic vos ut victi audiatis.* Sic *pacis conditiones ferre* idem XXVII. 30. et alibi. Wopkens.

4. AUXILIA DEINDE SINGULARUM CIVITATIUM DESCRIBUNTUR. Infra XVI. 3. 9. *Cum rerum potirentur Athenienses, victisque Persis, Graeciae et Asiae tributum in tutelam classis descripsissent.* Livius XXX. 37. *Decem millia talentum argenti descripta pensionibus aequis in annos quinquaginta solverent.* ABR. GRONOV.

DUCE ILLO. Erat enim declaratus στρατηγὸς αὐτοκράτωρ τῆς Ἑλλάδος. Diodorus XVI. 90. Georg. Gemist. II. BONGARS.

6. SUMMA AUXILIORUM. Filius Alexander cum multo paucioribus ad subvertendum imperium Persicum est profectus. infra XI. 6. 2. BERNEC.

SUMMA — FUERE. Sic maluit auctor quam quod analogia requirebat *Summa . . fuit.* Caesar Gall. I. 29. Summa *omnium* fuerunt *ad millia* CCCLXVIII. Vide infra ad lib. XLIV. 3. 4. WOPKENS.

7. BARBARIES. Quid hoc ad exercitus? In MS. legitur nunc *barbaricae*, nunc *barbarorum*, nunc *barbarium.* Unde suspicor, hoc glossatoris esse, non Iustini. *Confinis* autem scribit antique, pro *confines*, cum praesertim *confines* etiam in MS. reperiatur. SCHEFF. — *Confinis domitarum gentium barbaries* sunt copiae ex vicinis barbaris gentibus, quas subegerat, conscriptae. Haec vox non est repudianda omnino. GRAEV.

8. PARMENIONEM. Med. quint. Leid. *Parmenionam* pro *Parmeniona*, ut infra XI. 10. 4. Thuan. tert. quart. Leid. et XXI. 6. 5. iidem cum Mediceo et sec. Leid. ABR. GRONOV.

AMYNTAM. Eius Gemistus nullam mentionem facit, neque Diodorus. De Philippi morte vid. Diodor. Cicero de Fato. Aelian. Var. Hist. III. ext. Val. Max. I. Ext. f. et Plutarch. Alex. et Paus. Arcad. BONGARS.

9. CUIUS SOROREM. Attalum Cleopatrae θεῖον, id est, avunculum aut patruum vocat Plutarchus in Alexandro cap. 15. Diodorus XVI. 94. et Gemistus ἀδελφιδοῦν, id est, ἀδελφοῦ υἱόν, pro quo forte Iustinus aut Trogus apud Graecum auctorem legerat ἀδελφόν. BONGARS. — Nomen ei, *Cleopatrae*, ut ex IX. 7. 2. et 12. apparet. Quam sublato Philippo, suspendio vitam finire coëgit Olympias. Ante hanc Philippus etiam alias superinduxerat, et inter ceteras quidem Medam, Thraciae regis filiam, ut ex Athenaei lib. XIII. constat. VORST.

NUPER EXPULSA OLYMPIADE PROPTER STUPRI SUSPICIONEM. Eadem Caesari uxoris repudiatae causa; quod diceret, *suos tam suspicione, quam crimine carere oportere.* Sueton. cap. 47. *Multis illustribus dedecori fuit, aut inconsultius uxor assumta, aut retenta patientius. ita foris claros domestica destruebat infamia: et ne maximi cives haberentur, hoc efficiebat, quod mariti minores erant.* Plin. Panegyr. cap. 43. BERNEC. — Iam ante repudiarat Olympiada, superinducta Meda, Cithelae, Thraciae regis, filia. Postrema autem e septem Philippi coniugibus fuit haec Cleopatra, Attali soror. Vide Athenaeum lib. XIII. VOSS.

In matrimonium receperat. Antiquiores editiones *acceperat*. Sed *recipere in matrimonium* et X. 2. 2. et alibi dixit. Vorst. — *Acceperat* exstat quoque in Iuntina. Graev.

## CAP. VI.

1. Nuptias Cleopatrae filiae. Cleopatram susceperat Philippus ex Olympiade; eamque Olympiadis fratri Alexandro, quem, cum satis eo abusus esset, expulso Arryba regem Epiri fecerat, in matrimonium collocavit. Vorst.

2. Collocantis filiam. Cic. II. de Offic. 20. *Utrum bono viro pauperi, an minus probato diviti filiam collocaret.* et Lucas Euang. XX. 34. *Οἱ υἱοὶ τοῦ αἰῶνος τούτου γαμοῦσι, καὶ ἐκγαμίσκονται.* Hanc Philippi tragoediam ex Clitomacho refert quoque Stobaeus Serm. CCXLVIII. pag. 814. Gronov. — Bodl. *locantis.* Abr. Gronov.

3. Ad quorum spectaculum Philippus dum. Angl. *spectaculum cum Philippus.* Docet haec varietas, vocem *Philippus* insertam hic esse ex glossa. Ita enim alii ante, alii post coniunctionem posuere, incerti scilicet, ubi esset collocanda. Sane Philippus hic et mox ingrate repetitur. Scheff. — Iuntina: *Ad quorum spectaculum Philippus sine.* Graev. — Pro *dum* ex MS. Anglico, Franeq. et Dorv. 3. lege *cum:* quamvis enim *dum* cum imperfecto subiunctivi, pro cum vel quando, apud cadentis Latinitatis scriptores haud raro occurrat, ut ad Dictyn Cret. III. 26. ostendimus; non tamen ita solet Iustinus, cum Livio et id genus aliis Latinis. Immerito autem Schefferus vocem *Philippus* delet, quia mox sequitur *Philippum*, pro ipsum. Talis recursus est lib. XVI. 2. *Igitur* Demetrius . . *cum Asiam occupare statuisset, Seleucus et Lysimachus . . bellum adversus* Demetrium (i. e. adv. ipsum) *transferunt in Europam.* Lib. XXI. 6. *Igitur . . aditu* regis *obtento, profugisse se ad* regem *expulsum patria fingit* etc. Lib. XII. 9. *Exercitum ad* urbem *eorum ducit. Quam desertam a defensoribus cum . . animadvertisset, in* urbis *planitiem sine ullo satellite desilit.* Lib. XXV. 4. *Neque illi* (scil. Pyrrho) *maior ex imperio, quam ex bello voluptas erat, nec quisquam* Pyrrhum, *qua tulisset impetum, sustinere valuit.* Lib. XXVII. 2. *Seleucus cum . . ingentem* classem *comparasset, repente . .* classem *naufragio amittit.* Lib. XLIII. 5. *Gratulatusque* Massiliensibus . . *in perpetuum amicitiam cum* Massiliensibus *iunxit.* Hinc nec, sine librorum auctoritate, τὸ *Italici* exstirpare debuit Cortius in his Sallust. Iugurth. cap. 26. *At ille, quia penes eosdem* (scilicet Italicos), *si adversaretur, cogendi potestas erat, ita uti censuerant* Italici, *deditionem facit.* Wopkens.

Ad quorum spectaculum Philippus dum sine custodibus etc. Magl. *spectacula*, et cum reliquis MSS. ed. Rom. Ald. Iunt. *Philippus cum sine custodibus corporis medius.* Ita Livius lib. XL. cap. 6. *proxima est regia cohors, et custodes corporis.* Curtius

lib. X. cap. 2. *tredecim adservandos custodibus corporis tradidit.* Herodianus IV. 7. 4. ὡς καὶ συμμάχους παρ' αὐτῶν (Γερμανῶν) λαβεῖν, καὶ τοῦ σώματος ἑαυτοῦ φρουροὺς ποιήσασθαι. Hinc *custodia corporis* infra XII. 12. 3. *nunc quoque ait, custodiam corporis sui non Macedonibus tantum se, verum et illis crediturum.* Hegesippus lib. I. cap. 34. f. *quadringentos quoque stipatores ex Gallia, quibus septa incedebat Cleopatra, ad custodiam corporis regi concessit.* Herodianus I. 12. 8. εἰς τοσοῦτον ὑπ' αὐτοῦ τιμῆς καὶ ἐξουσίας προήχθη, ὡς τήν τε τοῦ σώματος φρουρὰν καὶ τὴν τοῦ θαλάμου ἐξουσίαν ἐγχειρισθῆναι. Particula *dum* comparet demum in secunda editione Graeviana. Ed. Bechar. Ven. Med. *concederet.* Abr. Gronov.

4. Pausanias. De Philippi morte vide Arist. V. Polit. 10. Diodor. Sic. XVI. (qui nonnihil a Nostro variat) Ciceronem de Fato 3. Aelianum Var. Hist. lib. III. ext. Val. Max. I. 8. Plutarchum Alexandro cap. 17. et Pausaniam Arcadicis. Bongars. — Iosephus lib. XI. Antiq. Iud. cap. 8. Κατὰ δὲ τοῦτον τὸν καιρὸν καὶ Φίλιππος ὁ τῶν Μακεδόνων βασιλεὺς ἐν Αἰγαίαις (MS. Busbeq. Αἰγαῖς) ὑπὸ Παυσανίου τοῦ κεραστοῦ, ἐκ δὲ τῶν Ὀρεστῶν γένους, δολοφονηθεὶς ἀπέθανε. Cornelius Nepos de Regibus cap. 2. *Philippus Aegis a Pausania, cum spectatum ludos iret, iuxta theatrum occisus est.* Abr. Gronov.

Foedum luctu funeris facit. Tacitus lib. XVI. Annal. cap. 13. *tot facinoribus foedum annum tempestatibus et morbis insignivere.* Abr. Gronov.

5. Hic Pausanias. Angli non habent *Pausanias.* rectissime. Nam et hoc ex glossa. Scheff.

Cuius. An legendum *cui?* Gronov. — Gronovius tentat *cui indignitati*, i. e. cui rei indignae; ut *haec foeditas*, id est, haec res foeda. et lib. XXXVIII. 8. Quam foeditatem *nimia subtilitas perlucidae vestis augebat.* Lib. XX. 3. Hanc admirationem *auxit incredibilis famae velocitas.* Lib. XXIII. 2. 5. *Ex* qua desperatione *bellum inter filium nepotemque eius . . oritur.* Sed satis commoda est omnium librorum scriptio, *cuius indignitati*, quod explicari posset, cui stupro indigno. ut lib. X. 1. *Quem . . indulgentia patris a tanta sceleris immanitate revocaret.* ubi plura. Wopkens. — Med. sec. quint. Leid. *Is primis.* tert. *cui indignitati:* quomodo legendum conieeerat Avus. Abr. Gronov.

6. Perductum. MS. *productum.* verbum ad rem accommodatissimum: constat ex Plauto et Petronio. Bongars. — Ait vir doctus legi in MS. *productum in convivium; quod*, inquit, *verbum ad rem accommodatissimum, constat ex Plauto et Petronio.* Imo vero ego *perductum* longe esse accommodatius contendo; hinc enim *perductores*, προαγωγεῖς, qui hoc differunt a lenonibus, quod *lenones* sunt scortorum, *perductores* etiam invitarum personarum, ut tradit Asconius in illud Cic. Verr. III. *Lenonum, perductorum.* in quo lepide lusit Plautus: nam cum senex senem inspecturientem aedes suas in-

terrogasset: *Vin' qui perductet?* respondet alter: *Errabo potius quam perductet quispiam.* Mod. — Ait Bongarsius in MS. legi *productum*, idque verbum ad rem accommodatissimum, ex Plauto et Petronio constare. Modius autem *perductum* longe accommodatius esse contendit. Hinc enim *perductores*, *προαγωγεῖς*, qui hoc differunt a lenonibus, quod *lenones* sunt scortorum, *perductores* etiam invitarum personarum, ut tradit Asconius in illud Ciceronis Verr. I. 12. *lenonum, perductorum.* In quo lepide lusit Plautus Mostell. III. 2. 157. Nam cum senex senem inspecturientem aedes suas interrogasset: *Vin' qui perductet?* respondet alter: *Apage istum a me perductorem! nihil moror ductarier. errabo potius, quam perductet quispiam.* Adde Torrent. ad Sueton. Vespas. 22. Pithoei Advers. II. 17. Bernec. — Elegantem usum habet coni. *nam* post pronomen demonstrativum in his, *haec etiam foeditas accesserat:* uti et post particulas *sic*, *ita* et eiusmodi. Ac forma haec digna observatu ob loca quaedam, ubi immerito sollicitata fuit. Gellius IX. 1. *Sed sagittam atque lapidem deorsum an sursum mittas*, hoc *interest; nam neutrum potest deorsum versum recte mitti, sed sursum utrumque.* ubi *hoc* vel *nam* eliminabat Gronovius. Hyginus Fab. XXVIII. *Qui aditum sibi* ita *faciebant: montem* enim *Ossam super Pelion posuerunt.* ubi *enim* delebat Munkerus. Boëtius Cons. V. 4. *In quo* illud *maxime considerandum est:* nam (in MSto quodam *quod*) *superior comprehendendi vis amplectitur inferiorem* etc. Sic rursus idem Boëtius lib. III. 4. *In quo* illud *est animadvertendum magis:* nam *si eo abiectior est* etc. et lib. IV. 2. *Sed* ita *se res habet:* nam *qui mali sunt* etc. Cicero de Finib. III. 18. *Quod efficitur etiam* hac *conclusione: quoniam* enim *videmus* etc. Saepius ita quoque Valer. Maximus: ut lib. III. 7. extremo, lib. V. 1. 1. lib. VI. 4. Ext. 3. et lib. VIII. 14. Ext. 5. Wopkens. — Bechar. Florent. MS. Periz. *perductum in convivio.* Eadem participia variant in MSS. Suetonii Vespas. cap. 22. *quum perductae pro concubitu sestertia quadringenta donasset.* Terentius Andria I. 1. 54.

*Qui tum illam amabant, forte, ita ut fit, filium*
*Perduxere illuc, secum ut una esset, meum.*

Vide Cl. Iensium lib. I. Lect. Lucian. cap. 5. f. Abr. Gronov.

Solutumque mero. MS. Coll. N. *sopitumque.* Livius lib. XXV. cap. 24. *Magna pars in turribus epulati, aut sopiti vino erant, aut semigraves potabant.* et XXVIII. 26. *Ut eos per idoneos homines, benigno vultu ac sermone in hospitium invitatos, sopitosque vino vincirent.* Valerius Maximus lib. II. cap. 5. 4. *mero somnoque sopiri.* Curtius lib. VIII. cap. 6. *sopitum mero ac somno excitant regem.* et cap. 10. *quippe ne epulantes quidem et sopitos mero adgredi ausus est hostis.* Vulgatum imitatur Saxo lib. XIV. pag. 336. 42. *quidam e Iulinensibus mero solutus.* Abr. Gronov.

7. Hanc rem aegre ferens Pausanias, querelam Philippo saepe detulerat. Saresberiensis lib. VIII. cap. 5. pag. 545. *Pausanias cum Hermoclea percunctatus esset, quonam modo subito*

*clarus posset evadere, atque is respondisset, si occidisset aliquem virum illustrem, futurum ut in gloriam eius id ipsum redundaret, continuo Philippum interemit; et quidem quod petierat, assecutus est. Nam et se parricidio notum posteris reddidit, et celebri supplicio patibuli, cui affixus est, corona aurea, quam Myrtalis, quae et Olympias dicta est, capiti eius pendentis imposuit, nullum dante solatium. In vindictam tamen pudicitiae per iniuriam prostitutae, Philippo non puniente, sed deridente iniuriam, potest, auctore Trogo, aliquatenus sacrilegii crimen excusari.* Priora descripsit ex Valerio Maximo VIII. 14. Ext. 4. apud quem legitur *percontatus.* et: *ut gloria eius ad ipsum redundaret.* et: *tam enim se parricidio quam Philippus virtute, notum posteris reddidit.* Abr. Gronov.

Convivarum libidini, velut scortum vile subiecerat. Paulo nasutior viderit, hanc esse deformatam lectionem. In omnibus fere scriptis codicibus legebatur: *verum scortorum iure.* Unde ego veram lectionem expiscatus sum: *convivarum lubidini, ebrium scortorum iure subiecerat.* Scortorum iure, hoc est, more. Florus lib. I. cap. 17. de Fabio Maximo: *Captis superioribus iugis, in subiectos suo iure detonuit.* Iterum III. 17. *Peculabantur suo iure rempublicam.* Hanc lectionem confirmat Diodorus: Ἄτταλος εἷς ὢν τῶν ἐξ αὐλῆς καὶ πολὺ δυναμένων παρὰ τῷ βασιλεῖ, ἐκάλεσεν ἐπὶ δεῖπνον τὸν Παυσανίαν, καὶ πολὺν ἐμφορήσας ἄκρατον, παρέδωκεν αὐτοῦ τὸ σῶμα τοῖς ὀρεοκόμοις, εἰς ὕβριν καὶ παροινίαν ἑταιρικήν. Voss. — Perperam haec deformat Is. Vossius, dum pro *velut scortum vile* legit *ebrium scortorum iure.* In quo illud *ebrium* post *solutum mero* ineptam ταὐτολογίαν efficit: et frustra plane *iure* pro *more* dici, ex Floro I. 17. 5. et III. 17. 3. persuadere nobis laborat vir ille doctus. Recte autem se habet *solutumque mero.* ut Ovidius Fastor. II. 333.

*Utque videt somno comites* vinoque solutos *etc.*

cum nota Burmanni. Nec tamen prorsum reiicienda Oxon. scriptura *sopitumque mero,* uti praeter Livium ab Abr. Gronovio adductum, Ovidius, Curtius aliique loquuntur. Wopkens.

Inter aequales. Antiquiores editiones, *coaequales;* quomodo infra XXXVII. 4. 1. Bongarsius et Berneccerus edidere. Sed *aequales* elegantius est: itaque rursus in loco altero ipsae illae antiquiores editiones habent. Vorst.

8. Cum variis frustrationibus — differretur. Hoc est, in aliud tempus reiiceretur. Ita Plin. Panegyr. cap. 26. *Infantes ignari quid rogassent, donec plane scirent, differebantur. Man hat sie heissen warten.* Bernec. — Supra VIII. 3. 8. inverso vocum ordine, *frustratus variis dilationibus.* Notandum autem quod non tantum res, sed et personae *differri* dicuntur. Vorst. — Med. ed. Rom. *qui cum variis frustrat.* Coll. N. *qui tamen var. fr.* Abr. Gronov.

Honoratum. Supra IX. 5. 8. Bernec.

Ducatu. Utitur auctor hac voce supra II. 15. 14. et infra XXX. 2. 5. Sueton. Tib. 19. 2. et Ner. 35. 13. Utitur et Suetonio

antiquior Curtius, et in Glossario veteri *ducatus* est ἡγεμονία. Bongars. — Adde Liv. Epit. XCVI. et CXIII. Alio fere sensu Florus III. 21. 2. *Ducatum sceleri praebuisse.* Bernec.

Iram in ipsum. Simile infortunium ex causa non dissimili Phalaris parum abfuit quin incurreret: de quo insigniter bene Aelianus II. Var. Hist. 4. Lycurgi dictum est in oratione contra Leocratem: *Delicta tantisper, dum iudicata fuerint, apud auctores suos manent: simulatque sententia ac iudicium de iis factum fuit, apud eos manent, qui ipsa iure non ulciscuntur ac vindicant.* Bernec.

## CAP. VII.

1. Immissum ab Olympiade. Sic et infra XXVI. 3. 6. in subsessorem alieni matrimonii percussores immissi. Ea vis nimirum est muliebris zelotypiae: quam furori leonino recte comparat Ovidius de Arte II. 373. Et instar miraculi sunt habenda, quae Plutarch. Virt. Mul. cap. 42. de Stratonica, Valer. Max. VI. 7. de Africani prioris uxore Aemilia, Sueton. Aug. 71. 3. de Augusti Livia, Saxo lib. XII. de Erici II. Danorum regis Botilda, maritorum extraneos amores iuvantibus, tantum abest ut impedientibus, memorant. Bernec.

Nec ipsum Alexandrum. MSS. mei non agnoscunt τὸ *Alexandrum.* et videtur posse abesse citra sententiae interimentum Mod.

3. Regni aemulum. Saxo lib. I. init. *regni aemulos ratus, quos dignitate pares habuerat.* Abr. Gronov.

Ex noverca etc. Haec usque ad verba, *praeparatos habuit,* absunt ab optimis libris: habentur tamen in uno Cuiacii codice, neque videntur reiicienda. Ad ea vide Plutarchum in Alexandro. Bongars. — Eadem quoque absunt a Cod. 1. Voss. Gronov. — Ex Cleopatra puta, Attali, cum quo in convivio Alexandrum iurgasse mox addit, sorore. Vorst.

Eoque actum. Iidem MSS. mei, *eoque factum.* quod prae vulgato placet. Sane etiam Bongarsius in MS. *factam* pro *actum* se reperisse fatetur, quo magis confirmatur etiam nostrum illud. Mod. — Rectius est *factum.* Sebis. — Codex aliquis MS. *factam.* unde legendum videtur *factum.* Vorst. — Bene Dorv. 1. et 3. cum aliis MSS. *eoque factum*, atque ita dudum emaculari oportuit: neque enim aliter loqui consuevit auctor. Wopkens. — Med. Magl. sec. tert. a pr. m. et quint. Leid. ed. Rom. *eoque factum.* Coll. N. *eo factum*. Periz. *eque factum.* Abr. Gronov.

Cum Attalo. Plutarchus Alexand. cap. 15. refert Alexandrum in ista contentione scyphum in Attalum coniecisse. Bernec.

4. Consectatus sit, aegreque — amicorum precibus exoratus. Periz. *consectatus, aegreque,* omisso verbo substantivo. Bodl. *precibus revocatus.* Med. Magl. sec. Leid. Coll. N. *exoratus sit.* Abr. Gronov.

6. Precibusque cognatorum. Mallem illud *que* vel delere,

cum praecedat proxime, vel mutare in *quoque*. Scheff. — Ineptit rursus Schefferus, dum, quia praecessit *vixque*, *que* post *precibus* tolli vult aut in *quoque* mutari, non reputans sequi illud *quoque* in his *Olympias quoque fratrem suum* etc. Wopkens.

7. In bellum subornabat. Hic locus mihi valde suspectus est. Exponunt quidem *subornare* verbum per *instigare*, verum an sic boni loquantur auctores, quaero adhuc, nec invenio. Considerent doctiores. Scheff.

8. His stimulis irarum utrique. Et hic Iuntae non male *uterque*. Graev. — Editio Iuntina teste Graevio, *uterque*: id quod Graevio et placet. Verum nihil novi vocem pluralis numeri *utrique* de duabus personis singulis usurpari. Nepos XX. 2. 2. *utrique Dionysii*, pro uterque Dionysius. Vide et Indices in Nepotem et in Florum. Vorst. — Nemo hic quicquam movisset, nisi editio Iuntina ex praestantissimis codicibus expressa, et ex qua tot loca Iustini pessime habita sunt emendata, lectionem elegantiorem obiecisset. Graev.

Utrique Pausaniam . . impulisse creduntur. Ald. Iunt. *uterque*. sec. Leid. *credebantur*. quintus ac Bodl. *utrisque*, et cum Coll. N. *credebatur*. Abr. Gronov.

9. Fugienti percussori equos quoque praeparatos habuit. Ipsa deinde. Bodl. sec. quint. Leid. *fug. percussori etiam equos habuit praeparatos.* et sec. *Ipsa demum.* Coll. N. *fug. p. eq. praep. habuit. Ipsa quoque deinde.* Abr. Gronov.

10. Titulo officii. Infra XXIII. 2. 8. est, *exequiarum officium implere.* Tacitus absolute Annal. III. 32. *Officio fungi. zur Leich dienen.* Alias *officii* vox generatim ea significat, quae cultus, honoris et studii causa superioribus aut amicis exhibemus. Eius generis Tertullianus in lib. de Idololatria, plura simul enumerans, *Circa officia*, inquit, *privatarum et communium solennitatum*, *ut togae purae*, *ut sponsalium*, *ut nominalium nullum putem periculum.* et post inter officia refert *deductionem magistratuum*, *candidatorum*, *funeris*; *salutationes*, item *recitationes*, et alia. Bernec.

In cruce. Med. *in crucem.* Abr. Gronov.

Quod nemo alius audere, nisi haec, superstite Philippi filio, potuisset. Magl. *quod n. alius fuisset ausus*, *nisi hoc superstiti Ph. filio placuisset.* ed. Rom. *quod n. al. fuisset ausus, nisi haec*, *superstite Ph. filio.* Praestat vulgatum. *Audere potuisset*, id est, ausus fuisset. Ita supra VI. 7. 7. *cui par ante dies universa iuventus esse non potuit.* Vide notam Avi ad Livium lib. XXXII. cap. 13. et Cl. Wopkensii ad VII. 6. 4. Abr. Gronov.

Superstite Philippi filio. Quippe inquisituro, et vindicaturo. Bernec.

12. Cleopatram. Pausaniae in Arcadicis, non convenit cum hac narratione. Bongars.

In gremio eius prius filia interfecta. Legendum fortasse, *filio interfecto.* Certe ex IX. 7. 3. apparet, Philippum ex Cleopatra

et filium suscepisse; quem ut regni aemulum Alexander timuerit. Vorst. — Mallet Vorstius, *filio interfecto.* Et sane filium cum ipsa interfectum ait et Pausanias, licet in aliis dissentiat. Scheff.

Ultionem potita est. Ita quidem ex MSS. edidit Bongarsius. Antiquiores editiones *ultione.* et perinde sane est, et utraque constructio satis usitata. Vorst. — Praestat cum veteribus impressis ac tribus MSS, Dorvillii legi, *s. p. ultione potitus est;* neque isti ablativi iuncti offendere nos hic magis debent, quam supra cap. 2. His *utrimque irritatis* animis. Lib. II. 2. Quibus (plaustris) coriis *imbrium hiemisque causa tectis*, *pro domibus* utuntur. Lib. XVII. 2. *Amissis ante variis* casibus *quindecim* liberis. Lib. XXII. 5. *Ut terminari nullo* tempore oblivione *possit.* et cap. 7. *Carthaginienses . . magno utriusque exercitus* sanguine *gravi* praelio *superat.* Lib. XXX. 2. Morte *regis . . velut expiata regni* infamia, *legatos . . misere.* Lib. XLIII. 2. *Multiplicato* metu proventu *duorum.* Lib. XIV. 4. *Solvo vos iureiurando*, *quo toties vos* sacramento *mihi devovistis.* Lib. XVIII. 3. *Qui miti* ingenio *senis domini . .* fortuna *moveretur.* Adde quae ad lib. XXXIX. 5. 4. Ceterum quod in quibusdam MSS. est *ad quam per parricidium illam destinaverat*, non aeque ac vulgatum placet. Livius XXIV. 26. *Quod adeo* festinatum *ad supplicium esset.* Dictys Cret. I. 16. *Quum iuventus . . ad munia militiae* festinarent. cum animadversione mea. Wopkens. — Vide me supra ad VI. 4. 8. et Cl. Wopkensium ad h. l. Ed. Rom. *pendentis eius pro ultione.* Magl. *pend. eius ultione potita est*, *ad q. p. p. illam destinaverat.* Abr. Gronov.

Parricidium. Hoc est, Philippi caedem. Freinsh.

13. Gladium quo rex percussus est. *Percutere*, pro occidere, non infrequens. Suetonius Calig. 3. *Hostem cominus saepe percussit.* Epitome lib. LXXXIII. Livii. *Ipse se percussit.* Aur. Victor Tarquinio Pr. *Quod in praelio hostem percussisset.* Inde *percussores* dicti, qui ad aliquem obtruncandum immittuntur. Vorst. — Med. sec. quint. Leid. Periz. ed. Bechar. Flor. Ven. Med. Paris. Ald. Iunt. *nov. gladium illum*, *quo.* Abr. Gronov.

Sub nomine Myrtalis consecravit. Sic et Alexander Pheraeus, (ut est apud Plutarchum in Pelopida cap. 53.) tyrannus ille omnium immanissimus, cum avunculum suum Polyphrona peremisset, hastam, qua facinus patraverat, coronatam sacravit, eique ut Deo rem divinam fecit, *Tychona* appellans, forte quod ictu non fuisset frustratus, παρὰ τὸ τυγχάνειν. Atque hic mos a Graecis ad Romanos transiit: Suetonius Calig. 24. 10. *Tres gladios in necem suam praeparatos*, *Marti ultori*, *addito elogio*, *consecravit.* Idem auctor Vitellio 10. 8. *Pugionem*, *quo se Otho occiderat*, *in Agrippinensem Coloniam misit Marti dedicandum.* Dio in Antonino Caracalla sub fin. *Καὶ τὸ ξίφος, δι' οὗ τὴν ἀδελφὸν ἀπεκτόνει, ἀναθεῖναι τῷ θεῷ ἐτόλμησε.* Huc igitur respexit gravis scriptor Tertullianus, dum ait in lib. de Resurrect. carnis: *Gladius bene de bello cruentus*, *et melior homicida*, *laudem suam consecratione pensabit.* Vide eruditissi-

mum Lipsium ad Tacit. lib. XV. Annal. Not. 160. Mod. — Lege, *sub' nomine* |*Myrtales*, *consecravit*. *Hoc enim nomen ante Olympiadi parvulae fuit*. Nam *Μυρτάλη* prius appellata est Olympias. Voss. — Omnino scribendum, *Myrtales*. Unde *ΜΥΡΤΑΛΗ* in Inscript. Gruter. pag. 794. 4. Gronov. — Med. ed. Salmur. Oxon. *Myrtales:* ut apud Horatium lib. I. Od. 33. vs. 14.

*Ipsum me melior cum peteret Venus,*
*Grata detinuit compede Myrtale*
*Libertina.*

et Martialem lib. V. epigr. 4.

*Foetere multo Myrtale solet vino.*

*Μυρτάλη* etiam meretrix quaedam vocatur a Luciano Dial. Meretr. pag. 553. et Aristaeneto lib. II. epist. 16. Inscriptio in Diario Italico eruditiss. Montefalconii cap. 14. pag. 202. *ΓΕΜΙΝΙΑ ΜΥΡΤΑΛΗ*. Abr. Gronov.

14. Ne facinus ab ea commissum non probaretur. Ex interpunctione, quam post vocem *commissum* inserunt editiones pleraeque, paucis intellectum hunc locum apparet. Verbum *probare* huius obscuritatis causa est, quod Iustinus pro *convincere* accepit, hoc sensu, omnia ita palam egisse, quasi metueret, ne non ab ea commissum appareret. Ceteri *probare* pro *approbare* intellexerunt. Freinshem. — Hoc est, *non convinceretur*, inquit Freinshemius. Sed et hoc loquendi genus nescio an occurrat alibi. Et quid? si Iustinus scripsit, *proderetur*, id est, divulgaretur, enunciaretur, sed contra, maneret in occulto. Sententia longe aptior toti loco. Scheff. — Probaretur, i. e. deprehenderetur, appareret, ut recte iam cepit Freinshemius. Schefferus tamen, quod an alibi ita occurrat hoc verbum dubitaret, *proderetur* substituendum coniicit. At praeter exempla, quibus verbum *probare* ita alibi occurrere monstravit eruditissimus Ierem. Marclandus Epist. Crit. pag. 45., ita Paulinus Vit. Martini lib. V. 424.

*Occultus visu iudex virtute* probatus

et vs. 795.

*Sed protinus omnem*
*Suffragio medicante domum sanasse* probatur.

Vulg. Int. Genes. XXVIII. 8. Probans *quoque*, *quod non libenter adspiceret filias Canaan pater suus*, *ivit ad Ismaëlem* etc. III. Regum VIII. 43. *ut* probent, *quia nomen tuum invocatum est super domum hanc*, *quam aedificavi*. Ruffinus H. Eccl. V. 18. Probamus *namque eos . . a pauperibus*, *pupillis ac viduis pecunias congregare*. et lib. VII. 28. *Quando luna soli opposita e regione deprehenditur*, *sicut etiam oculis* probare *licet*. Ex Prudentio aliisque plurima istiusmodi proferri possunt. Wopk. — Locus hic male habuit interpretes. Freinshemius *probaretur* dictum putat pro *convinceretur*; hoc sensu: Olympiada omnia illa ita palam egisse, quasi metueret, ne facinus illud (occisi Philippi) non ab eo commissum appareret. At nec ab ipsa Olympiade commissum illud facinus erat, quanquam

immisisse Philippo interfectorem crederetur. Praeterea, ut vere monuit Schefferus, verbum *probaretur* illam significationem haud admittit. Sed nec placet, quod hic coniicit, *proderetur*, id est, divulgaretur. Nam eodem incommodo lectio isthaec urgetur, quo Freinshemiana interpretatio. Imposuit autem viris doctis, cum traiecta vox *commissum*, tum insignis *βραχυλογία*, qua verbo *probaretur* Iustinus utitur. Dictum est enim pro *probari videretur*. Nam sensus hic est: *Olympiada nihil non egisse, ut se probante Philippi caedem commissam, omnes intelligerent.* Itaque vox *commissum* duabus virgulis coercenda erat, verbaque in hunc ordinem redigenda: *ut timuisse videatur, ne facinus, commissum, ab ea non probaretur.* Saepius autem optimi scriptores verbum *videri*, aut *existimari*, e contextu supplendum omiserunt. Cuius generis non unum exemplum notavi ad Cic. de Divin. Sic II. 24. *Quota quaeque res evenit praedicta ab istis? aut si evenit quidpiam, quid afferri potest, cur non casu id evenerit?* i. e. evenisse videatur v. existimandum sit. Cf. eod. 45. in. HOTTINGER.

# CAP. VIII.

1. DECESSIT PHILIPPUS QUADRAGINTA ET SEPTEM ANNORUM. Cl. Dodwellus in Exercitat. de Aetate Pythagorae pag. 198. legit *LX et VII annorum.* ABR. GRONOV.

2. GENUIT EX LARISSAEA SALTATRICE FILIUM ARIDAEUM. Saresberiensis lib. IV. cap. 12. *Quis Alexandro maior in Graecia? Ei tamen non suus legitur successisse, sed filius saltatricis. Saltatricem* fidicinam scenicam interpretatur Avus in notis ad Senecam epist. 121. eamque *Φιλίνναν* appellatam fuisse refert Athenaeus lib. XIII. cap. 5. pag. 578. *Φιλίνην* Arrianus de Rebus gestis post Alexandrum apud Photium Cod. XCII. init. ὅς (Ἀῤῥιδαῖος) ἐκ Φιλίνης τῆς Θεσσαλῆς Φιλίππῳ τῷ Ἀλεξάνδρου πατρὶ ἐγεγέννητο. ABR. GRONOV.

PARTIM FATO etc. Sic infra XXXIX. 4. 7. *Spiritum non fato, sed parricidio dedit.* Ita Tacitus Annal. II. 71. 2. *Fato concedere*, et *intercipi*, inter se opponit: quorum illud *sua morte defungi* est Suetonio Caes. 89. 1. hoc est, ex naturae communi lege obire. Alio quam noster auctor sensu Livius IX. 18. 13. *suo fato mori* de eo dixit, qui quidem in praelio, proindeque violenta morte, sed sine reipubl. discrimine occumbit. BERNEC.

4. FUIT REX. Locum hunc adducit Saresberiens. Policratici lib. V. cap. 12. et MSS. lectionem comprobat. BONGARS. — MS. *fuit tam rex.* Quare credo, Iustinum scripsisse, *Fuit autem rex*: coniunctionem *autem* compendiose *am* scriptam, et mox ex praecedentis vocis fine praefixam illi litteram *t*, errorem peperisse. SCHEFF.

APPARATIBUS STUDIOSIOR. Casu dandi, quomodo et Plautus Mil. III. 1. 205. *Adulterio studiosus.* et Amphitr. I. 1. 12. *Servitus opulento homini.* hoc est, quam quis servit opulento. Sallust. Hist.

III. 5. 10. *Facta consultaque Alexandri aemulus.* Casus verbi tribuitur nomini, ut notat Turneb. Adversar. XXX. 34. Vide Vechner. Hellenolex. 141. f. BERNEC. — Licet Plauti Mil. III. 1. 205. vulgo legamus, *adulterio studiosus*, ob insolentiam tamen constructionis illius facile crediderim cum quibusdam MSS. et Io. Sarisber. Policr. V. 12. tollendam vocem *apparatibus*. Sallust. Catil. cap. VII. *Magisque in decoris armis et militaribus equis, quam in scortis atque conviviis libidinem habebat.* Coniici alioqui posset *conviviorum apparatorum.* ut Cicero II. Catilin. cap. 9. *Dum praediis lectis, familiis magnis,* conviviis apparatis *delectantur.* WOPKENS. — Penultimam vocem omittit Saresberiensis lib. V. cap. 12. ABR. GRONOV.

5. CUI MAXIMAE OPES ERANT INSTRUMENTA BELLORUM: DIVITIARUM QUAESTU QUAM CUSTODIA SOLLERTIOR. Ita quoque interpungendum apud Saresberiensem, et pro *quaestus*, quod in MSS. quoque reperit Bongarsius atque dant sec. quint. Leid. corrigendum *quaestu.* Ed. Rom. *divitiarum tamen quaestu.* ABR. GRONOV.

6. DIVITIARUM QUAESTU, QUAM CUSTODIA SOLERTIOR. Scil. erat vel fuit, de qua ellipsi ad lib. XXIII. exeuntem plura. Et *solers re* pro in re, haud infrequens. Sabinus Epist. III. 81.

*Nam te nec Phoebi* sollertior artibus *ulla est.*

Talia sunt *arte scius*, Hygini Fab. XCII. et quae ibi contulit Munkerus. Fortunatus de vita Martini praef. lib. V.

*Pandere victus aquae* nescius arte *iacet.*

S. Rufus Breviario cap. XXIX. *Quibus . . Iovianus* imperio rudis acquievit. Tacitus Ann. XIV. 49. *in quibus* adulatione promtissimus *fuit A. Vitellius.* Gellius IV. 8. *Militarique* disciplina peritus *admodum fuit.* ubi vide Gronovium, nec non Davisium ad Caesar. B. Civ. III. 93. Hyginus Fab. CXCIV. *Arion Methymnaeus cum esset* arte *citharae* potens, *rex* etc. Hinc liquet nihil esse cur cum MSto et Io. Sarisberiensi legeremus *divitiarum quaestus q. c. s. Quaestum* autem divitiarum dixisse videtur Noster, ut Valer. Max. ineunte lib. IV. *Ut reprehensionis morsu sit vacua* (animi moderatio) et laudis quaestu *opulentissima.* et Ioan. Sarisber. lib. III. 7. *Nec quodcunque vitium erubescit dum* lucri *tendit ad* quaestum. WOPKENS.

7. MISERICORDIA IN EO. *Tà in eo* nescit ed. Rom. ABR. GRONOV.

PERFIDIA. Notat Pausanias in Arcadicis et Plutarchus Pelopida. BONGARS.

8. QUI PLURA PROMITTERET. Plutarchus in Aemilio cap. 11. tradit, Antigonum regem populari ioco dictum fuisse *Dosonem* (quasi *Dabonem* dicas) eo quod esset promissor quidem, at non effector pollicitorum. Sed et ob eandem caussam cum Atheniensium ducis *Charetis pollicitationes* in proverbium abiere, tum etiam Imp. Pertinax *Chrestologus*, hoc est, verbis munificus, est appellatus, teste Capitolino in eius vita cap. 13. Titus tamen a domesticis admonitus, quasi plura polliceretur, quam praestare posset, *Non oportere,*

ait, *quemquam in sermone Principis tristem discedere.* Sueton. Tit. 8. 3. Bernec. — Amat ita *qui* cum subi. iungi, pro *is qui* vel *talis ut*. Vide quae ad Ciceron. de Divin. I. 7. et Lactant. III. 20. Livius I. 34. *Animos auxit . . Tanaquil, summo loco nata, et* quae *haud facile . . humiliora* sineret *etc.* lib. II. 8. *Latae deinde leges non solum,* quae *regni suspicione consulem* absolverent *etc.* Wopkens.

In seria et iocos. Quod et in artibus Sullae numerat Sallust. Iug. 9. 6. 3. Bernec.

In seria et iocos artifex. Coll. N. *vel iocos.* ed. Rom. *et iocosa.* Abr. Gronov.

9. Amicitias utilitate. Ovidius de Ponto II. 3. 8.

*Vulgus amicitias utilitate probat.*

Addendi Cic. de Amicit. cap. 21. m. Sallust. Catil. 10. 5. Noster infra XXII. 7. 3. Bernec. — Sic Cicero de Finibus II. 26. *At vero si fructibus et emolumentis et* utilitate *amicitias colemus* etc. Quinctil. Declam. CCCXXXII. *Paupertas . . adfert dubitationis aliquid,* fide *an* utilitate *amet.* Usum istius ablativi sequentia illustrent exempla: Tacit. Ann. XV. 44. *Tamquam non* utilitate *publica, sed in saevitiam unius absumerentur.* et lib. XVI. 5. *Quique . . officio legationum aut privata* utilitate *advenerant.* Lactantius de ira Dei cap. 8. *At enim prodest id credere, ut quidam putant, non veritatis gratia, sed* utilitate. Quae lectio sollicitata immerito fuit; quemadmodum et ista eiusdem de Mort. Persec. cap. 45. *Cum milites non* fide, *sed paucitate diffisi, se ipsos dediderunt.* Cicero de Leg. III. 20. *Censores* fide *legem custodiunto.* Livius XXVIII. 19. *Ita quasdam civitates . . metu magis, quam* fide *quietas esse apparebat.* Alibi *ex fide* et *cum fide* dicitur. Wopkens. — Ed. Rom. *Amicitias non fide, sed util. col.* Abr. Gronov.

Gratiam fingere in odio, instruere inter concordantes odia. Iuntae: *Gratiam fingere in odio, in gratia offensam simulare, instruere inter concordantes odia.* Quod non temere spreverim, si MSS. accedat auctoritas. In aliis vetustioribus editionibus haec verba *in gratia offensam simulare* paullo superius post *insidiosus* leguntur. Ibi vero C. Barthius ad Claudianum ex MS. legit, *blandus per iram et in gratia.* Graev. — Editio Iuntina teste Graevio additum hic habet, *in gratia offensam simulare,* id quod huic loco apprime et quadrat. Habentque idem et Becharii aliaeque editiones veteres; sed alieno tamen loco, id est, paulo ante post verba *blandus pariter.* Vorst. — *Gratiam fingere in odio, in gratia offensam simulare.* Ita etiam Aldina. Abr. Gronov.

Instruere inter concordantes odia — solemnis illi consuetudo. Apud Saresberiensem vitiose editum est, *cordantes.* Magl. ed. Rom. *struere.* Vincentius lib. IV. cap. 20. *instruere inter concordes odia.* Apud eumdem atque in Med. sec. quint. Leid. tres postremae voces desiderantur. Abr. Gronov. — Tria ultima verba ab aliena manu inculcata fuisse, verisimile est, cum et in Codice

quodam non compareant. Exstant tamen etiam apud Sarisberiensem. WOPKENS.

10. ELOQUENTIA INSIGNIS etc. Demosthenes ipse Philippum *sub Sole hominum eloquentissimum* appellat in Orat. de Fals. Legat. et Polyaenus IV. Strategem. non minores eum res oratione quam praelio confecisse scribit, et pluris aestimasse verbis quam armis partas victorias. Harum enim partem sibi vendicare milites existimabat: illas ad suam unius laudem pertinere. Adde Notam ad VI. 5. 5. Plut. Alex. 6. m. *Sophistarum more facundiam suam ostentasse* ait. BERNEC.

ELOQUENTIA INSIGNIS, ORATIO ACUMINIS etc. Angl. *eloquentia insignis, oratio acuminis et solertiae plena.* Longe melius quam quod vulgatur. SCHEFF. — Haec et sequentia longe correctius et plenius ex antiquo codice iidem Oxonienses ediderunt, nimirum: *Inter haec eloquentia insignis, oratio acuminis et solertiae plena, ut nec ornatui facilitas, nec facilitati inventio, nec inventionibus deesset ornatus.* Optime et certissime. Priora, *inter haec eloquentia insignis, oratio acuminis et solertiae plena,* firmat quoque Iuntina. Mallem tamen: *nec inventioni deesset ornatus.* Mox expunxi eodem codice iubente in his verbis, *itaque vincendi ratio utrique diversa,* τὸ *itaque.* GRAEV. — Quoniam *inventio* plane inservit ornatui orationis, minus apta sunt ista *nec inventionibus deesset ornatus.* omninoque cum quatuor nostris aliisque codicibus legerim *nec facilitati inventionis* (vel *inventionum*) *deesset ornatus,* itaque legit Sarisberiensis. Sensus: ut quae ingeniose et acute, haec etiam facile, quaeque facile ac prompte, haec etiam ingeniose acuteque proloqueretur. WOPKENS.

INTER HAEC ELOQUENTIA INSIGNIS, ORATIO ACUMINIS ET SOLLERTIAE PLENA. Ita etiam Aldina: verum Rom. *I. haec eloquentia et ins. acuminis oratio sol. plena.* Bech. *I. h. eloquentia et ins. or. acuminis et sollertia pl.* Saresberiensis: *I. haec eloq. et insignis, oratio ac et s. p.* Aelianus lib. IV. Var. Hist. cap. 19. *Φίλιππος ὁ Μακεδὼν οὐ μόνον ἐλέγετο τὰ πολέμια εἶναι ἀγαθὸς, καὶ εἰπεῖν δεινὸς, ἀλλὰ καὶ παιδείαν ἀνδρειότατα ἐτίμα.* ABR. GRONOV.

NEC FACILITATI INVENTIONUM DEESSET ORNATUS. Ioh. Saresberiensis, ubi haec citat, id est V. 12., numero singulari, *inventionis,* quod et concinnius videtur; quia aliquot eiusdem numeri voces antecedunt. VORST. — Undecim MSS. ed. Ienson. Rom. Bechar. Ven. Florent. Med. Paris. Ald. Iunt. et Vincentius: *nec facilitati inventionum d. o.* ABR. GRONOV.

11. PATRE MAIOR. Coll. N. *pariter maior.* ed. Rom. *patre superior.* ABR. GRONOV.

12. VINCENDI RATIO UTRIQUE DIVERSA. Saresberiensis cum plerisque MSS. et vett. edd. *Itaque vinc. r.* ABR. GRONOV.

HIC APERTE, ILLE ARTIBUS BELLA TRACTABAT. Antiquiores editiones, *aperta vi.* cui consonat quod codices quidam MSS., quos Bongarsius vidit, et Io. Saresberiensis habent, *aperta.* VORST. —

Vorstius etiam hic ex eodem mallet *aperta vi*. Ego suspicor, illud *vi* esse glossam vocis *aperte*. Scheff. — Angl. *Hic aperta vi*. Suspicor Iustinum scripsisse: *Hic vi, ille artibus bella tractabat.* Haec enim oppositio idonea, quae est inter vim et artes. Postea venisse, qui per glossam *aperte* illud *vi* exponeret. Qua transsumta in textum, cum liqueret, *aperte vi* non cohaerere, accessisse correctorem, ac fecisse, *aperta vi*, quod in Anglicanam est derivatum. Scheff. — Iuntinae, ut aliae vetustiores, nec non codices Britannici, et Sarisburiensis: *Hic aperta vi, ille artibus bella tractabat.* Unde Schefferus non male colligit, Iustinum scripsisse: *Hic vi, ille artibus bella tractabat.* Sed non frustra in tot libris *aperta* legitur. Mihi videtur Iustini manus esse: *Hic aperte et vi, ille artibus bella tractabat.* *Artes* sunt strategemata, quae *furta belli* dicuntur. Hinc *furtiva victoria* XI. 6. est artibus et strategemate parta, cui opponitur, quae aperte et vi est parta. Plaut. Amphit. *Id vi atque virtute militum victum atque expugnatum est oppidum.* Sequentia Iustini verba haec explicant. Cum decipiuntur hostes, artibus bellum tractatur, seu ut lib. XI. loquitur, *astu agitur*, cui bello convenire ibidem dicit occulta consilia, cum palam funduntur hostes, aperte et vi bellum geritur. Graev. — Haudquaquam spreverim, quod Dorv. 1. et 3. cum Anglico et ed. Iuntina habet, *Hic aperta vi, illa a. b.* g. Livius XXVI. 3. *Non se . . insidiis circumventum*, vi aperta, *armis, acie victum.* Lib. XXXVIII. 7. *Itaque cum* aperta vi *parum procederet consuli res, cuniculum occultum . . agere instituit.* Lib. XLIV. 12. *Placuit . . quoniam* vis aperta *non processisset, operibus moenia oppugnare.* Sic idem lib. I. 6. Wopkens. — Med. Periz. et Saresberiensis: *Hic aperta.* sec. quint. Leid. Bodl. Coll. N. ed. Bech. Ven. Flor. Mediol. Paris. Ald. Iunt. *Hic aperta vi:* quomodo Livius lib. XXV. cap. 24. *Et iam undique non furtim, sed vi aperta gerebatur res.* Vide Cl. Wopkensium. Vincentius lib. V. cap. 22. *Hic aperta, ille artibus diversa bella tractabat.* Mirum autem, Cl. Graevium apud Saresberiensem legisse *aperta vi*, quum in utraque editione Lugduno-Batava *vi* desideretur. Abr. Gronov.

14. Hic ubi exarsisset, nec dilatio ultionis, nec modus erat. Probo et hic Iuntarum lectionem: *Huic, ubi exarsisset, nec dilatio ultionis, nec modus erat.* Graev. — Quemadmodum *hic* recte construitur cum *τῷ exarsisset*, ut liquet ex adnotatis ad lib. I. 10. 12. et alibi: sic ellipsi istiusmodi, qua in his *nec dilatio u. n. m. erat* pronomen *ei* subaudiendum omittitur, nihil est usitatius, ut quondam ad Ciceron. N. Deor. II. 48. ac saepius alibi vidimus. Quamobrem (invitis, ut puto, omnibus MSS.) reponendum non fuerat, *Huic*, *ubi exarsisset* etc. Ita immerito vexari ostendimus Cicer. N. Deor. III. 14. Qui *quoniam quid diceret intelligi noluit*, omittamus. et Lactantii I. 21. Quae *quia . . clam vini ollam ebiberat . . . usque ad mortem* caesam. Eodem in luto haeserunt viri docti in locis sequentibus: Caesar. B. Gall. I. 26. Qui *si iuvissent*,

*se eodem loco . . habiturum.* Nepos Agesil. cap. 3. Huc *quum tempus esset visum copias extrahere ex hibernaculis, vidit . . hostes non credituros.* Epaminond. cap. 6. *Thebis Oedipum natum*, qui *quum patrem suum interfecisset, ex matre liberos* procreasse. Cicero ad Att. XII. 23. *Nam quid de me dicam*, cui *ut omnia contingant quae volui, levari non possum.* Plautus Trinummo II. 4. Pater *cum peregre veniet, in porta est locus.* Livius XXXVIII. 9. *Parva disceptatio de urbibus tenuit;* quae *quum sui iuris aliquando fuissent, avelli velut a corpore suo aegre patiebantur.* et lib. XLII. 43. Queis *legati nullo in praesentia responso dato, Chalcidem se sequi* iusserunt. Phaedrus Fab. LIX.

*Is quum labore et plagis esset mortuus,*
*Detracta pelle sibi fecerunt tympana.*

et Fab. XC.

*Angusto in aditu* taurus *luctans cornibus*
*Quum vix intrare posset ad praesepia,*
*Monstrabat vitulus quo se pacto plecteret.*

ubi cave illud *taurus luctans* cum Burm. accipias pro nominativo absoluto, quum omnino pertineat ad verbum *posset.* Confer, quae dedimus ad Cicer. N. Deor. II. 4. et infra ad lib. XVIII. 2. 9. Wopkens. — MSS. ed. Bechar. Med. Saresberiensis et Vincentius: *Hic ubi exarsisset.* ed. Rom. *Hic ut exars.* Coll. N. *nec dilationem nec modum ultionis adhibere.* Abr. Gronov. — Angl. *non dilationem ultionis, nec modum adhibere.* Etiam hoc tribuo glossatori. Scheff.

15. Patri mos erat etiam de convivio in hostem procurrere. Angl. *Pater de convivio in hostem pr.* Praefero hanc lectionem vulgatae, *Patri mos erat etiam de* etc. quam puto natam ex eo, quod quis crederet mutilum illud *procurrere*, et explendum per *mos erat.* Scheff. — Foedum centonem, quem hic scioli assuerant Iustino, resecuerunt Oxonienses optimarum membranarum subsidio, quos ego sequor, et merito laudat Schefferus. Sic autem illi: *Pater de convivio in hostem procurrere.* Mox iidem: *Alexander in amicos hostium more saevire.* Sed quia in sequente periodo habetur, *in amicos regna exercebat*, non est vero simile eandem vocem in tam paucis versibus iterari a scriptore cultissimo. Itaque ab aliorum codicum scriptura hic minime discedendum mihi esse putavi. *Saevire* tamen recepi ex Anglicanis libris cum Oxoniensibus. Graev.

Pater de convivio in hostem procurrere. Ita Graevius edidit ex MS. Coll. N. at reliqui, Saresberiensis et Vincent. *Patri mos erat etiam de conv. in h. p.* Ed. Rom. *Patri mos erat de c. in h. pr.* Bech. Ald. Iunt. aliaeque, *p. mos erat et de c.* Saxo lib. XIV. pag. 342. 51. *avide in hostem procurrunt.* Abr. Gronov.

Manum conserere. Haec ignorant Magl. et Saresberiensis. Sulpicius Severus lib. I. Hist. Sacrae cap. 50. *non ausus manum conserere.* Saxo lib. XIII. pag. 231. 8. *cum tota acie manum con-*

*serere tutius rati.* Adde lib. XIV. pag. 287. 34. et pag. 290. 50. et lib. XV. pag. 368. 35. Abr. Gronov.

Periculis se temere offerre. Hegesippus lib. II. cap. 11. *nam prae ceteris sese offerre solebat periculis.* et lib. V. cap. 12. *cum ipse toties pro exercitu periculis offerre se non dubitavisset.* Abr. Gronov.

Alexander non in hostem, sed in suos saevire. Ed. Bechar. *saeviebat.* Saresberiensis et plerique MSS. minus eleganter, *Al. non in hostes, sed in suos saeviebat.* Coll. N. *Al. in amicos hostium more saevire.* Abr. Gronov.

16. Amicorum interfector. Angl. *amicis interfectis.* Videtur hoc rectius respondere praecedenti *vulneratum.* Graevius. — Coll. N. *amicis interfectis.* Med. Magl. Bodl. sec. quart. quint. Leid. Periz. et Saresberiensis, *am. interfectorum.* ed. Rom. *de am. interfectorum conv.* Lucianus Dial. Mort. pag. 287. de Alexandro: *καὶ ἐμιαιφόνει ἐν τοῖς συμποσίοις τοὺς φίλους, καὶ συνελάμβανεν ἐπὶ θανάτῳ.* Abr. Gronov.

17. Cum amicis etc. Est haec ea species amicitiae, quam Aristot. Eth. VIII. 7. *φιλίαν καθ' ὑπεροχὴν* appellat, qualis inter imperantem ac subditum. De his Plinius Panegyr. cap. 85. *Cum plurimis amicitiis fortuna principis indigeat, praecipuum est principis opus, amicos parare.* et Tacit. Hist. IV. 7. *Nullum maius boni imperii instrumentum, quam boni amici. Non enim exercitus, neque thesauri, praesidia regni sunt, verum amici:* Micipsa iudice apud Sallust. Iug. 10. 5. Alia regiae amicitiae exempla sunt infra XXX. 1. 3. et XXXIV. 3. 3. Porro de his *amicis comitibusque* principum exactissime, ut omnia, Salmasius ad Spartiani Hadrianum cap. 18. Iunge Lipsium Not. 29. ad lib. VI. Annal. Taciti. Bernec.

Nolebat. Sebis. vult *volebat*, ut sibi constet antithesis. Bernec. — Optime Sebisius: *Regnare ille cum amicis volebat.* Philippus consiliariis et ducibus suis multum tribuebat, illorumque consilium et auctoritatem in gerenda republica saepe sequebatur; Alexander vero solus omnia administrabat, superbeque ac crudeliter in eos, ut Clitum, Parmenionem, Philotam, aliosque, consulebat. Graev. — Hic sensus Iustini est per oppositionem: Philippus, qui civilis princeps esset, cum amicis potestatem participabat; Alexander contra, qui comitatis Macedonicae oblitus esset, merus rex erat, durus homo, et qui apologum illum Aesopi de leone nimis studiose legerat. Aliter hunc locum legebat Sebisius, vir, ut pluries dixi, ingeniosus; sed explicatio nostra omnem mutationem excludit. Legebat ille *volebat.* Faber. — Sebisius legendum putat *volebat:* idque adeo probat Graevius, ut receperit in textum. Nimirum sensus ipsis est visus hic esse, quod Philippus non solus, sed una cum amicis regnare voluerit, et amicos in regni quasi societatem susceperit. Mihi tamen rectius videtur *nolebat*, quod in antiquioribus est, et ab ipso Bongarsio, ut in MSS. quoque observatum, retentum est. Vult sane auctor Philippi et Alexandri morum diversitatem exponere. Cum

ergo de Alexandro per affirmationem scribere vellet, *Hic in amicos regna exercebat*, de Philippo videtur scribere voluisse per negationem, *Regnare ille cum amicis nolebat.* Sed observandum *cum amicis* esse pro *apud amicos*; et sensum esse, quod Philippus apud amicos, id est, consiliarios suos regnare noluerit, neque potentiam suam regiam apud eosdem ostentaverit, aut quemquam eorum interfecerit. *Cum* pro *apud* usitatissimum. ut *queri cum aliquo* pro *queri apud aliquem.* VORST. — *Volebat* Angli quoque probant. GRAEV. — *Volebat* pro *nolebat* correxit Sebisius, adstipulantibus ed. Rom. et Saresberiensi. ABR. GRONOV.

AMARI PATER MALLE, HIC METUI. Ita editio Saresberiensis in contextu: verum in margine, *malebat.* Coll. N. *amari pater, iste metui malebat.* ABR. GRONOV.

20. PARCENDI VICTIS FILIO ANIMUS ET PROMTIOR ET HONESTIOR. Sichardi et Coloniensis editiones additum habent, *Ille nec sociis abstinebat:* ut adeo hic quoque patri et filio diversa tributa sint. VORST. — Iuntina: *Parcendi victis filio animus et promtior et honestior, ille nec sociis abstinebat,* quod et in Sichardi et Coloniensi editione legi auctor est Vorstius. Et sane requirunt hoc patris et filii virtutes et vitia perpetuo sibi collata et opposita. GRAEV.

ILLE NEC SOCIIS ABSTINEBAT. Haec addit Aldina, quam sequuntur tres aliae editiones a Graevio et Vorstio laudatae. ABR. GRONOV.

---

# COMMENTAR. IN LIB. X.

## CAP. I.

1. ARTAXERXI. Qui *Mnemon* dictus est. Eius vitam scripsit Plutarchus, quem vide, et Aelianum fine lib. IX. Iustitiae eum fama floruisse Probus et idem Plutarchus auctores sunt. BONGARS.

EX PELLICIBUS. Quarum sexaginta et trecentas Artaxerxi tribuit Plutarchus in eius vita cap. 43. Totidem Dario Curtius III. 3. 36. ipsique Alexandro Persicis moribus corrupto, idem VI. 6. 8. ut et Diodorus XVII. 77. qui addit, hunc tantum numerum (Curtius VI. 2. 2. *gregem* appellat) eos ideo affectasse, ut accederent ad numerum dierum anni. Ceterum Ioniam regi Persico tot pellices suppeditasse tradit Maximus Tyr. Serm. 33. BERNEC.

CENTUM ET QUINDECIM. Coll. N. *centum duodecim.* ABR. GRONOV.

DARIUS, ARIARATES ET OCHUS. Tres hosce filios iusto matrimonio susceptos asserit auctor: cum Plutarchus quartum adiiciat *Arsamem*, ultimi Darii patrem. Porro Iustinus ultimum Darium Codomannum quendam vocatum ait, et regem postea factum ob pristinae virtutis memoriam; Darium autem vocatum, ne quid regiae maiestati deesset. Quid aliud voluit quam obscurum genere fuisse,

et proxime post regem Ochum rexisse? cum Diodorus post Ochum veneno sublatum, Arsen aliquot annos regem fuisse scribat, ac post eum Darium Arsamis filium, de quo singulare certamen in Cadusiis factum refert, nihil de Codomanno memorans. GLAREAN.

DARIUS. Med. Bodl. Coll. N. *Dareus*, ut infra XI. 8. 6. *Dareo*, et cap. 9. 8. *Darei* ex eodem MS. Med. Valerius Maximus VI. 3. Ext. 2. ex codice Andino, *Dareum regem*. Diphthongus *ει* per secundam et tertiam vocalem efferri solet, ut *Ἀλεξάνδρεια*, *Alexandrea* et *Alexandria*; *Κασσάνδρεια*, *Cassandrea* infra XXIV. 2. 11. et cap. 3. 3. et *Cassandria* apud Livium lib. XLIII. cap. 10. *Ἡράκλεια*, *Heraclea* et *Heraclia*. Hinc *Heracleenses*, et *Heracliensis* in MSS. infra XVI. 3. 9. et 11. Prius placuit Livio lib. XXXVI. cap. 22. *Heracleensis ager:* posterius Ciceroni or. pro Archia cap. 4. *Heracliensibus* et *Heraclienses*. ABR. GRONOV.

ARIARATES. Vett. *Aralratus*. Plutarcho in Artax. cap. 48. *Ariaspes*. BONGARS. — Iuntae: *Ariarchus*. Non longe abeunt MSS. in quibus *Aralractus* et *Aratratus*. Vindobonensis: *Ariaractos*. GRAEV. — In edit. Iuntarum, *Ariarchus*. Editio Viennensis, *Ariaractos*. MS. quidam, *Aralratus*, *Aralractus*. Nugae. Barbara nomina sunt, et non tanti ut examinentur in statera aurificis, sed in trutina populari. *Ariarathes* quidem mihi Cappadocicum nomen videtur, sed tamen et Persicum esse potest. FABER. — Med. sec. quint. Leid. *Arirates*. quart. *Aralratus*. Magl. *Arialarcus*. ed. Rom. *Ariaractes*. Flor. Ald. Iunt. *Ariarchus*. ABR. GRONOV.

2. PER INDULGENTIAM. Simul etiam ne se mortuo regnum novis bellis fratrumque certaminibus implicaretur. Plutarchus in Artax. cap. 41. *Cohibentur pravae aliorum spes, si successor non in incerto sit*. Tacit. Annal. III. 56. BERNEC.

PATER REGEM etc. Hoc *pater* mihi est suspectum, glossatorisque, non Iustini, videtur. SCHEFF. — Nulla plane ratio erat, cur vocem *pater* glossatoris esse, non Iustini, putaret Schefferus. WOPKENS.

REGEM VIVUS FECIT. Inconsulte. Vide sapientissimum Syracidem XXXIII. 20. et seqq. Feliciore tamen successu Ptolemaeus, infra XVI. 2. 8. BERNEC.

3. EXISTIMANS. MSS. habent, *aestimans*, quod notandum. Solent quippe alii quoque ita loqui, ipseque Noster alicubi. Vide sup. IV. 7. SCHEFF.

GAUDIUM EX PROCREATIONE etc. Apollon. Rhod. I. Argon. 973.

παίδεσσιν ἀγαλλόμενος μεμόρητο.

et Cic. V. de Finib. 23. *A procreatoribus diliguntur nati. Procreatio* Platoni de Legibus est *ἐπιτελείωσις παίδων*. GRONOV.

4. POST NOVA PATERNAE PIETATIS EXEMPLA. Hoc est, post n. p. p. exemplum. M. Felix Octav. cap. 18. *Cogitanti imperia terrena, quibus* exempla *utique de coelo*. Sulp. Severus Epist. IV. 7. *Ego pater gentium, cuius* exempla *sequerentur, electus sum*. Utrobique plura adscripsimus. WOPKENS.

6. OSTENTI PRORSUS GENUS, UBI IN TANTO POPULO SILERI PARRICIDIUM POTUIT. Freinshemius in Notis ad Curt. VIII. 6. 12. legendum putat, *uti potuerit.* Vulgaris loquendi ratio esset, *Ostenti genus est, quod parricidium sileri potuit.* Iam notum quidem est, *ut* poni interdum pro *quod;* eiusque rei exempla supra ad V. 3. 3. ex ipso Nostro congesta sunt: sed nescio tamen, an retinendum hic potius sit *ubi:* quia et omnes codices ita habent, et verbum non coniunctivi, sed indicativi modi subiunctum est, et ipsum denique *ut* sequitur. Ceterum *ubi* pro *si* aut *quia* non insolens. Caecina in Ep. ad Cic. quae est septima lib. VI. *Ubi hoc tu omnium patronus facis, quid me sentire oportet?* Valerius Max. V. 3. Ext. 2. *Quid aliae faciant urbes, ubi etiam illa tam ingrata extitit?* VORST. — Illud *ubi* explicant per *si* vel *quia.* Mihi tamen locus videtur corruptus, cumque Freinshemio scribo *uti*, vel potius *ut*, cum illud *i* ex sequenti voce huic adhaeserit. Ceterum illud *ut* non puto positum pro *quod*, sed usurpatum pro *quomodo*, *quâ ratione.* ut supra I. 5. *Scribit ei, ut ablegatus in Persas ab avo fuerit, ut occidi eum parvulum avus iusserit, ut beneficii suo servatus sit.* Qui locus huic est prorsus similis, cuius exemplo etiam mox *potuerit* pro *potuit* scribendum. SCHEFF. — Libens reposuerim, *O. p. genus, ut in tanto populo . . sileri parricidium potuerit, et ex quinquaginta* etc. Sic lib. XII. 9. *Incredibile dictu est,* ut *eum non multitudo hostium . . terruerit.* Lib. XXII. 14. *Mira prorsus audacia*, ut . . *eorum urbi bellum inferret.* WOPKENS.

IN TANTO POPULO. Hoc est, in tanta multitudine filiorum, audaci satis metaphora, qualis est etiam apud Gregoram III. 1. ὁ δῆμος μειρακίων. Ita Seneca Benef. VI. 33. *populus amicorum.* Florus I. 1. 17. *populus virorum.* Audacius Manilius, *aërei populi*, de avibus, et *populos exponere captos*, de piscibus. Columella IX. 13. *Duo populi coniungi debent*, de apibus. Apuleius lib. VI. *Sepedum populorum undae*, de formicis: de quibus et Proverb. XXX. 25. *Formicae populus infirmus.* Audacissime Sidonius VI. 1. *Scelerum populus*, pro copia peccatorum: ubi plura id genus exempla notavit Savaro. BERNEC. — Ovid. XI. Met. 635.

*At pater e populo natorum mille suorum*
*Excitat* etc.

et Seneca Epist. 105. *Habet unusquisque aliquem cui tantum credit, quantum ipsi creditum est: ut garrulitatem suam custodiat et contentus sit unius auribus, populum faciet.* Id. I. Nat. Quaest. 5. *Sunt quaedam specula ex multis minutisque composita: quibus si unum ostenderis hominem, populus apparet.* Et Plinius XXXV. Nat. Hist. 2. *Semper defuncto aliquo totus aderat familiae eius, qui unquam fuerat, populus.* GRONOV.

A TANTA IMMANITATE REVOCARET. Nec male Dorv. 1. aliusque MS. cum ed. vetere *a tanta sceleris immanitate*, i. e. a tam immani scelere. Sallust. Fragment. I. 5. *Pravissumeque per sceleris immanitatem adhuc tutus furit, dum vos metu gravioris servitii a*

*repetunda libertate terremini.* Cic. Catil. IV. cap. 6. *Quae potest esse in tanti* sceleris immanitate *punienda crudelitas?* Sic *magnificentia epularum* pro epulis magnificis lib. XI. 10. 2. *brevitas operis* lib. XXXVIII. 3. 11. *decretorum amaritudo* ibid. cap. 5. 5. *mortis infamia* lib. XXXIX. 4. 6. *frigoris magnitudo* lib. XLI. 1. 12. ubi etiam nonnulla. WOPKENS. — Vocem *sceleris* addidi ex Magl. pr. Dorvil. ed. Rom. Iunt. Cicero or. pro Coelio cap. 6. *nisi tot vitiorum tanta immanitas quibusdam facilitatis et patientiae radicibus niteretur.* Gellius lib. XX. cap. 1. f. *eo consilio tanta immanitas poenae denuntiata est.* ABR. GRONOV.

7. ADEONE VILE PATERNUM NOMEN — FUIT? Angli sine interrogatione, *adeo vile.* Probo. SCHEFF. — Pro *fuit* malebat Avus lib. II, Observ. cap. 14. *fuisse.* ABR. GRONOV.

## CAP. II.

2. FRATERNO BELLO. Id est, fratris, Artaxerxis, bello. Est autem *fratris bellum* id quod cum fratre geritur; quemadmodum *bellum Atheniensium* dicitur id quod geritur cum Atheniensibus III. 6. 10. et *Alexandri*, quod cum Alexandro XIII. 5. 9. Sic et paulo post *iurgia patris* sunt iurgia cum patre, vel in patrem. VORST. — Ald. Iunt. *Cyro fratre in bello.* ABR. GRONOV.

SUPRA. Fine libri quinti. BERNEC.

3. CEDERE. Sichardus mallet, *credere.* Non bene. Vide Notam ad I. 10. 12. BERNEC.

DARIUS POSTULAVERAT. Lex erat apud Persas, *δωρεὰν αἰτεῖν τὸν ἀναδειχθέντα, καὶ διδόναι τὸν ἀναδείξαντα πᾶν τὸ αἰτηθὲν, ἄνπερ ᾖ δυνατόν.* Plutarchus Artaxerxe cap. 42. BONGARS.

PRO INDULGENTIA SUA IN LIBEROS. Postrema duo vocabula pro glossematiis habeo, ac propterea puto delenda. SCHEFF. — Cur illud *in liberos* pro glossemate deleri velit Schefferus, causam non video sonticam. WOPKENS.

4. SOLIS EAM SACERDOTIO PRAEFECIT. Plutarch. Artax. cap. 43. Dianae quae est Ecbatanis, *ἣν Ἀνεῖτιν καλοῦσιν.* BONGARS. — Simillima ratione in India occidentali, toto Peruano tractu, priusquam sacris Christianis imbuerentur, *crebra et magna templa dicata Soli, et in iis virgines saepe ducentas fuisse*, Lipsius Syntagm. de Vesta cap. 15. refert: *e quibus si qua corpus polluisset, morte luebat, nisi tamen e Sole se concepisse* (ride superstitiosam credulitatem) *sancte adiurasset.* BERNEC.

5. IN IURGIA. Quidam MSS. *in iniuriam. Iniuria* etiam verbis fit, ut ICti docent. Tertull. *Omnis iniuria, seu lingua, seu manu incussa.* BONGARS.

DEPREHENSUS. Coniurationem prodente quodam eunucho. Plutarch. Artax. cap. 45. BERNEC.

6. CONIUGES QUOQUE OMNIUM CUM LIBERIS. Ammian. Marcellin.

XXIII. 31. *Leges apud Persas impendio formidatae, inter quas diritate exsuperant latae contra ingratos et desertores, et abominandae aliae, per quas ob noxam unius omnis propinquitas perit.* Exempla sunt apud Herodot. III. 119. et in Epistola Artaxerxis apud LXX Interpretes cap. VIII. 11. Esther. Neque mitior lex Macedonum, *qua cautum erat, ut propinqui eorum, qui regi insidiati essent, cum ipsis necarentur.* Curtius VI. 11. 28. Quomodo et Impp. Arcadii et Honorii constitutione, poena in partem ad filios extenditur, quorum parentes laesae maiestatis reatum incurrerunt. L. 5. Cod. ad L. Iul. Mai. Bernec.

7. Morbo ex dolore contracto. Ὑπὸ λύπης καὶ δυσθυμίας. Plut. Artax. In libello περὶ φιλαδελφίας mendose legitur Ξέρξης pro Ἀρταξέρξης. Bongars. — Infra XXXII. 3. 4. *Morbo ex aegritudine animi contracto.* et XXXVIII. 2. 2. *Ex aegritudine collecta infirmitate.* Nam *aegritudo* et *aegritudo animi* nihil aliud quam dolor. Vorst. — Saxo lib. II. pag. 28. 43. *Suanhuita parvo post et ipsa morbo ex moestitia contracto decedit.* et lib. XIV. pag. 288. 6. *languore ex molestia contracto.* Abr. Gronov.

Rex quam pater felicior. Ita de Augusto Suetonius, et Tacit. III. Ann. 24. 2. Bongars.

## CAP. III.

1. Ocho. Qui et ipse *Artaxerxes* dictus est. Diodorus lib. XV. extr. Bongars.

Cognatorum. Barn. Brissonius lib. I. de Regno Persico censet, auctori sermonem hic esse de cognatis regis honorariis, qui hoc sine re nomen tenuerunt. Et sane tributum apud Persas id nomen iis quoque, qui nulla sanguinis cognatione regem attingerent, apparet ex III. Esdr. IV. 42. et Iosepho XI. Antiquit. 4. ubi rex Darius inter cetera victoriae praemia tribus satellitibus hoc quoque proposuit: *Et cognatus meus vocaberis.* Alexandrum etiam hoc honore Persas quosdam affecisse, Arrianus lib. VII. pag. 153. f. memorat. Adde Diodorum XVII. 20. etc. Curtium III. 3. 20. et IV. 11. 1. Instar moris huius et in aulam Imperatorum Orientis postea translatum est, ut quidam honoris causa Βασιλεοπάτορες, *Imperatoris patres*, dicerentur, quo de Meursii Glossarium. Verumtamen hoc loco de *cognatis* proprie dictis esse sermonem apparet cum e subiecta voce *sanguinis*, tum quod addit auctor, *Ochum innocentiorem fratribus parricidis non fuisse paremque coniurationem timuisse.* Haec enim ad honorarios illos cognatos referri non possunt: quales cum fere plurimi fuerint, (*decem et quinque millia cognatorum* Dario tribuit Curtius III. 3. 20.) quis tantam multitudinem, in quam coniuratio cadere nulla potest, ab Ocho sublatam credat? Qui tamen eorum sublati, hos addita vox *principum* complectitur. Bernec.

Et strage principum. Hic quoque metuo, ne vox *principum*

glossatoris sit, non Iustini, qui cum *cognatos* de principalibus viris usurpari apud Persas legisset alicubi, praecedens *cognatorum* ita putavit explicandum. Quanquam ea explicatio hoc loco sit inepta. SCHEFF. — Inanis Schefferi scrupulus est, metuentis ne vox *principum* de aliena manu sit. *Principes* sunt alii (praeter cognatos) eminentioris dignitatis viri. Eatque forma similis illi Cicer. Tuscul. IV. 5. *Quia et Chrysippus et Stoici* (sc. reliqui) *cum de animi* etc. Minuc. Felix cap. 21. *Lege Stoicorum scripta vel scripta sapientium.* scil. aliorum. Utrobique consule Davisium eruditissimum. WOPKENS.

2. VELUTI PURIFICATO REGNO. Allusio ad morem castrorum, post caedem ducum et militum. Hom. I. Iliad. et alii, tum et Iustinus ipse, post mortem Alexandri M. FABER. — Ed. Rom. *pacifico.* Vincentius: *pacificato.* ABR. GRONOV. — Non video, quae verbi *purificare* vis hic esse possit, quod iis convenit, qui pollutas sanguine manus abluunt et nefarias caedes expiant; non iis, qui ab insidiis sese vindicant. Non ille *regnum* sibi *purificasse*, sed tutum potius praestitisse et in posterum tempus stabilisse videri poterat, postquam omnes, qui suspecti erant, sustulerat. Itaque longe praeferenda illa lectio est, quam unus nobis servavit Vincentius lib. III. cap. 90, qui ita hunc locum recitat: *Atque ita veluti pacificato regno bellum* Susis [male pro *Cadusiis*] *infert.* Ita Iustinum scripsisse puto. Nam esti ille *pacificari* lib. VI. cap. 1. dixit, pro *pacificare*, et *pacificatus* lib. XXIII. cap. 1. pr. activa significatione: scimus tamen participia deponentium utramque significationem admittere, in iis praesertim, quae utramque terminationem, O et OR, recipiunt. Aliis verbis idem fere dixit lib. XI. cap. 5. pr. *Ne qua materia seditionis procul se agente in Macedonia remaneret.* Si cui *pacificare regnum* suspectum est: licet etiam *regno pacato* legere, ex quo primum *pacificato*, tum *purificato* factum. Nam apud Sallustium etiam Iugurth. cap. XXXII. 3. pro *pacatis* Cod. Remensis habet *pacificatis.* Sed tamen Silius non respuit *pacificant divos* lib. XV. 424. ut ita ne hoc quidem novum esse videatur. HEUSINGER.

CADUSIIS. Ita MS. unus: ceteri *Adusis:* alii *adversis.* Vulgo male *Armeniis*, quia in sequentibus legerant Codomannum Armeniis praefectum. Sed *Cadusiis* legendum constat ex Diodoro XVII. 6. a quo haec petenda. BONGARS.

3. IN EO CUM ADVERSUS PROVOCATOREM HOSTIUM CODOMANNUS QUIDAM OMNIUM FAVORE PROCESSISSET, HOSTE CAESO. Freinshem. exigua mutatione multo concinniora haec facit: *In eo adversus provocatorem hostium Codomannus quidam cum omnium favore processit, et hoste caeso.* BERNEC. — *Provocatorem hostium.* Sebis. non male, *hostem.* BERNEC. — Aut *hostem* cum Sebisio legendum, aut *hostium* prorsus delendum, quod forte melius. Sane *provocator hostium* esset, qui hostes provocat, ad certamen puta singulare. Iam vero etiam sine illo *hostium* hoc intelligitur. SCHEFF.

OMNIUM FAVORE PROCESSISSET. Antiquiores editiones, *cum*

*omnium favore processisset*, quod magis placet. Vorst. — Vincentius, Becharius et Gryphius: *In eo cum adversus provocatorem hostium Codomanus* [non *Codomannus*] *quidam cum omnium favore processisset.* Praepositionem *cum* vulgo omittunt, sed sine causa. Heusinger. — Malebat Vorstius cum antiquioribus editionibus *cum omnium favore*, atque ita et nostri quatuor MSS., qui tamen *cum* superius nesciunt. Et transpositione satis usitata dici potuit, *adversus provocatorum hostium Codomannus quidam cum . . processisset*, pro, cum adversus provocatorem hostium Codom. quidam processisset. Vide ad lib. XVIII. 2. 9. Neutiquam vero, ut putabat Vorstius, ablativum istum *omnium favore* praepositione *cum* fulciri opus est, ut iam monuit Cortius ad Sallust. Iug. cap. CXIV. 3. Livius Epit. LXIX. *Metellus ab exilio*, *ingenti totius* favore *civitatis*, *reductus est.* Idem lib. II. 36. *Eadem illa quum patribus*, *ingenti omnium* admiratione, *narrasset.* Vellei. Pat. II. 79. *Ut mox ludos in theatro faciens*, execratione populi, *spectaculo pelleretur.* Cicero pro Cluentio cap. 5. *Nubit genero socrus . . funestis* ominibus *omnium.* ubi nescio an *omnium* merito deletum voluerit Graevius. Eutropius H. Rom. VIII. 15. *Cum annis duodecim . . imperasset tanta* execratione *omnium*, *ut* etc. et cap. 22. *Is quum Romam ingenti et militum et senatus* exspectatione *venisset*, *probris se omnibus contaminavit.* Lib. IX. 20. *Postea Carinum*, *omnium* odio *et* detestatione *viventem*, *apud Margum ingenti proelio vicit.* lib. X. 3. *Qui in Galliis et militum et provincialium iam* favore *regnabat.* Sic Aur. Victor Caesar. cap. XXI. 6. aliique. Wopkens. — *In eo cum adversus provocatorem hostium Codomannus quidam omnium favore processisset*, *hoste caeso*, *victoriam suis pariter et amissam gloriam restituit.* MSS. ed. Bongars. *in eo adversus*, omissa particula *cum.* Med. *Godomanis*, et paullo post cum vetustis edd. *Codomanus.* Periz. utroque loco, *Codonianus.* Dein MSS. ed. Bechar. Med. Bongars. *quidam cum omnium f.* Coll. N. *in eo adv, prov. h. Codomannus quidam cum o. f. processit*, *et h. c.* quomodo legendum suspicabatur Freinshemius. *Quidam* abest ab ed. Rom. Vincentius lib. IV. cap. 90. *in quo bello adversus procuratorem hostium Codomanus quidam cum o. f. processit, et*, *hoste caeso*, *victoriam suis obtinuit.* Porro Med. Bodl. Coll. N. sec. quint. Leid. *et belli prope amissam gl. r.* Abr. Gronov.

5. Post mortem Ochi. Ab eunucho Bagoa veneno necati. Diodor. XVII. 5. Cadaver ipsius Bagoas felibus obiecit, et ossa quaedam illius exprobrandae crudelitatis causa convertit in manubria gladiorum. Aelian. VI. Var. Hist. 8. Bernec.

Rex a populo constituitur. Codomannus puta. Praeteritur autem Ochi filius Arses, qui et ipse aliquamdiu rex fuit. Ochum nimirum ob crudelitatem Bagoas veneno sustulit, inque eius solio filium Arsen collocavit. Arses vero tribus modo annis imperium tenuit, ab eodemque Bagoa una cum prole et ipse interemptus est. Cumque ita stirps regia prorsus exstincta esset, in fastigium istud

idem Bagoas evexit Codomannum. Videsis Diodorum Siculum XVII. 5. Vorst. — Cum prius fuisset Ἀστάνδης, seu Ἀσκάνδης, id est, ἡμεροδρόμος, ut Hesychius interpretatur. Plutarchus Alexandro cap. 29. et de Fortun. Alex. orat. I. 1. et II. 18. Bongars.

Honoratus. MSS. habent *ornatus*, quod praefero; alterum puto esse glossatoris. Scheff. — Cur cum quibusdam MSS. *nomine ornatus* legere mallet Schefferus, nullam plane rationem habuit. Lib. IX. 6. *et* honoratum *insuper* ducatu *adversarium cerneret*. Lib. XXXVIII. 6. *Quod* honoratissimum nomen *fuit*. Vellei. lib. I. 13. *Uterque imperator devictae a se gentis* nomine honoratus. Livius XXXVI. 4. *Hoc* titulo *etsi nec consulatus nec triumphus addatur, satis honestam* honoratamque *P. Scipionis Nasicae imaginem fore*. ubi Gronovius tentabat *oneratamque:* quod nollem factum, praesertim cum Cicero similiter voces *honestus* et *honoratus* iungat, de Claris Orat. cap. 81. *Cum honos sit praemium virtutis . . qui cum sententiis, qui suffragiis adeptus est, is mihi et* honestus *et* honoratus videtur. Wopkens. — Tacitus lib. II. Hist. cap. 89. *Sic Capitolium ingressus, atque ibi matrem complexus, Augustae nomine honoravit*. Abr. Gronov.

6. Alexandro Magno. Cur Alexander, cur Pompeius, Magni potius dicti sint, quam Maximi, docere et causam dicere videtur ad illud Virgilii ex divina Aeneide Servius, non ignobilis ille, qui vulgo circumfertur, sed membranaceus noster longe doctissimus, his verbis:

*a Magno demissum nomen Iulo.*

*Sicut Alexander; sicut Pompeius. Graeci enim omne magnificum, magnum vocant, ut mater magna, dii magni*. Mod. — Senec. Epist. 91. 40. *Alexander, Macedonum rex, discere geometriam infelix coeperat, sciturus quam pusilla terra esset, ex qua minimum occupaverat. Ita dico, infelix, ob hoc, quod intelligere debebat, falsum se gerere cognomen: quis enim esse MAGNUS in pusillo potest?* Vide eundem de Brevit. vitae cap. 14. et Modium hoc loco. Bernec.

Diu variante fortuna. Imo fere semper adversa. Bernec. — Mallem illud *diu* ad praecedentia referre et a sequentibus commate distinguere. Sic enim omnia melius convenirent historiae, cum bellum quidem gesserit diu, fortuna vero cito coeperit variare atque in Alexandri inclinare partes. Scheff.

# COMMENTAR. IN LIB. XI.

## CAP. I.

1. In exercitu Philippi, sicuti variae gentes. Duobus libris XI. et XII. Alexandri Magni, Philippi F. res gestae continentur: quas libris octo Arrianus Nicomediensis complexus est. Exstat de iis etiam Q. Curtii Rufi historia manca et lacera. Eam emendatam, et quantum potest ex Vett. Codd. restitutam edere in animo est. Ero ideo in horum duorum librorum explicatione brevior. Legendus praeter illos Diodori liber XVII. et Plutarchi Alexander, et Orationes duae de Fortuna vel Virtute Alexandri, et Aelian. Var. Hist. III. Bongars. — Praeter commemoratos, Cicero, Plinius, Valerius Maximus, Zosimus, Apuleius, Orosius, aliique multi, hinc inde de Alexandro Magno alius alia in litteras retulerunt. Gualterus etiam, poëta non contemnendus, hoc argumentum peculiari poëmate tractavit, quod ad exemplum Maronis et Statii, *Alexandreida* nominat. Bernec.

4. Nonnulli facem nuptiis filiae accensam, rogo patris subditam dolebant. Simili allegoria, sed inversa usus Valerius Maximus IX. 1. 9. *Ex rogo filii maritalem facem accendit.* Vorst. — Ovidius Heroid. Epist. VI. vs. 41.

*Heu! ubi pacta fides? ubi connubialia iura,*
*Faxque sub arsuros dignior ire rogos?* Abr. Gronov.

5. Amicos quoque — haud mediocris metus ceperat. Sallust. Iug. LXXXV. 44. *Neque quemquam ex calamitate aliorum . . metus ceperat.* Wopkens.

6. Nunc Illyrios, Thracas, Dardanos. Med. Periz. ed. Bechar. Ven. Flor. Med. Paris. Ald. Iunt. *et Thracas, et D.* Abr. Gronov.

Et Thracas. Angl. non agnoscit coniunctionem *et.* Scheff.

Barbaras gentes etc. Livius XXII. 22. 7. *Talia sunt barbarorum ingenia: cum fortuna mutant fidem.* et XXVIII. 17. 5. *Barbaris ex fortuna pendet fides.* Bernec.

Resisti nullo modo posse. MSS. *Sisti nullo modo posse.* hoc est, salvos esse non posse. Probat hoc dicendi genus et vindicat Gronov. ad Liv. IV. 12. quem vide. Graev. — *Sisti* in collectione MSS. Codd. legitur, non autem *resisti.* Quam lectionem acriter et copiose probat Doct. ille Gronovius ad Livium. *Sisti non potest,* idem valet, ac si dicas, nullus saluti locus est: tanta clades, tanta calamitas non potest sisti. Faber. — Codices quidam MSS. teste Bongarsio, *sisti nullo modo posse.* Quod probat Gronovius ad Liv. IV. 12. et bene Latinum esse adductis variis Livii et aliorum locis demonstrat. Livius lib. II. *Totam plebem aere alieno demersam esse, nec sisti posse, nisi omnibus consulatur.* ubi *nec sisti posse*

idem est, quod, nec rem salvam esse posse. Item: *Qualicumque urbis statu, manente disciplina militari, sisti potuisse.* id est, rem servari, rem salvam esse potuisse. Rursus lib. III. *Si quem similem eius priore anno inter morbum bellumque irati dii tribunum dedissent, non potuisse sisti.* id est, actum fuisse, pereundum fuisse. Plura id genus praedicto Notarum Gronovii ad Livium loco vide. Vorst. — MS. *sisti nullo m.* quod probant Gronovius, Graevius, Vorstius. Mihi Iustinus scripsisse videtur, *si pariter deficiant, res sisti nullo modo posse.* Sic *rem sistere* Virgilius VI. Aeneid. vs. 855.

*Hic rem Romanam, magno turbante tumultu,*
*Sistet eques.*

Scheff. — Angl. *sisti*, quod Notator non sine ratione probat. Hoc voluit, futurum ut undique impetum faciant. Tac. Hist. V. 21. *Vadam Civilis, Grinnes Classicus oppugnabant: nec iam sisti poterant.* Scheff. — Rectius hunc locum exposuit Gronovius, et eum secuti Vorstius et Faber. Graev.

Sisti nullo modo posse. Ita quart. Leid. Periz. Bodl. probante Avo ad Livium IV. 12. Coll. N. *hiis resisti.* ed. Rom. *his resisti.* sec. quint. Leid. Iunt. *iis resisti*, ut infra XXIII. 3. 5. *nuntiantes, Romanis resisti non posse.* Reliquae vet. edd. *resisti*, omisso pronomine. Abr. Gronov.

7. Queis rebus. Angl. *his rebus*, ex glossa. Scheff. — Magl. *quibus r.* quart. quint. Leid. ed. Bongars. *quis rebus. Med.* Bodl. ed. Bechar. Ven. Flor. Mediol. Paris. Ald. Iunt. *his rebus.* Vide infra ad XXIX. 1. 8. Abr. Gronov.

Veluti medela. Adspectum principis in calamitate populo solatium esse, fuse Gruterus Dissert. 21. ostendit, ad illud Taciti Annal. XV. 36. *Sueti adversus fortuita adspectu principis refoveri.* Bernec.

8. Pro concione. Saxo lib. XIV. pag. 277. 28. *Suenonisque dolum pro concione causatus.* Abr. Gronov.

Vulgus omne consolatus hortatusque pro tempore est. *Hortari*, pro, bonum animum habere iubere. Quod apparet ex eo quod sequitur, *spe omnes impleret.* Ita fere et XI. 3. 1. *In transitu hortatus Thessalos fuerat.* et XI. 9. 13. *Ad quas visendas hortandasque cum Alexander venisset.* Deinde *pro tempore* idem quod ut tempus fert et postulat, et ut Cicero VI. Ep. ad Fam. 13. loquitur, *pro ratione temporis*, vel, ut Suetonius in Caesare, *pro conditione temporis;* vel denique, ut Plancus in Ep. quae est decima libri IX. Epp. Cic. *ad tempus.* Vide et Lib. de Latinit. mer. susp. cap. II. Vorst. — *Pro tempore.* Hoc est, *pro conditione temporum*, ut inquit Sueton. Caes. 16. 2. Ita Sallust. Catil. 30. 5. *pro tempore atque periculo exercitum comparare.* Tacitus Annal. XII. 49. 4. *pro tempore rebus turbidis consulere.* longe alio sensu quam hodie doctos etiam hac uti phrasi videas. Ita Liv. XXX. 10. 6. Bernec.

Et spe omnes impleret. Bongars. edidit, *et in spem omnes impelleret*. Sequor scriptos libros. Venustior est oppositio, *demere, implere*. Et *spe implere* phrasis est Iustino familiaris. Impressi quidem etiam addunt *spe sui*. Bernec. — Iuntae non abeunt a MSS. et editionum aliarum lectione: *in spem sui omnes impelleret*. *Sui* tamen non agnoscunt MSS. sed assentior Bernecceго. Graev. — Hunc loquendi modum illustrat Cl. Trillerus lib. III. Obs. Crit. cap. 2. Quart. Leid. Bodl. Peris. Coll. C. C. ed. Bongars. *et in spem omnes impelleret*. Med. sec. quint. Leid. ed. Ienson. Bech. Ven. Flor. Med. Paris. Ald. Iunt. *et in spem sui o. impelleret*. Eadem verba etiam miscentur apud Mamertinum Genethl. Maximiani cap. 2. Vide notam ad Praef. §. 5. Abr. Gronov.

In spem sui omnes impelleret. Sic XV. 4. *Hoc prodigio primum* ad spem *regni* impulsus, *contractis* etc. Livius XXXV. 47. *Hunc forte ingenio vanum Aetoli et Antiochus* impulerant in spem . . *regni Macedoniae*. Alia vide apud Abr. Gronovium. Nec tamen displicet illud quorumdam librorum, *et spe omnes impleret*. ut lib. XXII. 2. *Qua spe* impletus *Hamilcar societatem cum eo . . iungit*. et lib. XXIV. 2. *Arsinoë postquam et* spe impleta *est et metu soluta* etc. Wopkens.

9. Ita moderate. De Agricola Tacitus in eius vita cap. 18. 10. *Ipsa dissimulatione famae, famam auxit, aestimantibus, quanta futuri spe tam magna tacuisset*. Bernec. — Hoc *moderate* non ad proximum *multa*, sed sequens *pollicitus* est referendum. Dicitur autem *moderate polliceri*, qui hoc facit verbis paucis, citra iactantiam et ostentationem sui. Scheff.

10. Tantum sibi favorem omnium conciliavit. Med. ed. Rom. *tantum sibi favoris apud omnes conciliavit*. *Tantum favoris*, ut supra II. 14. 9. *tantum spatii*. et cap. 15. init. *tantum incrementi*. V. 1. 6. *tantum odii*. et V. 11. 14. ex ed. Ald. Iunt. *tantum irae*. XI. 13. 9. *tantum sanguinis*. et 4. 12. *tantum momenti*. *Apud omnes conciliavit*, ut supra VII. 5. 8. *ei apud matrem misericordiam ne parvulus quidem filius conciliaverat*. Abr. Gronov.

## CAP. II.

1. Prima illi cura. Diodor. XVII. 2. πρῶτον μὲν τοὺς φονεῖς τοῦ πατρὸς τῆς ἁρμοζούσης τιμωρίας ἠξίωσε etc. Bongars. — Causa traditur infra XI. 15. 12. Bernec.

Ad tumulum patris occidi. *Imp. Augustus trecentos ex deditiis electos, ad aram D. Iulio* (patri) *extructam, Idibus Martiis* (qua patrata caedes eius) *hostiarum more mactavit*. Sueton. Aug. 15. 2. Quo loco plura huc pertinentia Casaubonus. Adde Gruterum ad Hist. Aug. tom. I. pag. 72. fol. 1. Bernec.

2. Lyncistarum. Populus est Macedoniae, qui Λυγκησταὶ dicitur Thucydidi II. 21. 26. Plin. IV. Nat. Hist. 10. Ptolemaeo III. 13. Straboni vero lib. VII. Λυγκισταί, quomodo habent hic

vett. libri. BONGARS. — Lege, *Lyncestae pepercit.* Alexander enim ille, qui ex Lyncestia regione vicina Macedoniae erat, *Lyncestes* dicebatur. Unde apud Ovid. XV. Met. 329. *Lyncestius amnis.* GRONOV.

SOLI ALEXANDRO LYNCISTARUM. Nihili est haec lectio. Scribe cum Iuntis et aliis antiquis libris et hic et inferius: *Lyncistae.* GRAEV. — Lege, *Soli Alexandro Lyncestae G. Antipatri, pepercit.* Iste Alexander Lyncestas, seu Lyncistes, a regione Macedoniae dicebatur, quae Lyncestis sive Lyncistis a Geographis vocatur. Sed quid isthuc, *G. Antipatri?* Id vero est, *genero Antipatri.* Nam quemadmodum F. ponitur pro Filius, P. pro Pater, A. pro Avus, ita et G. pro Gener. At haec nihil sunt, dices, nisi hiberna somnia. Imo autem; nam Alexander iste Lyncista re vera Antipatri gener erat, ut apparet ex cap. 7. *Insidias ei ab Alexandro Lyncista, genero Antipatri, qui praepositus Macedoniae erat.* I nunc, et nega nos bene legere. Et tamen isthaec ridendo dicimus, quanquam ridendo et paucis vera proloqui licet, ut ait Magister ille noster. FABER. — Editur vulgo, *Lyncistarum fratri.* Solus Cl. Graevius, cum in vetere editione Iuntina legisset, *Lyncistae fratri,* ita omnino et rescribendum putavit. Iam non video quidem, cur Alexander ille *frater*, et cuius frater dicatur, sed rectius tamen videtur *Lyncistae fratri*, quam *Lyncistarum fratri.* At librarii quod et ipsi non caperent, cur Alexander iste *frater*, et cuius frater dicatur, siquidem *Lyncestae* legatur pro *Lyncistae*, videntur scribere voluisse *Lyncestarum:* parique modo 7. 1. et XII. 14. 1. ubi τὸ *frater* non est additum. Sed *Lyncistarum frater* quid tamen erit? *Λυγκηστὰς* vel *Λυγκιστὰς, Lyncestas* vel *Lyncistas,* populum fuisse Macedoniae, ipsamque illorum terram *Λυγκηστίδα, Lyncestidem*, vocatam, ex Thucydide, Strabone, Plinio, et Ptolemaeo scire licet. Sed non video, qui totius alicuius populi, Lyncestarum exempli gratia, aut Thessalorum, frater dici aliquis possit. Potius nomine gentili appellandus aliquis fuerit, dicendusque Lyncestes, Thessalus. Et sane Alexandrum istum, cui Alexander rex pepercisse dicitur, ab auctoribus *Λυγκιστής*, *Lyncistes* vel *Lyncestes*, vocatur. Videsis Diodorum, Arrianum, et Curtium. Quidni igitur et a Nostro sic appellatus credi possit? praesertim cum Iuntina editio, ut dixi, manifeste sic habeat, *Alexandro Lyncestae fratri,* et alteris item locis, *ab Alexandro Lyncista* et *Alexandrum Lyncistam.* Ipse quoque Bongarsius in variis lectionibus monet, quosdam typis expressos codd. habere *Lyncestae.* Qui codices cum ex codd. MSS. et ipsi expressi sine dubio sint, perinde id est, ac si in ipsis codd. MSS. sic legeretur. VORST. — Emendant, *Alexandro Lyncistae.* Atqui sic et cap. 7. 1. et XII. 14. 1. Non potuit tot locis idem vocabulum esse depravatum. Itaque nil muto, tantum post *Lyncistarum* pono comma. Nec enim cohaerent, *fratri Lyncistarum*, sed *Alexandro Lyncistarum.* id est, Alexandro illi, qui fuit ex familia sic dicta. Nisi malumus ita vocatum, quod for-

tassis praefectus esset Lyncistis, regioni sic dictae, ut appellat Strabo, urbique Macedoniae Lyncaeae, cuius mentionem facit Hesychius, a Philippo patre. Frater tamen simul Alexandri. SCHEFF. — *Alexandro Lyncistae* ex Iuntina, cui consentit Aldina, edidit Cl. Graevius. Ed. Rom. *Lyncistari*. MSS. *Lyncistarum* cum ed. Flor. Paris. Bong. vel *Lyncestarum* cum Mediol. quod Cl. Munkerus ad Hyginum Fab. 255. eodem modo dictum existimat, quo *Tullia*, *Lucretia Romanorum*, *Pomona Hamadryadum*. ABR. GRONOV.

AUSPICIUM DIGNITATIS SUAE. Dorv. 2. cum aliis MSS. *auspicia*, ut plurali numero delectatur Iustinus. WOPKENS. — Ed. Rom. *auspicia maiestatis suae*. Bongars. *servans sane auspicium d. s.* ABR. GRONOV.

4. GENTES REBELLANTES COMPESCUIT. Τὰ μὲν οὖν βαρβαρικὰ κινήματα καὶ τοὺς ἐκεῖ πολέμους κατέπαυσεν. Plutarchus Alex. cap. 19. Multa sunt in hoc auctore, quae iustum commentarium scribenti, cum Graecis comparare operae pretium esset. Ea hic annotare non est instituti nostri. BONGARS.

5. EXEMPLO PATRIS. Supra IX. 5. 1. BERNEC.

7. ATHENIENSES ET LACEDAEMONIOS. Haec est veterum librorum lectio: ex historia et sequentibus pro *Lacedaemonios* legendum *Thebanos*. Non enim defecerunt Lacedaemonii, qui Philippi et Alexandri pacem semper spreverant. Supra IX. 5. 3. et infra XII. 1. 7. BONGARS. — In editionibus priscis est, *Athenienses et Thebanos:* quod certissimum; et ita in optima illa Iuntarum editione, qua usus est Graevius noster, aperte legere est. Et hoc notissimum est, Thebanos male inter Graeciae populos audisse, quod Persis faverent; et ipse Iustinus alibi indicat. FABER. — Iuntae: *Thebanos*. Nec aliter legendum esse sequentia declarant. GRAEV. — Bongarsius, eumque secutus Berneccerus edidere, *Athenienses et Lacedaemonios;* quod ita in codd. MSS. legeretur. Sed monet tamen Bongarsius, ex historia et sequentibus pro *Lacedaemonios* legendum esse *Thebanos*. Non enim defecisse Lacedaemonios, ut qui pacem Philippi et Alexandri semper spreverint. Deinde in variis lectionibus et hoc notavit, quod codices quidam typis expressi habeant, *Athenienses*, *Thebanos et Lacedaemonios:* id quod de antiquis etiam editionibus Becharii, Maioris et Sichardi testari licet. Graevius autem testatur, editionem Iuntinam habere planissime, *Athenienses et Thebanos*. Quid ergo amplius tergiversaremur, neque *Thebanos* hic pro Lacedaemoniis substitueremus. VORST. — *Athenienses et Thebanos*. Sic ex Iuntina et veteribus edidit Vorstius, probante Graevio. SCHEFF. — Angl. *Athenienses*, *Thebanos*, *et Lacedaemonios*. Nihil in vulgata mutandum. GRAEV.

MAGNO AURI PONDERE. *Δωροδοκία* et *ἀργυράγχη* Demosthenis ex Plutarcho in eius vita cap. 35. Diodoro XVII. 4. Agellio XI. 9. Dinarchi et Aeschinis oration. contra Demosth. et aliunde nota est. Excusat tamen eum Pausanias Corinthiacis. BERNEC.

8. A Triballis. *Ab Illyriis* habet Arrianus lib. I. Bongars. — A Nostro stat Plutarchus in vita Alex. cap. 19. Bernec.

Affirmaverit. Angl. *affirmaverat*. Servo vulgatam. Scheff. — Bodl. Coll. N. *affirmaverat*. Abr. Gronov.

9. Praesidia Macedonum obsideri. Lege, *et praesidia Macedonum obsideri*. Faber. — Faber copulat . . *animos esse, et praesidia M. o.* Ita *veritumque* legit cap. XIII. 3. huius libri. Sed passim istius modi ἀσύνδετα apud Iustinum aliosque obvia sunt. Wopkens.

10. Instructo paratoque exercitu. Amant ita verba *instruere* et *parare* iungi. Sallust. Iug. cap. 74. *Numidae ab Iugurtha pro tempore* parati instructique. Cicero in Orat. cap. 5. *Ad permovendos et convertendos animos* instructi *et* parati. In Verr. Act. I. 3. *Intelligit me ita* paratum atque *instructum in iudicium venire, ut* etc. Famil. XII. Epist. 15. *Naves complures* instructas et paratas *in aqua habere.* et alibi. Wopkens.

## CAP. III.

1. Hortatus. Peculiari notione pro *excitare:* cui quodammodo affinis est infra XI. 9. 13. ubi *hortari* pro *consolari* sumitur. Utrumque nostris est, *Einem zusprechen.* Bernec.

Sub Aeacidarum gente. Diodorus XVII. 4. ἀφ' Ἡρακλέους. Erat autem Alexander paterno genere Ἡρακλείδης; materno *Αἰακίδης*. Plutarchus, alii: erat Hercules Thebanus, non Thessalus. In eundem lapidem impingit Iustinus, cum paulo post cap. 4. 5. ait, ab Hercule Aeacidarum gentem originem trahere. Bongars. — MS. Iuntae, et veteres editiones aliae: *ab Aeacidarum gente.* Hanc lectionem postulat Latinae linguae genius. Quid enim est *necessitudo sub Aeacidarum gente.* inepte quoque interpreteris sub Aeacidarum imperio. Graev. — Impressi pro *sub* habent *ab* Aeacidarum gente, vera lectione; sensus est, vel usque ab ultima gente Aeacidarum necessitudinem inter eos fuisse. Faber. — Antiquiores editiones Becharii, Maioris, et ut Graevius testatur, Iuntarum, *ab Aeacidarum gente.* Sed et MS. quidam teste Bongarsio ita habet. Atque eam lectionem genium Latinae linguae plane postulare censet Graevius. Vorst. — Rectius, *ab Aeacidarum.* Littera *s* ex fine praecedentis vocis male huic adglutinata est. Nescio tamen, annon scripserit Iustinus, *ob Aeacidarum gentem.* Potuit ultimae litterae vocis *gentem* accidisse contrarium, et absumta esse per *n* subsequens. Scheff. — Angl. *ab Aeacidarum.* Videtur lectio haec praeferenda vulgatae. Nam *necessitudo ab aliqua gente* intelligitur ea, quae ab ea gente oritur, quod vult Noster. Non sic *necessitudo sub gente.* Possunt enim necessitudines inter se plurimum existere etiam sub gente peregrina. Ita *ab* adhaesit littera *s* a voce praecedenti. Ita natum *sub.* Scheff.

2. Exemplo patris. Supra VIII. 2. 1. Bernec.

4. Contemtum hostis in admirationem vertentes. Saxo lib. XI. pag. 205. f. *ultione in admirationem versa.* Bechar. *in admiratione convertentes.* Male. Abr. Gronov.

Pueritiamque Alexandri spretam. Demosthenes Alexandrum *puerum et margiten*, hoc est, fatuum, inertem, vocabat. Plutarch. in Demosth. cap. 32. et Alexandr. cap. 19. Bernec.

6. Increpatis. Iunt. *increpitis.* Abr. Gronov.

7. Nec deprecatione. Anglicanus haec omittit. Scheff.

8. In consilio. Ed. Rom. *in concilio.* Ita VIII. 1. 4. *apud commune Graeciae concilium.* et IX. 5. 2. *conciliumque omnium, veluti unum senatum, ex omnibus legit.* Abr. Gronov.

Socii. Diod. XVII. 14. Σύνεδροι. Bongars.

10. Odium. Sichardus *odio* mallet. Sed illud rectum est: sicut contra *amor deliciaeque*, pro homine amato. Ita formosas, *dolores oculorum* dixit Alexander, Plutarch. in eius vita cap. 36. Uxor *desiderium oculorum*, Ezechiel XXIV. 16. Bernec. — Magl. *odio.* Ed. Rom. *odium in eos.* Praestat vulgatum. Plautus Curcul. I. 3. 35.

*Tun' etiam cum noctuinis oculis odium me vocas?*

Trucul. II. 2. 65.

*Sed eccum odium progreditur meum.*

et Rud. II. 2. 13.

*Deorum odium atque hominum, malum, malique vitii probrique plenum,*
*Qui duceret mulierculas duas secum satis venustas.*

Sophocles Electra vs. 771.

Ἄγετε τὸ μῖσος, ὡς κατ' ὄμματ' αὐτίκα
Παρόντι θνήσκῃ πλησία τῷ νυμφίῳ.

Scholiastes: Ἄγαγε τὸ μῖσος. τὴν Ἀντιγόνην φησίν. D. Paulus Epist. ad Ephes. V. 7. ἦτε γάρ ποτε σκότος. Valerius Max. lib. IX. cap. 1. Ext. 5. *Iam Ptolemaeus accessio vitiorum suorum vixit.* Minucius Felix cap. 24. *dum fieri malunt alieni erroris accessio, quam sibi credere.* Vide Avum ad Senecam Herc. Fur. vs. 1157. Abr. Gron. — Recte illud *odium* defendunt Berneccerus et Abr. Gronovius. Tacitus Annal. II. 2. *Sed promti aditus, obvia comitas, ignotae Parthis virtutes, nova vitia* (legerim *novitate sua*) *et quia ipsorum moribus aliena, perinde* odium (i. e. odiosa sunt) *pravis et honestis.* Dictys Cret. III. 20. *Quorum Andromache non minor . . miseratio.* ubi de hac Metonymia etiam quaedam dedimus. Wopkens.

Iureiurando se obstrinxerint, ut victis Persis Thebas diruerent. Pro, victis Persis Thebas se diruturos esse. Cuius generis plura supra ad V. 3. 3. et IX. 2. 12. notavimus. Vorst.

## CAP. IV.

1. Cleadas. Liber ἀνώνυμος de vita Alexandri, quem mihi ex bibliotheca reginae matris utendum dedit doctissimus Fr. Pithoeus,

refert Ismeniam quendam Thebanum, *τῆς αὐλομελῳδίας ἔμπειρον ἄνθρωπον καὶ σοφὸν τῇ γνώμῃ τυγχάνοντα*, in Thebanorum gratiam apud Alexandrum dixisse. BONGARS. — Editio Iuntina: *Eleadas*. GRAEV.

NON A REGE SE DEFECISSE. Lege, *defecisse SE*, *quem* etc. FABER. — Istud *se* in quatuor codicibus invenerunt Oxonienses, meritoque probante Scheffero reposuerunt, adstipulante Iuntina. GRAEV.

2. CREDULITATIS. *Quae error est magis, quam culpa; et quidem in optimi cuiusque mentem facillime irrepit.* Plancus ad Cicer. Epist. Fam. X. 23. Vide et Polybium VIII. 2. BERNEC.

3. UT NIHIL AMARIUS UMQUAM SINT PASSI. Angl. *amarius, quam sint passi, deprecentur, nec iam.* valde placet. Pulchre quippe respondet sequens *orare*, quod alias non haberet, quo satis commode referatur. Illud *deprecari* Noster quoque alibi sic usurpat, ut II. 6. *Dum Darii corpus sepeliant, dilationem mortis deprecantur.* Sic alibi. SCHEFF. — Non possum hoc loco probare codicis Anglicani, et qui eam laudant, scripturam. Ea vero haec est: *ut nihil amarius, quam sint passi, deprecentur.* Plane haec adversantur sententiae huius orationis, quae haec est, faeminas et senes ita stupris et contumeliis vexatos esse, ut nihil ullo tempore acerbius sint passi, nec iam pro civibus se tam paucis orare, qui supersint, ut illis parcatur, sed pro patriae solo. Haec liquida sunt: illa non obscura solum, sed aliena cum ab hoc loco, tum ab ipsa Latina lingua. Quis enim sic loquitur, *ita vexatus sum, ut nihil amarius, quam sum passus, deprecer?* aut si quis ita loqueretur, a quo intelligeretur? GRAEV.

4. QUAE NON VIROS TANTUM, VERUM ET DEOS GENUERIT. Bacchum nimirum, et Herculem. Hinc explica versus illos Sophoclis, qui apud Dicaearchum exstant:

*Θήβας λέγεις μοι, τὰς πύλας ἑπταστόμους,*
*Οὗ δὴ μόνον τίκτουσιν αἱ θνηταὶ θεούς.*

Quos versus perperam corrigunt. Statim post lege ex MS. Bibliothecae Lugdunensis: *actaeque Thebis a patre eius Philippo pueritiae.* VOSS.

5. ACTAQUE THEBIS. Supra VII. 5. 3. BERNEC. — Cum scilicet a fratre Alexandro Thebanis obses datus in domo Epaminondae vitam egit. Vide supra VII. 5. Pro *acta pueritia* quidam codices testibus Bongarsio atque Vossio habent, *actae pueritiae:* quam lectionem iidem et probant. Mihi tamen altera lectio magis placet: ut *acta Thebis a patre eius pueritia* sit, propter actam Thebis pueritiam, vel quod pueritiam Thebis pater egisset; quemadmodum *deprecatur superstitione* est pro, deprecatur per vel propter superstitionem. Si legatur *actae pueritiae*, oportebit id referri ad vocem, quae praecedit, *superstitione.* Atqui hoc non potest. non enim pro superstitione haberi potuit quod pueritiam Philippus Thebis egerat, quemadmodum quod Hercules, quem pro Deo colebant, apud The-

banos genitus fuerat, pro superstitione haberi poterat. VORST. — *Pueritiae* Dorv. 3. a manu secunda; in 1. autem aliisque pluribus editisque est *actaeque . . pueritiae:* quae sane lectio minus placere Vorstio non debuit. Metum incutere regi conabatur Cleadas, ne si Thebas dirueret, impius etiam in manes patris sui foret, qui ibi pueritiam suam exegisset. WOPKENS. — Med. tert. quart. Leid. Bodl. Ald. *actaeque . . . pueritiae . .* sec. L. *aptaeque Th.* quart. *auctaeque Thebis a p. e. Philippo propueritiae.* Ed. Rom. *actaque Thebis propueritia a Philippo patre eius.* ABR. GRONOV.

7. URBS DIRUITUR. Praeter Arrianum I. Diodorum XVII. 13. et 14. Plutarchum in Alex. cap. 19. et 20. vide Aelianum Var. Hist. XIII. 7. Pausaniam Arcadicis et Strabonem lib. IX. qui Thebas suo tempore vix tueri scribit οὐδὲ κώμης ἀξιολόγου τύπον. BONGARS.

CAPTIVI. Quorum erant XXX millia. Ceciderant autem XC millia. Plutarch. Alex. cap. 20. Aelian. Var. XIII. 7. BONGARS. — Aelianus de captivis consentit: occisorum autem circiter nonaginta millia, corrupto forte numero, refert. Iidem et Arrianus lib. I. addunt, Pindari domum, eiusque stirpem, ab Alexandro, poëtae nobilissimi reverentia ducto, sartam tectam conservatam: sacerdotibus item utriusque sexus, et Macedonum hospitibus parcitum fuisse. De Pindari familia consentit etiam Plin. VII. 29. BERNEC.

SUB CORONA VENDUNTUR. Non quod corona militum, custodiae causa, captivorum venalium greges circumstaret: sed quia iure belli captos, coronatos venire mos erat. Videndus Agellius VIII. 4. BERNEC.

8. EXTENDITUR. Ut tanto pluris scilicet venirent, quanto cupidius ab inimicis emerentur. Hisp. interpres exiguo pretio venditos ait, quasi per contemptum. Sed verbum *extenditur* hanc significationem non admittit. Diodorus XVII. 14. e captivorum distractione talenta 440 redacta scribit, opinor Attica, quae si singula 600 coronatis aestimentur, uni captivo e 30000 illis evenerint coronati prope novem. BERNEC.

9. APERUERE. Reddentes vicem beneficii, quale et ipsi acceperant. Supra V. 9. 4. et 5. BERNEC.

10. UT ORATORES etc. Quorum nomina referunt Arrianus lib. I. et Plutarch. Alex. cap. 32. BERNEC.

11. NE COGANTUR. MS. Bongars. *ne haec cogantur.* Optime. Porro sic distingue, *paratisque Atheniensibus, ne haec cogantur, subire bellum, eo res* etc. GRONOV. — Med. MS. Bong. *ne haec cogantur,* probante Avo. Ed. Rom. *ne hoc cogerentur.* Livius lib. IV. cap. 26. *siquidem cogi aliquid pro potestate ab tribuno consules.* ubi *aliquid* merito tuetur Avus. ABR. GRONOV.

EO RES DEDUCTA EST, UT etc. Sic omnes nostri ac reliqui etiam, puto, MSS. quamvis in nonnullis edd. sit *reducta.* WOPKENS.

RETENTIS ORATORIBUS. Demosthenes recitato in concione de lupis, ab ovibus deditionem canum postulantibus, apologo obtinuit, ne dederentur. Plutarchus in Alex. cap. 33. excepto tamen Chari-

demô, qui ex oratoribus unus exulare iussus, in Asiam ad Darium profugit. Arrian. lib. I. BERNEC.

12. AD DARIUM PROFECTI. Arrianus solum Charidemum nominat. BONGARS.

## CAP. V.

3. ET. Hoc *et* ex praecedente vocabulo repetitum nullius usus videtur. FREINSHEM. — Coniunctionem delendam censebat Freinshemius; eamque nescit Coll. N. ABR. GRONOV.

REGES STIPENDIARIOS. In exercitu Alexandri *Pythagoram regem Cypriorum* memorat Curtius IV. 3. 19. an et alios, iam non occurrit. Frontinus Strategem. II. 11. 3. scribit, *Alexandrum devicta perdomitaque Thracia, reges eorum praefectosque secum in militiam Asiaticam velut honoris causa traxisse.* Hi tales fuerint, quales Romanorum auspiciis et arbitrio regnarunt, precarii et vix reges. Freinshemium adde ad Curtium pag. 515. BERNEC. — *Regis* pr. Leid. ed. Bong. *regios* Magl. ed. Rom. Ald. idemque in exemplaribus typis excusis reperit Bongarsius, cuius editioni Lipsius adscripserat: „Leg. *regios.*" Porro ed. Ald. Iunt. *suspectioris ingenii.* ABR. GRONOV.

CONSPECTIORIS INGENII. *Quibus videbatur inesse cura detractae libertatis:* ait Frontinus ibidem. Exempla plura Principum, qui suspectos aut aemulos per speciem honoris abstraxerunt, referuntur a Grutero Dissert. 36. ad Tacit. Adde infra XII. 14. 5. BERNEC. — Imitatur Saxo Grammaticus VII. pag. 122. *Accito Therone*, conspectioris ingenii *pugili* etc. Seneca ad Helviam cap. 16. *Feminas, quas* conspecta *virtus inter magnos viros posuit.* Livius VII. 7. *Extra ordinem etiam in acie locati, quo* conspectior *virtus esset.* Consule Ioan. Schultingium ad Senecae Suasor. VII. pag. 45. WOPKENS.

AD COMMILITIUM SECUM TRAHIT. Tibullus I. 11. *Nunc ad bella trahor.* Ceterum *trahere* saepe idem est quod ducere. Valerius Maxim. V. 4. 1. *Volumniam uxorem eius et liberos secum trahens castra Volscorum petiit.* VORST.

4. ADUNATO. Ita MS. et quidam impressi, rectius, opinor, quam quomodo Bongarsius edidit, *adornato:* maxime cum et alibi sic loquatur auctor iis locis, quae Freinshemii monstrat Index. BERNEC.

DUODECIM ARAS DEORUM IN BELLI VOTA STATUIT. Scribi volui, *duodecim aras Deorum,* per literas maiusculas; neque id temere, (in hac enim editione nihil somniculose executi sumus;) non autem sunt duodecim arae, sed arae *duodecim Deorum.* Qui autem illi duodecim Dii sint, facile ex his duobus Ennii versibus discas:

*Iuno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,*
*Saturnus, Iovis, Mercurius, Neptunus, Apollo.*

Hi XII Dii ab Ovidio dicuntur *Dii nobiles*, ad distinctionem Se-

mideorum, Nympharum, Faunorum, Satyrorum et Sylvanorum. I. Metamorph.

*dextra, laevaque, deorum*
*Atria nobilium valvis celebrantur apertis.*

Alibi vocat plebeios Deos seu de plebe Deos. Notissimum autem est et decretum illud Lacedaemoniorum super Alexandro, qui se inter XII Deos referri volebat. Ita illud genus, ubi se hominem esse obliviscitur, ridiculum est et ineptum. Verum Arrianus tres tantum deos hoc loco commemorat, queis Alexander rem sacram fecerit. Ita est; sed nunc non ad Arrianum scribimus, imo ad Iustinum. Faber. — Singulis nimirum maiorum gentium Diis unam. Duodecim Deorum nomina disticho inclusit Ennius hoc modo:

*Iuno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,*
*Mercurius, Iovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.*

Vide Commentarium Merulae ad lib. I. Annal. Ennii. Athenis Euphranor, nobilis pictor, XII Deos pingere conatus est; sed in ipso opere defecit. Vide Plinium XXXV. 11. Pausaniam in Atticis et Valerium Max. VIII. 11. Ext. 5. Herodotus quoque in Erato XII Atheniensium Deos nominat; et in Euterpe scribit, Aegyptios primos duodecim Deorum nomina in usu habuisse, et ab illis Graecos fuisse mutuatos. Vorst. — Iovi descensori, et Minervae, et Herculi structas aras ait Arrianus lib. I. Bernec.

6. Littore excederet. Iuntae: *cederet.* Forte: *littori accederet.* Mox iidem et MS. *longinquae a domo militiae.* Graev. — Suspicantur viri doctissimi, *litori accederet.* Sed puto, agi hoc loco de abitu Alexandri ex Europa, in quo pariter, ut in aditu ad Asiam, sacrificia fecit. Arrianus lib. I. *Ferunt altaria struxisse Iovi descensori, et Minervae, et Herculi ibi, unde ex Europa solvit, et in ea Asiae loco, in quem descendit.* Sane et quae proxime praecedunt de divisione patrimonii inter amicos, non in Asia, sed Europa facta sunt. Scheff.

Petitae Graeciae. Med. sec. quint. Leid. Bodl. *appetitae.* Abr. Gronov.

7. Quibus longa iam satis et matura imperia contigisse. Sed quot annorum illa ratio est? Crederes enim XII aut XIII seculorum. At nil tale est; nam a Cyro imperii Persici conditore ad Darii mortem anni sunt 230. non plures. Sic Nereus, apud Horatium, regnum Priami *vetus* appellat:

*Coniurata tuas rumpere nuptias,*
*Et regnum Priami vetus.*

et tamen a Dardano et Teucro ad finem Priami non possunt esse plus quam 300. Faber.

8. Sed nec exercitus eius alia praesumptio. Id est, persuasio, fides, fiducia, opinio. Sic III. 4. *Itaque cum, contra praesumtionem suam, annis decem in obsidione urbis tenerentur.* id est, contra quam sibi proposuerant, vel praeter animi opinionem.

Cum autem *praesumere* et *praecipere* sint fere idem, huc quoque sine machinatione istum Virgilii versum trahas:

*Omnia praecepi, atque animo mecum ante peregi.*

Faber. — Plin. IX. Epist. 3. *Alium ego beatissimum existimo, qui bonae mansuraeque famae praesumtione perfruitur.* vide ibi Buchner. Graev. — *Praesumtio animorum* subinde denotat elationem, iactantiam, arrogantiam; ut *praesumere* pro audere, arrogare sibi saepe usurpatur. Paulinus V. Martini lib. V. 45.

*Ne quod contulerit meritum, iactantia perdat,*
*Et virtutis opus vitiet* praesumtio cordis.

Incertus Panegyrico Constantino Aug. cap. 2. *Tene, imperator, tantum* animo *potuisse* praesumere, *ut bellum . . quiescentibus cunctantibusque tunc imperii tui sociis, primus invaderes?* Sed malim accipere hoc in loco Iustini pro fiducia, bona spe. Nazarius Paneg. cap. 2. *Fruimur quidem nos praesentium maxima voluptate, sed lenocinatur his iam futuri ratio, et quae temporibus disparata sunt,* animorum praesumtione *iunguntur.* Idem *augurium animorum* dixit Livius XLV. 1. *Omen tamen laetum invidebat animis. Quod postquam veris nuntiis . . firmatum est, cum victoria ipsa, tum* augurio animorum *suorum laetabantur.* Wopkens.

9. Longinquae domo militiae. MS. *longinquae a domo*, quod praefero, habetque sic Iuntina. Scheff. — Sic etiam, cum alio MS. et ed. Iuntina, Dorv. 1. et 3., non *longinquae domo.* Wopk.

Iam quasi suam praedam ducebant. Ita (observante viro praestantissimo Io. Clerico ad D. Pauli ad Philipp. II. 6.) Cicero in Verrina V. de Verre dixit: *omnium bona* praedam suam dixit. Adde Florum III. 8. *Sed quum venientem ab alto Romanam classem prospexisset*, praedam putantes, *ausi etiam occurrere.* Wopkens.

10. Iaculum. *Δόρυ.* Diodorus XVIII. 7. Bongars.

Primus Alexander — iecit, armatusque. Parenti ad Arrianum lib. I. cap. 11. pag. 24. τὸ *primus* transponendum videbatur post *armatusque.* Ita enim Arrianus: *Λέγουσι δὲ καὶ πρῶτον ἐκ τῆς νεὼς σὺν τοῖς ὅπλοις ἐκβῆναι αὐτὸν ἐς τὴν γῆν τὴν Ἀσίαν.* Gualterus lib. I. Alexandr. vs. 384.

*Tantum aberat classis portus statione, lapillum*
*Quantum funda potest celeri transmittere iactu.*
*Eminus emissa Pellaeus arundine terram*
*Vulnerat hostilem, faustumque hoc praedicat omen*
*Tota cohors, laetosque ferunt ad sidera plausus.*
*Nec mora: litoreis immergitur uncus arenis.*
*Exonerant primo naves, celerique volatu*
*Exsiliunt, viridique locant in litore castra.* Abr. Gron.

11. Tripudianti similis. Membranae meae, *tripudiantis similis:* quo modo dixit Plautus Asinar. *Hic quaestus noster aucupii est simillimus.* et Plinius historiae suae lib. XII. cap. 17. *Masticha tertia in Ponto bituminis similior.* Mod.

Precatur ne. Lege *precatus.* Faber.

Ne se regem illae etc. Virgilius fine Georg. de Imp. Augusto:
*victorque volentes*
*Per populos dat iura.*
Ita Demosth. in Philipp. ἑκόντων ἦρξαν Ἑλλήνων. quam summam laudem gubernatoris esse, Xenophon ait in Oeconom. Videsis Aelianum XII. Var. Hist. 9. de Timesia, ultro imperium abdicante, quod omnibus odio se esse videret. At non hodie tantum aut heri, *ostentandae per terrores potentiae dira*, *sed frequens magnis imperiis gloria.* Senec. de Clem. I. 1. Bernec.

12. Heroum. Palmaria correctio, cuius inventae laudem ingenio Sebisii transcribo: temeritatis si qua est culpam, qui nulla manuscriptorum auctoritate comprobatam in textum ausus sum admittere, mihi servo. Faciebat audacem et vocum affinitas, cum ex *eorum*, quomodo hactenus omnes editiones habebant, in *heroum* facilis sit transitus: et vero consensus auctorum. Nam et Plutarchus in Alex. cap. 24. et Diodorus XVII. 7. Alexandrum Ilii *heroum* tumulos in transitu veneratum scribunt. Bernec. — Nunc praefero vetus, *eorum.* Nam non tantum ad heroum tumulos parentavit Alexander, sed et ceterorum Troiano bello caesorum; uti citato loco diserte addit Diodorus. Bernec. — Admisi coniecturam Sebisii, qui pro *eorum* legit *heroum.* Notissimum autem est illa tempora dicta fuisse heroica. In omnibus tamen libris scriptum est, *eorum.* Faber. — Bernecoerus auctoritate Sebisii pro *eorum* scripserat *heroum;* sed in Notis posterioribus tamen emendationem eam rursus repudiat. Nihilominus illud *heroum* in posterioribus editionibus, Ultraiectina, Lugdunensi, ipsaque Argentoratensi servatum video. Merito autem Berneccerus repudiavit rursus. Nam nec in ullo Cod. MS. aut antiquiore typis expresso repertum illud fuit; et Diodorus XVII. 17. scribit, Alexandrum non ad tumulos heroum tantum, sed et ceterorum, qui Troiano bello perierunt, parentasse. Vorst. — Merito Berneccerus hanc emendationem Sebisii probavit, sequentesque editores, ut et recentissimi Tan. Faber et Oxoniensis, quia nihil certius non tam bello Troiano caesorum (quot enim homines nihili ceciderunt) quam eximiorum heroum manibus parentasse Alexandrum. Graev. — *Heroum* pro *eorum* correxit Sebisius, cuius ingeniosam coniecturam firmat editio Romana, in qua extstat *eroum.* Abr. Gronov.

## CAP. VI.

1. Milites. MS. *militem*, quod est elegantius, et forte alterum glossatoris est, non Iustini. Scheff. — Cum MSS. aliis Franeq. et Dorv. 2. *militem* pro *milites* habent: quemadmodum etiam Dorv. 2. aliique infra cap. 14. *Periculaque sua esse, non* militis (vulgo *militum*) *volebat.* Et saepius ita apud Nostrum aliosque numerus singularis huius vocis venit pro plurali. Cum tamen Oxon. referat *militum*, conicii posset, *militum a populatione Asiam pro-*

*hibuit*, i. e. protexit, immunem esse voluit. Sallust. Iug. cap. 107. *At Sulla quamquam eadem existimabat, tamen ab iniuria Maurum* prohibet. Sulp. Severus Epist. III. 10. *Quis nos a morsibus eorum* prohibebit? Sic enim recte legit eruditissimus Hieron. de Prato, quem vide. Wopkens.

Parcendum suis rebus. Ita Croesus Cyro suadens, ne Lydiam populandam militi daret: *non meam*, inquit, *urbem, non res meas diripies; nihil enim ad me iam ista pertinent: tua sunt, tua illi perdent*. Herodot. I. 88. Adde monitum Quintii Flaminii apud Plutarchum in eius vita cap. 7. Alexandri Aetolorum principis apud Liv. XXXII. 33. 11. Athenionis in Excerptis Diodori lib. XXXVI. pag. 847. pr. Nam, ut inquit Iocasta ad Polynicem Thebaid. Senecae actu IV.

*Quae corripi igne, quae meti gladio iubes,*
*Aliena credis.*

*Nullum desperationis* Persarum *maius indicium* Alexandro fuit, *quam quod urbes, quod agros suos urerent: quicquid non corrupissent, hostium esse confessi*. Curtius IV. 14. 4. Adde Plut. Demetr. cap. 8. f. Pertinet huc expositio Freinshemii ad Curt. V. 6. 12. Bernec.

Quae possessuri venerint. Cl. Ortwinius malebat, *possessum*. Abr. Gronov.

2. In exercitu eius. Plutarchus in Alex. cap. 28. scribit, quosdam Alexandro tribuere τρισμυρίους πεζούς, et tot edit Diodorus XVII. 17. et Arrianus lib. I. Alios τετρακισχιλίους καὶ τρισμυρίους. Equitum autem illi quinque millia, hi quatuor fuisse tradiderunt. Diodorus in numero equitum consentit cum Iustino: navibus autem longis sexaginta traiecisse Hellespontum refert. Frontinus IV. 2. 4. solis hominum XL millibus orbem terrarum aggressum scribit. Bongars. — Orosius lib. III. cap. 16. *equitum quatuor millia ducenti* (optimus Florent. cum Freculpho I. 4. 22. *quingenti*) *et naves centum et octoginta*. Matthaeus Westmonasteriensis Aet. V. cap. 7. *habens in exercitu peditum* 30000, *equitum* 4050. Ed. Iunt. *naves centum* LXXXIII. MS. Coll. N. *naves centum* LXXX. ut Orosius, Freculphus, et Gualterus lib. I. Alexandr. qui in peditum et equitum atque navium numero Iustinum sequitur. Ita enim ille d. l. vs. 254.

*Praeterea peditum quater octo millia bello*
*Instaurat.*

et vs. 243.

*lectosque ad bella quirites*
*Dividit in turmas, quorum bis millia bina*
*Quingentique equitum numerus fuit.*

et vs. 353.

*Inde rates variis rerum speciebus onustat,*
*Nec tanto libuit paucas adhibere labori.*
*Namque quater ductus, nisi ter senarius obstet,*
*Navigii numerum quinquagenarius aequat.* Abr. Gronov.

3. Utrum admirabilius vicerit, an aggredi ausus fuerit, incertum est. Legitur vulgo, *utrum sit admirabilius, vicerit, an aggredi ausus fuerit.* Putarunt enim librarii *admirabilius* esse nomen, eique necessario verbum substantivum addi oportere. Verum verba *vicerit* et *ausus fuerit*, quae coniunctivi modi sunt, et propter voculas *utrum* et *an*, quae talem modum requirunt, posita ita sunt, satis declarant, verbum substantivum *sit* hic locum non habere. *Admirabilius* est adverbium comp. gradus, cuius positivo *admirabiliter* usus auctor est supra I. 8. 14. quod scripsit, *admirabiliter insignis.* Ceterum toti structurae periodi similis est illa, quae V. 4. 13. apparet: *certant secum ipsi, utrum contumeliosius ipsum expulerint, an revocarint honoratius.* Vorst. — *Utrum admirabilius vicerit.* Ita Vorstius ad exemplum similis locutionis supra V. 4. 13. Scheff. — Sic rectissime Iuntina, ut ante legendum esse viderat doctissimus Vorstius. Vulgata est insulsissima. Graev. — Ita praeter Iuntinam etiam Med. tert. Leid. ed. Rom. Ald. pro olim vulg. *utrum sit admirabilius vicerit.* Orosius et Freculphus (apud quem vitiose editum, *ac tam parua*) *utrum admirabilius sit quod vicerit, an quod adgredi* etc. Pro *quod* utroque loco apud Freculphum et in duobus MSS. Florentinis Orosii legitur *quia.* Abr. Gronov.

Nec primum florem aetatis. Satis quidem commode *flos primus aetatis* dicuntur, qui sunt in primo flore aetatis. ut Livius *aetatem militarem* dixit lib. XXVIII. 10. Sed quia et hi iuvenes erant, libentius sequor Dorv. 1. et 3. cum editione vetere, in quo legitur, *non iuvenes robustos, nec primo flore aetatis* etc. Livius XL. 6. *Latera regis duo filii iuvenes cingebant . . medio iuventae* robore *ille, hic* flore. Lib. XXIX. 1. *Ex iis trecentos iuvenes* florentes *aetate et virium* robore, *inermes circa se habebat.* et lib. XXXVII. 12. *Quod* floris, *quod* roboris *in iuventute fuerat, amiserant.* Wopkens. — Ed. Bech. Ven. Flor. Med. Paris. Ald. Iunt. *primo flore aetatis.* Abr. Gronov. — Ex Vincentii lib. IV. cap. 23. rescribo: *sed veteranos plerosque, etiam emeritae militiae, qui* etc. Editi, *sed veteranos, plerosque etiam* vel *pluresque etiam.* Alexandri milites plerosque veteranos fuisse ait, in his aliquos *etiam emeritae militiae.* Nam *etiam* praeponi non inusitatum aut rarum est. Cornel. Nep. Hamilc. cap. 2. *Ut auxilia etiam a Romanis* (vel *ut etiam auxilia a Romanis*, ut MSS.) *petiverint.* ubi et aliqua adscripsi; plura quisque in optimis scriptoribus quotidie observabit. Heusinger.

Qui cum patre patruisque militaverant. Coll. N. *patruoque.* Ald. Iunt. *qui c. patre usque mil.* Abr. Gronov.

5. Ut non tam milites, quam magistros militiae electos putares. Sic Silius Ital. VII. 47.

*Ter centum exsiluere* duces: *quocunque liberet,*
*Uno non pavidus rexisses bella magistro.*

cum nota Drakenb. Wopkens.

6. PRINCIPIA CASTRORUM. De militia Macedonica loquitur auctor more Romanorum, quibus *principia* locus castrorum princeps et sacer, et quia in iis aquilae et signa, id est, Dii militares: item in iis, aut iuxta illa, tribuni, praefecti, honestissimi decurionum et centurionum. Plutarchus in Galba cap. 17. *ἀρχεῖα, ἃ πριγκίπια Ῥωμαῖοι καλοῦσι.* Statius etsi in re Graeca circumscribit X. 171.

*Ventum ad concilii penetrale, domumque verendam*
*Signorum.*

*Initia* vocat Sidonius Apollinaris I. 11. si recte locum capio: *Quem inter initia cognosci, claritas vitrici magis quam patris fecit.* BERNEC. — *Principia* hoc loco metonymice usurpavit auctor pro ipsis principibus, qui alias *optimates castrorum* dicuntur. Vid. IV. Observat. 10. GRONOV. — Quae sint principia in castris, diligentissime ostendit Lipsius in libb. de Militia. FABER.

UT SI PRINCIPIA CASTRORUM CERNERES, SENATUM TE ALICUIUS PRISCAE REIPUBLICAE VIDERE DICERES. Med. quart. quint. Leid. *senatum te priscae alicuius.* Matthaeus Westmon. d. l. *et si principes castrorum cerneres, senatum te cernere, non militiae duces existimares. Nemo denique illorum in praelio fugam, sed victoriam cogitavit.* ABR. GRONOV.

7. NEC IN PEDIBUS CUIQUAM SPES, SED IN LACERTIS FUIT. Aelian. Var. Hist. XI. 9. *Ἀλλὰ τόν γε Ῥωμαῖον ἄνδρα προσήκει ἐν τῇ δεξιᾷ τὰς ἐλπίδας ἔχειν.* Sulp. Severus H. S. I. 33. *Tum vero nutu Dei in fugam versi . . omne* praesidium *in pedibus* habere. ad quem locum id genus alia collegimus. WOPKENS.

8. AFFIRMANS SUIS, OCCULTA CONSILIA VICTORIAE FURTIVAE CONVENIRE. Sapor apud Marcellinum lib. XVII. *Illud apud nos numquam acceptum fuit, quod adseritis vos exsultantes, nullo discrimine virtutis ac doli, prosperos omnes laudari debere bellorum eventus.* Diodor. *ἀνάξιον* id ait *τῆς Περσῶν μεγαλοψυχίας.* BONGARS. — Secuti sumus Gruteri iudicium in Notis ad Livium I. 11. 8. censentis locum ita restituendum auctoritate MSS. eiecta particula negativa *non.* Idem enim Darius dicit, quod Alexander apud Curtium IV. 3. 11. *Latrunculorum et furum ista solertia est, quam praecipitis mihi, quippe illorum votum unicum est fallere.* De Parthis rex eorum Sapor apud Ammianum XVII. 10. *Illud apud nos nunquam acceptum fuit, quod adseritis vos Romani exultantes, nullo discrimine virtutis ac doli, prosperos omnes laudari debere bellorum eventus.* Quanquam et Romanis, nimirum antiquis, hanc animi magnitudinem tribuit Livius XLII. 47. 5. etc. Tacit. Annal. II. 88. 2. Atheniensibus Thucydides II. 8. 24. Achaeis Polybius XIII. 11. Helvetiis Caesar Bell. Gall. I. 13. Verum ista plerumque iactantius dicuntur, quam fiunt. BERNEC. — Recte Berneccerus negativam voculam expunxit, neque, ut Bongarsius, edidit, *victoriae furtivae non convenire.* Voculam eam et ab editione Becharii abesse video. VORST.

Victoriae furtivae. Thucydides V. 2. 5. strategemata vocat apposite κλέμματα, hoc est, interprete Sallustio Hist. I. 4. 13. *furta belli.* Huc respicit et Tacitus Annal. III. 74. 2. *Tacfarinas furandi bonus.* Alexandri celebre dictum est apud Plutarchum in eius vita cap. 57. *Οὐ κλέπτω τὴν νίκην. Non furor victoriam.* Bernec.

9. Hostem regni finibus arcere. An praestet, bellum domi excipere, an vero in hostilem agrum inferre, disputatur in Livio XXXI. 7. Adde Nostrum supra I. 8. 2. infra XXII. 5. 4. et 5. Bernec.

10. In campis Adrastiis. Stephanus de Urbibus, *Ἀδραστείας πεδίον*, per quod fluit Granicus fluvius, a quo hoc praelium dicitur *ad Granicum.* Strabo lib. XIII. Bongars. — MS. *Adrasties.* Iuntae: *Adrastiae.* ut Graecis *Ἀδραστείας πεδίον.* Graev. — Legendum, *Adrastiaeis*, nam urbs ipsa dicebatur *Adrastia.* Faber. — Editio Iuntina teste Graevio, *in campis Adrastiae.* Quod magis congruit cum Graeco *Ἀδραστείας πεδίον*, quod habet Stephanus. Vorst. — Coll. N. ed. Rom. *Adrasteis.* Bechar. Ven. Flor. *Adrastis.* Matthaeus: *in campis Adrasti.* Abr. Gronov.

11. In acie Persarum sexcenta millia militum fuere. Quis non miretur tam impudens mendum a nemine hactenus quod sciam reprehensum? Quis non credat duplo maiorem exercitum ducum Darii fuisse, quam ipsius regis, quando ad Amanicas Pylas pugnaturus cum Alexandro venisset, ubi a Iustino CCC millia peditum narrantur. Hic vero, si Diis placet, sexcenta millia. Atqui quomodo hunc locum emendemus, non est certum, cum nec aliud in exemplaribus legatur, et apud huius historiae scriptores tam varius prodatur numerus, ut pudor sit legentibus. Diodorus verisimiliter C millia peditum, X millia equitum habuisse Persarum duces scribit. Arrianus cum Alexandri milites non multo pauciores quam Iustinus scripsisset, hostium peditatum minorem fuisse Macedonum peditatu inquit. Fuere autem Macedonum peditum XXXII millia, ut Iustinus paulo ante dixit. Quaenam igitur erit huius loci emendandi ratio? Ego, si coniectura satis sit, Iustinum arbitror scripsisse: *In acie Persarum* C *millia fuere.* Sicut et Diodorus. Lector quod placuerit sequatur. Mox *novem pedites de Alexandri exercitu cecidisse* leguntur, ubi quidam codices *noningenti* habent. Quid si *nonaginta* legamus? Cum Arrianus primo impetu XXV, deinde XXX cecidisse dicat. Verum enim vero si pergam ostendere, quoties in talibus varient inter se auctores, res nunquam finem reperiet. Multa hic nobis transilienda ac dissimulanda. Glarean. — Diodorus XVII. 19. peditum centum millia, equitum decem: qui hoc proelio Persarum peditum decem millia, equitum duo millia cecidisse auctor est: Plutarchus cap. 26. peditum viginti millia. Bongars. — *Sed quis aut in victoria, aut in fuga copias numerat?* Curtius III. 11. 30. Bernec. — Cl. Blancardus in Notis ad Arriani lib. I. existimat, in grandi illo sexcentorum millium numero

grandem errorem commissum, et scribendum esse, *sexaginta millia.* Nam si in primo certamine, quod absente Dario cum eius ducibus fuit, sexcenta millia fuissent, nullam idoneam afferri rationem, cur Darius in proelium Issicum cum quadringentis millibus peditum ac centum millibus equitum processerit, ut ipse Iustinus huius eiusdem libri cap. 9. scripserit; et ingenio Darii institutisque gentis id refragari. Deinde esse et aliam causam, cur non legi hic possit *sexcenta:* quia nimirum auctor infra, cum Darium quingenta millia in aciem eduxisse scribit, addat, *movisse hanc multitudinem hostium respectu paucitatis suae Alexandrum;* nunc vero ubi de primo proelio agit, nihil huiusmodi adiiciat. Agnosco sane et ipse, numerum *sexcentorum millium* huic loco minime convenire: an vero *sexaginta millium* scripserit Iustinus, adhuc dubitari posse videtur. Quid si dicamus pro *sexcentorum* legendum esse *centum*, aut *ducentorum*? Diodorus certe XVII. 19. centum millia peditum, et supra decem millia equitum in acie Persarum tunc fuisse scribit. VORST.

IN ACIE PERSARUM SEXCENTA MILLIA MILITUM FUERE. Ita MSS. atque editiones ante Graevianam anni MDCLXXXIII. e qua excidit vox *militum*. ABR. GRONOV.

12. NOVEM PEDITES. Idem ex Aristobulo refert Plutarchus cap. 26. et confirmat Orosius III. 16. et IV. 1. ne quis cum Glareano mendum hic esse suspicetur. Arrianus ex Macedonum auxiliis XXV cecidisse: ex reliquis equites LX, pedites XXX. Plutarchus ex Aristobulo cap. 26. τριάκοντα νεκροὺς γενέσθαι τοὺς πάντας. BONGARS.

DE EXERCITU ALEXANDRI NOVEM PEDITES, CENTUM VIGINTI EQUITES CECIDERE. Matthaeus: *in exercitu vero Alexandri* 900 *cecidere pedites et* 120 *equites.* ABR. GRONOV.

13. IMPENSE AD CETERORUM EXEMPLUM HUMATOS. Diodorus, μεγαλοπρεπῶς. BONGARS. — Diodorus XVII. 21. *Rex suos magnifice sepulturae tradit, excitatiores ad discrimina pugnarum reddere cupiens milites eiusmodi honestamentis.* Nostris moribus nemo conqueri poterit, paucos esse viros fortes, qui impigre et intrepide in hostem vadant: quando nec vivi meritis praemiis, nec mortui dignis honoribus afficiuntur. Adde infra XII. 1. 1. BERNEC. — Antiquiores editiones Becharii et Maioris, *ad ceterorum solatia.* VORST. — Med. sec. quint. Leid. Bodl. Periz. ed. Ienson. Bechar. Ven. Paris. Ald. Iunt. *ad ceterorum solatia.* ABR. GRONOV.

STATUIS EQUESTRIBUS. *Τούτων χαλκαῖ εἰκόνες ἐν Διὸς ἕστησαν.* Arrian. BONGARS. — Aeneas statuas in templo Iovis erectas, quas Lysippus statuarius Alexandri finxit, refert Arrianus lib. I. BERNEC.

14. POST VICTORIAM. Vincentius lib. IV. cap. 27. *post hanc vict.* ABR. GRONOV.

MAIOR PARS ASIAE. *Ἡ ἐντὸς τοῦ Ταύρου καὶ Εὐφράτου.* Strabo. BONGARS.

15. TERRORE NOMINIS etc. Sic Dolabella *terrore nominis Romani* solvit Numidarum obsidium. Tacit. Annal. IV. 24. 2. Pro

belli initiis ducem aut timeri aut sperni, prolixe Gruterus ostendit ad Tacitum dissert. 8. BERNEC. — Saxo lib. VII. pag. 139. 40. *regnorum omnium motus nominis sui terrore cohibuit.* ABR. GRON.

## CAP. VII.

1. INDICIO CAPTIVI AD EUM DEFERTUR. Saxo lib. XIV. pag. 359. 39. *Quod Absalon captivi cuiusdam indicio expertus.* ABR. GRONOV.

AB ALEXANDRO LYNCISTA. Secutus rursus sum editionem Iuntinam, quae teste Graevio sic habet. Vulgo editur *ab Alexandro Lyncistarum.* De quo quid sentiendum videatur, dixi supra XI. 2. 2. VORST.

3. POST HAEC. Aliter Curtius III. 1. 16. etc. qui ante praelium haec facta memorat. BERNEC.

GORDIEN. Ita vett. omnes: Graecis *Γόρδιον.* et ita fortasse librarius scripserat, ut infra multis locis *Crateron; τοῦ o* facilis est in *e* mutatio. Stephanus vocat *Γορδίειον.* Hic initium habent quae ad nos pervenerunt Q. Curtii fragmenta. BONGARS. — Videtur auctor scripsisse, *Gordium.* ut Liv. XXXVIII. 19. *Postero die ad Gordium pervenit.* et Curt. III. 1. *Gordium nomen est urbi.* GRONOV. — Iuntae: *Gordieum.* Stephano *Γορδίειον,* aliis *Γόρδιον.* Dein *Iugum plaustri Gordii,* apud eosdem. GRAEV. — Alii, *Gordieum,* alii, *Gordien,* quod minus probem. FABER. — Omnes MSS. quos Bongarsius vidit, habent *Gordien.* Sed agnoscit idem, scriptionem eam minus recte se habere. Neque novum est unum idemque mendum in omnes aut in plurimos libros MSS. irrepere. Mirum igitur quod Bongarsius, et secutus eum Bernеccerus, ita edidere. Est autem legendum vel, ut Bongarsius coniicit, *Gordion,* ex Graeco *Γόρδιον;* vel, ut editio Iuntina teste Graevio habet, *Gordieum,* ex Graeco *Γορδίειον,* quod habet Stephanus; vel denique, ut quidam typis expressi habent, et nunc nos edimus, *Gordium.* VORST. — MSS. *Gordien.* Orosius et Freculphus: *Gordien Phrygiae civitatem, quae nunc Sardis vocatur.* ed. Rom. *Gordiem.* Bech. Ven. Flor. Med. Paris. *Gordin.* Ald. Iunt. *Gordieum:* quo nomine etiam hanc urbem appellat Gualterus lib. II. Alexandr. vs. 68.

*Gordiēum veteres, Sardis dixere minores.*

ubi *minores* pro vulg. *moderni* optime ex MSS. restituit Cl. Guggerus. Ita idem lib. I. vs. 298.

*Progenitos serpente patres, semperque minores*
*Cordibus infusum patrium servasse venenum.* ABR. GRON.

QUAE POSITA EST INTER PHRYGIAM MAIOREM ET MINOREM. Falsum. Non enim inter Phrygiam maiorem et minorem sita urbs Gordium, sed inter Phrygiam maiorem et Cappadociam. Stephanus: *Γορδίειον πόλις τῆς μεγάλης Φρυγίας, πρὸς τῇ Καππαδοκίᾳ, ἀπὸ Γορδίου τοῦ πατρὸς Μίδου.* Alii tamen similiter in Phrygia minore ad Sangarium ponunt. Sed inepte. Ineptiunt quoque illi, qui

eandem ac Sardes faciunt. Celaenas enim Alexander iam ceperat. Neque quisquam prodidit, eum regressum in Phrygiam Hellespontiacam. Voss.

4. Non tam propter praedam. Illud *tam*, quod prius positum est, satis probat legi debere, *quam quod*, pro *sed quod*. Faber. — Cortius ad Sallust. cap. XIV. 23. exstirpat in his, *non tam propter praedam*, particulam *tam*. Melius vero Faber legebat, *non tam propter praedam cupido cepit, quam quod* etc. quomodo diserte habet Dorv. 3. Sed nihil inesse vulgatae scripturae incommodi videtur, ob quod sine maiore codicum auctoritate immutari debeat. Wopkens.

Iugum Gordii. Malim quod in quibusdam impressis est, *iugum plaustri Gordii*, sicut etiam infra num. 15. Bernec.

Iugum plaustri Gordii. Ita antiquiores typis expressi, Iuntarum puta teste Graevio, Becharii, Maioris. et mirum Bongarsium τὸ *plaustri* expunxisse, eumque alios esse secutos. Certe infra XI. 7. 15. diserte legitur, *iugum plaustri*. Arrian. quoque lib. II. scribit, Alexandrum videre voluisse τὴν ἅμαξαν τοῦ Γορδίου καὶ τοῦ ζυγοῦ τῆς ἁμάξης τὸν δεσμόν. Vorst. — Vocem *plaustri*, in plerisque iniuste exsulantem, recte etiam agnoscit Dorv. 3. Wopkens.

6. Profectus ad consulendos augures vicinae urbis. Omnino scribo, *ad augures Telmisinae urbis*, non *vicinae*. Nihil enim minus, quam vicina fuit haec urbs Phrygiae. Telmisenses autem fuisse σοφοὺς τὰ θεῖα, καὶ τὴν οἰωνοσκοπικὴν ἐξηγεῖσθαι, nec bardi et bambaliones ignorant. Confirmat hanc coniecturam Arrianus lib. II. quem consule. Abit ille paullulum ab Iustino in hac narratione. Sed non possum omittere, quid sit quod maxime hic mirer. Cum enim supra dixerit, et nos etiam ex aliis ostenderimus, Midam cum Phrygibus ex Europa in Asiam traiecisse; quomodo pater eius Gordius in Phrygia Asiatica regnare potuerit? aut quomodo Phryges ante Midam in Asia? Non tamen hoc unus Iustinus, sed et Arrianus et alii produnt. Voss. — Vossius legendum censet *Telmisinae urbis*. Nec multo aliter Blancardus, *Telmissi urbis*. Hanc enim lectionem firmare Arrianum, qui Telmissensium vatum hic meminerit, et puellae, quae ex vatum progenie, et oppidi in quo Iovi sacrificari iusserit. Verba Arriani lib. II. sunt: Ἰέναι (τὸν Γόρδιον) κοινώσοντα ὑπὲρ τοῦ θείου παρὰ τοὺς Τελμισσέας τοὺς μάντεις· εἶναι γὰρ τοὺς Τελμισσέας σοφοὺς τὰ θεῖα ἐξηγεῖσθαι. Ceterum Telmissus non vicina Gordio, ut secundum vulgarem lectionem Nostri statuendum esset; sed in extremis Lyciae ad mare posita fuit, ut ex Ptolemaeo et Mela demonstrat Blancardus. Vorst.

Profectus — percontatus eam. In sententia Fabri acquieverunt reliqui interpretes, per ἀνακόλουθον nempe *percontatus eam* hic dici pro *percontanti* vel *percontato illam*. Sed praestat cum Dorv. 3. et antiqua ed. legi *percontatusque eam*, sc. est: quamvis vix dubitem, quin a Iustino fuerit scriptum . . *eximiae pulcritudinis. Percontatur eam quem p. a. consuleret. Illa audita causa*

etc. Vide ad lib. XXXIV. 3. Wopkens. — Vocem *vicinae* tuetur Parens ad Arrianum lib. II. de Exped. Alex. cap. 2. Med. pr. sec. quint. Leid. ed. Viennensis, *percontatusque eam.* Magl. Coll. N. ed. Rom. *percontatusque est eam.* Bechar. Ven. Flor. Med. Paris. Ald. Iunt. *percunctatusque eam:* quomodo edidit G. Maior. Cl. Best in Ratione Emend. Leg. cap. 25. malebat, *percontatur eam.* Abr. Gronov.

8. Tam pulcra conditio etc. *Conditio* hic usurpatur pro matrimonio, ut Plaut. Stich. I. 2. 18. *Quin vos capitis conditionem ex pessuma primariam?* Id. Trucul. IV. 3. 75. *Dicam ut aliam conditionem filio inveniat suo.* et Trinum. I. 2. 122. *Habeo dotem unde dem, Ut eam in se dignam conditionem collocem.* Gronov. — Proprie loquitur. Inde formula perpetua renuntiandi sponsalibus, CONDITIONE TUA NON UTOR. Est igitur conditio nil aliud quam nuptiarum pactio. Faber.

10. Regem discordiis opus esse. Cicero ad Att. XV. Epist. 20. *Video mihi opus esse viaticum.* Vide Nonium. hic vulgo *regi.* Bongars. — Vulgo *rege,* non protritae phraseos ignorantia. Plautus Truculento:

*Quid isti suppositum puerum opus pessimae?*

Lucretius V. 235. *Nec crepitacula eis opus est.* Vide Nonium. Ad rem facit illud Taciti Annal. I. 9. 11. *Non aliud discordantis patriae remedium, quam ut ab uno regatur.* et Hist. I. 1. 2. *Ad unum omnia referri, pacis interest.* Bernec. — Antiquiores quidam typis expressi, et aliquis item MS. *rege discordiis opus esse.* Sed Bongarsius ex codd. credo MSS. edidit *regem.* Berneccerus porro et Freinshemius aliquid phraseos non protritae hic esse credunt; quod videlicet *opus* non modo dativum, sed et accusativum adsciscat. Mihi vero ex his quidem Iustini id probari posse non videtur, sed *regem* esse accusativum, qui verbum *esse* antecedat. Quomodo dicitur, *dux et auctor opus est,* ita plane et *Rex opus est.* Deinde quia apud Iustinum praecedit *responderunt,* non mirum quod loco nominativi ponitur accusativus, diciturque, *responderunt regem esse opus.* Nimirum post verbum dicendi, quomodo alias, ita nunc quoque ponitur accusativus cum infinitivo. Ad *discordiis* subaudi *tollendis,* vel simile quippiam. Vorst. — Quid vult illud *discordiis?* an, quod discordiae postularent, tanquam sibi necessarium? Hunc sane sensum alias habet haec locutio, ut cum dicitur, *opus mihi pecunia, opus tibi est consilio.* At vero haec Iustini mens non potest esse. Itaque vir doctus putat illud *discordiis* explicandum ita, ut subaudiatur *tollendis,* vel quid simile. Sed in tali formula huiusmodi quid omitti, quod subaudiri debeat, non puto posse ullo alio exemplo confirmari. Quare certus sum, illud *discordiis* non Iustini esse, verum glossatoris. Scheff. — *Regem discordiis opus esse,* nihil aliud est, quam discordias requirere regem, quod idem est ac, discordias sopiri non posse sine rege; sicuti dicimus, *reipublicae dictatorem opus esse,* seu desiderare dictato-

rem. Graev. — Magl. ed. Rom. Bechar. Ven. Flor. Med. Paris. Ald. Iunt. *rege*. Abr. Gronov.

11. De persona regis. MS. habet *rege*. unde colligo vocem *regis* quoque irrepsisse ex glossa. Iustinus scripserat: *Iterato quaerentibus de persona*. post voci *persona* adiecta est glossa *rege* in capite, quasi vellet, quaerentibus de rege. Tum cum alius recepisset hoc in textum, scripsissetque, *quaerentibus de persona rege*, alius putavit emendandum in *de persona regis*. Glossam esse id etiam docuerit, quod mox sequitur, *iubentur eum regem observare*. Nam hic voce *regem* non fuisset opus, si praecessisset *regis*. Scheff. — Nunquam *persona* simpliciter sic usurpatur bonis scriptoribus. Sed *de persona regis consulentibus*, est, quaerentibus cui *personam* regis sint impposituri. Sicut persona consulis est consulis dignitas et munus. Graev.

Euntem plaustro. Sic XLI. 3. 4. *equis incedere, super equos ire*. Vorst.

13. Vehenti. Passive hoc est accipiendum, eodem scilicet sensu, quo Cicero dixit de Cl. Orator. cap. 97. *Adolescentia per medias laudes quasi quadrigis vehens*, et de Nat. Deor. I. 28. *Maritimus Triton pingitur natantibus invehens belluis*. pro invectus, *einher fahrend*. Adde Liv. XXII. 49. 7. Suet. Caes. 37. 3. et 78. 3. et Claud. 28. 3. et notata Rubenio Elect. I. 4. Bernec.

Regnum delatum. MS. quidam habet, *regnum ei delatum*. unde possit suspicari aliquis, Iustinum scripsisse *quo vehente*; nam et vehicula vehere dicebantur, ut ex Ovidio pridem docui lib. I. Rei Vehic. cap. 17. Scheff. — Post *vehenti* in Franeq. aliisque librarii *sibi* aut *ei* inculcarunt: frustra quidem, quum ellipsis istiusmodi tralaticia sit, ut saepius monuimus. Mirum vero, Scheffero placere potuisse, *quo vehente regnum d. f.* Wopkens.

Maiestati Regiae consecravit. Quae veluti Dea apud illos veteres erat, unde et tam frequens Deorum Regalium mentio. Aeschylus autem assessores Iovi facit *ΒΙΑΝ* et *ΚΡΑΤΟΣ*, *Vim* et *Robur*, seu *Potestatem*. Faber.

Ille plaustrum, quo vehenti regnum delatum fuerat — maiestati regiae consecravit. Med. Coll. N. sec. quint. Leid. *quo vehente*, *regnum ei delatum* (sec. L. *delatum ei*) *fuerat*. Pr. tert. *quo vehenti pax sibi sive regnum d. f.* quart. *quo vehenti passive r. d. f.* Istud *passive* prius margini adscriptum. postea in τὰ *pax sibi sive* migrasse, vere suspicatur Bongarsius in Var. Lect. Bechar. Flor. Ald. Iunt. *maiestati consecravit regiae*. Abr. Gronov.

14. Post hunc filius Mida regnavit. Atqui supra VII. 1. 11. scribit, Midam in Europa partem Macedoniae tenuisse, indeque pulsum fuisse. Quae quomodo non repugnent, cum Vossio non intelligere me fateor. Arrianus quoque lib. II. Midam Gordio in Phrygia procreatum scribit, et a Phrygibus, cum hi seditione laborarent et ab oraculo moniti essent, currum illis regem allaturum qui seditionem tolleret, regem constitutum esse. Vorst.

Ab Orpheo sacrorum solemnibus initiatus. Fuit enim theologus Orpheus. Unde Horat. lib. II. Epist. 3.

*Silvestres homines sacer interpresque Deorum*
*Caedibus et victu foedo deterruit Orpheus:*
*Dictus ab hoc lenire tigres rabidosque leones.*

vide Servium ad illud Virgil. Aen. VI. 645.

*Nec non Threicius longa cum veste sacerdos.* Mod.

Conon apud Photium Narrat. I. refert, quod Midas *'Ορφέως κατὰ Πιέρειαν τὸ ὄρος ἀκροατὴς γενόμενος, πολλαῖς τέχναις Βρυγῶν βασιλεύει.* Voss.

Religionibus implevit, quibus tutior etc. Lactantius de Ira I. 12. *Religio et timor Dei solus est, qui custodit hominum inter se societatem.* Cicero de Nat. Deor. I. 2. *Pietate adversus Deos sublata, fides etiam et societas humani generis, et una excellentissima virtus iustitia tollitur.* Causam aperit Livius I. 21. 1. et 2. item I. 19. 4. unde Plutarchus adversus Colotem cap. 47. *Urbem citius sine solo, quam rempubl. sine opinione de Diis aut constitui aut constitutam servari posse* scribit: et cap. 48. *Religionem vinculum sive coagulum* vocat *omnis societatis et iustitiae firmamentum.* De falsa ille quidem: sed quanto magis id verum de vera? Bernec.

16. Violentius oraculo usus. Vix persuadeo mihi, sic Iustinum scripsisse. Quodnam hoc loquendi genus, *violenter uti oraculo?* Pro *usus gladio* libri MSS. habent, *universa uris gladio.* Unde puto, scriptum a prima manu fuisse: *cum capita loramentorum intra nodos abscondita reperire non posset, violentius oraculo universa, usus gladio, loramenta caedit.* ut *violentius oraculo* sit idem, ac violentius, quam oraculum, puta exigebat, vel dicebat. Scheff. — Contra Schefferum merito hic quidpiam emendatione egere negavit Burmannus ad Petron. cap. 112. satisque proba dictio est *uti oraculo*, pro, illud consulere. Livius XLV. 27. *Os specus, per quod* oraculo utentes *sciscitatum Deos* descendunt. Wopkens.

## CAP. VIII.

2. Quingenta stadia cursu fecit. Livius lib. XXVII. cap. 45. *postquam iam tantum intervalli ab hoste fecerat.* Abr. Gronov.

3. Cydni. *Ψυχρὸν δὲ φασὶ καὶ ταχὺ τὸ ῥεῦμα τοῦ Κύδνου.* Eustath. Vide praeter Plutarchum Alexand. cap. 29. Valer. Max. lib. III. cap. ult. Diodorus XVII. 31. causam morbi nullam affert. Bongars.

Per mediam urbem influentis. Malim cum Dorv. 3. *fluentis.* Wopkens. — Coll. N. *fluentis*, idemque in tertio Dorvil. reperit Cl. Wopkensius. Gualterus lib. II. vs. 145.

*Purus et illimis mediam perlabitur urbem*
*Cydnus.* Abr. Gronov.

In praefrigidam undam. Malim, *in praefrigidam, nudum.* Bongars. — Ed. Rom. *se effudit.* Bechar. Ven. Flor. Med. Paris. *in p. nudum undam se pr.* Iunt. *in pr. undam nudum se pr.* Arr. Gronov.

4. Interclusa voce. Infra XII. 15. 12. *praeclusa voce.* Deinde *non spes modo remedii* est pro *non modo non spes remedii.* Vide sup. Not. ad II. 1. 6. Vorst.

5. Remedium polliceretur. Mallem *pollicetur.* Scheff.

Parmenionis epistolae. Seneca II. de Ira cap. 23. *Alexandrum epistola matris admonitum fuisse, ut a veneno Philippi medici caveret.* Sed tamen *acceptam potionem non deterritum bibisse* scribit. Vorst.

6. Ingenti pecunia. Et promissis filiae nuptiis. Plutarch. Alex. cap. 30. Bernec.

7. Indubitato morbo. Sebis. *indubitata morte.* vix dubia correctio. Sic enim et infra XII. 15. 1. Bernec. — Amplector emendationem Sebisii, *indubitata morte perire.* Sic infra XII. 15. 1. *indubitatam mortem sentiens.* Vorst. — Sebisius emendat, *indubitata morte*, quod viri doctissimi vehementer probant. Mihi tamen nulla opus emendatione videtur, quia illud *indubitato* non est adiectivum hoc loco, sed adverbium, nec cohaeret cum *morbo*, sed *perire.* Porro *perire indubitato* est *certo et citra dubium mori.* Si quis tamen mallet *indubitate*, adversum me non haberet. Scheff. — Berneccerus et Vorstius cum Sebisio legunt *indubitata morte perire*, quemadmodum et lib. XII. 15. 1. *indubitatam mortem* dixit Iustinus. Burmannus vero ad Ovid. Metam. VII. 544. posse etiam *indubitato tabo perire* legi existimat. Longe equidem prius antefero; quamvis cum Scheffero potius voce *indubitato* pro adverbio accepta, constantem omnium librorum lectionem admittendam esse existimem. In his autem, *Tutius tamen est ratus*, non male Dorv. 2. et 3. cum aliis MSS. nesciunt verbum *est:* et saepe illud ita in verbo *ratus* subaudiendum omittitur. Infra cap. 12. *Tunc Darius se ratus vere victum . . gratumque sibi esse . . quod a tali potissimum vinceretur.* Ita Sallustius Iug. cap. LXXV. 9. cap. LXXXI. 3. cap. CII. 6. et cap. CIII. 5. Wopkens.

8. Epistolas medico tradidit. Rectius *epistolam;* unica enim tantum fuit, nec plures legere potuit interea, dum Alexander bibebat. Scheff. — Cave quicquam mutes. Nam *epistolae* Iustino saepius accipitur, ut litterae, pro epistola. In cap. 12. ter occurrit: *Darius cum Babyloniam profugisset, per epistolas Alexandrum deprecatur.* Loquitur autem de epistola prima. Mox: *Interiecto tempore aliae epistolae Darii Alexandro redduntur.* Dein: *Scribit itaque et tertias, et gratias egit.* hoc est, tertiam epistolam. Lib. I. cap. 7. *Lectis ille epistolis.* Atqui unam tantum fuisse epistolam caput praecedens ostendit. Graev. — *Epistolae* pro epistola, ut apud Hegesippum lib. I. cap. 45. *nam tum maxime Salomes periculum dolis tentabatur, directis epistolis, quas Salomes nomine*

*Antipater composuerat.* et auctorem libr. Maccab. I. 12. 5. *et hoc est exemplum epistolarum, quas scripsit Ionathas Spartiatis.* et V. 19. *et hoc est rescriptum epistolarum, quas miserat Oniae.* et Saxonem lib. XIV. pag. 353. 30. *Perlectasque epistolas Magnus cum responso excepturus putaretur.* Medl. Bodl. quint. Leid. *epistolam.* Abr. Gronov.

Inter bibendum etc. Cogitandum, an non scripserit Iustinus, *inter bibendum, dum oculos in vultum legentis intendit, ut securum conspexit.* Ita melius videntur cohaerere. Scheff. — Melius cohaerere oratio Scheffero videtur, si hoc modo distinguatur . . *in vultum legentis intendit, ut securum conspexit. Laetior* etc. Sed plane sic turbari verba mentemque Iustini, manifestum est. *Atque ita*, i. e. atque tradita medico epistola. Lactantius de M. Pers. cap. 15. *ut litigatores prius sacrificarent, atque ita causas suas dicerent.* ubi plura exempla suppeditavit B. Bauldrius. Ita *hoc modo* occurrit apud Dictyn Cret. II. 30. et alibi. Wopkens.

Oculos in vultum legentis intendit. Tacit. Annal. III. 3. 1. *vultum scrutari* dixit. Bernec.

9. Ut securum conspexit. Dissentit a Iustino Zonaras lib. IV. cap. 9. καὶ ὁ μὲν ἔπινεν, ὁ δὲ ἀνεγίνωσκεν, ἐνορῶντες ἀλλήλοις, ὁ μὲν Ἀλέξανδρος ἐν ὄψει χαριέσσῃ καὶ ἱλαρᾷ, ὁ δὲ Φίλιππος περιδεεῖ καὶ τεθορυβημένῃ. Curtius lib. III. cap. 6. de Philippo refert: *Ille, epistola perlecta, plus indignationis, quam pavoris ostendit.* Abr. Gronov.

## CAP. IX.

1. Cum quadringentis millibus. Sexcenta millia habet Arrianus I. quem numerum Persas prima congressione habuisse scripsit Iustinus h. lib. cap. 6. 11. vereor ut recte: qui enim iam moveretur Alexander, sexcentis millibus primo praelio superatis? Vulgo hic legitur *CCCtis millibus*, quod probat Oros. III. 16. Bongars. — Atque ita etiam expressit interpres Hisp. Bernec. — Ita Matthaeus Aet. V. cap. 8. verum Periz. ed. Bechar. Ven. Flor. Med. Paris. Ald. Iunt. Orosius lib. III. cap. 16. et Freculphus I. 4. 22. *cum trecentis millibus.* Abr. Gronov.

In aciem procedit. MSS. plures, *in acie*, quod fortassis non est negligendum. *In acie*, vel omissa praepositione, *acie procedere*, est procedere copiis instructis ordinatisque, ad conflictum certo modo dispositis. Ita *suggredi acie* usurpavit Tacit. IV. Ann. 47. *Quos dux Romanus, acie suggressus, haud aegre pepulit.* Scheff.

2. Respectu paucitatis suae. Saxo lib. XVI. pag. 374. 36. *ut absque paucitatis suae respectu in hostem contenderent.* Abr. Gronov.

Interdum. H. e. *interim*, ut apud Velleium II. 74. 2. et in Apuleio saepius. Bernec.

3. Ne desperatio suis cresceret, circumvectus suos. Lo-

cus hic nonnihil est suspectus mihi. Certe si timebat Alexander, ne desperatio cresceret, necesse est, ut iam aliqua fuerit apud eius milites. At diversum ex historia colligitur. Deinde ne oratio quidem satis decens, quia illud *suis* et mox *suos* repetitur ingrate. Mallem ergo pro *suis cresceret*, legere *succresceret*. Dicitur *succrescere desperatio*, quando paulatim oritur. Ita Plautus *mores succrescere* dixit in Trin. I. 1.

*Sed dum illi aegrotant, interim mores mali*
*Quasi herba irrigua succreverunt uberrime.*

Scheff. — Num igitur iam in desperationem inciderant? Nam si tum nulla fuit desperatio: quomodo potuit crescere? Praeterea valde ingrata est isthaec repetitio *suis*, *suos*, in tam paucis verbis. Adstipulor igitur praestantissimo Scheffero, coniicienti legendum esse: *ne desperatio succresceret*, *circumvectus suos*. Graev. — Schefferus, probante Graevio, legit, *ne desperatio succresceret*. Pr. quint. Leid. *ne desperatio succresceret suis*. Abr. Gronov.

Singulas gentes diversa oratione alloquitur. Est geminus huic loco locus apud Liv. XXX. 33. 8. in haec verba: *Varia adhortatio erat in exercitu inter tot homines, quibus non lingua, non mores, non lex, non arma, non vestitus habitusque, non causa militandi eadem esset. Auxiliaribus et praesens et multiplicata merces ex praeda ostentatur. Galli proprio atque insito in Romanos odio accenduntur. Liguribus campi uberes Italiae deductis ex asperrimis montibus in spem victoriae ostentantur. Mauros Numidasque impotenti Masanissae futuro dominatu terret. Aliis aliae spes ac metus iactantur. Carthaginiensibus moenia patriae, Dii penates, sepulchra maiorum* etc. Mod.

Internecivique cum Persis odii. *Odium*, pro inimicitia, sic praepositione *cum* construi solet; ut lib. XXIX. 1. 10. Livius XXVIII. 18. *Scipione abnuente, aut privatum sibi cum Poeno odium esse, quod* etc. Gregorius Turon. Hist. Francorum I. 9. *Quae res magnum ei* cum *fratribus* odium *generavit*. Notetur etiam haec praepositio, vocibus *aemulatio*, *caritas*, et *misericordia* iuncta. Livius XXVIII. 41. *Quae enim mihi* aemulatio cum *eo esse potest* etc.? et rursus ibidem: *neque certamina mihi atque* aemulationes cum *adolescente florentissimo proponam*. Lactantius II. 12. *Nec . . interdictam sibi putet . .* caritatem *cum proximis*. Optatus de Schism. lib. III. fol. 45. *Probate illos . . habuisse*, cum *fratribus* caritatem. Tacitus Annal. II. 71. Misericordia cum *accusantibus erit*. quomodo *facere cum quo misericordiam* phrasis veteri Bibliorum interpreti perfamiliaris est. Wopkens.

5. Macedones. Lege hic et lib. XXIV. 6. 1. cum tribus Dorv. *Macedonas*, ut cap. XIII. 8. lib. XIII. 3. 9. lib. XXVIII. 2. 12. et 13. lib. XXX. 4. 10. Sic Livius aliique. Wopkens. — Med. tert. quart. Leid. Periz. Coll. N. *Macedonas*, ut infra h. l. cap. 13. 8. *Macedonas admonebat*. Abr. Gronov.

Nec inventas illis toto orbe pares vires gloriatur. Ita iam pridem hic emendandum docui ad illa Curtii mei ex lib. IV. *Macedones virtute assecutos, ne quis toto orbe locus esset, qui tales viros ignoraret.* Mod. — Modius iam pridem ad Curt. IV. 14. 7. hic emendandum docuit, *nec inventos illis toto orbe pares viros.* Editiones aliae habuerunt, *nec inventas illis toto orbe pares vires.* Bernec. — Optime in antiquis editionibus legitur, *inventas illis toto orbe pares vires gloriatur.* At sic non modo auctor infra XXXI. 1. *Ne uno tempore duplici bello vires Romanae detinerentur.* sed et Liv. I. 30. *Ut omnium ordinum viribus aliquid ex novo populo adiiceretur.* Sed X. 14. *Ibi integrae vires sistunt invehentem se iam Samnitem.* et Val. Max. I. 1. 15. *Maiore Romanarum virium parte.* ubi Pighius legi vult, *Romanorum virorum.* sed contra libros scriptos. et Frontin. IV. Strat. 7. 6. *Naturam Romanarum virium per hoc vobis exemplum ostendi.* et Euseb. in Chron. pag. 184. *Romanae vires.* Gronov. — Iuntae ante Modium, *nec inventos illis toto orbe pares viros.* Sed probat Gronovius aliarum editionum scriptionem: *nec inventas illis toto orbe pares vires.* hoc est, exercitum, qui illis par sit. ut superius: *Ne Lacedaemoniis illae vires accederent.* hoc est, *copiae.* Nec infrequenter eadem notione in aliis locis usus est Noster. Postea, *haberi et salutari ut reginas*, MS. Iuntae et aliae editiones. Graev.

Nec inventos illis toto orbe pares viros. Ita ex MSS. edidit Bongarsius. Et habet quoque ita vetus editio Iuntarum, uti Graevius testatur. At aliae veteres editiones, Becharii puta et Maioris, habent *inventas vires:* quam lectionem Gronovius alteri praefert. Mihi tamen *inventos viros* magis placet. Vorst. — Gronovius verissime. Sensus est, nullum exercitum, quantumvis magnum, parem esse illis. *Vires* vero in hoc sensu apud Iustinum frequenter admodum occurrit. Graev.

Nec inventas illis toto orbe pares vires gloriatur. Ita Bechar. Ven. Flor. Med. Paris. verum MSS. ed. Ald. Iunt. *nec inventos . . . viros gl.* Rom. *nunc inventos i. t. o. viros pares gl.* Vulgatum tuetur Avus in Epistola ad Vorstium, qui eamdem Valerio Maximo praemisit. Abr. Gronov.

7. Consuescant oculis turbam hostium sustinere. Est huius loci nota fabula de vulpe ad primum leonis conspectum exterrita, eundem postea minus minusque formidante. *Quae ex usu sunt, non timentur.* Vegetius III. 12. fin. *Subita conterrent hostes, usitata vilescunt.* Idem III. 26. Bernec.

8. Nec Darii segnis opera in ordinanda acie fuit. Ita antiquiores typis expressi. et retinuit eam lectionem Bongarsius. At Berneocerus, quod a Bongarsio in MSS. quibusdam observatum sciret, *Nec Darii regis in ordinanda acie defuit*, hoc ipsum pro altero substituit. Mihi τὸ *regis* tanquam supervacuum suspectum est; et per hoc ipsum quoque τὸ *defuit.* Quid opus erat addi *regis*, cum toties tum Darius, tum Alexander nominatus, neque tamen

quod reges fuissent, additum esset? Vorst. — Optime Iuntina, *Nec Darii segnis opera*, cum Bongarsio, Vorstio, et Scheffero. Graev. — Omnino cum Dorv. 1. et 3. ut et Franeq. et editt. antiquis, *fuit*, non *defuit* legendum. Wopkens. — Med. Magl. Reg. Bodl. Coll. N. et C. C. tres Leid. Periz. Thuan. ed. Rom. Bechar. Ald. Iunt. Bongars. aliaeque veteres, *fuit*. Saxo lib. XIII. pag. 245. 22. *Nec segnis Lalandensibus ad opitulandum animus fuit. Ordinare aciem* etiam dixit idem lib. XV. pag. 363. 14. *propter nemus aciem ordinant*. Abr. Gronov.

Omnia circumire. Tert. Leid. Periz. *o. circuire*. Ita infra h. l. cap. 13. 3. ex iisdem et quarto Leid. *sed nec duces circuire suos cessabat*. Saxo lib. V. pag. 96. 14. *circuiri ipsos iubet*. et lib. VIII. pag. 141. 22. *quam multitudinem rex equo circuiens*. Abr. Gronov.

Imperiique perpetuae a Diis immortalibus datae possessionis admonere. Quomodo et sedem quondam Imperii Romam *urbem aeternam* iactant praeter Inscriptiones antiquas et Impp. constitutiones, Ammianus XIV. 14. Livius XXVIII. 28. 12. Florus I. 7. 10. etc. immemores, *omnia mortalium opera mortalitate damnata esse, et inter peritura nos vivere*. Senec. Epist. 91. *Urbium, imperiorum, gentium, nunc floret fortuna, nunc senescit, nunc interit*. Velleius II. 11. 6. *Τὸ εἱμαρμένον ὥσπερ ἐμψύχοις, οὕτω καὶ πόλεσιν ἄφυκτον*. Pachymerius Historia Byzant. II. 27. Bernec. — Scribe, *dati possessionis*. Ait imperium perpetuae datum possessionis. Voss. — Perpetuam possessionem vocat, quae nullam interruptionem passa fuerat. Vir doctiss. aliquid in hoc loco vitii esse putavit, quod non video, nec quidquam esse arbitror. Faber.

9. Praelium ingentibus animis committitur. *Ἐν Ἰσσῷ τῆς Κιλικίας*. Diodor. XVII. 32. et seqq. M. Cicero Famil. II. Epist. 10. Hoc praelio CX millia caesa. Plutarch. ut Diodorus XVII. 36. peditum duodecim myriades, equitum decem millia. Bongars.

In eo uterque rex vulneratur. Tam diu certamen anceps fuit, quoad fugeret Darius. Matthaeus: *In eo proelio uterque vulneratus est, et tam diu c. a. fuit, quoad aufugeret Darius*. Abr. Gronov.

10. Caesa sunt peditum unum et sexaginta millia — capta quadraginta millia. Magl. pr. quart. Leid. Periz. ed. Rom. Med. *peditum sexaginta unum m.* Coll. N. *peditum octoginta millia*; nec aliter Orosius et Freculphus: *Ibi tunc peditum octoginta millia, equitum decem millia caesa*. Parens ad Arrianum lib. II. cap. 11. legendum suspicabatur, *sex et nonaginta millia*. Matthaeus stat a vulgata scriptura, quam tuetur atque illustrat Avus lib. I. de Pec. Vet. cap. 10. pag. 45. Coll. N. *capta triginta millia*. Abr. Gronov.

Pedestres centum triginta. Miror Fr. Fabricium diligentissimum hominem notare ad Orosium, cum Iustino facere Diodorum, quia *τριακοσίους* habet, id est, trecentos. Bongars.

13. HORTANDASQUE. Hoc est, consolandas: quo sensu *alloqui* et *alloquium* usurpari notavit Varro lib. VI. de L. L. sicuti *παρηγορεῖν* et *παρηγορία* Graecis. adde supra Not. ad XI. 3. 1. BERNEC. — *Hortari* quid hic sit, intelligitur optime ex eo, quod Curtius III. 12. 26. scribit, *Rex bonum animum eas habere iussit.* Vide et sup. XI. 1. 8. et infra XIV. 3. 4. VORST.

14. PROVOLUTAE DEINDE GENIBUS. Peris. *genubus.* ABR. GRON.

NON MORTEM, SED DILATIONEM MORTIS DEPRECANTUR. Malim *vitam*, ut quidam ediderunt contra librorum MSS. fidem. *Deprecari* enim hoc loco est *valde precari.* Vide Gellium VI. 16. infra XII. 2. *Auxilia adversus Bruttios deprecantibus.* Quamvis et apud hunc auctorem diversam significationem habeat. BONGARS. — Commune verbum *deprecari* ad duo ista, *mortem* et *dilationem mortis*, diverso plane sensu refertur: illam, ne inferatur; hanc, ut concedatur: quomodo etiam supra III. 1. 9. *vindicare* duplici simul significatione sumitur: *Et caedem patris, et se ab insidiis vindicavit.* Exempla duo regulae, quam Scholiastes Sophoclis ad Electrae versum 138. refert: *Πολλάκις τὸ κατὰ κοινοῦ λαμβανόμενον, διαφόρως νοεῖται. Saepe verbum quod ad communionem assumitur,* (ut loquitur Papinianus in L. 77. §. 22. D. de Legat. 2.) *diversa significatione accipiendum est:* et in exemplum adducit ex Homeri Iliade XI. versum 328. cui fere simile est illud Ciceronis pro Murena cap. 10. *Tu caves ne tui consultores; ille ne urbes aut castra capiantur.* Ita Terentius Eunuch. IV. 7. 19. *Omnia prius experiri, quam armis, sapientem decet.* Ovid. Trist. I. 2. 77. *Non peto quas quondam petii studiosus, Athenas* etc. Sidon. Apollinar. IV. 1. *Nisi cui ingenium sibique quis defuit.* Huius loci crediderim illud esse Plinii Panegyr. cap. 20. *Adsuescat Imperator cum imperio calculum ponere.* hoc est, seposita imperatoria dignitate, rationem expensarum reddere. *Den Kaiser auff ein Seit setzen, und Rechnung thun.* ubi *ponere* habet utramque significationem et apponendi, respectu calculi; et deponendi, respectu imperii. Sicut eodem Panegyr. cap. 65. opponuntur, *hic suscipere*, *hic ponere magistratum*, hoc est, deponere. Qui me nunquam nisi doctiorem ab se dimittit, vir et in sua iurisprudentia et in his quoque litteris eximie magnus, Casp. Bitschius, Antecessor Acad. quem honoris et observantiae causa nomino, docuit me, observationem hanc ad multa etiam loca Iuris civilis utilem esse. Iuris enim auctores frequenter ita loqui, ut simul et negligentiam sive culpam, et diligentiam vel custodiam *praestandam* esse dicant, illam quidem ut absit, hanc ut adsit: illam, ut de ea seu ob eam quis teneatur; hanc ut ad eam quis teneatur; vel certe ob hanc omissam, et illam admissam. ut L. 5. §. 2. D. Commodati, L. 1. D. de Tutel. et Rat. distrah. L. 17. D. de Iure dot. etc. Sic L. 25. D. de V. S. *pars* relatum ad *servitutem*, intelligitur de parte generis: ad *dominium* vero, de parte integri. Item L. 1. C. Ubi de crim. ag. oport. vocabulum *criminis* relatum quidem ad verbum *commissum*, significat

delictum, aut ipsum factum criminosum: ad *inchoatum* vero, accusationem criminis. BERNEC. — Id hoc loco potest observari, istud *deprecantur* in diversa significatione sumtum esse. Qui enim mortem deprecatur, orat NE sibi mors afferatur; qui deprecatur dilationem, orat, UT sibi concedatur dilatio. Ita deprecatur bellum, qui bellum timet; deprecatur pacem, qui pacem cupit. Sed in eodem unius alicuius periodi membro si quis ita loquatur, vitiosum puto, et ab huiusmodi imitatione refugiendum. Quamvis itaque in sensu diverso recte dicatur, ulcisci patrem et ulcisci inimicum patris, non ideo tamen, si de filio loquaris, qui, dum patrem defendere studet, illius inimicum interficit, non, inquam, recte feceris, si dices, Ille et patrem et illius hostem ultus est; quia scilicet geminam eidem verbo significationem, idque in eodem membro orationis, tribueres, quod non modo obscuritatem affert, sed et contra iudicium est. FABER. — Editiones Becharii et Sichardi habent, *non vitam, sed dilationem mortis deprecantur:* ut verbi *deprecari* ad diversa relati una eademque notio sit. Et sane *deprecari vitam* dicit auctor infra XVI. 1. 1. Sed praefero tamen lectionem alteram. Nec est adeo insolens, ut uni eidemque verbo prout ad diversa refertur, duplex subiecta sit notio. Estque manifestum eius exemplum supra I. 9. 12. sive ibi *remittunt*, sive *permittunt* legas. Vide Notas ad eum locum. VORST.

15. HABERI UT REGINAS PRAECEPIT. Adde XXXVI. 1. 6. et XXXVIII. 9. 3. *Haberi et salutari*, ex fide codicis Massaeani legit Iust. Rycquius Centur. II. Epist. 48. BERNEC. — Antiquiores Iuntarum, Becharii, et Maioris editiones una voce auctius habent, *haberi et salutari ut reginas*. Sed et codices quidam MSS. ut Bongarsius et Rycquius testantur, ita habent. VORST. — Matthaeus Westmon. d. l. *haberi ut reginas praecepit*. verum Med. Periz. ed. Ienson. Bechar. Ven. Flor. Med. Paris. Ald. Iunt. *easque haberi et salutari, ut r. pr.* Magl. sec. quint. Leid. Bodl. Coll. N. ed. Rom. *easque et haberi et sal. ut r. p.* ABR. GRONOV.

## CAP. X.

2. TUNC BARSINEN CAPTIVAM DILIGERE. Mirum est etiam in Alexandri uxoribus nomina variata. Tres eius numerantur uxores, *Barsine* Darii filia, de qua hoc loco et libro XIII. Eius filius Hercules, qui una cum matre a Cassandro Macedonum rege occiditur, ut postea libro XV. narrat auctor: Diodorus *Statyram* hanc vocasse videtur, et nisi codices fallant, etiam Iustinus lib. XII. postquam Babyloniam redierat ex India Alexander. Altera *Rhoxane* Oxyatris Bactriani filia, de qua etiam libro XIII. Tertia *Parysatis* Ochi filia, quam Susis duxerat, ut initio fere lib. VII. narrat Arrianus. Lector ipse cogitet quid sequendum. GLAREAN.

TUNC BARSENEN. Barsinen Darii filiam commemorat Arrianus lib. VII. quam devicto Dario Alexander in uxorem duxit. de ea

infra XIII. 2. 7. Bongars. — Adde Plutarch. Alex. cap. 36. Bernec. — Iuntae *Barsinen*, cum Arriano et Plutarcho. Dehinc, *Abdolonymus.* mox, *applicito*, ut supra, iidem. Graev. — Bongarsius et Bernecceru edidere *Barsenen;* cum tamen infra XIII. 2. 8. scripserint *Barsine.* Vetus Iuntarum editio teste Graevio et hic *Barsinen* habet. Fuit non Darii, ut ex Arriano constare posse Bernecceru putat; sed Artabazi filia et Memnonis dum viveret coniux: quae Damasci capta ante nuptias consuetudinem cum rege habuit. Vide Notas Blancardi ad lib. VII. Arriani. Vorst. — Med. sec. quart. quint. Leid. *tunc et B.* Coll. N. ed. Ald. Iunt. *Barsinen:* ut infra XIII. 2. 7. et XV. 2. 3. *Barsine.* Bechar. *Marsinem.* Abr. Gronov.

3. A qua. Forte, *e qua.* Gronov. — Malim cum Gronovio *e qua;* nam ita solet Noster. Supra cap. II. 3. *fratrem* ex *noverca susceptum.* Lib. XXXIV. 4. *Quos* ex *noverca eius susceperat.* Lib. XXXVIII. 8. *quem ex sorore susceperat.* et ibid. *filium, quem* ex *ea susceperat.* Vide et lib. XXXIX. 5. 2. Orosius tamen III. 18. *Suscipiendae* ab *eo sobolis gratia.* Wopkens.

6. Obvios cum infulis etc. Regiae dignitatis insignibus. Ita Pollio in Gallienis duobus cap. 10. *Odenatus rex obtinuit totius Orientis imperium, quod se fortibus factis dignam tantae maiestatis infulis declaravit. Infulae* proprie quidem sacerdotibus, victimis rebusque sacris tribuuntur, quanquam et regum persona sacra habetur. et alioquin etiam ea vox generalius accipitur. ut apud Spartianum in Adriano cap. 6. *infulis ornatus Pannoniae.* hoc est, titulo praefecturae Pannonicae. Seneca Consol. ad Helviam cap. 13. *Vir constans ipsas miserias infularum loco habet.* et Epist. 14. *Literae etiam apud mediocriter malos infularum loco sunt.* hoc est, dignitatis. Quaedam editiones non bene, *cum infulis. Infulae* supplicum insigne sunt apud Liv. XLV. 26. 2. eaedem dicuntur *velamenta supplicum* Curtio VII. 5. 51. Caes. de Bell. Civ. II. 12. nec alio sensu accipiendus hoc loco Iustinus. Freinshem. — Puto respicere Iustinum ad memorabilem illam historiam, quam Iosephus de Iaddo, summo Iudaeorum sacerdote, narrat. Vide eum lib. XI. Antiq. cap. 8. Voss. — *Infulae* hic non insignia dignitatis regiae; sed insignia supplicum sunt, velatis manibus orantium. unde et *velamenta supplicum* ab auctoribus dicuntur, ipsaque vocabula *infularum* et *velamentorum* etiam coniuncta reperiuntur. Livius lib. XXXVII. *Teii, cum in oculis populatio esset, oratores cum infulis et velamentis ad Romanum miserunt.* Tacitus I. Hist. *Velamenta et infulas praeferentes.* Rursus Livius XLV. 26. *Tota multitudine cum infulis obviam effusa. Infulae* victimarum itidem velamenta fuere, ut vel ex his Varronis VI. de L. L. apparet: *Infulas dictas apparet in hostiis, quod velamenta e lana.* Vorst. — Hunc locum illustrat Avus Observat. in Script. Eccles. cap. 6. Abr. Gronov.

7. Aliis regnum ademit. Med. sec. quint. Leid. Bodl. Coll. N. ed. Ald. Iunt. *regna.* Abr. Gronov.

8. Abdalonimus. Diodorus XVII. 46. *Βαλλώνυμον* vocat, non Sidonis, sed Tyri regem constitutum. Vide Curtium IV. 1. 28. Vett. nostri mire variant. Bongars.

Sidoniae. Puta *urbis*. Sidoniam urbem dixit etiam Virgilius. Quia tamen MSS. habent *Sidona* vel *Sidone*, cogitandum, an non id, quod aliis est Sidon, terminatione Latina nominare voluerit *Sidonam*. Quanquam cum ipse Noster infra XVIII. 3. nominet *Sidona*, non *Sidonam*, aut *Sidoniam*, fortassis optimum sit hic etiam legere non *Sidoniae*, sed *Sidonis*. Scheff. — MS. Bongars. *Sidone*, quod vulgato praeferebat Avus ad Senecam lib. VI. Quaest. Nat. cap. 4. *Sydone* Vincentius lib. V. cap. 25. Abr. Gronov.

9. Operam oblocare. Impressi quondam habuerunt *ablocare*, quod est rectius opinione mea. Nam *ablocare* ac *elocare* idem. *Ablocare* sensu simili usurpavit Suetonius Vitell. cap. 7. *Domum in reliquam anni partem ablocaret.* Scheff. — Ed. Rom. *locare operas.* Magl. *operas ablocare. Ablocare* in ed. Col. quoque exhibuit Georgius Maior. Idem verbum, observante Cl. Scheffero ad h. l. occurrit apud Suetonium in Vitellio cap. 7. *ut domum in reliquam partem anni ablocaret.* et Iulio cap. 26. ex MS. Memmiano et duobus Mediceis, *ea, quae ad epulum pertinerent, quamvis macellariis ablocata, etiam domesticatim apparabat.* Vulg. *oblocata.* Abr. Gronov.

Misere vitam exhibentem. Putabam *exigentem*, sed hoc rectum est. Ita Noster XXII. 1. 3. *Vitam stupri patientia exhibuit.* adde notam ad IX. 2. 7. Bernec. — Infra XXII. 1. 3. *Vitam stupri patientia exhibuit.* Ex quo apparet, *vitam exhibere* idem esse quod tolerare, sustentare. Nec tantum dicunt *vitam exhibere*, sed et *exhibere aliquem*, pro tolerare, alere. Vide supra Not. ad. IX. 2. 7. Vorst. — Cl. Iensius malebat, *exigentem*, idemque praeferunt Ald. Iunt. et Colon. in margine. Abr. Gronov.

10. Coronam auream. Athenaeus XII. ex Charete refert, *post victum Darium, missas Alexandro coronas partim a legatis gentium, aliisque, aestimatas decem millibus ac quingentis talentis.* Obvia talia gratulationis exempla sunt et in Romana historia. ut in Livio XXXVIII. 37. 4. cum Cn. Manlius Gallograecos vicisset, eoque terrore Asiam liberasset: *Missae undique legationes non gratulatum modo venerunt: sed coronas etiam aureas pro suis quaeque facultatibus attulerunt.* Videndus omnino Lipsius de Magnit. Rom. II. 9. Bernec.

In titulum gratulationis. Illud etiam Romanis usitatum, neque coronae solum ipsae mittebantur, sed aurum ut pecunia ad coronas, atque id proprie aurum coronarium. Bernec.

Grate munere accepto. Infra XXXI. 7. 6. *Gratum se munus accipere.* et XII. 11. 2. *Nec a debitoribus magis quam a creditoribus gratius excepta munificentia.* Vorst.

11. Id eum in Tyro vetere. Vett. *deum Tyro:* legendum arbitror, *id eum in Tyro vetere, antiquiore templo:* sine copula.

Dicebatur enim locus ille *Παλαίτυρος*. Vide Curtium V. 2. Arrian. lib. II. Diodorum XVII. 40. et Plutarchum in Alex. cap. 41. Bongars. — Scribi curavi *in Tyro-Vetere*, utraque voce per lineolam copulata; ut intelligeretur esse compositam. Haec Tyrus, Palaetyros, id est Tyros vetusta, a Graecis dicebatur; distabat autem ab altera Tyro stadiis XXX teste Strabone; eratque in continenti; at altera, celebratissima illa et decantatissima Tyros, insula erat, cum obsideri ab Alexandro coepta est. Ceterum, ubi mox dicitur, *et antiquiore templo*, recte vidit Berneccerus expungendum esse illud *et*, hoc sensu, per ablativum abstractum: *Rectius id in Vetere Tyro facturum, antiquiore templo*, id est, cum Palaetyri templum multo esset antiquius quam id quod in nova Tyro conspiciebatur. Faber. — Recte praepositio *in* abest ante *Tyro* in quatuor nostris aliisque codicibus. ut lib. XX. 3. *et* Corintho *et* . . *Lacedaemone nunciata est victoria.* ubi vide. Eademque praepositio ita subauditur saepenumero ante vocem *templo*, ut neutiquam copulam *et* ante *antiquiore templo* deleri cum quibusdam viris doctis necesse sit. Sulp. Severus H. S. I. 41. *Ubi* templo, *a Salomone facto, populus sacrificare Domino* consueverat. Hyginus Fab. CXX. *ut qui intra fines eorum hospes venisset*, templo *Dianae immolaretur.* Sic Ovidius aliique. Porro cum his Abr. Gronovii codicibus, qui τὸ *in* ante *deprecantes eius introitum* ignorant, consentiunt Franeq. duoque Dorv. nec non a manu prima tertius. Mihi tamen scripsisse Noster videtur . . *dicerent, detrectantes eius introitum; ita exarsit* etc. vel . . *dicerent; in detrectantes eius introitum ita exarsit* etc. Quod Tyrii Alexandrum rectius Tyro vetere vota Herculi redditurum dicebant, in eo introitum illius in suam urbem *detrectabant* potius, quam *deprecabantur*, ac detrectatione eiusmodi quam deprecatione accendi Alexandri ira facilius potuit. Wopkens. — In continenti fuit *Παλαίτυρος, antiqua Tyrus*, ubi Herculi sacra facere Alexander potuisset. Apud Curtium legati respondent, *esse templum Herculis extra urbem in eam sedem quam Palaetyron ipsi vocant: ibi regem Deo sacrum rite facturum.* In antiquiore illo Palaetyri templo occisus fuit Sichaeus a Pygmalione: quod ex eo colligitur quod Dido cum ad Pygmalionem in regiam se venturam simularet, naves conscendit, atque ita aufugit. Vorst.

Cum legati rectius id eum in Tyro vetere et antiquiore templo facturum dicerent, in deprecantes eius introitum ita exarsit, ut. Med. Bodl. Reg. quatuor Leid. Coll. N. ed. Rom. *facturum dicerent, deprecantes eius introitum*, omissa praepositione *in.* Hic locus ita legendus et interpungendus videtur: *cum legati rectius id eum Tyro vetere et antiquiore templo facturum dicerent, deprecantes eius introitum, ita exarsit*, vel, si malis, *tum ita exarsit.* Nam vocula *tum* a postrema praecedentis vocis syllaba facile absorberi potuit. Verbum *exardere* absolute positum occurrit apud Curtium VII. 4. 19. *Bessus adeo exarsit, ut vix* etc. et supra IX. 8. 14. *Hic ubi exarsisset.* Vulgatum imitatur Saxo lib. X. pag. 188.

18. *perquam graviter in Suenonis caput exarsit.* Idem quoque ultima huius periodi verba imitatur lib. XVI. pag. 374. 30. *Lundensi urbi portas sibi claudenti excidium minatus est.* Abr. Gronov.

12. Non minus animosis. MSS. habent *animosos Tyrios*, et mox *excipit*, quod fortassis non est negligendum. Quia tamen illud genus Nostro alibi quoque passive magis, quam active usurpatur, ideo suspicor, scripsisse Nostrum: *confestimque exercitu insulae applicato, a non minus animosis Tyriis fiducia* etc. Nisi malis ista verba, *non minus animosis* etc. putare seorsum posita, significare causam, quare bello fuerit exceptus. cum praesertim alibi quoque illud *excipi* sic absolute ponat. ut II. 5. 1. *Scythae servili bello domi excipiuntur.* Non dicit, a quo, sed simpliciter, *excipiuntur bello.* Sic XLIII. 1. de Aenea: *statimque bello exceptus.* Scheff.

13. Ducentes. Scribe, *ducentibus.* ut referatur ad praecedens *Tyriis*, non ad *animos.* Gronov.

14. Amota igitur imbelli aetate Carthaginem, et arcessitis mox auxiliis. Periz. *abmota.* sec. Leid. ed. Rom. *aetate, ex Carthagine arc.* Med. *aetate, et ex Carthagine arc.* Abr. Gronov.

Non magno. Imo satis magno, si aetatem Alexandri spectes, et ceteras res ab eo gestas: septem quippe menses in hac obsidione consumti. Plutarch. in Alex. cap. 41. Curtius IV. 4. 30. Freinshem.

Per proditionem capiuntur. Nemo dixerit, per proditionem esse captam Tyrum. Voss. — Bis peccat Iustinus; nam et tempus obsidionis longum fuit, et per proditionem capti non fuerunt Tyrii. Faber. — Septem tamen menses in obsidione Tyri consumti, ut ex Curtio notum. De *proditione*, qua capta sit Tyrus, nihil prodidere alii. Ipse Noster XVIII. 3. scribit, *expugnata urbe.* Vorst.

## CAP. XI.

1. Inde Rhodum. Orosius III. 16. et 17. hanc lectionem sequitur, quae mihi propter MSS. varietatem suspecta est. eorum plerique habent: *Inter haec dum Alexander Aeg. Cil. s. cer. recipit, ad Iovem Hammonem* etc. Bongars.

Ciliciamque. Ciliciam? non opinor. hanc enim inter primas habuit. Forte *Cyrenen.* Freinshem. — Atqui Cilicia iam diu erat capta. Scribe itaque, *Syriamque.* Sic quoque nonnulli inter Iustini compilatores legerunt. Voss. — Istud *Ciliciam* vitiosum esse iam alii viderunt (nam pridem perdomita fuerat haec provincia;) universum hunc locum sibi suspectum ait esse Bongarsius. Quidam apud Berneccerum legebat, *Cyrenen;* Is. Vossius, *Syriam;* vere, ni fallor. Faber. — *Ciliciam* Alexander occuparat iam ante. Quam ob causam pro *Ciliciam* Freinshemius legendum putat *Cyrenen.* Sed neque hoc potest. Nam Cyrenen obtinuit demum Ptolemaeus, ut ex

XIII. 6. 10. videre est. Rectius igitur videtur, quod Vossius legendum putat, *Syriamque.* Vorst. — Thuan. *Litiamque.* Forte rescribendum, *Libyamque.* Arrianus lib. III. de Exp. Alex. cap. 2. *Λιβύης δὲ τῆς προσχώρου ἄρχειν δίδωσιν Ἀπολλώνιον Χαρινοῦ.* Curtius *Africam* vocat lib. IV. cap. 8. *Africae deinde, quae Aegypto iuncta est, praepositus Apollonius.* Abr. Gronov.

3. Ex eo se. Pronomen reciprocum abest ab Ald. Iunt. Abr. Gronov.

Ex serpente. Livius XXVI. 19. 6. *P. Corn. Scipio rettulit famam in Alexandro Magno prius vulgatam, et vanitate et fabula parem, anguis immanis concubitu se conceptum* etc. Eadem fere Agellius VII. 1. Similia de Augusto Suetonius cap. 94. 8. Fabula illa de Scipionis ortu peperit aliam fabulam de specu in Linternino, ubi manes eius custodire draco traditur. Plin. XVI. 44. pr. Bernec.

5. Stupri compertam. Ita Livius VI. 4. 4. *nullius probri compertus.* Et forsan eius imitatione Tacitus Annal. I, 3. 6. *nullius tamen flagitii compertus.* Bernec. — Livius XXII. 57. *Dum Vestales stupri compertae.* Aliud est *stupro comperta;* quo Sulpicius Severus utitur Hist. S. I. 38. Vide nostras in illum Notas. Vorst. — Placet omnino haec scriptura; quamvis non ausim cum Vorstio damnare, quod in Dorv. 2. aliisque habetur, *stupro compertam,* pro quo plenius *in stupro* dixit Sueton. Tib. cap. 35. Sic *suspectus imperio*, i. e. imperii appetiti, Spartianus Adriano cap. 5. *Societate consilii suspectus*, Vellei. Paterc. II. 35. ubi vide dicta. *Scelere convictus*, Lactantius de Ira Dei cap. XVII. 6. cum nota Bunemanni. *egregia virtute cognitus*, Caesar B. Gall. I. 28. ibique Davisius. Wopkens. — Magl. *velut ex stupro.* Ed. Rom. *velut in stupro:* ut apud Suetonium Tib. cap. 35. *ut uxorem in stupro generi compertam dimitteret.* MSS. Bongars. *velut stupro.* Eadem constructione *compertus* pro *experto* occurrit apud Ammianum lib. XI. cap. 11. init. *longa militum frugalitate compertus.* et XXVIII. 5. *dux diuturno bellorum labore compertus.* et XXXI. 7. init. *legiones opere Martis saepe recte compertae.* Abr. Gronov.

6. Originem divinitatis. Forte, *originis divinitatem.* Gron. — Quid illud *originem divinitatis* hic sibi velit, nemo nobis facile expediet. Sensit hoc acutissimus Gronovius, dum tentat *originis divinitatem acquirere.* Sed non tam hoc proprie, quam huius rei inter homines opinionem vel famam cupiebat Alexander: ideoque omnino rescripserim, *opinionem divinitatis acquirere.* Wopkens.

7. Ut Hammonis filium. *Τὸ ut* videtur expungendum. Sebis. — *Hammon*, rectius *Ammon*, Iovis in Libya cognomentum est, ab arenis ei inditum, quarum ingens isthic copia. Mela I. 8. Olympiadis festivum rescriptum, quo filii iactantiam, *genitum se Iove*, retudit, Agellius XIII. 4. refert. Corinthios Alexandro statuam Iovis ornatu intra Altim dedicasse, tradit Pausanias lib. V. longius a fine, Bernec. — Aelianus lib. XIII. de Nat. Anim. cap. 6. *καὶ*

'Ὀλυμπιὰς δὲ ἔχευτο γυμνὴ, ἡ τεκοῦσα τὸν τοῦ Διὸς, ὡς ἐκόμπαζεν αὐτὴ καὶ ἐκεῖνος ἔλεγε. Abr. Gronov.

8. Censeri. Vide notata ad IX. 2. 9. Bernec.

9. An omnes interfectores parentis. Homo insigniter fatuus, qui se bipatrem haberi postulet. At boni illi nugivenduli, Hammonis antistites, magis sapiebant, et, si quid bonae mentis in cerebro Alexandri fuisset, hominem ad sanitatem revocassent, qui intimas Africae solitudines penetrasset, ut se lactandum et deludendum somniorum venditoribus propinaret. Faber.

10. Tertiam interrogationem poscenti. Est qui *tertia interrogatione* legendum ex MS. censet. quomodo fere Tacitus Annal. III. 16. 14. Alius et sequentia mutat ita: *tertia interrogatione poscenti victoriam omnium bellorum, possessionem terrarum dari respondetur.* ne phrasis ista non offendat. *Interrogatio* namque non hic ἐρώτησις, sed ἐρώτημα, hoc est, non actus interrogandi, sed caput interrogationis est. *Τὸ ζητούμενον* appellat Diodorus XVII. 51. ubi fusius haec explicatur historia. Ceterum Atticismus est, cum verba regunt accusativos vel suae originis, ut *coenare coenam, pugnare pugnam, somniare somnium.* Plaut. *Iurare iusiurandum,* Cicer. etc. vel cognatae significationis, ut *lucere facem, cereum, garrire nugas,* Plaut. *pugnare praelia, garrire libellos,* Horat. *quiescere somnum, substrepere verba,* Apul. Sic ἐρωτᾶν ἐρωτήματα, hoc est, *interrogare* (seu cum Nostro *poscere*) *interrogationes,* dixit Aeschines in Ctesiphontem, et Plutarchus in Colotem. Adde Vechneri Hellenolex. pag. 154. Bernec. — Videtur auctor scripsisse, *tertiam interrogationem ponenti,* ut Cicero I. de Orat. 22. *Mihi nunc vos, inquit Crassus* etc. *quaestiunculam, de qua meo arbitratu loquar, ponitis?* Idem IX. Epist. Fam. 26. *Quod tu unum ζήτημα Dioni philosopho posuisti.* et Phaedrus Fab. 53.

*Nec quaestionis positae causam intelligit.*

Gronov. — *Tertiam interrogationem poscenti,* pro, tertiam interrogationem interroganti. Verbis adiiciuntur non raro nomina eiusdem originis; ut *ridere risum, pugnare pugnam:* interdum et cognatae modo significationis; ut *pugnare praelia, garrire nugas.* Quae Latina, et eiusdem generis Graeca, quid discrepent a phrasi N. T. χαίρειν χαρὰν μεγάλην, et id genus aliis, in cap. 35. libri de Hebraismis N. T. docuimus. Vorst. — In MS. legitur, *tertia interrogatione,* quod sine dubio rectissimum. Sed sic mutanda etiam distinctio, locusque totus ita scribendus: *Tertia interrogatione poscenti victoriam omnium bellorum possessionemque terrarum, dari respondetur.* Eleganter. Non poscebat interrogationem, sed interrogatione poscebat victoriam bellorum. Est autem *interrogatione poscere* idem ac quaerere, utrum non sis habiturus victoriam. Curtius sic extulit: *An totius orbis imperium fatis sibi destinaret pater.* Scheff. — Dorv. 1. aliique MSS. cum eo codice concinunt, ex quo Schefferus verissime, ut mihi quidem videtur, legebat *Tertia interrogatione poscenti victoriam omnium bellorum possessionemque*

*terrarum, dari respondetur.* WOPKENS. — Med. Coll. N. Bodl. quint. Leid. ed. Rom. *tertia interrogatione poscenti victoriam omn.* Bechar. *respondent.* ABR. GRONOV.

11. COMITIBUS QUOQUE SUIS RESPONSUM. Lege, *ipsius*, pro *suis.* FABER. — Pro *comitibus eius.* Cuius generis varia in cap. 5. de Latinit. falso susp. congessimus. VORST. — Coll. N. ed. Rom. *com. q. eius resp.* quomodo etiam ex coniectura legit Avus in Ἀντεξηγ. III. de Centesimis Usuris §. 71. ABR. GRONOV.

12. MIRUSQUE. Med. ed. Rom. *nimiusque.* ABR. GRONOV.

13. ALEXANDRIAM CONDIDIT. Eodemque tempore *Paraetonium.* Adi Scalig. animadvers. in Euseb. pag. 117. b. Annum Alexandriae conditae prodit Liv. VIII. 24. 1. BERNEC.

ET COLONIAM MACEDONUM. *Coloniam Macedoniam* est in MSS. et recte. Vide Vechneri Hellenolex. pag. 54. m. et 86. m. BERNEC. — MSS. omnes quos Bongarsius vidit, excepto uno, *Coloniam Macedoniam.* Idque Berneccerus in Notis posterioribus rectum putat. Foret autem simile ei quod Salustius dicit, *mulieres Galliae*, et multis id genus aliis, quae Vechnerus Hellenol. I. 8. collegit. VORST. — Tert. quart. Leid. *coloniam Macedoniam*, quod vulgato praefecerunt Berneccerus, et Wasseus ad Sallustium fragm. Hist. lib. IV. 10. in Add. ABR. GRONOV.

CAPUT AEGYPTI. Sic infra XI. 14. 10. Livius XLII. 47. 11. *Caput Thessaliae Larissa.* Curtius V. 8. 1. *Ecbatana caput Mediae.* BERNEC.

## CAP. XII.

1. BABYLONIAM PROFUGISSET. MSS. habent *perfugisset*, quod videtur rectius, quoniam *profugere* magis respicit locum ex quo, contra *profugere* locum ad quem. SCHEFF. — Ald. Iunt. *Babylona.* Eaedem cum novem MSS. ed. Rom. Bongars. *precatur.* Bechar. Mediol. *deprecatus*, male. ABR. GRONOV.

2. IN PRETIUM. MS. Bongarsii praepositionem ignorat, quam et melius abesse opinor. GRONOV. — Recte Gronovius elegantius abesse praepositionem *in* in MSto Bongarsii iudicat: nec in quatuor nostris illa comparet. Omisitque itidem Iustinus lib. II. 4. *Menalippen captivam sorori reddidit, et* pretium *arma reginae accepit.* Lib. XXXVIII. 5. *Quam patri suo*, praemium *dati adversus Aristonicum auxilii, concesserant.* Lib. XXXIX. 1. *Regnum Aegypti Cleopatra socru,* pretium *auxilii adversus fratrem suum, pollicente.* Vide et Heins. ad Ovidii Epist. 6. 146. Additur tamen aliquando praep. Florus I. 26. *Nullaque* in pretium *eius potuit largitione corrumpi.* ubi vide Dukerum, et quae supra ad lib. VII. 3. WOPKENS. — Med. Magl. sec. Leid. Coll. N. MS. Bongars. ed. Rom. nesciunt praepositionem *in*, probante Avo. Ita supra II. 3. 4. *pretium arma reginae accepit.* ABR. GRONOV.

4. SUA SIBI DARI. Xenoph. lib. V. de Instit. Cyri: *Lex est*

*sempiterna inter homines, capta hostium urbe, eorundem res atque pecunias victori cedere.* Aristot. Politic. I. 4. pr. *Lex velut pactum quoddam commune est, quo bello capta capientium fiunt.* BERNEC.

5. CUM QUADRAGINTA MILLIBUS PEDITUM ET CENTUM MILLIBUS EQUITUM. Quis credat equitum numerum sesquialterum fuisse ad peditum numerum? Ego pro XL legam CCCC. quod est longe verisimilius: cum Arrianus peditum numerum faciat decies centenum millium, *πεζοὺς δὲ ἐς ἑκατὸν μυριάδας.* Curtius autem duplum ad eum, qui fuit ad Issum. GLAREAN. — Praepositio *cum* abest Med. Magl. ed. Bechar. Ven. Flor. Med. Paris. Ald. *et cum quadringentis* Leidenses, Periz. ed. Rom. Orosius lib. III. cap. 17. et Freculphus: *quadringenta et quatuor* (Frec. *quadraginta quatuor*) *peditum et centum millia equitum Alexandro ab Aegypto revertenti apud Tarsum* (*Tharsum* Frec.) *bello opponit. Τὰ et quatuor* desiderantur in veterrimo codice Flor. Orosii, et pro *quadraginta* primus MS. Leid. Freculphi dat CCC, secundus CCCC. Porro *τὰ apud Tarsum bello*, vel *bellum*, quod exstat in duobus aliis Florentinis, interpolatoris, non vero Orosii manu addita fuisse suspicor: siquidem haud verisimile est, sedulum Iustini imitatorem hic mentionem fecisse loci, quem tertio cum Alexandro praelio, suique exercitus clade nobilem fecit Darius: quum in praecedenti capite Issum oppidum, ubi secundum praelium Darium inter ex Alexandrum contigit, una cum Iustino silentio praetermiserit. Huius autem laciniae, quae ex Curtio IV. 9. 9. addita fuisse videtur, veram scripturam fuisse putem, *apud vicum Arbela.* ABR. GRONOV.

QUADRINGENTIS MILLIBUS. Ita Vett. omnes. antea mendose legebatur, *quadraginta millibus.* Et in hoc numero dissentiunt scriptores. Videndus Curtius. BONGARS. — Nam Plutarchus in Alexandro cap. 54. m. *millena millia militum* habet: probabilius quam Noster. Nam et Curtius IV. 9. 5. dimidio ferme maiorem Darii fuisse ait exercitum, quam in Cilicia fuerat: (de quo supra XI. 9. 1.) et vero credibile non est, minoribus copiis instauraturum fuisse pugnam, qui maioribus victus erat. BERNEC.

6. ABIECTI PARTUS. Tam *abiicere partum*, quam *abigere*, dicitur. Ammianus XVI. *ut quotiescunque concepisset, immaturum* abiiceret *partum.* Vide erudit. Th. Munkerum ad Lactant. Placid. Fab. I. 10. WOPKENS. — *Abiecti* abest Periz. Cl. Dorvilius tom. I. Observ. Miscell. pag. 235. *abiecti*, eiecti, vel abacti, interpretatur. Magl. *partus abiecti.* ABR. GRONOV.

EIUSQUE MORTEM ILLACRYMATUM ALEXANDRUM. *Morti* forte rectius. Ita Suetonius Vespas. 15. 4. *Suppliciis illacrymavit et ingemuit.* et Curtius III. 12. 8. *Pietati earum illacrymasse.* BERNEC.

MORTEM ILLACRYMATUM. Alii construunt cum casu tertio, dicuntque *morti illacrymare.* Unde Bernecccerus coniicit et hic fortassis rectius ita legi. Nobis nihil mutandum videtur; est enim constructio facta vi praepositionis, ex qua verbum est compositum, quaeque casum quartum requirit, diciturque *illacrymare mortem* pro,

illacrymare in mortem. Infra XI. 15. 4. dicit, *mortem lacrimis prosequi*. VORST. — Abr. Gronovius ad Tacit. Annal. XIV. 10. legebat hic *morte illacrimatum*, cum Florent. ac duobus Angl. codicibus, quibus etiam consonat Dorv. 2. sed magis constat de syntaxi huius verbi cum dativo. Livius XL. 56. *Si te, qui* morti *innocentis, qui meo infelici errori unus* illacrimasti. Cicero Nat. Deor. III. 33. *cuius* morti illacrimare *soleo*. Quo loco mihi recte defendisse videtur Pichena ista Taciti l. d. *ac* morti *parentis illacrimans*. WOPK. — Med. quart. Leid. Thuan. Bodl. Coll. N. *morte*. Eadem varietas est apud Tacitum lib. XIV. Annal. cap. 10. *morti parentis illacrimans*. ubi MS. Florent. duo Oxon. ed. Rom. Ven. dant *morte:* verum vulgatum tuetur Pichena loco Ciceronis lib. III. de Nat. D. cap. 33. *Quid dicam de Socrate? cuius morti illacrimari soleo*. ABR. GRONOV.

HUMANITATIS CAUSA. Iure τῆς φιλανθρωπίας et pro necessitudine illa societateque, quae inter homines intercedit. *Communis humanitatis ius* Ciceroni dicitur pro Flacco cap. 11. pr. *Humanitatis negotium gerere* dicitur, qui cadaver sepelit, L. 14. §. 7. D. de Religios. quia memoria humanae conditionis id facit. L. 27. D. de Condit. instit. Inde Quintilianus Declam. VI. corporis proiecti *Cadaver*, inquit, *ab incursu avium ferarumque tantum miserantium corona custodit. Convenerunt etiam alieni complorantes: totus in spectaculum populus effusus est, et ignoto quoque corpori publica humanitas quasi quasdam fecit exequias*. Vide et Senecam Benef. V. 20. m. Lactantium Instit. VI. 12. Hanc humanitatem ut auctores alii *misericordiae* ac *pietatis*, ita Capitolinus in M. Antonino Philosopho cap. 13. *clementiae* vocabulo designat: *Tantaque clementia fuit*, inquit, *ut et sumptu publico vulgaria funera iuberet efferri*. BERNEC.

7. FILIASQUE EIUS PARVULAS. Qui *parvulae* potuerant dici? cum *adultas* dicat Curtius, Plutarchus θυγατέρας παρθένους, quarum alterutram, quam nimirum eligeret ipse, Alexandro Darius obtulit, ut observavit amplissimus vir Gisbertus Cuperus Observat. lib. IV. cap. 10. Censet is, aut Iustinum errasse, aut librarios oscitasse, et foedam mendam huic loco adspersisse, Iustinum vero scripsisse: *Cum matrem, filias, filiumque eius parvulum frequenter consolaretur*. Hunc Curtius nondum sextum aetatis annum, cum caperetur, egressum esse scribit lib. IV. cap. 14. eique Ocho nomen fuisse. Vide in laudatis illis Observationibus plura, quibus hic locus illustratur. Inter alia ostendit Curtium sentire cum Iustino, cum Darii uxorem visam semel tantum ab Alexandro tradit, quamvis in alia sit sententia Plutarchus et Appion Plistonices, qui tradant ex epistola Alexandri, nunquam ab Alexandro visam fuisse Darii uxorem; quae epistola si genuina sit, merito ei potius credendum esse quam aliis auctoribus, vere ait Cuperus. Sed alii viro summo non possum adstipulari, qui *frequenter* hic positum existimat pro *multis praesentibus*, cum τῷ *frequenter* hic non opponatur *solus*, sed *semel*.

Graev. — MSS. et veteres editiones, *parvulasque filias eius.* Parens ad Arrianum lib. II. cap. 2. de Exped. Al. malebat, *filiasque eius pavidas. Frequenter* idem valet quod *multis praesentibus*, ut interpretantur Avus cap. 14. Observ. in Script. Eccles. pag. 147. et Cl. Tennulius ad Frontinum Strat. III. 9. 2. vel *cum ingenti frequentia*, quomodo loquitur Petronius cap. 65. *Inter haec triclinii valvas lictor percussit, amictusque veste alba, cum ingenti frequentia comissator intravit.* Idem etiam *cum modica frequentia* dixit cap. 97. *Intrat stabulum praeco cum servo publico aliaque sane modica frequentia.* Abr. Gronov.

Frequenter consolaretur. *Frequenter*, pro praesentibus multis, praesente turba regia. Livius lib. I. *Romam inde frequenter migratum est, a parentibus maxime ac propinquis raptarum.* Vorst. — Minime gentium. Hic *frequenter* est saepe, ut constat ex oppositione τοῦ *semel. Semel tantum eam Alexandro visam, cum matrem filiasque eius parvulas frequenter consolaretur.* Graev.

8. Tunc Darius se ratus vere victum. Ald. Iunt. *ratus est vere v.* Rom. *Tunc se ratus est v. v.* Novem MSS. ed. Bongars. *Tunc se r. v. v.* Abr. Gronov.

Post tot praelia. Media vox desideratur in Med. Magl. Leidensibus, Bodl. Coll. C. C. Abr. Gronov.

Gratumque sibi esse. Quonam ista referenda? num ad superius *ratus?* sic sane postulat ratio sermonis: at sententia est nulla. Quid enim, *ratus est, sibi gratum esse?* Nescio igitur, an non hic scripserit Iustinus, *gratum, inquit, sibi esse.* Cum praesertim Curtius testetur, in huiusmodi voces Darium, tensis ad coelum manibus, prorupisse lib. IV. cap. 10. Et ex voce *inquit* perire duae primae litterae potuerunt facile propter praecedens *m*, totidem lineolis constans, post reliquum *quit*, quod sensum habebat nullum, mutari in *que.* Scheff. — Eleganter Schefferus coniicit . . *superaretur, gratum, inquit, sibi esse, si* etc. quia minus apte cohaerere sibi videntur *ratus gratum sibi esse.* Cogitari tamen etiam posset . . *superaretur, gratulandumque sibi esse, si* etc. *post ratus* enim subauditur saepe *est*, ut vidimus ad cap. VIII. 7. *Gratulari* autem tantum non idem, quod gaudere. Lib. XXXV. 1. *Datumque sibi honestum belli titulum* gratulatus, *restituere eum in regnum statuit.* Florus IV. 3. Gratulandum *tamen in tanta perturbatione est, quod potissimum ad O. C. Augustum summa rerum rediit.* cum nota Dukeri. Adi et Pricaeum in Apuleii Metam. III. pag. 49. Sed non minus Schefferi emendatio mihi arridet. Ad vulgatae lectionis formam Cicero pro Cluentio cap. 9. *Ille propter pecuniam liberos amittere* iucundum *esse* duxit. Wopkens.

Quod a tali potissimum vinceretur. Accius in Armorum Iudicio:

*Si autem vincas; vinci a tali nullum est probrum.*

Abr. Gronov.

10. Offert deinde maiorem. De oblatis hisce conditionibus cum consultaretur, et Parmenio diceret: *Ego, si Alexander essem, acciperem oblata;* subiecit Alexander: *et ego, si Parmenio essem.* Diodorus XVII. 54. Plutarch. Alex. cap. 51. Scilicet iuxta Pedonem:

*Non eadem vulgusque decent et culmina rerum.*

Bernec. — Thuan. quart. Leid. Periz. *o. deinde et m.* Med. pr. tert. Leid. Bodl. *o. deinde ei m.* Magl. *offert et deinde m.* Abr. Gronov.

Pro reliquis captivis xxx millia talentorum. In nostris annotationibus in Q. Curtium de hoc numero multa scripsimus, quam mire sit apud auctores variatus. Diodorus tria millia talentum. Plutarchus et Arrianus X millia talentum (quamquam eam rem ab Arriano omissam, quia ante Gazae oppugnationem ab eo descripta fuit, falso opinatus eram.) Valerius lib. VI. cap. 4. *centena millia*, sed codex errat. Legendum enim X *millia.* In Curtio summae omnino corruptae, maxime oppositione auri, quando duodecuplo sic augeatur. Ego X millia malim quam XXX millia, mortua iam uxore. Verum ut iam diximus, non est nostri negotii, tot ac tam diversas narrare auctorum opiniones. Glarean.

11. Ad haec Alexander, gratiarum etc. Idem Curtius: *Nuntiate Dario* (Alexandri verba sunt) *me quae fecerim clementer et liberaliter, non amicitiae eius tribuisse, sed naturae meae. Bellum cum captivis et feminis gerere non soleo. Armatus sit oportet, quem oderim.* Ita enim eum locum ante multos annos emendavimus turpiter ex Iustino et inepte interpolatum: ut et alia multa quae apud eundem scriptorem proxime sequuntur, de quibus tum dixi. Mod.

12. Nec quod in dubios belli exitus, aut in leges pacis sibi lenocinia quaereret. Quomodo *Vitellius respectu suarum necessitudinem, nihil in Domitianum atrox parabat.* Tacit. Hist. III. 59. 10. Adde quae habet Gruterus in notis ad Panegyr. pag. 601. f. item notata ad Tacit. I. Hist. 7. 2. 5. Bernec.

13. Adversus vires hostium, non adversus calamitates. Pro *calamitates* putabam legendum *caritates*, scil. matrem, uxorem filiasque - Darii. *Caritates* pro *liberis* dixit etiam Amm. Marcellin. XXII. 19. pr. *Liberos et affectus* ait Vulcatius Gallicanus in Avidio Cassio cap. 7. *necessitudines* Tacit. III. Hist. 59. 10. Curtius IV. 10. 40. ipseque Noster XII. 15. 9. Sed Freinshemius meus pertendit, rectum esse *calamitates*, et locum explicat, *adversus hostem validum et potentem, non adversus fractum et calamitosum.* Te, lector, amicae litis arbitrum constituimus. Meam coniecturam iuvat non dissimilis locus Livii V. 27. 8. *Arma habemus non adversum eam aetatem, cui etiam captis urbibus parcitur: sed adversus armatos* etc. A Freinshemio stat idem auctor XLII. 8. 7. *Claram victoriam vincendo oppugnantes, non saeviendo in afflictos fieri.* Et magis Curtius IV. 11. 28. qui tamen e Nostro, aut Noster forsan ex illo, et hic et alibi a mala manu interpolatus esse vide-

tur. Itaque mens Alexandri fuerit: non aggressurus sum hostem ea parte, qua *calamitas* et infortunium obnoxium eum iniuriae fecit, ut saevitiam, libidinem, et si quid aliud victori licet, in captos exerceam: hoc enim vilis est et degeneris animi: sed unde arma et aciem ostentat. BERNEC. — Nihil hic mutaverim contra libros. Dicuntur *hostium vires* hostes, quibus integrae sunt vires; *calamitates hostium* hostes calamitosi. Ut Cicero post Redit. in Senatu cap. 8. *Ut meae* calamitatis *non adiutor solum*, *verum* etiam socius videretur. Frontinus Strat. II. 2. 8. Fatigationi *deinde eorum incommodum aliud obiecit*, *ita ordinata* etc. Livius XXXVI. 29. *Sed praeteritorum . . oblitum se non facturum*, *ut insultet* adversis *eorum* rebus. Talia sunt *audacia muliebris*, pro audaci muliere, infra lib. XIV. 5. 4. *Finitimorum feritas*, lib. XXV. 2. 7. et innumera alia. WOPKENS.

14. PRAESTATURUM SE EA DARIO. MSS. *praesentaturum.* Unde Gronovius, *polliceturque repraesentaturum.* Vid. lib. I. de Pecun. Vet. cap. 8. GRAEV. — Codices MSS. quos Bongarsius vidit, *praesentaturum se ea Dario.* Unde Gronovius in lib. de Pec. Vet. coniicit legendum esse, *repraesentaturum se ea Dario.* Est autem verbum elegans *repraesentare*, pro statim facere: neque adeo rarum apud auctores. Suetonius Aug. *Quam summam repraesentari iussit.* Seneca Epist. 95. *Petis ut quod in diem suum dixeram debere differri*, *repraesentem*, *et scribam tibi.* Cicero V. ad Fam. 16. *Quod est dies allatura*, *id consilio anteferre debemus*, *neque exspectare temporis medicinam*, *quam repraesentare ratione possimus.* Cuius generis plura in lib. de Latinit. vulgo fere neglecta. VORST.

15. CETERUM NEQUE MUNDUM POSSE DUOBUS SOLIBUS REGI. Plutarchus in Apophth. cap. 38. Diodorus XVII. 54. Curtius IV. 11. 39. Ita Serinus apud Stobaeum Serm. XLV. *Omnium in terra honorum auctor Sol: at si gemini Soles forent*, *periculum immineret*, *ne omnia conflagrantia pessum irent. Ita et regem unum quidem accipiunt Lydi*, *et servatorem esse credunt; duos vero simul tolerare non possent.* Hausit Alexander hanc sententiam ex Homero suo, quem semper cum pugione sub pulvino repositum eum habuisse scribit Plutarchus in vit. cap. 13. Sic enim ille Iliad. II. 204.

*Nec multos regnare bonum: rex unicus esto.*

BERNEC. — Haec et proxime sequentia adeo gemina sunt his quae Curtius IV. 11. 22. habet, ut alteruter imitatus videri possit alterum. VORST. — Istaec gemina esse iis, quae apud Curtium IV. 11. 22. leguntur, vidit Vorstius. Cur non vidit, Iustinum e Curtio esse emendandum? Quid autem e Curtio? Immo e sanioribus Iustini membranis, quas secuti interpolatores ea Curtio obtruserunt, quae permulti eius codd. haud agnoscunt. Illi igitur pro *victoriam* dant *fortunam*, non modo melius, sed profecto unice recte. Quid enim Alexander vult, monens Darium, ne *aliam* sibi *victoriam* polliceatur? Num forte hoc, ne speret omnino Alexandrum ab se vinci posse? At hoc militis gloriosi, non viri fortis responsum. Neque,

si tamen istum sensum admittas, vox *aliam*, quod hic agat, habet; et dicendum erat: *ne omnino victoriam sibi polliceatur.* An *victoriam* dixit pro *victoriae conditione*, hoc sensu, ne speret, iterum se victum, meliori conditione fore? Stolidam vero admonitionem! Quis enim tamen demens hoc speraverit? Quis tam ineptus monendum censuerit? At si *victoriam* in *fortunam* mutaveris, omnia tum plana erunt atque expedita, sensusque optime procedet. Scilicet Dario de conditionibus tractare solenti Alexander optionem facit aut belli aut deditionis. Tertium nihil sperare iubet: neque regem illum, sed supplicem, non parem sibi, sed victum agnoscit. In hac illum *fortuna* manere vult, quam altero proelio victus iam *expertus fuerat.* Tum enim, cum item de conditionibus agens Darius et filiae matrimonium et regni portionem obtulisset, iussit eum Alexander *supplicem venire et* regni arbitria victori permittere. Vid. cap. 12. HOTTINGER.

NEQUE ORBEM DUO REGNA SALVO STATU TERRARUM HABERE. Euripides Androm. vs. 471.

*Οὐδὲ γὰρ ἐν πόλεσι*
*Δίπτυχοι τυραννίδες*
*Μιᾶς ἀμείνονες φέρειν.*
*Ἄχθος δ' ἐπ' ἄχθει*
*Καὶ στάσις πολίταις.*

Tacitus lib. XIII. Annal. cap. 17. *plerique hominum insociabile regnum aestimantes.* Lucanus lib. I. vs. 92.

*Nulla fides regni sociis, omnisque potestas*
*Impatiens consortis erit.*

Pro *regni* Nob. Nic. Heinsio legendum videbatur *regnis:* ut apud Statium lib. I. Theb. 139.

*sociisque comes discordia regnis.*

ubi Avus malebat *regni;* idemque exhibent edit. Rothomag. A. 1713. et Paris. 1618. Barthius quoque margini editionis Bernartii adscripsit: „*regni* MS." Scholiastes MS. Statii hunc locum ita interpretatur: „Quia duo in uno et eodem regno nunquam potuerunt esse „concordes. Unde Seneca (Thyeste vs. 444.) *Non capit regnum* „*duos.* et Ovidius (lib. III. Art. vs. 564.)

„*Non bene cum sociis regna Venusque manent.*"

ABR. GRONOV.

## CAP. XIII.

1. POSTERA DIE ACIEM PRODUCUNT. TUM REPENTE ANTE PRAELIUM etc. Coll. N. *p. die in aciem prodeunt. Cum repente autem ante praelium.* Ed. Rom. *p. d. producunt aciem. Cum repente a. pr. Alexandrum somnus corripuit curis confectum. Cum* pro *tum* quoque legendum suspicabatur Schefferus. Ed. Becharii, *cum repente ante praelium consertum curis Alex.* ABR. GRONOV.

TUM REPENTE. MSS. quos vidit Bongarsius, habebant *cum re-*

*pente.* Neque mihi dubium, quin sic scripserit Iustinus. Ita enim solent optimi auctores. Cicero I. de Orat. *Vix annus intercesserat ab hoc sermone, cum iste accusavit Norbanum.* Curtius VI. 16. *Iamque non pugna, sed caedes erat, cum Darius quoque currum suum in fugam vertit.* Ipse Noster infra XIV. cap. 1. fin. *Omnes igitur operam suam certatim ad custodiam salutis eius offerunt. Cum igitur Antigonus cum exercitu supervenit.* Scheff. — Etiam Dorv. 1. 2. et Franeq. cum isto MSto congruunt, ex quo Schefferus legebat . . *producunt: cum repente* etc. Sed quum sic ingratius mox sequatur *cum ad pugnam* etc. aut adservanda vulgata lectio videtur, aut particula ante *repente* iubente Dorv. 3. eliminanda. Wopkens.

Somnus arripuit. Ita Sueton. Aug. 16. 3. Bernec.

2. Cum etiam in otio semper parcior fuerit. Legendum forte *cuius.* Bongars. — Rescripsi cum Iuntis, *cuius*, uti et legendum coniecerat Bongarsius. Sueton. Caes. *Vini parcissimus.* Graev. — Optima lectio a Bongarsio est; antea scribebatur, *cum*, pro *cuius.* Faber. — Pro *cuius* legebatur *cum.* Sed *cuius* legendum coniecit Bongarsius. Et in editione Iuntina manifeste ita scriptum reperit Graevius. Unde et rescribere ita nulla mihi religio fuit. *Parcus somni* dictum, ut *parcus pecuniae* supra VI. 8. 6. pro non adeo appetente seu cupido pecuniae; et *parcissimus vini* a Suetonio Caes. 53. et Aug. 77. Vorst.

Cuius etiam in otio. Sic ex Iuntina et Bongarsii coniectura, probante Graevio, edidit Vorstius. Scheff. — *Cuius etiam* pro *cum etiam* ex coniectura legit Bongarsius, suffragantibus Magl. ed. Ald. Iunt. Saxo lib. IV. pag. 63. 36. *quod pugnae parcus, timidius iuventam exegerit.* et lib. XIV. pag. 267. 14. *irae parcissimus.* Ed. Rom. *cum etiam in otio somni parcus semper fuerit.* Abr. Gron.

3. Aestu. Alii *metu*, male. *Aestum* vocat animi fluctuationem, ducta metaphora a motu et agitatione fluctuum, qui proprie *aestus.* Virgilius Aeneid. VIII. 19.

*vario curarum fluctuat aestu.*

et Plinius Epist. *Explica aestum meum.* Mod. — Noster supra I. 10. 15. *Aestuante rege.* Bernec.

Veritum se. Leg. *Veritumque se.* Faber.

4. Utraque acies hostibus spectaculo fuit. *Ostendere aciem* dicuntur imperatores, terrendi hostis causa. Livius XXIX. *Ad terrorem hostium aciem ostendisset.* Vide et Gifan. in Obss. L. L. Vorst.

8. Ne multitudine hostium, nec corporis magnitudine. Ald. Iunt. *neve corp.* Bechar. aliaeque cum pr. quart. Leid. *ne corp. m.* Rom. *nec corporum mult.* Abr. Gronov.

9. Cum iisdem se etc. Vegetius I. 13. f. *In fugam versi victoribus ultra pares esse non audent.* et III. 1. m. *Qui effugerint, ut semel territi, postea formidant conflictum.* Adde supra Notam ad VI. 4. 12. Bernec.

Nec meliores factos putarent fuga. *Meliores* pro fortiores: ut sup. IX. 2. 4. et ut Graeci dicunt, *κρείσσονες*. Notum illud Hesiodi:

*Ἄφρων ὅς κ' ἐθέλοι πρὸς κρείσσονας ἀντιφερίζειν.*

et:

*Ἔχει νύ σε πολλὸν ἀρείων.*

Latinorum quoque alii sic locuti: ut Vechnerus in Hellenol. notavit. Vorst. — MS. quidam habet, *tunc semel.* Cogitandum, utrum non Iustinus scripserit, *num se meliores factos putarent fuga?* Figura interrogationis valde est emphatica hoc loco, ad arguendam timoris absurditatem. Illud *se* de Macedonibus est intelligendum. Et sic solet usurpari etiam aliis. Scheff. — Verbum *putarent* expungendum esse, existimabat Avus lib. II. Observ. cap. 14. pag. 325. Abr. Gronov.

Caedium suarum. Forte, *caedis suorum.* Gronov. — Lego, *cladium*, ut supra VIII. 4. 5. *Obliti cladium suarum, perire ipsi, quam non perdere eos praeoptarent.* Faber. — Quod Gronovius et Faber legendum coniiciunt *cladium suarum*, subscribere equidem non ausim. Lib. V. 9. *Urbem . . exhaustam* caedibus suis. ubi vide observata. Lib. VIII. 2. *Poenasque v. r.* sanguine *et* caedibus *suis pendunt.* Lib. XII. 15. *Quantis* caedibus, *quo* cruore *m. s. parentatura sit. Cum in aciem secum tantum sanguinis fusi ferrent*, h. e. cum in aciem irent, post tantum iam sanguinis fusi. Cuiusmodi est ista *ἀκυρολογία* Livii IV. 32. *Proinde memores, secum spolia*, secum victoriam *esse; cum hostibus* scelus *legatorum contra ius gentium interfectorum*, caedem *in pace Fidenatium colonorum, inducias ruptas, septimam infelicem defectionem; arma caperent.* Et Iustinus ita lib. XXX. 4. *Ferentesque in bellum alii maiorum suorum antiquam et obsoletam* gloriam, *alii* etc. i. e. euntes in bellum post obsoletam m. s. gloriam. Ceteroquin hoc in loco haud illibenter, si qui codices addicerent, cum Vorstio legerem, *et tanti sanguinis d. p. f. f.* (sc. memoriam.) quomodo Augustinus de Civ. Dei III. 23. *ubi* tantus *sanguis fusus est.* et cap. 28. *Post* tantum *sanguinem civium, quo fuso* etc. et cap. 31. *Quando passim* tantus *civium sanguis a civibus . . fundebatur.* Confer quae infra ad lib. XXII. 7. 6. Wopkens.

Tantum sanguinis duobus praeliis fusi ferrent. Legendum fortasse, *tanti sanguinis;* ut referri possit ad vocem quae praecedit, *memoriam.* Non enim ipsum sanguinem duobus proeliis fusum secum in aciem ferre potuerunt; sed sanguinis eius memoriam. Est autem *memoria tanti sanguinis fusi* pro memoria tot interfectorum. Ceterum casu primo si utendum sit, dicitur potius, *tantum sanguinis fusum est*, quam *tantus sanguis fusus est.* Vide XI. 14. 2. Quod si *tantum sanguinis* retinendum hic videatur, oportebit tamen idem per metonymiam quandam intelligi de memoria tanti sanguinis, quam, ut dixi, secum in aciem ferre potuerunt. Vorst. — Med. ed. Bechar. Ven. Florent. Med. Paris. *de duobus praeliis.* Coll. N. *de*

*d. pr. fusum f.* Coll. C. C. tert. quart. Leid. Thuan. ed. Rom. *perferrent.* pr. L. *perferent.* Ald. Iunt. *praeferrent.* Magl. *et sanguinis tantum de d. pr. fusi perferrent.* ABR. GRONOV.

10. TURBAM HOMINUM. Seneca de Benef. VI. 31. de Xerxis copiis: *Demaratus Lacedaemonius dixit, ipsam illam qua sibi placeret multitudinem, indigestam et gravem metuendam esse ducenti: non enim vires, sed pondus habere: immodica nunquam regi posse.* Videndi Vegetius III. 1. Piccartus Observation. II. 2. BERNEC.

SIC VIRORUM SIBI. Recte non minus hic quam sup. XI. 9. 5. Iudicasse videtur Bongarsius; quod videlicet legendum sit *virorum*; non ut editiones quaedam veteres habent, *virium.* Praecedit enim *maiorem turbam hominum. Vir* pro homine forti notum. Tacitus VI. Annal. *Hinc viros, inde praedam ostendere.* VORST. — Frontinus Strat. IV. 2. 9. *hoc se deceptum aiebat, quod multos quidem homines habebat, viros autem, disciplinae tenaces, nullos.* ubi illud *disciplinae tenaces*, Sarisberiensis etiam Policr. VI. 14. auctoritate munitum, movendum non puto. *Quemadmodum Dario maiorem turbam hominum esse* dixit Iustinus pro *quemadm. D. maior turba hominum esset:* quam formam pluribus vindicavimus ad Min. Felic. cap. 34. WOPKENS.

11. HORTATUR, SPERNANT ILLAM ACIEM. Notator Angl. docet in quibusdam MSS. legi, *spectent.* Verum nil mutandum. Nam quia victoria non paratur armorum decore, quod ut caussa huius dicti subiicitur, ideo non spectanda illa acies auro fulgens, sed spernenda. SCHEFF. — Coll. N. *spectent.* ABR. GRONOV.

AURO ET ARGENTO FULGENTEM. Macrobius Saturnal. II. 2. ex Agellio V. 5. refert, Annibalem Antiocho exercitum auro argentoque politum ostentanti, quaerentique, *sufficerentne haec Romanis?* respondisse: *Hercle vero sufficiunt, etiamsi avarissimi sint Romani.* Quo dicterio vanitatem hominis irrisit, qui non animadverteret ista hosti plus animi additura ad praedam, quam suis ad pugnam. Eiusmodi monita sunt apud Livium IX. 40. 5. Curtium III. 2. 22. et III. 10. 15. Tacit. Agric. 32. 7. BERNEC.

ARMORUM. Lege, *ornamentorum.* GRONOV. — Gronovius legi iubet *ornamentorum decore.* et sic plane Dorv. 1. cum prisca editione. WOPKENS. — Magl. sec. quart. Leid. Coll. N. ed. Ienson. Bechar. Flor. Med. Paris. Ald. Iunt. *non ornamentorum decore,* idque placebat Avo. ABR. GRONOV.

## CAP. XIV.

1. PRAELIUM COMMITTITUR. *Ἐν Γαυγαμήλοις πρὸς ποταμῷ Βουμώδῳ, ἀπέχων Ἀρβήλων τῆς πόλεως ὅσον ἑξακοσίους σταδίους.* Arrian. lib. III. Inde dicta pugna ad Arbela. Orosius III. 17. nescio quo auctore apud Tarsum pugnatum scribit. Tacitus Annal. XII. 13. 3. vocat *castellum insigne fama*, suppresso nomine. BONGARS.

— Amni *Bumado* nomen esse tradit Curtius IV. 9. 10. Non apud Arbela, ut multi tradiderunt, sed apud *Gaugamela* commissum hoc praelium ait Plutarchus in Alex. cap. 56. eamque vocem denotare *domum cameli*, quod rex quidam olim, qui hostes effugerat camelo dromade, cum hoc loco locaverit, certis vicis vectigalibusque ad curam eius attributis. Bernec. — Zonaras lib. XI. cap. 14. *Τῇ δ' ἐπιούσῃ τῆς μάχης συγκροτηθείσης, ὡς μὲν τινές φασιν, ἐν Ἀρβήλοις, ὡς δ' ἕτεροι, ἐν Γαυγαμήλοις, οἱ βάρβαροι ἐνέκλιναν, καὶ ἦν αὐτῶν διωγμός.* Adde Strabonem lib. XV. pag. 737. et Fabricium ad Orosium lib. III. cap. 17. init. Abr. Gronov.

In ferrum cum contemtu toties a se victi hostis ruebant. Sumtum fere ad verbum ex Marone, cuius est illud Aen. VIII. 648.

*Aeneadae in ferrum pro libertate ruebant.*

Mod. — Ovidius lib. II. Art. vs. 333.

*In ferrum flammasque ruit.*

Livius lib. XXVIII. cap. 22. *quum coeci furore in vulnera ac ferrum vecordi audacia ruerent.* Abr. Gronov.

2. Raro ullo praelio. Dorv. 1. et 2. cum aliis MSS. *Raro in ullo praelio.* quomodo et Orosius III. 17. Wopkens. — Sec. Leid. ed. Ald. Iunt. *raro in alio.* tert. Leid. Periz. Coll. N. et C. C. ed. Rom. Orosius, Freculphus et Vincentius lib. V. cap. 36. *raro in ullo p.* pr. Leid. *raro in nullo.* Bechar. *Raro etiam ullo pr.* Abr. Gronov.

4. Ut pons Cydni fluminis interrumperetur. Habet Curtius IV. 9. 19. et praecipue IV. 16. 8. quod magis placet. Bernec. — Non puto mutandum quidpiam: quamvis Arrianus et Curtius *Lycum* hic habeant. Cydnus et Lycus vicina sunt flumina, utraque in Tigrim labuntur. Ut credam eundem esse Cydnum ac Gyndem, facit Tibullus in Panegyrico ad Messalam:

*Nec qua vel Nilus, vel regia lympha Diaspes*
*Profluit, aut rapidus Syri dementia Cydnus.*

Nihil hic mutandum. *Diaspes*, pro *Idaspes.* Idaspem vero Romani appellarunt etiam Choaspem. Virgilius IV. Georg.

*aut Medus Idaspes.*

Quem locum male interpretatur Iunius Philargyrius de Idaspe Indiae. Curtius lib. V. *Benigne iuvenem excepit rex, et eo duce ad Idaspem amnem pervenit, delicatam, ut fama est, vehentem aquam.* De Choaspe loqui, nemo non viderit. Adi quoque Lactantium lib. I. et Ammianum lib. XVIII. Ex huius alveo quidam veterum prodiderunt Cydnum sive Gyndem profluere. Unde error Solini emanasse videtur, dicentis, Cydnum Ciliciae e Choaspe derivari. Ubi confundit Cydnum Ciliciae cum hoc Persiae. Voss. — Acidalius pro *Cydni* legendum putat *Lyci*; quia Arrianus et Curtius hic de Lyco prodiderunt. At Vossius nihil mutandum censet: quia Lycus et Cydnus vicina flumina sint, utraque in Tigrim labentia. Porro pro *intercluderetur* Acidalius legendum censet *intercideretur.* et sane vel sic, vel *interscinderetur*, nobis quoque legendum videtur. *Reditum*

*intercludi* supra II. 5. 10. et 13. 5. dicit; quod hoc loco *iter impediri*. Verum ipsum *pontem*, per quem iter et reditus faciendus, *intercludi*, dici posse vix videtur. Praedictis locis ipse Noster *pontem interrumpi* dicit: et alii, *pontem rescindi*, *interscindi*, *recidi*, *intercidi*. VORST.

INTERCLUDERETUR. Acidalius pulchre vidit hanc lectionem ferri non posse, et acute coniecit legendum esse, *intercideretur*. [Sic etiam Dorv. 1. et 3. non *intercluderetur*. WOPK.] quod cum in Iuntina nunc repererim, nullus dubitavi recipere in ipsum contextum. Pro *Cydno* legendum esse *Lyco*, docti quoque viri praeceperunt. GRAEV. — Acidalii coniecturae praeter Iuntinam favent Aldina et tert. Leid. in quo scriptum, *ut post transitu C. fl. aditum hostium impediendum intercideretur*, duabus postremis litteris puncto subnotatis. Livius lib. XXVI. cap. 9. *Inde in Fregellanum agrum ad Lirim fluvium ventum, ubi intercisum pontem a Fregellanis, morandi itineris causa, invenit*. ABR. GRONOV.

UT TOT MILLIA SOCIORUM HOSTI OBIICIAT. Et hic coniectura Acidalii placet pro *sociorum* legentis *suorum*. Reges et imperatores militem suum *suos* vocare notissimum. Vide inf. XII. 5. 2. VORST. — Emendant, *tot millia suorum*. Sed videntur socii hic accipiendi de sociis fugae. Quomodo nempe apud Ciceronem aliosque, *socii consiliorum*, *periculorum*, et eiusmodi leguntur. Sic *societas fugae* est apud Suetonium vita Neronis. Adi infra XII. 11. SCHEFF.

5. EO SE SEMPER INGEREBAT. Ita antiquiores editiones. Bongarsius maluit *immergebat*: quem tamen Bernecerus hic secutus non est. VORST. — Etiam Franeq. duoque Dorvillii MSS. cum his consonant, in quibus legitur *eo se semper immergebat*. ut lib. XXXIII. 2. *Umbone se protegens . . inter mucrones se hostium* immersit. Plautus Menaechm. III. 1. *Quum in concionem mediam* me immersi *miser*. et Actu V. 1. Immersit *aliquo* sese, *credo*, *in ganeam*. Hegesipp. I. 21. *In Syriam* sese *alteram . .* immergere *moliebatur*. et cap. 41. *nisi* se immersisset *in Iudaeam*. Sic ille lib. III. 8. et alibi. Paulinus V. Martini lib. IV. 485.

*Desine nunc saltem gregibus* te mergere *Christi*.

Forte *te immergere*. Ruffinus H. Eccles. XI. 22. extr. *Latebras unus quisque quaerere . . aut nostris* se *latenter* immergere. WOPK. — Med. tert. quint. Leid. Periz. Coll. N. *mergebat*. Reg. pr. quart. Leid. Magl. Thuan. *immergebat*, quomodo edidit Bongarsius. Ita infra XXXIII. 2. 4. *inter mucrones hostium se immersit*. Ammianus lib. XIX. cap. 11. *barbarorum catervis semet immersit*. et XXXVII. 10. *ni legionum gremiis se immersisset*. Saxo lib. II. pag. 32. 16. *confertissimis se globis immergit*. et lib. XIV. pag. 330. 4. *mediis se iaculantium saxis immersit*. ABR. GRONOV.

NON MILITUM, VOLEBAT. Novem MSS. *militis*, ut supra h. l. 6. 1. ex pr. sec. quart. Leid. MSS. Bongars. *militem a populatione Asiae prohibuit*. VIII. 19. *conducto mercenario milite*. infra XXII. 3. 1. et XLI. 3. 1. *militem legit*. ABR. GRONOV.

6. ASIAE IMPERIUM RAPUIT. Saxo lib. IV. pag. 60. 30. *totius Daniae imperium rapturus.* et lib. XIV. pag. 250. 32. *iamque vacantem Daniae possessionem nemo aut petere, aut rapere, praesumebat.* ABR. GRONOV.

8. TRIGINTA QUATUOR DIEBUS PRAEDAM RECOGNOVIT. MSS. Bongars. pr. Leid. Coll. C. C. et Vincentius lib. V. cap. 37. XXXVII *diebus.* tert. Leid. XXXVIII *d.* quint. XXXIII *d.* Ed. Bechar. Ven. Med. Orosius et Freculphus: XXXIII *continuis diebus.* Florent. Paris. Ald. Iunt. XL *continuis diebus.* *Tò continuis* non temere additum. Livius lib. XXVII. cap. 42. *Inde insequentibus continuis diebus aliquot ita institit portis.* et XLII. 58. *prioribus continuis diebus numquam ante horam quartam hostis apparuerat.* Plinius lib. X. cap. 29. *Lusciniis diebus ac noctibus continuis quindecim garrulus sine intermissu cantus.* Martialis lib. IX. epigr. 8.

*Dicere de Libycis reduci tibi gentibus, Afer,*
*Continuis volui quinque diebus Ave.*

Paulus lib. V. Sentent. cap. 33. *cavere debet, ut ex die acceptarum litterarum continui quinque dies computentur.* Imp. Iustinianus lib. I. Instit. tit. 25. §. 16. *intra quinquaginta dies continuos, ex quo cognoverint se esse tutores vel curatores datos, se excusare debent.* Vetus Interpres lib. II. Maccab. X. 37. *Per continuum biduum praesidio vastato.* et XIII. 12. *per triduum continuum prostrati.* ABR. GRONOV.

RECOGNOVIT. Seneca Epist. 83. *Et quod est utilissimum, diem meum recognoscam.* et Epist. 110. *Et alia quae res suas recognoscens summi imperii fortuna protulerat.* GRONOV.

9. IN URBE CLAUSA. Lego *Susa* ex Diodoro princ. posterioris partis lib. XVII. ubi agnoscit eundem pecuniae numerum. BONGARS. — *Susa* pro *clausa*, quod omnes editiones habent, ita legendum hariolatus est Bongarsius: idque propter evidentiam correctionis in textum admisi, maxime subscribente Curtio V. 2. 13. Plutarcho Alex. cap. 66. et Diodoro XVII. 65. BERNEC. — Lege, *Susis.* Propert.

*Non tot Achaemeniis armantur Susa sagittis.*

GRONOV. — Iuntae: *Susis.* Optime. Sic enim meliores scriptores Graeci et Latini. GRAEV. — Huius loci emendatio auctorem sui habet Illustrem illum Bongarsium; nam in MSS. legebatur *clusa.* Pessime. In editione quidem Iuntarum, qua usus est summus meus Graevius, aperte legitur *Susis*, sed, ut opinor, ab aliquo emendatore, qui crederet non posse dici *Susa*, *Susae*, cum ex Graeca inflexione, *Susa*, *Susorum*, dicendum esset. Sed hoc nihil est, cum frequentissimi sint huiusmodi metaplasmi, ut a Grammaticis dicuntur. Igitur, *Susa*, *Susae; Hierosolyma*, *Hierosolymae; Hierosolyma*, *Hierosolymorum*, ut *Megara Megarae*, quantumvis Graeci dicant, *Megara*, *Megaron.* FABER. — Antiquiores editiones, *in urbe clausa.* Sed Bongarsius ex Diod. Sic. lib. XVII. coniecit legendum esse *Susa:* quod Berneccerus deinde in textum recepit. Sed rectius fe-

cisset, si plane *Susis* scripsisset, ut manifeste in vetere editione Iuntarum esse testatur Graevius. Sic enim scriptores quoque alii loquuntur. VORST. — Ald. *Susis*. MS. Med. pr. sec. tert. quint. Leid. Periz. ed. Bechar. Ven. *clausa*. quart. *auri*. Coll. N. *clusa*. Magl. ed. Rom. *Tharso* (Rom. *Tarso*) *clausa*. Vincentius: *in urbe deinde clausa* LX *milia talentorum invenit*. ABR. GRONOV.

QUADRAGINTA MILLIA TALENTUM. Totidem Diodorus XVII. 66. et Plutarch. cap. 66. At Curtius V. 2. 18. et Arrianus lib. III. *quinquaginta millia* habent. BERNEC.

10. PERSEPOLIN CAPUT PERSICI REGNI. Ita et Stephanus. Straboni lib. XV. *Περσαίπολις*. ἦν δὲ ἡ *Περσαίπολις* ἔχουσα βασίλεια ἐκπρεπῆ, καὶ μάλιστα τῇ πολυτελείᾳ τῶν κειμένων. BONGARS. — Ita Curt. IV. 5. 13. Plin. VI. 26. pr. *Metropolin* vocat Diodor. XVII. 70. BERNEC.

REFERTAMQUE etc. Urbem hanc omnium sub sole ditissimam praedicat, eiusque regiam egregie describit Diodorus XVII. 70. et 71. Adde Curtium V. 6. 5. BERNEC.

QUAE INTERITU EIUS PRIMUM APPARUERE. Med. sec. Leid. *in interitum eius*. primus et Coll. N. atque MS. Bongars. *in interitu eius*. ut infra XII. 16. 14. *Prodigia magnitudinis eius in ipso ortu apparuere*. Apud Vincentium mendose legitur: *quae nutui eius primum paruerant*. ABR. GRONOV.

11. OCTINGENTI. *Ad quatuor fere millia* Curtius V. 5. 8. fuisse refert. Nostri numerum confirmat Diodorus XVII. 69. BERNEC.

ADMODUM. Hoc est, propemodum, fere, circiter. Sic infra XVII. 2. 4. XXIV. 1. 6. et 7. Livius XXXI. 39. 10. *Phalanx nullius admodum usus*. et XLIII. 11. 8. *Exacto admodum mense Februario*. Curtius IV. 12. 8. *Equites mille admodum*. BERNEC.

QUI POENA CAPTIVITATIS etc. Supplicii genus apud Asiaticos usitatum, de quo saepe veteres historici. Ex more tam crudelis laniena nuper locum insignem emendavi in Epistola ad Hebraeos, ubi pro ἐπειράσθησαν (id est, *tentati fuere*,) ostendi legendum esse, ἐπηρώθησαν, quod est, *mutilati et truncati fuere*. Sed liber exstat. FABER.

TRUNCATA CORPORIS PARTE. Ita ut aliis manus, aliis pedes, nonnullis aures et nares amputata essent, inquit Diodorus XVII. 69. Adde Curtium V. 5. 9. Frequens Persis hoc fuisse supplicii genus, patet ex Seneca de Ira II. 20. Tacito Annal. XII. 14. 8. Curtio III. 8. 26. et VII. 5. 62. Ammiano XXX. 227. Facit huc historia Zopyri supra I. 10. 15. BERNEC.

## CAP. XV.

1. A COGNATIS SUIS. Besso et Nabarzane. Curtius V. 10. BERNEC.

AUREIS COMPEDIBUS. Vide notam ad V. 11. 4. BERNEC.

IN VICO PARTHORUM TANEA VINCITUR. Q. Curtius lib. VI. ait

Darium post ad Gaugamela pugnam Ecbatana venisse: deinde iter molitum in Baotra. Arrianus ait per Caspias portas in Parthiam venisse eum: Iustinus in Parthorum vico Tanea vinctum. Alexander autem cum audisset Darium Ecbatanis esse, ex Persepoli primum in Mediam motum, mox iter mutasse ad famam fugae Darii, ac venisse Rhagas, cum Arriano scribit Curtius. Addit Curtius Rhagas oppidum esse in Paraetacene ultima; sed locus Curtii corruptissime legitur. Nos in annotationibus nostris satis luculenter errorem aperuimus. De *Tanea vico* nihil dicere possumus, apud alios lectum auctores. GLAREAN.

IN VICO PARTHORUM THARA. *Dara* omnino scribendum est. Etymol. magnum: *Δάρας παρὰ τὸ ἐν τῷ αὐτῷ χωρίῳ συλληφθῆναι Δαρεῖον ὑπὸ Ἀλεξάνδρου· ὑπὸ δὲ Ἀναστασίου κτισθὲν, ἐκλήθη Ἀναστασιόύπολις.* *Darieum* Plinio, et aliis. Sed errat Etymologus, quod hanc Anastasiopolim dictam putet, cum illa sit alia. VOSS. — Memini me aliquando legere apud Petrum Vallensem nobilem Romanum, hunc vicum hodieque nomen retinere; dicitur enim *Darabghierd; Darab* vero apud Persas ille ipse est, qui nobis Darius vocatur. Ait autem idem scriptor hanc vocem *Darabghierd* significare *Darius condidit.* Abhinc uno et altero seculo dicebatur *Darab-Kera, urbs* aut *vicus Darii.* Ipse viderit, nam scire Persice debuit. Vol. III. Epistola XVI. et XVII. Haec non invitus leget Cl. Vossius. Illius enim sententiam confirmant, cum dicit *Thara* corruptum esse, legendum enim *Dara.* FABER.

2. IUDICANTIBUS. Ita MSS. omnes, ipso teste Bongarsio: qui tamen cum aliis edidit, *vindicantibus.* Sed istud verbum omini de successuris in imperio Persis magis convenit. Freinshem. *indicantibus.* BERNEC. — Forte Trogus scripsit, *indicantibus*, *qui successuri imperio essent, cum in terra eorum* etc. ut Liv. I. 55. *Inter principia condendi huius operis, movisse numen ad indicandam tanti imperii molem traditur Deos.* GRONOV. — Lego, *ita indicantibus.* Id est, ea re satis ostendebant, et indicio satis claro significabant, Parthos, in quorum finibus Darius rex Persarum perierat, post Persas esse regnaturos. FABER. — Hoc *iudicantibus* mihi valde suspectum est. Vult certe Noster ostendere, quare Darius vinctus fuerit in Parthis, et non alibi locorum. At hoc non efficit vox *iudicii;* deinde addendum fuisset, quid Dii iudicaverint; nec enim sensus in his: Dii ita iudicabant, ergo vinctus est in Parthis. Quare mallem *dictitantibus*, vel *incitantibus.* Dii *incitare* crebro dicuntur apud veteres. Porro *n* et *u*, item *c* et *t*, in MSS. literae simillimae, ut qui legit *iucicantibus*, facile id emendando scilicet formare potuerit in *iudicantibus.* SCHEFF. — Varie hic locus sollicitatur a viris doctis. Nolim tamen MSS. fidem impugnari. Sententia haec est: ita Dii immortales iudicaverunt seu decreverunt, ut finiretur Persicum regnum in terra eorum, qui successuri erant imperio. Fuisse scilicet hoc singulare Dei iudicium et decretum ut Darius in Parthorum agro interficeretur. GRAEV. — Unice hic verum vidit Grae-

vius, dum nihil mutandum invitis MSS. statuit, et sensum sic concipit, credo Diis sic decernentibus, vel rem ita gubernantibus. *Iudicium* ita pro arbitrio, dispositione sumit Iustinus I. 10. 10. et lib. V. 11. 3. ubi vide interpretes. Valerius Max. I. 7. Ext. 5. *Felicitatem coelestium* iudicio *destinatam*, humanis consiliis impedire. Ammianus lib. XXV. 5. His *ita caeco quodam* iudicio *fortunae peractis*, *Iovianorum signifer* etc. Minuc. Felix cap. 5. *Ita in fontem refluunt et in semet omnia revolvuntur*, *nullo artifice*, *nec* iudice, *nec auctore.* ubi *indice* reponere doct. Vonkius non debebat. Sulp. Severus d. V. Martini cap. 21. *Videres quo* (lege *quod*) iudicio *Domini diabolo data fuerit haec potestas.* Wopkens.

3. Ibique cognovit Darium — exportatum. Ed. Rom. *ubi cogn.* Magl. sec. Leid. *asportatum.* Livius lib. XXIX. cap. 9. *nihil in terram integri praeter sacram pecuniam Deae*, *quam asportabant*, *extulerunt.* et cap. 17. *qui rapiuntur atque asportantur.* Abr. Gronov.

5. Multa millia. MSS. quos vidit Bongarsius, habent *plura millia*, quod praefero, quia praecedit *multa*, quod hic ingrate repetitur. Et *plura*, pro *multis*, frequens apud bonos scriptores. Plin. IX. cap. 2. *Aquatilium tegmenta plura sunt.* Sic *plures* pro *multis* est apud Phaedrum nostrum IV. 19.

*Vulpis cubile fodiens: dum terram eruit*,
*Agitque plures altius cuniculos.* Scheff.

Respirandi equis data potestate. Gronovius in Notis ad Senecae Herc. Oet. A. V. pro *respirandi* legendum coniicit *strigandi*, id est, interquiescendi. Mihi tamen hic non liquet. Vorst.

Unus ex militibus. Cui *Polystrato* nomen fuit. Curtius V. 13. 32. Plutarchus Alexand. cap. 77. qui nonnihil variat. Bernec.

6. Applicito captivo. Locus absque dubio mendosus: legendum arbitrabar, *applicito capite.* Veteres cum vulgatis consentiunt. Bongars. — Credo sanum esse locum. Ille miles Macedo fuit, ut scribit Curtius V. 13. 32. itaque captivorum quendam applicuit, Darii civem, quo interprete Darium loquentem perciperet. Bernec. — Id est, admoto, adducto captivo. Adductus autem ille fuit a milite Macedone, cuius in superioribus mentio sit verbis, *unus ex militibus.* Quod ipse miles, qui Darium invenit, Macedo fuerit, ex Curtii V. 13. 32. scire licet. Vorst.

7. Maximorum illi debitorem mori. MSS. Bongarsio visi habent, *illi se debitorem;* quae lectio firmatur per alios, qui habent *illi*, cum illud haud dubie ex voce *se* praecedenti accreverit. Quod si lectio haec vera, dubitari potest de pronomine *se*, quod praecedit. Ego sane mallem totum locum ita legere: *Perferri haec Alexandro iubet; sine ullis in eum meritorum officiis*, *maximorum illi se debitorem mori.* Et esset conquerentis oratio paulo efficacior, cum plus sit *sine ullis*, quam, *se nullis.* Scheff. — Etiam tres Dorv. ut alii, *m. illi se debitorem mori.* Schefferus volebat *sine ullis in eum m. o.*, *m. se illi d. m.* Atque ego mallem, *suis*

*nullis in eum m. o., m. se illi d. m.* Elegans enim iste ablativi absoluti usus, de quo post alios vidimus ad Dict. Cret. III. 12. et alibi. Cicero pro Sextio cap. 17. *C. Caesar, qui a me*, nullo meo merito, *alienus esse debebat.* i. e. absque ullo meo merito, vel ob ullum meum meritum. Ita Livius aliique. WOPKENS.

QUAM COGNATOS SORTITUS SIT. In quatuor nostris pluribusque aliis scriptis exstat, *quam cognatos propinquosque sortitus sit.* Quae etiam ita iunxit Cicero pro S. Roscio cap. XXXIV. *Cum Ameriae S. Roscii domus, uxor liberique essent, cum tot* propinqui cognatique *optime convenientes; qua ratione* etc.? WOPKENS. — Med. Magl. sec. quint. Leid. *cognatos propinquosve.* pr. tert. quart. et Bodl. Periz. Thuan. Coll. N. et C. C. ed. Rom. Ald. Iunt. *cognatos propinquosque.* Livius lib. XXV. cap. 3. *qui propinquus cognatusque Postumio erat.* Herodianus lib. VII. cap. 3. *ὀνειδιζόντων αὐτοῖς ἐπιφθόνως συγγενῶν καὶ οἰκείων.* ABR. GRONOV.

8. QUIBUS ET VITAM ET REGNA DEDERIT. Per *vitam* Freinshemius, ut ex Indice apparet, intelligit *victum:* quomodo eandem vocem infra XXVIII. 2. in phrasi, *vitam sectari*, intelligit Gronovius. VORST.

9. QUAM IPSE VICTOR VOLET. Legendum fortasse *vellet:* ut magis congruat orationi quam format indirectae. Sed non insolens Nostro, ut in oratione quoque indirecta verbum indicativi modi usurpet. Exempli causa mox, *quam solam moriens potest*, pro *possit.* VORST. — Ed. Rom. *quam v. v.* Coll. N. *q. i. v. voluerit.* ABR. GRONOV.

10. REFERRE SE, QUAM SOLAM MORIENS POTEST, GRATIAM. Similis locutio in his Ovidii de Ponto II. Eleg. 10.

*Te tamen intueor quo solo pectore possum.*

Ita Virginius filiam transfigens, apud Liv. III. 46. 6. *Hoc de uno, quo possum*, ait, *modo filia in libertatem vindico.* BERNEC. — Qualem gratiam referre se posse iudicaverit Darius, apparet ex sequentibus, quibus ipsius quaedam precatio continetur. Nimirum sola precatione gratiam referre posse credidit, et, ut Seneca IV. de Benef. 11. loquitur, *debitores Deos Alexandro delegando, precandoque ut illi pro se gratiam referrent.* VORST. — Coll. N. *ipsi Alex. ref. se.* ABR. GRONOV.

GRATIAM. Hoc *gratiam* mihi a glossatore hic intrusum videtur. Deliberent alii. SCHEFF.

REGALES DEOS. *Θεοὺς βασιλείους καὶ γενεθλίους.* Plutarch. Alex. cap. 54. pr. BONGARS. — Imo regiae maiestatis vindices et tutores. GRAEV.

PRECARI SUPERUM INFERUMQUE NUMINA ET REGALES DEOS. Chariton Aphrodis. V. 8. *Θεοὶ, φησὶ, βασίλειοι, ἐπουράνιοί τε καὶ ὑποχθόνιοι, βοηθήσατε* etc. cum adnotamento eruditissimi Dorvillii. WOPKENS.

11. PRO SE IUSTAM MAGIS, QUAM GRAVEM, SEPULTURAE VENIAM ORARE. Forte, *pro se iustae magis, quam gravis, sepulturae*

*veniam orare. Gravis*, id est, sumptuosae. Ita legerunt medii aevi scriptores. Voss. — N. Heinsius ad Ovid. Epist. VII. 188. legendum coniicit *gravem sepulturae veniam.* Mihi quidem non minus iudicium Is. Vossii placet, tentantis, prout etiam medii aevi scriptores habere testatur, *iustae magis*, *quam gravis sepulturae veniam. Iusta sepultura* est modica, vel qualis defuncto debetur aut congrua est. Lucanus IX. 49.

*Ostenditque rogum non* iusti *flamma* sepulcri.

et ibid. 234.

*Perierunt tempora vitae,*
*Mors eat in tutum,* iustas *sibi nostra senectus*
*Prospiciat flammas. Bellum civile sepulcra*
*Vix ducibus praestare potest.*

posset autem in his agnosci tale hypallages genus, quale videbimus lib. XXI. 4. 6. lib. XXXII. 3. 3. et lib. XXXIII. 1. 3. Sed Vossio potius accesserim, quoniam talia saepenumero librariorum socordiae videntur adsignanda. Sic Minucius Felix cap. 16. *Ut conviciorum* amarissimam *labem verborum veracium flumine diluamus.* lege *amarissimorum.* et cap. 36. *Quod corporis* humana vitia *sentimus et patimur.* leg. *humani*, uti recte repositum est *humanae* in his Novatiani de Trin. cap. 22. *Dum* humanam *conditionis fragilitatem suscipere non recusavit.* Cyprianus de Mortal. pag. 164. *Venturus ad Christi sedem, ad regnorum* coelestem *claritatem, lugere non debet.* leg. *coelestium.* WOPKENS. — Nob. Heinsius ad Ovidii Epist. Her. VII. vs. 188. malebat, *quam gravem sepulturae impensam.* Magl. *pro se i. m. quam gravem sepulturam orare.* Periz. *quam gravem sepulturam venie orare.* Gualterus lib. VII. Alexandr. vs. 298.

*Utque mihi iusti concesso iure sepulcri*
*A rege extremi non invideantur honores.* ABR. GRONOV.

12. IAM NON SUAM, SED EXEMPLI, COMMUNEMQUE etc. Oedipus regis Laii caedem vindicaturus, apud Sophoclem sic ait:

*Nam quisquis ille est, Laium qui occiderit,*
*Is dextra eadem me quoque ausit aggredi.*
*Cum vindico igitur hunc, me ipsum munio.*

et apud Senecam in eiusdem argumenti tragoedia:

*Regi tuenda est maxime regum salus.*

Unde Vitellius interfectores Galbae, quantumvis hostis sui, conquiri omnes et interfici iussit, *non honore Galbae, sed tradito Principibus more, munimentum in praesens, in posterum ultionem:* ut inquit Tacitus Histor. I. 44. Adi Clapmar. de Arcan. Imper. III. 17. Amirat. Dissert. in Tacit. XVII. 7. BERNEC. — Scribe, *eam non suam, sed exempli* etc. GRONOV. — *Exempli causa* id dici videtur, quod *referre* vel *interesse exempli* dicitur Plinio. Sic ille lib. VIII. Epist. 22. *Quisquis ille, qualiscunque sileatur; quem insignire* exempli *nihil, non insignire humanitatis plurimum* refert. Lib. IX. Epist. 13. *Verane haec, affirmare non ausim:* interest

*tamen exempli, ut vera videantur.* Reclamantibus autem libris, rescribendum cum Gronovio non est, *eam non suam* etc. quandoquidem ellipsis ista pronominis perusitata est, elegantemque usum habet particula *iam*, de quo ad lib. XXVII. extr. WOPKENS.

IN ALTERO IUSTITIAE EIUS, IN ALTERO ETIAM UTILITATIS CAUSA VERSETUR. Ita Lactantius de Ira cap. 6. f. *causa religionis in hoc versatur.* Med. tres Leid. Bodl. *iustitia eius.* Periz. *iustitiae ius.* ed. Rom. *institiae vis.* Voces *vis*, *ius* et *eius* etiam confunduntur in MSS. infra XXXIX. 1. 9. Gualterus d. l. vs. 292.

*Et cum iustitiae status hinc versetur, et illinc*
*Utilitas, uno teneatur utrumque rigore.*

Ita duo MSS. atque ed. Gugger. Vulg. *imo testatur*. Coll. N. *in altero eius utilitatis c. v.* ABR. GRONOV.

13. PIGNUS FIDEI REGIAE DEXTERAM. Probus in Datame: *Fidemque ea de re more Persarum dextra dedisset.* Diod. XVI. 43. *Καὶ τὴν δεξιὰν ἔδωκε τῷ Θετταλιῶνι· ἔστι δὲ ἡ πίστις αὕτη βεβαιωτάτη παρὰ τοῖς Πέρσαις.* Gemistus lib. II. BONGARS. — Diodorus XVI. 43. *Haec certissima fidei apud Persas arrha est.* Unde lumen accipit quod Curtius VI. 4. 23. scribit, Alexandrum *fidem, quo Persae more accipiebant, Nabarzani dedisse.* Similiter et apud Parthos, Iosephus Antiq. Iud. XVIII. 12. tradit, *id esse fiduciae certissimum argumentum. Nam post datam dextram apud eos nec fallere fas esse, nec diffidere, cessantibus omnino suspicionibus.* Adde Virgil. Aeneid. III. 610. Plin. Hist. Nat. II. 45. m. Tacit. XV. Ann. 28. Camerar. Hor. Subs. II. 46. BERNEC.

SE FERENDAM ALEXANDRO DARE. Nescio an satis apte hoc dicatur. Dextram sane ad Alexandrum ferre non debuit, sed pignus aliquod fidei. Malo igitur legere *ferendum*, ut sit ordo, dare se dextram, pignus fidei, ferendum Alexandro. *Pignus ferre ad aliquem* usu est receptum, non ita *ferre dextram.* SCHEFF.

PORRECTA. Plutarch. Alex. 77. *Λαμβανόμενος τῆς τοῦ Πολυστράτου χειρὸς, ἐξέλιπεν.* Paene fugerat me notare, in MSS. *Δαρεῖον* esse *Dareum*, ει in ε, ut apud Horatium et auctorem nostrum *Alexandrea*, et infra *Cassandrea* XXIV. 2. 1. Graecis *Ἀλεξάνδρεια* et *Κασσάνδρεια.* et *balneum* iisdem est *βαλανεῖον.* BONGARS. — Coll. C. C. ed. Rom. *post haec porrexit manum, exspiravitque.* ABR. GRONOV.

15. RELIQUIAS EIUS MAIORUM TUMULIS INFERRI IUSSIT. *Reliquias eius* Blancardus inducendum existimat, *quia apud Persas moris fuerit cadavera cera oblita humari, non rogo imponi et cremari.* Vide Notas eius ad Arrian. lib. III. Addit, item, aut *παρόραμα fuisse Iustini aut certe librariorum eius, Persarum sepeliendi morem e ritu externae gentis perperam interpretari cupientium.* Credit nimirum Vir Cl. per *reliquias* non ipsum corpus, sed quae apud Romanos post cremationem legebantur, ossa intelligenda esse. Verum per *reliquias* Iustinum nihil aliud quam ipsum corpus denotare, intelligi potest ex eo quod praecedit, *corpus regio more se-*

*peliri iussit.* Quoniam ipsum corpus sepultum fuisse significat, non potest *reliquiarum* voce, quae sequitur, designare sola ossa, quae post cremationem remanserint; sed necesse est vocem eam superiori *corporis* ἰσοδύναμον esse. Et ne insolens hoc videatur, reputetur illud, quod supra IX. 4. 4. *corpus* et *reliquias* itidem coniunxit, scripsitque, *bello consumtorum corpora sepulturae reddidit, reliquiasque funerum ut ad sepulcra maiorum deferrent, ultro hortatus est.* Ad quem locum itidem Notas vide. Vorst. — Fallitur plane Vorstius in eo, quod *reliquias* idem esse putat, quod in membro praecedente *corpus*, et ἰσοδύναμα esse *sepeliri* et *maiorum tumulis inferri.* Recteque, quem refutare conatur, Blancardus ad Arrian. III. pag. 212. illud *corpus . . sepeliri* de concremando cadavere Darii, et *reliquias . . tumulis inferri* de condendis ossibus cineribusque intelligit. Sic enim *sepultura* passim combustionem cadaverum denotat. ut lib. XV. 2. *corpora eorum terra obrui, ne caedes* sepultura (i. e. si comburerentur) *proderetur.* ubi vide Graevium, nec non Munkerum ad Hygini Fab. LXXII. et Staverenum ad Nepot. Eum. extremo. Et *reliquiae* sic corporis ex combustione reliquiae dici solent, ut lib. IX. 4. 4. et passim. Quamvis autem, ex Arriani relatione, Persico ritu, quo cadavera integra monumentis imponebantur, sepultus sit Darius; non tamen ideo interpretatio Vorstii amplectenda, aut cum Blancardo (annuente etiam aliquatenus Orosio III. 17.) de verbis *reliquias eius* delendis cogitandum. Hunc enim mortuorum comburendorum morem Persis quoque haud obscure tribuit Iustinus, quum lib. XIX. 1. tradit, *legatos a Dario Persarum rege Carthaginem venisse, afferentes edictum, quo Poeni mortuorum corpora* cremare *potius, quam terra obruere a rege iubebantur.* ubi cremationem posterioribus seculis Persis in usu fuisse, ex Ammiano et Procopio observat Bernecccrus. Neque hoc rarum, ut minus accurate de aliarum gentium rebus aut consuetudinibus loquantur scriptores, tamquam de suae gentis loquerentur, quum tamen plane sint inter se dissimiles; de qua re inter alios consulatur Celeberrimus Clericus Art. Criticae P. II. S. I. 13. Wopkens. — Plutarchus Alex. pag. 1266. τότε δὲ τοῦ Δαρείου τὸ μὲν σῶμα κεκοσμημένον βασιλικῶς πρὸς τὴν μητέρα ἀπέστειλεν. Abr. Gronov.

---

# COMMENTAR. IN LIB. XII.

## CAP. I.

1. Magnis funerum impensis extulit. Hoc postea fecit et Philippus apud Livium XXXI. 34. 1. ubi etiam causa facti redditur. Adde Notas ad XI. 6. 13. Bernec.

2. Inutilesque etiam. Plerique MSS. ed. Rom. *inutiles etiam*. Abr. Gronov.

Qui superfuerant. MSS. Bongarsio visi habebant, *supera fuerant*. Inde colligo, vulgatam glossatoris, veram Iustini lectionem esse, *superaverant*. De verbo *superare* pro *superesse* nota omnia. Scheff. — In Franeq. aliisque *suprafuerunt*. unde frustra Schefferus refingit *superaverant*, quod plane insolens apud Nostrum, quum ad Livii aliorumque morem *superfuisse* pro superesse passim dicat. Vide lib. XVII. 1. 7. lib. XVIII. 3. 18. et 7. 2. lib. XIX. 2. 10. lib. XXVIII. 4. 9. 12. et 17. et alibi. Wopkens.

3. Pecunia omnis CLIII millia talentorum ex victoria nuper congesta. Nimis magnus hic videtur numerus. Curtius non ita longe ab initio lib. VII. de hac re loquens, ita scribit: XXVI *millia talentum proxima praeda redacta erant, e queis* XII *millia in congiarium militum absumta sunt. Par huic pecuniae summa custodum fraude subtracta est*. In Diodoro triplo minor summa. Haec ideo adduco, ut videamus quam nihil pensi habuerint Romani scriptores quid narrarent. Nam initio huius libri, nec loci meminit, ubi haec acta, nec ubi ea pecunia inventa, ubi divisa, quo seposita. Ego in Parthis haec acta puto. Glarean. — Coll. N. *centum* LXXX *millia talentum*, prorsus convenienter Diodoro Siculo, cuius verba exhibet Bongarsius. Ald. Iunt. CLXXX *millia talentorum ex victoria nuper cong*. Ienson. Bech. Flor. Med. Paris. CLIII *millia talentorum ex victoria nuper cong*. pr. tert. Leid. *exhibita nuper cong*. quart. *Exbatanum cong*. Vincentius lib. IV. cap. 38. *Ecbatanis nuper congesta*. Vulgatum imitatur Saxo lib. XIII. pag. 234. 52. *Arnachun, rapta congessit*. Abr. Gronov.

Ecbatana. Ex vestigiis scripturae veteris odoratus sum leg. *Ecbatana congesta*. Vett. enim habent, *et batanu congesta*; quidam, *ex ebanatu*; alii aliter. Diodorus XVII. 10. Parmenioni commissos refert τοὺς βασιλέως θησαυροὺς ἐν Ἐκβατάνοις, ἔχοντας ταλάντων ὀκτωκαίδεκα μυριάδας. Vide et Strabonem XV. Bongars.

Ecbatana nuper congesta. *Ex vestigiis scripturae veteris odoratus sum*, inquit Bongarsius, *leg. Ecbatana congesta. Vett. enim habent*, et batanu congesta; *quidam*, ex ebatanu; *alii aliter*. Ita, inquam, de hoc loco Bongarsius: cui persagaci hic ne quis dubitet credere, scire licet nostras membranas disertim eius coniecturam confirmare; neque in hoc tantum, sed in illo etiam quod τὸ *nuper* delendum omnino censet. nusquam enim eius vocis aut vola aut vestigium in nostris MSS. comparet. Mod. — Persagacem Bongarsii coniecturam Franc. Modii membranae disertim confirmant. Vide et Curtium V. 8. 1. Freinshemius ostendit mihi locum Plin. VI. 14. *Ecbatana a Seleuco rege condita*. qui gestis hisce multo posterior fuit. Alterutrum igitur esse falsum oportet: nisi *condere* Plinio idem sit, quod instaurare. Sic auctor XVIII. 4. 1. Bernec. — Nam θησαυροφυλάκιον regum Mediae et Persiae ait fuisse *Batanis*

Isidorus Chatacenus. *Batana* autem vocat *Ecbatana*, ut et Curtius lib. VI. *Se quoque cum transisset mare, non Ciliciam aut Lydiam, (quippe tanti belli exiguam hanc esse mercedem) sed Persepolim, caput regni eius, Bactra, deinde Batana, ultimique Orientis oram, imperio suo destinasse.* Sic lege. Nam MS. habebat, *Batava.* et sic forsan et alibi scripsit Curtius. Sane Pseudo - Callisthenes de Rebus gestis Alexandri (quem utendum habeo ex Bibliotheca Lugdunensi) *Βάταυα* semper vocat. Sed de eo ad Ptolemaeum. Voss. — *Ecbatana* legendum odoratus est Bongarsius e vestigiis scripturae veteris, cum ante lectum pro eo esset, *ex victoria nuper.* Post autem Modius in suis membranis *τὸ Ecbatana* manifeste scriptum reperit. Plinius VI. 24. *Ecbatana* a Seleuco demum condita scribit. Verum antiquiorem urbem eam esse vel ex Tob. III. 7. colligi posse videtur. Vorst. — Hactenus editi, *nuper congesta.* Sed delendum *τὸ nuper* et Bongarsius in variantibus censuit, et Modius nec vestigium eius in suis MSS. comparere dicit. Bernec.

4. Bellum Sopyrionis praefecti eius, in Scythia. Iuntae, *Zopyrionis praefecti eius in Scythia mors continebatur.* Graecis *Ζωπυρίων* appellatur. Graev. — Iuntae: *Zopyrionis praefecti eius in Scythia mors.* Forte: *Scythia ac mors.* Coniunctionem abstulit similitudo litterarum, Scheff. — Ald. Iunt. *Ep. Ant.* (Iunt. *Antipatris*) *a Mac. red. q. b. A. r. S. in Graecia, et Al. r. E. in Italia, Zopyrionis p. e. in S. mors continebatur.* Abr. Gronov.

5. Exercitus susceperit. Quidam codicum MSS. pro *suscepit* habet *cepit;* quod puto revocandum. Nam *capere dolorem, laetitiam,* receptum usu est. Noster ipse simillima ratione VI. 5. *Plus tamen tristitiae ipse ex incensa et diruta a Lacedaemoniis patria, quam laetitiae ex recuperata post tantum temporis cepit.* At *suscipere dolorem,* nescio, an legatur alibi. Et videtur plane illud *sus* adhaesisse vocabulo *cepit,* ex ultima *tus* vocabuli, quod proxime praecedit. Scheff. — Ut *cepit* ex quibusdam MSS. post Schefferum recte legit Abr. Gronovius, ita etiam hoc duo Dorv. repraesentant. Wopkens. — Tert. quart. quint. Leid. *coepit.* Med. Magl. Coll. C. C. sec. Leid. ed. Rom. *cepit,* quod merito tuetur Schefferus; qui nescire se fatetur, an *suscipere dolorem* legatur alibi. *Suscipere luctum* occurrit in Tabula marm. Pisana II. NON. DUM. QUIETO. LUCTU. QUEM. EX. DECESSU. L. CAESARIS. COLONIA. UNIVERSA. SUSCEPERAT. Abr. Gronov.

6. Graecia. Diodorus XVII. 62. Curtius VI. 1. Bongars.

In occasionem. *In occasione* Dorv. 2. Sed *in occasionem* est ad occasionem, occasione data. Tacit. Hist. I. 80. *Fremit miles . . pessimus quisque in occasionem praedarum, vulgus, ut mos est, cuiusque motus novi cupidum.* Similis usus praepositionis *ad,* ut Cicero in Rullum II. cap. 2. *ubi vester honos ad mei temporis diem petitus, non ad alienae petitionis occasionem interceptus . . esse videatur.* Adde quae infra ad lib. XLII. 2. Wopkens.

Recuperandae. MSS. *reciperandae.* de qua voce cum dixerim, parcam ulterius admonere. Mod.

Auctoritatem etc. Auctoritas hoc loco notat consilium, ut apud Caesarem I. de Bell. Civ. 35. *Debere eos Italiae totius auctoritatem sequi potius quam unius hominis voluntati obtemperare.* Idem de Bell. Afric. 40. *Animadvertit mirifica corpora Gallorum Germanorumque, qui partim eius auctoritatem erant ex Gallis secuti.* Livius XXXVII. 12. *Multis nobilibus secutis inter cetera auctoritatem Pausistrati, quae inter suos merito maxima erat.* Cic. X. Fam. Ep. 10. *Legionesque duae de exercitu Antonii ad eius se auctoritatem contulissent.* Idem XIII. 12. *Secutus auctoritatem.* M. Seneca Controv. IX. f. *Ego te genui, ego divitias docui contemnere, sequere auctoritatem meam.* Curtius IX. 7. *Non tam imperii cupidine, quam in patriam revertendi cum iis, qui auctoritatem ipsius sequebantur.* Ceterum paullo post legendum videtur *Philippi Alexandrique et pacem* etc. Gronov.

7. Qui Philippi Alexandrique pacem. Angl. *Alexandrique et pacem*, cum emphasi. Scheff. — Undecim MSS. *Alexandrique et pacem.* Abr. Gronov.

Soli spreverant. Supra IX. 5. 3. Bernec.

9. In ipso ortu. Livius XXIX. 31. 4. *Nisi orientem ignem opprimamus, ingenti mox incendio, cum iam nullam opem ferre possumus, ardebimus.* Curtius VI. 3. 17. *Parva saepe scintilla contemta magnum excitavit incendium.* Bernec.

10. Agis rex. De huius militari robore Diodorus XVII. 63. et Curtius VI. 1. ubi scribit cecidisse Lacedaemoniorum quinque millia et CCCL, ex Macedonibus haud amplius tria millia. Quo de numero variat nonnihil Diodorus ibid. Bernec.

Ut Alexandro felicitate, non virtute inferior. Angl. *ut Alexandro si non felicitate par, virtute non inferior.* Vulgatam lectionem puto genuinam. Scheff.

Tantam stragem hostium edidit. Coll. N. ed. Bechar. Ven. Flor. Med. Paris. Ald. *tantas strages.* Iunt. *tantas strages hostium dedit.* Abr. Gronov.

## CAP. II.

1. Alexander rex Epiri. Vide Livium VIII. 24. Strabo lib. VI. contra Messapios et Lucanos evocatum scribit. Bongars. — Eidem cognomentum fuisse *Molosso*, tradit Agellius XVII. 21. et addit, in Italiam transeuntem dixisse, *se quidem ad Romanos ire quasi in ἀνδρωνίτην,* hoc est, virorum domicilium: *Alexandrum Magnum isse ad Persas quasi in γυναικωνίτην,* domicilium mulierum. Fuerit igitur Alexandri Molossi expeditio posterior expeditione Alexandri Magni. At Plutarchus priorem facit in comment. de Fortun. Rom. cap. ult. Bernec.

2. Quam ille in Asia et in Persis habiturus. Diodorus,

quo tempore in Italiam traiecit Alexander, quem Molossum vocat Agellius, sive Aulus Gellius est, ubi de eadem hac re agit, Philippum Alexandri M. patrem adhuc in vivis fuisse, et adhuc Graeciam bello arsisse, nondum in Asiam translato, scribit. Mod.

3. Quod sicut — insidias in Macedonia. Ed. Bechar. Ven. Flor. Med. *ut sicut*. Periz. *in Macedoniam*, et in marg. „immo *in* „*Babyloniam*." Coll. N. *insidias Macedonum*. Abr. Gronov.

Huic responsum Dodonaei Iovis urbem Pandosiam amnemque Acherusium praedixerat. Livius lib. VIII. *Accito ab Tarentinis in Italiam data dictio erat, caveret Acherusiam aquam Pandosiamque urbem, ibi fatis eius terminum dari*. responsum autem oraculi, sive, ut Livius ait, dictio his duobus Graecis versibus continetur:

*Αἰακίδη προφύλαξο μολεῖν Ἀχερούσιον ὕδωρ*
*Πανδοσίαν θ', ὅτι τοι θάνατος πεπρωμένος ἐστί.*

Mod. — Modius hoc loco oraculum producit, haud scio, an *γνήσιον*. Diversum ab hoc oraculum referunt Strabo lib. VI. et Stephanus in *Πανδοσία*. Bernec. — Error est, ut mihi quidem videtur, plane manifestissimus, neque is tamen a quoquam antehac animadversus. Verba ipsa, et sententia verborum, si non negligenter spectentur, rem brevi probaverint: Ut oracula Delphica insidias Alexandro M. in Macedonia praedixerant, ita huic alteri Alexandro Iovis Dodonaei oracula praedixerant Acheronta amnem et Pandosiam urbem. Hoc, si quid unquam fuit, plane ridiculum est, quod in puerum magis conveniat, quam in virum. Itaque sic, ut dicam, totus iste locus emendandus est; dein correctionem singulatim probabo: *Sicut Alexandro Magno Delphica oracula insidias in Macedonia, ita huic responsum Dodonaei Iovis* circa *urbem Pandosiam, amnemque Acherusium* cavendum *praedixerant*. Sed duo, inquies, a te addita verba fuere, *circa* et *cavendum*. Fateor; sed et sic quidem, hoc fidenter dicam: Qui me temeritatis in hac emendatione accusabunt, eos ego negligentiae accusavero, et reos ad praetorem peregero; qui scilicet id minus animadverterint, in Collectione Variantium Lectionum planissime scriptum esse, CAVENDUM. At quod ad illam alteram voculam attinet, CIRCA, ibi vero non mecum, sed cum ratione ipsa pugnandum; partes enim partibus non respondebunt, nisi ita legas: ut huic in Macedonia, ita et huic CIRCA Pandosiam etc. At unum superest tamen, CAVENDUM scilicet, quod e codice MS. Pelerini a me eductum fuit, non convenire cum *insidias*, si bellam orationis Latinae consuetudinem sequi velimus. Imo autem; nam ita optimus quisque veterum loquebatur, ut Plautus, Terentius, Lucretius, et Cicero interdum. Quis autem non debet observasse illud Lucretii?

*Aeternas quoniam poenas in morte timendum.*

ad quem locum multa a nobis exempla congesta sunt, et plura, si memini, apud Popmam reperies. Faber. — Sequor Anglos, qui hic ex codicibus antiquis reposuerunt: *ita huic responsum Dodonaei Iovis circa urbem Pandosiam amnemque Acherusium praedixerat.*

scilicet insidias, quod *ἀπὸ κοινοῦ* repetendum. In vulgata nullus est sensus, quod et elegantissimus Faber animadvertit, et acute *circa* inserendum esse coniecit, quod postea Angli in suis membranis invenerunt. GRAEV. — Angl. *Dodonaei Iovis, circa urbem Pandosiam.* Placet, quoniam illud *circa* respondet praecedenti *in.* SCHEFF. — *Amnemque Acherusium.* Strabo II. *τὸν Ἀχέροντα.* et ita in sequentibus. MSS. Plin. III. 11. Oraculum exstat apud Strabonem et Stephanum. BONGARS. — Adiective, quomodo et Livius VIII. 24. 3. *Acherusiam aquam.* Statim infra n. 14. *Acheron* est, ex quo accolae dicti *Acherontini* Plinio lib. III. 5. sub finem capitis. BERNEC. — *Amnem Acherusium*, pro *amnem Acheronta*, ut XII. 2. 14. *flumen Acheronta.* Dictum ut *Parnassia rupes*, pro rupes Parnassus; *urbs Romana*, pro urbs Roma. Nimirum ex nominibus propriis fiunt adiectiva, et haec deinde vocabulis latioribus adiiciuntur. VORST. — Quid est *praedixerant amnem?* Non puto illud *praedicere* sic absolute usurpari apud alios scriptores, verum hic deesse quidpiam. Et vidit Bongarsius MS. codicem, in quo fuit *Acherusium cavendum.* Convenitque Livius, quando VIII. 24. ait hac de re: *Accito ab Tarentinis in Italiam data dictio erat, caveret Acherusiam aquam, Pandosiamque urbem.* SCHEFF.

4. et 14. Simili ambiguitate praedictae mortis exempla habent Thucydides III. 15. 12. de Hesiodo: Pausanias in Arcad. et Suidas de Epaminonda: Herodotus III. 64. de Cambyse: Plutarchus Pyth. Orac. cap. 26. de Lysandro: et in Flaminio cap. 34. de Annibale: Aelian. III. Var. Hist. 45. de Philippo Macedone: Iosephus XIII. Antiq. 19. de Antigono: Zonaras tom. III. de Impp. Constante, Iuliano et Valente: Pontificum Rom. Suetonius de Sylvestro II. in eius vita. Scilicet *mos oraculis, per ambages respondere*, inquit Tacitus II. Annal. 54. 3. quorum de fallaci vanitate vere Thucydides V. 16. 30. adde Th. Zwing. XIV. 11. et seqq. similia recensent de Satyro et Eumelo Diodor. XX. 26. de Seleuco Appian. pag. 129. B. de Valente Marcellin. XXXI. 42. collegit etiam quaedam exempla Garzonius nella Piazza Universale. BERNEC.

5. APPULIS. Med. sec. tert. Leid. Periz. *Apulis*, atque ita in seq. Inscript. APULI et APULIA. Livius lib. XXIV. cap. 61. *Apulorum pars.* et XXIII. 32. *in Apuliam.* ABR. GRONOV.

7. BRUNDUSIUM. Vett. *Brundisium*, Graeci, *Βρεντήσιον.* unde a poëtis *Brenda* dictum, Festus: aut potius *Brenta*, *η* in *a.* voce duabus syllabis truncata, quod est Ennio familiare. De eo Strabo lib. VI. et Stephanus. In MSS. pro *Aetoli* legitur *Aesculi*, aut *Estuli*, aut etiam *Eteoli.* Habitatum a Cretensibus Brundusium auctor est Strabo, et Lucanus lib II. et V. BONGARS. — Med. pr. sec. quart. quint. Leid. Coll. N. *Brundisium*, idemque in MS. Duisburgensi reperisse se testatur Cl. Dukerus ad Florum lib. II. cap. 20. nec aliter supra III. 4. 12. Med. tertius a pr. m. et quintus Leid. Coll. N. atque Orosius lib. I. cap. 2. pag. 24. ex MS. Florent. et VI. 18. pag. 432. ex duobus Florent. Tacitus lib. I. Annal. cap. 10.

*Brundisino foedere.* Idem III. 1. et IV. 27. *Brundisium.* Adde Ciceronem Act. I. in Verrem cap. 2. et or. pro Lege Manilia cap. 12. Plinium lib. III. cap. 17. et Frontinum de Coloniis pag. 127. Inscriptio Grut. pag. 151. 2. Gud. pag. 71. 2. BRUNDISIUM, et Grut. pag. 801. 5. REM PUBLICAM BRUNDISINORUM. Abr. Gronov.

Tum fama rerum. Pro *tum* legendum est ex MSS. *dudum.* Faber. — Recte. sic et Iuntae. Graev.

Rerum in Troia gestarum. Cl. Iensius ad h. l. notarat: „Lege „*ad Troiam.* Forte Iustinus male secutus est Graecos, dicere soli„tos ἐν Τροίᾳ, pro quo Latini malunt *ad.*" Vulgatum merito tuetur Avus supra ad III. 7. 5. Abr. Gronov.

8. Locum quem repetissent. *Repetissent*, pro repeterent, vel repetituri essent. Plusquamperfectum pro imperfecto non insolens; ut contra imperfectum pro plusquamperfecto. Vide et Notas ad XIII. 2. 11. et XIII. 2. 13. Vorst.

9. Cum belli comminatione. Antiquiores typis expressi, *sub belli comminatione*, ut XVII. 3. 20. At Bongarsius e MSS., credo, edidit *cum* pro *sub.* Vorst. — Bechar. Ven. Florent. Med. Paris. Ald. Iunt. *sub b. c.* Abr. Gronov.

10. Interfectos legatos in urbe sepelierant. Quam inhumanitatem praedixit Cassandra apud Lycophronem vers. 1056. et seqq. Bernec.

Sepelierant. Freinsh. *sepelierunt.* Bernec. — Med. Bodl. *sepelierunt*, quomodo legendum coniecerat Freinshemius. Magl. *sepeliverunt.* Coll. N. ed. Bechar. Ven. Flor. Med. Paris. Ald. Iunt. *sepeliunt.* Abr. Gronov.

Atque ita defuncti responso. Imo autem, defuncti responso non erant, sed Deum illuserunt, cuius illud responsum erat, quod ipsi caede facta interpretati fuerant. Legi itaque debet, *utque, ita, defuncti responso*, hoc sensu, utque defuncti responso, (id est, et quasi responso defuncti essent) ita (dum legatos caesos sepeliunt) etc. Faber. — *Utque ita defuncti* legebat Faber, quia responso Dei non defuncti erant Appuli, sed illud potius illuserant. At omnino defunctos fuisse, sive quantum ad implementum oraculi satis esset peregisse Appulos, satis perspicue statuit Iustinus, dum sic *diu urbem possedisse*, ideoque *fata antiquitatis veneratum Alexandrum bello Appulorum abstinuisse* scribit. Cave igitur quidpiam mutes. *Defungi somnio* sic etiam dixit lib. I. 5. 5. et Livius XXXIX. 46. Defunctosque *vulgo ferebant, quod inter fatalia vates cecinissent.* et lib. I. 4. *Ita velut* defuncti *regis imperio, in proxima alluvie . . pueros exponunt.* Wopkens.

12. Tum et cum Metapontinis. Duas priores particulas nesciunt Med. Magl. pr. sec. tert. quart. Leid. Periz. Bodl. Coll. C. C. ed. Rom. Ald. Iunt. Abr. Gronov.

Pediculis. Italiae populi. Plin. III. 5. Strabo lib. VI. Ποιδίκλους vocat. In MSS. legitur *Pedituli.* Inde qui libros impressos

emendarunt, fecerunt *Rutuli*, longe petita coniectura. Bongars. — Apud Appianum etiam Civil. Bellor. lib. I. pag. 381. corrupte legitur *Ποδίκλους* pro *Ποιδίκλους*. Et apud Valer. Max. VII. 6. 1. pro *Fidiculis* esse scribendum *Poediculis* bene monuit Ph. Cluverius Ital. Ant. lib. IV. cap. 10. Ceterum *Poediculorum* (haec enim vera scriptura est) oppida enumerat Plinius III. 11. m. Bernec.

14. Flumen Acheronta. Becharius et alii edidere, *flumen Acherusium;* ut paulo ante *amnem Acherusium* dixit. Vorst.

Fuisse sibi periculosam mortem. *Periculosa mors* quid sit nemo dixerit. Mortui omnibus periculis sumus defuncti. Quod morte nos afficit, aut propius admovet morti, periculosum est, ut Caesar, iter, expeditio, praelium, lucta, morbus, et quae sunt mille alia. Sed ipsa mors non potest dici periculosa. Unius litterae perversio hunc locum turbavit, qui restitutus erit, si legas: *moriensque non in patria fuisse sibi periculosam sortem*, hoc est, periculosum oraculum, periculum quod cecinerat oraculum, non in patria sibi impendere. In principio capitis dixit *fatorum pericula. Ad declinanda*, inquit, *fatorum pericula peregrinam militiam cupidus elegerat.* Iam vero in Italia didicit, non in patria fuisse illa fatorum pericula, sed in Brutiis sortem illam sibi fuisse periculosam. *Sors* est oraculum: proprie tabula in cista condita, cui litterae erant inscriptae, quae a consulentibus extrahebatur, quales erant Praenestinae sortes, de quibus Cic. II. de Divin. 41. *Ex illa olea arcum esse factam, in eaque conditas sortes, quae hodie Fortunae monitu tolluntur.* Dein *sors* pro quovis oraculo seu responso oraculi. Cic. eodem libro: *Sors illa edita est Croeso: Croesus Halyn penetrans magnam pervertet opum vim.* Suet. Vespas. *Apud Iudaeum Carmeli Dei oraculum, ita confirmavere sortes.* Claud. de Bello Getico:

*O semper tacita sortes ambage malignae.*

*τὸ sors* autem in aliis quoque locis in *mors* transisse vitio et inscitia librariorum docuit summus noster Nicolaus Heinsius ad Fastos Ovidianos, magno rei litterariae detrimento menses ante aliquos nobis ereptus, quem merito luget orbis eruditus. Ei hanc emendationem me probasse memini, qui etiam in notis ad Ovidii Fastos ostendit in antiquis membranis confundi *mors* et *sors*. Graev. — Certissima emendatione Graevius legit *periculosam sortem*, hoc est conditionem. Ego addo, etiam ita locutum Boëtium Consol. II. Metro 4.

*Fugiens* periculosam
Sortem *sedis amoenae*
*Humili domum memento*
*Certus figere saxo.*

Wopkens. — Cl. Graevius egregie restituit, *periculosam sortem.* Livius lib. VIII. cap. 24. *Alexandrum Epiri regem ab exsule Lucano interfectum, sortes Dodonaei Iovis eventu affirmasse.* et XXVI. 19. *ut imperia consiliaque, velut sorte oraculi missa, sine cunctatione adsequeretur.* Prudentius Apoth. vs. 438.

*Delphica damnatis tacuerunt sortibus antra.*
Orosius lib. VI. cap. 15. *Ita Appius perplexa incertus sorte discessit.* Lexicon Gr. Lat. *Χρησμοί, Sortes.* Abr. Gronov.

16. Zopyrion. De quo et infra XXXVII. 3. 2. Bernec.

Adunato triginta millium exercitu. Ed. Rom. Bech. Ven. Flor. Med. Paris. Ald. Iunt. *adun.* XXX *millium militum ex.* MSS. et Orosius atque Freculphus stant a vulgato. Abr. Gronov.

17. Poenas temere illati belli. Lucanus VII. 343.
*Causa iubet superos melior sperare secundos.*
Id quod iusta dissertatione confirmat Gruterus, quae est ad Tacitum quinquagesima tertia. Bernec.

## CAP. III.

1. Triduum. Sebis. *tridui.* Vide notam II. 10. 12. Bernec. — Iuntae cum MSS. aliisque editionibus: *triduo.* cap. 4. *Ob haec illi quatriduo perseverata inedia est.* Sed nec *triduum* improbandum. Graev. — Antiquiores editiones Becharii, Maioris, et, ut Graevius testatur, Iuntarum, *triduo:* ut II. 11. 4. *triduo ibi dimicatum.* et XII. 6. 15. *illi quatriduo perseverata inedia est.* Vorst. — *Triduo* etiam nostri codices, non *triduum*, quod in quibusdam aliis, et placuit Bongarsio ad lib. II. 10. 12. Et recte quidem dicitur *triduum luctus est* vel *lugetur*, pro triduo vel per triduum. Livius XL. 19. *ut per totam Italiam* triduum *supplicatio et feriae essent.* et sic ille saepius. Sed insolentius illud *triduum luctus*, pro luctu qui triduum est vel perseveratur. Nec usitatius *triduo* pro in triduum. Cum Sebisio igitur arbitror Iustinum scripsisse *tridui luctum indixit.* quomodo *quatridui religionem* dixit lib. II. 9. 9. *biennii usum* lib. XVII. 2. 14. *vacationem quinquennii* XXXVIII. 3. 9. ubi probare non debuit Vorstius, quod antiquae edd. habent *quinquennio. Quinquennii consulta* Sallust. Iug. cap. 5. *tridui via* Gellius V. 14. *Septennii servitium* Sulp. Severus H. S. I. 9. Sic etiam illic emaculandum, pro *septem in.* Nec male etiam legeretur *in triduum luctum indixit.* ut Livius XL. 53. *Supplicationes ob eas res gestas* in triduum *decretae sunt.* Wopkens. — Plerique MSS. cum vett. edd. *triduo.* tert. Leid. *tridui*, quomodo legendum coniecerat Sebisius. Plinius lib. VIII. cap. 51. *Pinguescunt sues* LX *diebus; sed magis tridui inedia saginatione orsa.* Abr. Gronov.

2. Velut perpetrato bello, reditum in patriam exspectantibus. Cod. MS. ut Bongarsius testatur, *spectantibus.* Infra XIII. 1. 8. *regnum et imperia spectare, thesauros spectare.* Sed putant quidam, *exspectare* poni etiam pro *spectare.* Vide Notas ad XIII. 1. 10. Vorst. — Rom. Bechar. Ven. Flor. Med. Paris. Ald. Iunt. *velut Darii morte perp. bello.* quint. Leid. Bodl. Periz. *spectantibus.* Magl. sec. Leid. *sperantibus.* Eadem verba miscentur infra XIII. 1. 9. *Sed nec amici Alexandri frustra regnum spectabant.* MS. Coll. N. ed. Iunt. *sperabant.* quart. Leid. a sec. manu,

Cantabr. ed. Rom. Bechar. Flor. Ald. aliaeque, *expectabant*. Abr. Gronov.

Liberos suos animo iam quodammodo complectentibus. Codex MS. ut idem Bongarsius testatur, *animo* omittit: et recte meo iudicio. Quia *quodammodo* sequitur, non opus erat addere, *animo*: videturque ex margine, ubi explicandi causa adscriptum fuit, irrepsisse in textum. Ipse auctor, si *animo* addere voluisset, omittere potuisset *quodammodo*. Addunt et alii *animo*, cum cogitationem et desiderium denotare volunt: ut Nepos XXIII. 1. 3. *animo bellare cum Romanis*. et Sallust. Bell. Iugurth. *totum eius regnum animo iam invaserat*. sed non addunt illi et *quodammodo*. Vorst. — Illud *animo* delet Vorstius, ut natum ex glossa. Forte additum *quodammodo* ad mitigationem verbi *complecti*, hoc enim proprie fit ulnis et brachiis. Scheff. — Omnino cum Scheffero sentio, nimiam esse Vorstii elegantiam, qui ob vocem *quodammodo* τὸ *animo* cum MSto exscindendum putaret. Confer quae de hocce pleonasmi genere ad lib. XVIII. 5. 11. Cicero Famil. III. Epist. 11. Complexus *igitur* cogitatione *sum te absentem; epistolam vero osculatus et ipse mihi gratulatus sum*. cum nota Cortii. Lib. V. Epist. 3. *Quem ego tam* video animo, *quam quae oculis cernimus*. Wopkens.

3. Ibi nihil actum tot egregiis praeliis ait. Ald. Iunt. *sibi nihil*. Abr. Gronov.

4. Mardosque. Quidam hoc loco legerunt *Medos*, quomodo et in Eusebio editum est, contra libros. Bongars.

5. Thalestris. Straboni lib. XI. est Θαλήστρια. Bongars. — De ea supra II. 4. 33. infra XIII. 3. 9. Adde Plutarch. Alex. cap. 81. Bernec. — Non videtur Iustinus, ut alii, Amazonum gentem in Hyrcania ponere, sed ad Maeotim et Tanaim. Nam, inquit, XXV dierum itinere confecto in Hyrcania occurrisse Alexandro. Rectius sane. Neque enim ullus Geographorum Amazones alibi collocare, quam ad Maeotim unquam dubitavit. Eaque etiam de causa Maeotidas, et Tanaitidas appellari, nemo nescit. Seneca Hippolyto:

*Qualis relictis frigidi Ponti plagis*
*Egit catervas, Atticum pulsans solum,*
*Tanaitis, aut Maeotis, et nodo comas*
*Coëgit, emisitque, lunata latus*
*Protecta pelta; talis in silvas ferar.*

ita leg. ex MS. Vulgo pessime, *aut Tanais, aut Maeotis*. Curtius tamen lib. VI. Hyrcaniae finitimam facit Amazonum gentem. Sed male. *Erat* (*ut supra dictum est*) *Hyrcaniae finitima gens Amazonum, quondam circa Thermodonta amnem Themiscyrae incolentium campos. Reginam habebant Thalestrim, omnibus inter Caucasum montem et Phasim amnem imperitantem*. Ita lege. Vide quoque Diodorum ad annum IV. Olymp. CXII. Causa erroris haec est, quod Iaxartem sive Orxantem, Tanaim esse crederent milites Alexandri. Adi Arrianum lib. VII. Voss.

THALESTRIS SIVE MINITHEA. Dele cum Iuntis, *sive Minithea.* Eodem modo Iuntae II. 4. *Harum Thalestris regina.* GRAEV. — Sive *Minithea*, sive *Minithya*, sive etiam *Minythea* scribatur, additamentum esse videtur. In MSS. Codd. tamen apparet, at non in optima illa edit. Iuntarum, qua nuper usus est Graevius. FABER. — Supra II. 4. 33. *Minithya sive Thalestris.* Iuntarum editio nomen *Minithaeae* utrobique omittit. VORST. — Tert. Leid. *Minithia* pro *Minithya*, quomodo edidit Faber, idemque Amazonis nomen scriptum est supra II. 4. 33. *Minothaea* ab Orosio vocatur, et *Minothea* a Freculpho I. 4. 27. apud quem *Halestris* vitiose legitur. Praeter Iuntinam etiam Aldina omittit *τὰ sive Minithaea;* eademque non videntur exstitisse in codice, quo usus fuit Otto Frisingensis. Ita enim ille lib. II. Chron. cap. 25. *Amazonumque reginam Alestram procaciter venientem ad se cum muneribus, ob suscipiendam prolem excepit.* Lege *Thalestrim* et *cum CCC mulieribus.* ABR. GRONOV.

AMAZONUM REGINA CUM CCC MILLIBUS MULIERUM. Luculentum mendacium in numero, quanquam et historia fabulosa est, ut inquit Strabo lib. XI. Error inde venit, quod Tanain et Iaxartem eundem fluvium crediderunt, et Sogdianam continuatam terram Sarmatiae Europaeae: cum distent plus VIII millibus stadiorum. Tantum refert scire Geographice. Quidam aiunt in aliis codicibus legi CCC *mulieribus:* sed res in fabula non est tanti. GLAREAN.

CUM TRECENTIS MULIERIBUS. Sic edidi, unius Codicis fidem sequutus; et Diodorum XVII. 77. BONGARS. — Ita et hunc locum emendavi ante plures annos, quum prius passim legeretur, *cum trecentis millibus mulierum*, ad illa Curtii Rufi mei ex VI. 5. 36. *Protinus facta potestate veniendi, caeteris iussis subsistere*, CCC *feminarum comitata processit.* MOD. — Firmat et Curt. VI. 5. 36. Prius passim legebatur, *cum trecentis millibus mulierum*, absurde. BERNEC. — *Ducentis* Freculphus ex secundo codice Leid. et Gualterus lib. VIII. vs. 9

*Gentis Amazoniae venit regina Thalestris,*
*Castraque virginibus subiit comitata ducentis.*

Periz. *cum trecentis millibus mulieribus.* ABR. GRONOV.

CONFERTISSIMAS. Editiones quaedam, *infestissimas:* quod probabilius est. BERNEC. — *Infestissimas gentes* ex editionibus antiquioribus legere malo, quam ut Bongarsius edidit, *confertissimas gentes.* Quod idem probabilius et Bernecero visum. VORST.

VIGINTI QUINQUE DIERUM ITINERE CONFECTO. Med. quart. Leid. Perizon. XXXV *dierum.* Magl. *quindecim diebus.* ed. Rom. XXXV *diebus.* ABR. GRONOV.

6. PROPTER INSOLITUM FEMINIS HABITUM. Manuscripti multi habent, *insolitus regibus Macedonicis habitum.* Quae quia nimirum ab editis recedunt, efficiunt apud me, ut et ipsa, et quod est in vulgatis *feminis*, pro adiectamentis glossatorum habeam. Et ista,

*insolitus regibus Macedonicis*, manifeste huc sunt tracta ex sequentibus. SCHEFF.

7. A REGE. Alii hoc omittunt; nec est necessarium. BERNEC.

8. HABITUM REGUM PERSARUM. Sic et Curtius VI. 6. 4. At medium inter Persicum et Medicum habitum sumsisse, auctor est Plutarchus Alex. cap. 79. BERNEC.

DIADEMA. *Diadema* fascia alba seu candicans fuit, ut allatis plurimis auctorum locis Lipsius ad lib. VI. Ann. Tac. docet. Alexandri tamen diadema *purpureum distinctum albo* fuit, ut ex lib. VI. Curtii apparet: quale scilicet ipse Darius habuerat. VORST. — Lucianus Dial. Mort. pag. 294. *σὺ δὲ καὶ τὴν Μακεδονικὴν χλαμύδα καταβαλὼν, κάνδυν, ὥς φασι, μετενέδυς, καὶ τιάραν ὀρθὴν ἐπέθου, καὶ προσκυνεῖσθαι ὑπὸ Μακεδόνων ὑπ' ἐλευθέρων ἀνδρῶν ἠξίους, καὶ τὸ πάντων γελοιότατον ἐμιμοῦ τὰ τῶν νενικημένων.* ABR. GRONOV.

9. LONGAM VESTEM AURATAM. Quam Curtius III. 3. 28. *pallam auro distinctam*, Plutarchus ibidem *stolam barbaricam* appellat. BERNEC.

10. UT LUXUM. Bene monente Freinshemio, puncto haec a praecedentibus separavi, quibus commate hactenus adnexa male haerebant. BERNEC. — Ante *ut* forte excidit particula *et*. GRONOV. — Ald. Iunt. *iubet*, *ac ut*, quomodo etiam edidit Faber. Longe praestat coniectura Avi corrigentis, *et ut*: siquidem particula *et* a postremis litteris proxime praecedentis verbi facile absorberi potuit. ABR. GRONOV.

INTER PELLICUM REGIARUM GREGES. Vincentius lib. V. cap. 42. *inter pelicum regium gregem.* ABR. GRONOV.

11. NE IEIUNA ET DESTRUCTA LUXURIA VIDERETUR. Interpretes hic silent. Vellem tamen quod docuissent quid sit *destructa luxuria.* Magnus is mihi erit Apollo, qui tam abstrusam notionem eruerit. Sed erui non potest, quae non est. Interpolarunt hanc vocem. Iustinus aut Trogus scripsit: *ne ieiuna et restricta luxuria videretur. Restricta* est parca, cum nulli sumtus fiunt in voluptates, epulas, delicias. Tacit. XV. 18. *Sed procul gravitas morum, aut voluptatum parsimonia, lenitati ac magnificentiae, et aliquando luxui indulgebat. Idque pluribus probabatur, qui in tanta voluptatum dulcedine summum imperium non restrictum, nec perseverum volunt. Imperium non restrictum* est voluptatum abstinens, quod nullos sumtus facit in voluptates. Cic. III. ad Fam. Epist. 8. *Si de tua prolixa beneficaque natura limavit aliquid posterior annus propter quandam tristitiam temporum, non debent mirari homines: cum et natura semper ad largiendum ex alieno fuerim restrictior, et temporibus, quibus alii moventur, iisdem ego movear.* ubi vides *restrictior* esse parcior. In hoc sensu legitur et *adstrictus* apud Iustinum XLIV. 1. *Dura omnibus et adstricta parcimonia.* Propert. II. El. 23.

*Differet haec nunquam, nec poscet garrula, quae re*
*Adstrictus ploret saepe dedisse pater.*

*Adstrictus pater* est attentus ad rem, nimis diligens. Graev. — Sec. Leid. *destructa et ieiuna.* tertius a pr. m. Periz. *i. et destituta.* N. Heinsius ad Petronium cap. 119. corrigit *adstricta.* Graevius ad h. l. et in Epistola ad N. Heinsium tom. IV. Syll. Epist. pag. 753. legit, *restrictu.* Abr. Gronov.

## CAP. IV.

1. Patriae nomen eiuraret. Quomodo patriae nomen eiurarit Alexander, non capio: a moribus quidem patriis discessisse manifestum est: non ideo tamen Persa haberi voluit. Quid si legamus, *patris nomen?* Iovis enim filium se, non Philippi, dicebat. Plerique MSS. *patriae nomine iuraret.* Simili mendo infectus Gellius I. 2. *Sanctissimae disciplinae nomine mentirentur.* Leg. *nomen ementirentur.* Bongars. — Contra Val. Acidalius ad Vell. II. 68. 4. *patriae nomen* rectum esse contendit. Nam certam, de luxu regis et mollitie tantum, non de superbia, querelam hic esse, ut qui, quos armis subegerat, eorum vitiis succumberet. Adstipulatur Noster mox XII. 5. 2. Hoc igitur aegre exercitus ferebat, masculum Macedonum nomen, belli fama orbe toto celebre et terribile, moribus effoeminatis Persarum corrumpi, et ipsum velut effoeminari. Caeterum *nomen patriae* dixit autor, pro *patriam:* sicut Livius I. 10. 4. *Nomen Ceninum*, pro *Ceninenses:* et Agellius I. 2. passimque Livius, *nomen Latinum*, pro *Latinos.* Quod loquendi genus de Graecorum fontibus profluxisse docet Guil. Canterus Nov. Lect. II. 10. Bernec. — Lego, *patriae morem.* Nihil planius, aut cum historia convenientius. Ipse Iustinus paullo post eodem modo: *Maxime indignabatur carpi se sermonibus suorum, Philippi patris patriaeque mores subvertisse.* Proxime sequentia, *quos propter tales mores vicerat,* quin a mala Glossatoris manu sint, noli dubitare. Boxhorn. — Boxhornius legendum putat *patriae morem eiuraret.* Sed non est verisimile hoc propter id quod sequitur, *moresque Persarum.* Quid autem sit *nomen patriae eiurare*, intelligitur fere ex ipso illo quod sequitur, *mores Persarum assumere:* nimirum nihil fere aliud quam quod XII. 5. 2. dicitur *patriae mores subvertere. Eiurare* quidem vel *eierare* dicunt pro non agnoscere, reiicere, detestari. Cicero II. de Orat. *Cum ei M. Flaccus multis probris obiectis P. Mutium iudicem tulisset, Eiero, inquit, iniquus est.* Vorst. — *Eiurare nomen patriae* idem est quod Tacitus dicit IV. Hist. 29. *eiurare patriam;* sic et *eiurare liberos ac parentem* Seneca dixit Consolat. ad Marciam. *Nomen patriae* est patria, ut *nomen agelli* apud Valer. Cat. in Diris agellus, et inferius XIII. 6. *Philippi Alexandrique nomina* est Philippus et Alexander. et multa sunt huius generis alia exempla. Graev. — Male Boxhornium emendasse, *ut etiam patriae morem eiuraret*, optime ostenderunt viri docti; qui tamen

conivere non debebant ad inutilem illius critici coniecturam, qua ista *quos propter tales mores vicerat* proscribebat; ne scilicet haec vocis *mores* repetitio priori suae emendationi, tanquam incongruum, obiici posset. Sic unus error altero fulciendus erat. WOPKENS. — Bechar. *ut etiam patriae nomen evitaret.* Ald. Iunt. *ut etiam p. nomen negligeret.* Magl. ed. Rom. *degenerasse, patriaeque nomen neglexisse, ut Persarum mores assumeret. Degenerasse* etiam exhibent Med. Leidenses. Coniecturam Boxhornii legentis, *ut etiam patriae morem eiuraret*, confirmari verbis Curtii lib. VIII. cap. 7. *patrios mores exosus es*, existimat Freinshemius ad istum Curtii locum. ABR. GRONOV.

3. IMAGINEM QUAMDAM LARIUM. Med. pr. tert. Leid. Periz. *Larum*, ut apud Ciceronem lib. III. de Nat. D. cap. 25. *aedes Larum.* et Tacitum lib. XII. Annal. cap. 24. ex MS. Flor. *sacellum Larum.* Inscript. Ancyrana tab. I. a dextra V. 7. IN AVENTINO AEDEM LARUM. ABR. GRONOV.

4. LABOREM MILITIAE. Tacitus Annal. III. 34. 5. *Bella plane accinctis obeunda: sed revertentibus post laborem, quod honestius quam uxorium levamentum?* Disputatur eo loco, an magistratum in provinciam euntem comitari uxor debeat. BONGARS.

6. SI NON SOLUM TIROCINIA, VERUM ET INCUNABULA IN IPSIS CASTRIS POSUISSENT. *Ponere* pro *deponere.* Quod vel ex eo intelligitur, quod alibi ipso composito in talibus utitur: ut VII. 5. 3. *pueritiae rudimenta deponere;* et IX. 1. 8. *tirocinii rudimenta deponere.* VORST. — Coll. N. ed. Rom. Bech. Ven. Flor. Med. Paris. Ald. Iunt. *verum etiam.* Magl. *deposuissent.* ABR. GRONOV.

7. QUAE CONSUETUDO IN SUCCESSORES QUOQUE ALEXANDRI MANSIT. Mihi vehemens suspicio est, legi debere, *in successores* USQUE *Alexandri mansit*, et ita scripsisse Iustinum puto. Nam illud, *mansit in successores*, durius est et insolentius, nisi addas *usque.* Latini homines iudicabunt. FABER. — Bongarsius ex MSS. edidit *in successoribus.* Sed Berneccerus maluit *in successores:* quomodo in antiquioribus typis expressis est; et in aliquo item MS. observavit Bongarsius. VORST. — Magl. pr. tert. Leid. Bodl. Periz. ed. Rom. *in successoribus.* Infra XV. 4. 9. *Originis eius argumentum etiam in posteris mansit.* ubi praepositio *in* desideratur in ed. Bechar. Ven. Flor. Med. Paris. Ald. Iunt. Vide Cl. Wopkensium ad h. l. ABR. GRONOV. — *In* saepe quidem cum accus. constructum *usque ad* denotat, ut observarunt etiam commentatores Velleii I. 8. et Flori in prooemio: sed tum plerumque antecedere ablativus aliquis cum praep. *a* solet. Quidquid autem hoc sit, haud repudiaverim omnium nostrorum pluriumque aliorum codicum scripturam *q. c. in successoribus q. A. m.* i. e. quam consuetudinem etiam successores A. retinuerunt. Sic lib. XV. 4. *Originis eius argumentum* etiam in posteris mansit. Suetonius in Nerone cap. 1. *Quod insigne* mansit et in posteris *eius.* Augustinus de C. Dei XIV. 21. *Illa vero benedictio nuptiarum, ut coniugati crescerent . . quamvis*

et in delinquentibus manserit; *tamen antequam delinquerent, data est.* Wopkens.

8. Alimenta pueris statuta — praemia statuta. Merito geminatum illud *statuta* displicuit Burmanno ad Val. Flacc. II. 488. gestienti legere, deleta voce *pueris, Igitur et alimenta stata et instrumenta a. e. i. data.* ut alimenta stata sint, quae certo die persolvi debeant. Verum praestat haud dubie, cum Dorv. 1. solummodo prius *statuta* delere, nisi in sequentibus malimus, *et patribus p. n. f. praemia stipulata*, i. e. pacta. Minus autem offendit recursus verbi *iubet.* Lib. XXIV. 3. ubi vide. Wopkens. — Participium *statuta* priore loco ignorat Coll. N. Abr. Gronov.

Praemia statuta. Liv. I. 20. *Stipendium de publico statuit.* et Tacit. XIII. Ann. 34. *Aurelio Cottae et Haterio Antonino annuam pecuniam statuit princeps.* et Apuleius VII. Metam. *Nec mihi misero statuta cibaria pro tantis praestabantur laboribus.* et Matth. Euang. XXVI. 15. *Ἔστησαν αὐτῷ τριάκοντα ἀργύρια.* Gronov.

9. Militia erat. MS. Med. *militia erat enutrita.* Abr. Gronov.

10. Periculis laboribusque indurati. Plerique MSS. *laboribus periculisque ind.* Abr. Gronov.

11. Epigoni. Quo nomine et eorum, qui ad Thebas cum Polynice occubuerant, posteri censebantur. Bongars. — Vide Diodorum IV. 68. pr. item Caelium Rhodig. iis locis, quae monstrat Index. Bernec.

12. Andragoras. Conferenda haec cum XLI. 4. 9. Bernec. — Freculphus: *Post haec Parthorum pugnam aggressus, quos diu obtinentes delevit.* Lege *obnitentes* ex primo codice Leidensi et Orosio. Coll. N. *Parthis d. d. praefectus statuitur.* Med. Magl. ed. Ienson. Bechar. Med. Ald. Iunt. *nobilissimis.* Iidem MSS. et sec. Leid. *Andragora*, ut *Leonidas, Leonida, Achillas, Achilla, Perdiccas, Perdicca.* Abr. Gronov.

## CAP. V.

1. Non regio, sed hostili odio saevire in suos coepit. Angl. *hostili more.* Placet mirum prae vulgata lectione. Nec enim sat commode *regium odium* dicitur. Probat quidem vulgatum Cl. Vorstius per locum Livii II. 5. 4. Nostri XVII. 1. 4. sed exempla illa non satis videntur convenire. Nam est oppositio inter patres et plebem, quae inter Regem et cives nulla, et Iustinus de more patrio agit, non de odio. Scheff. — *Non regio more*, quod in ed. Romana probabat Abr. Gronovius, est etiam in Dorv. 1. et 3. Mihi cum ed. vetere et MSto Anglico legendum videtur, *non regio, sed hostili more.* ut lib. XIV. 6. *Nam cum principum passim caedes muliebri magis, quam* regio more *fecisset, favorem sui in odium vertit.* lib. XVII. 1. *Filium suum . . non solum patrium, verum*

*etiam* humanum *ultra* morem *perosus . . veneno interfecit.* Wopk. — Reg. tert. Leid. Periz. *hostili more s. in suos coepit.* Ita infra XIV. 6. 1. *cum principum passim caedes muliebri magis quam regio more fecisset.* Ed. Rom. *non regio more, sed hostili odio.* Abr. Gronov.

2. Carpi se sermonibus suorum. Viennensis editio vetus *se* omittit. Sebis. traiiciendum censet ita, *carpi sermonibus suorum, se patris.* Bernec. — Iuntae aeque ut Vindobonensis omittunt *se*, et rectius abest. Graev. — Veteres editiones Iuntarum, Becharii et Vindobonensis *se* omittunt: quod Graevius rectum putat. Vorst. — Libri quidam illud *se* non agnoscunt, quod putant esse rectum. At in MSS. quos vidit Bongarsius, legebatur *carpere*, unde illud *carpi se* videtur ortum. Quod si *carpere* Iustini est, cogitandum, an non scripserit, *maxime indignabatur, carpere sermonibus, suorum mores subvertisse.* Mihi sane *Philippi patris, patriaeque* huc translata ex superioribus a glossatore videntur. Scheff. — Sic etiam Dorv. 1. et 3. cum Franeq. neque opus est cum Sebisio ita traiicias, *carpi sermonibus suorum, se Philippi p. p. m. p.* aut alio quopiam modo cum aliis haec attentes. Per ellipsin usitatissimam *se* ante *Philippi patris* etc. subaudiendum. Ita, secus quam Cortius putabat, *Carthaginienses* recte construi potest cum *criminari* in his Sallustii Iug. cap. 79. *Cyrenenses . . criminari Carthaginienses ante tempus domo egressos:* id est, ipsos . . egressos, vel quod egressi essent. Noster lib. XXXI. 1. *Quem aemuli, eius occultis mandatis cum Antiocho inisse societatem apud Romanos criminabantur.* i. e. quem criminabantur, ipsum inisse, vel quod iniisset. Tacit. Ann. VI. 19. *Marius . . defertur incestasse filiam.* Livius XL. 12. *Cuius virtute et consiliis me nunc arguis regi.* et ibid. *Ad sceleris spem ultimam confugisse me insimulat.* Cicero Offic. III. 26. *Sed insimulant eum tragoediae simulatione insaniae militiam subterfugere voluisse.* Nepos Hann. cap. 2. *ut Hannibalem in suspicionem regi adducerent, tamquam ab ipsis corruptum, alia atque alia sentire.* ubi, ut iam iudicavit Staverenus doctissimus, immerito Bosius tentabat, *tanquam corruptus ab illis alia atque alia sentiret.* Ruffin. H. Ecc. II. 23. *Quos velut contra legem gerere incusans, tradidit lapidandos.* Boëtius Consol. I. 6. *Hominesque tantum divinae exsortes curae esse deplorasti.* ubi verbum *esse* cum Erfurt. MS. deleri, ut volebat Sitzmannus, necesse non est. Wopkens. — Coll. N. ed. Bechar. Ven. Flor. Med. Paris. Ald. Iunt. *carpi serm.* Idem MS. *subverti* [pro *subvertisse.*] Vincentius lib. V. cap. 42. *indignans se carpi sermonibus dicentium, eum Philippi patris patriaeque mores subvertisse.* Abr. Gronov.

3. Parmenio. Parmenion annorum LXX vir militiae domique clarus necatur cum filio Philota, cuius de caede Curtius eleganter et copiose VII. 2. Bernec. — Codex MS. teste Bongarsio *Parmenio:* quomodo istiusmodi Graeca nomina Latinos scripsisse Pithoeus II. Advers. 13. et Gronovius Notis in Livium monent. Vorst.

Parmenion . . cum Philota filio . . interficitur. Nec male ed. vetus *interficiuntur.* ut Dictys Cret. I. 23. *Noster cum Antilocho . . supervenerunt.* quaeque ibi alia exempla adduximus. Wopkens. — Med. sec. Leid. *Parmenio*, ut supra h. l. cap. 1. 3. et Orosius lib. III. cap. 18. nec aliter Edd. vett. infra cap. seq. §. 14. et Periz. XLII. 3. 5. ac Curtius III. 7. 6. et IV. 5. 9. Ed. Bechar. Ven. Flor. Med. Paris. Ald. Iunt. *interficiuntur.* Eadem constructione utitur auctor infra XIV. 6. 13. *filium Alexandri cum matre in arcem Amphipolitanam custodiendos mittit.* Apuleius lib. X. Met. versus finem: *Iuno quidem cum Minerva tristes et iratis similes e scena redeunt.* Marcianus Capella lib. III. f. *His germana verbis cum sponso Delius annuebant.* Vide Avum ad Livium lib. XXI. cap. 60. et M. Senecam Controv. XIII. Hunc locum autem ita interpretatur Freinshemius ad Curtium VII. 2. 27. „Sub idem „ferme tempus occisum esse Parmenionem, quem ob dignitatem „prius nominavit (Iustinus) cum filio; postquam in utriusque caput „quaesitum fuisset, non utroque tamen, sed uno Philota tormentis „adhibito." Adde Diodorum lib. XVII. cap. 80. et Plutarchum Alex. pag. 693. Abr. Gronov.

5. In Macedoniam divulgaretur. MSS. multi habent *Macedonia*, quod praefero, quia verbum *divulgare* significat id, quod fit in loco, non vero, quod pertinet ad locum. Scheff. — Dorv. 3. cum quibusdam aliis codicibus *in Macedonia d.* quod praeferebat Schefferus, ut et Wasseus ad Sall. Catil. XLVII. Atque ita *Romae vulgari* dixit Livius XXIII. 29. et XXX. 4. Altero autem modo Vulg. Interpr. Lucae IV. 37. *et* divulgabatur *fama de illo* in *omnem* locum *regionis.* Roman. XVI. 19. *Vestra enim obedientia* in *omnem* locum divulgata *est.* Ester I. 20. *Et hoc* in *omne . . provinciarum tuarum* divulgetur imperium. Gregorius Turonensis Hist. Francorum III. 24. *Fama bonitatis tuae* in *universam* terram vulgatur. Sic *Carthagine* et *Carthaginem nuntiari* dicitur, ut vidimus ad lib. XIX. et lib. XXXIV. 2. Wopkens.

7. Fasces epistolarum. Non absimili commento Glos in Cypro bellum gerens, militum in se animos deprehendit. Polyaen. Strategem. lib. VII. pag. 504. et seq. Bernec.

8. In unam cohortem eos . . contribuit. Columella lib. IX. cap. 11. init. *Quod si nullam progeniem tulerint favi, duas vel tres alveorum plebes in unum contribuere licebit: sed prius respersas dulci liquore.* MSS. Abb. S. Germ. *alvorum plebes in unam.* In tertio Leid. secunda manus adscripserat: „al. *contrahit.*" Abr. Gronov.

Durius opinati. Hoc est, maledice locuti. Ita verbum hoc usurpat et Suetonius Aug. cap. 51. 4. *Inter caetera crimina obiiciebatur, quod male opinari de Caesare soleret.* et cap. 67. 2. *Servum gravissime de se opinantem compedibus coërcuit.* Eodem sensu *existimare* usurpat Seneca de Ira III. 22. *Homines et periculosissime et libentissime faciunt, ut de rege suo male existiment.*

Et Nazarius Panegyr. cap. 5. *Existimare de Principibus nemini fas est.* Idem Seneca Epist. 71. 16. *Aderunt qui de facto tuo male existiment. clandestinae existimationes*, obtrectationes, Plin. Pan. cap. 62. f. Senec. Epist. 31. 12. *Multi de Deo male existimant et impune.* Idem Epist. 107. 13. *De ordine mundi male existimant. de ingeniis nostris male existimare* Quintil. Dial. de Orat. cap. 1. 3. Bernec. — *Durius opinari* hic idem est, quod durius scribere. Et potest quoque idem esse, quod durius loqui. Nimirum *opinari* et *existimare*, quae verba proprie aliquid internum et absconditum notant, transferuntur etiam ad externa significanda. Nepos X. 7. 3. *Non aequo animo ferebat de se ab iis male existimari, quorum paulo ante in caelum fuerat elatus laudibus.* Vorst.

9. Inde Dracas, Euergetas, Parymas, Paropamissadas. Pro *Dracis* legendum puto *Daas*, quorum meminit Ptolemaeus in Margiana, et Strabo item, qui eos Medis vicinos facit. *Euergetum* meminit Diodorus ad finem anni septimi. et Curtius in VIII. libro. Pro *Parymis*, *Arios* legerim; in hoc enim tractu sunt, nec postea uspiam eorum meminit. Quod autem subiungit, *caeterosque populos, qui in radice Caucasi morabantur, subegit;* non est de Caucaso, qui Colchis, Iberis, et Albanis est ad septentrionem, intelligendum. *Macedones enim*, inquit Strabo lib. XI., *omnes montes, qui post Arios sequuntur, Caucasum vocaverunt.* Et quanquam fere Alexandri historici Tanaim putarunt Iaxarten, tamen hoc loco paullo post, ubi author dicit *urbem Alexandriam super amnem Tanain Alexandrum condidisse*, ego legendum puto, *super amnem Arium.* Nam eam ita etiam Ptolemaeus in Aria descripsit, et Arrianus in III. Octo autem in his regionibus condidisse urbes scribit Strabo iam dicto libro, quasdam etiam diruisse: sed Iustinus in Bactrianis et Sogdianis XII eum urbes condidisse mox subiungit. Glarean.

Drancas. Ita pro vulg. *Trancas* MS. Leid. Freculphi tom. I. lib. III. cap. 15. ut infra XIII. 4. 23. *Drancae.* Iidem ab Orosio lib. I. cap. 18. et Plinio lib. VI. cap. 17. et 27. *Drancae*, atque a Strabone lib. XV. pag. 721. et seqq. *Δράγγαι* appellantur; eorumdemque regio a Diodoro Siculo lib. XVII. cap. 78. *Δραγγινὴ* et a Strabone lib. XI. pag 516. *Δραγγιανὴ* vocatur. Vincentius, *Darantas.* Ald. Iunt. *Darangas.* Abr. Gronov.

Parymas. Med. pr. Leid. Periz. ed. Bechar. Ald. Iunt. Orosius et Freculphus, *Parimas.* Vincentius, *Parinias.* Abr. Gronov.

Euergetas. Qui dicti ante *Agriaspae.* Arrianus lib. III. *Ἀφικνεῖται ἐς τοὺς πάλαι μὲν Ἀγριάσπας καλουμένους, ὕστερον δὲ Εὐεργέτας ἐπονομασθέντας, ὅτι Κύρῳ τῷ Καμβύσου ξυνελάβοντο τῆς ἐς Σκύθας ἐλάσεως.* Curtius VII. 3. *Iter pronuntiari iubet in Agriaspas, quos iam tunc mutato nomine Euergetas appellabant; ex quo frigore victusque penuria Cyri exercitum affectum, tectis et commeatibus iuverant.* Utrobique tamen legendum *Ariaspas* non

male iudicabat Blancardus Notis in III. Arriani. Atque ita magis nomen congruet cum eo quod Diodorus Sic. illis tribuit, *τῶν Ἀριμασπῶν* puta. Verba huius XVII. 71. sunt: *Ἀνέζευξε μετὰ τῆς δυνάμεως ἐπὶ τοὺς πρότερον μὲν Ἀριμασποὺς, νῦν δὲ Εὐεργέτας ὀνομαζομένους.* Addit quoque Diodorus eandem appellationis rationem, quam Arrianus et Curtius prodidere. Non tamen putem ipso Graeco vocabulo *Euergetas* dictos fuisse a Persis; sed Persico potius eiusdem significationis *Orosangas.* Herodotus lib. VIII. *Φύλακος δὲ εὐεργέτης βασιλῆος ἀνεγράφη, καὶ χώρη οἱ ἐδωρήθη πολλή. Οἱ δὲ εὐεργέται τοῦ βασιλῆος Ὀροσάγγαι καλέονται Περσιστί.* VORST.

PARIMAS, PARAPAMMENOS, ADASPIOS. Ex Diodoro XVII. 81. et aliis legendum arbitror *Paropamisadas.* *Adaspii* qui sint, non invenio; quod vulgo legitur *Hydaspii*, nomen est ab Hydaspe Indiae fluvio confictum. Nec placet, quod *Caspios* quidam ediderunt. Quid si *Arios* legamus? Omnino arbitror, duas syllabas priores τοῦ *Adaspios* ex voce *Paropamisadas* adhaesisse sequenti vocabulo, unde factum sit *Adasarios.* Inde *Adaspios.* Sed his vocibus restituendis divino est opus. BONGARS. — Ego me divinatorem non profiteor. ausim tamen affirmare, pro *Parimas* legendum *Arimaspos*, idque copulandum (aut forsan a glossatore aliquo copulatum) cum praecedenti vocabulo *Euergetas.* Asserit enim Diodorus XVII. 81. Cyrum *Arimaspos*, quod exercitum suum fame graviter adfectum, commeatibus iuvissent, cum aliis muneribus affecisse, tum abrogato nomine pristino, *Euergetas* eos nuncupasse, hoc est, *Beneficos*, seu Persica lingua *Orosangas.* Quod cognomentum apud Persas iis tribui solitum esse, qui regem regnumve insigni aliquo beneficio demeruissent, et ne cuiusquam meriti memoria intercideret, Orosangarum seu Beneficorum nomina in regios commentarios relata fuisse, clarum est ex Estherae libro cap. VI. 2. et 3. Iosepho Antiq. XI. 6. Herodoto III. 140. et VIII. 85. Xenophonte lib. VIII. Paed. Aeliano Hist. Var. XII. 40. Huc refero locum ex Epistola Xerxis ad Pausaniam, ab interpretibus non bene intellectum, apud Thucydidem I. 22. 8. BERNEC.

PARAPAMMENOS. Sic et infra XIII. 4. 21. Diodorus tamen XVII. 81. Arrianus V. et Curtius VII. 3. *Parapamisadas* vocant. Et hoc quidem rectius. Dicti enim sunt ita a *Parapamiso* monte, ut ex Arriani lib. V. manifeste apparet. VORST.

10. PERDUCITUR. Tacit. I. Hist. 25. *E libertis Onomastum futuro sceleri praefecit, a quo Barbium Proculum Tesserarium speculatorum, et Veturium Optionem eorundem, perductos pretio et promissis onerat.* Caes. VIII. de Bell. Gall. 38. *Guturvatus omnium cura quaesitus, in castra perducitur.* et Curt. III. 3. *Quod Alexandrum, deposita regia veste, in Persico et vulgari habitu perductum esse vidisset.* Idem VIII. 13. *Triginta elephanti simul capti perducuntur.* Liv. Epit. CXXXI. *Antonius Artuasdem fide data perductum, in vincula coniici iussit.* Cod. Theod. VIII. Tit. V.

L. 53. *Nisi animalia perducta fuerint.* GRONOV. — Sic absolute usurpari amant verba *perducere* et *pertrahere*, ut praeter exempla huc a Gronovio allata, probant quoque ista: Lib. II. 13. *Tradit ducibus milites* perducendos. Sallustius Catil. cap. 46. *Consul Lentulum, quod praetor erat, ipse manu tenens* perducit. Sic enim recte legunt Wasseus et Cortius. Lactantius de M. Pers. cap. 13. *Statimque* perductus, *non modo extortus, sed etiam legitime coctus* etc. ubi contra fidem MSti edi non debuit productus. Optatus de Schism. lib. I. prope finem: *Sed et Superstationarius* perductus . . *pependit sub metu imminentium tormentorum.* Vulg. Interpres Genes. XXXIX. 1. *Emitque eum Potiphar . . de manu Ismaëlitarum, a quibus* perductus *erat.* III. Regum X. 28. *Negotiatores enim regis emebant* (equos) *de Coa, et statuto pretio* perducebant. Actorum XXV. 7. *Qui cum* perductus esset, *circumsteterunt eum . . multas et graves causas obiicientes* etc. Ruffinus H. Eccles. XI. 15. *Confringi ianuas, oppugnari sancta, sacerdotem* pertrahi *atque in exilium mitti protinus iubet.* et lib. II. 1. *Ingrediens domos et* pertrahens *viros ac mulieres tradebat in carcerem.* Livius XL. 4. *Lembum armatum ad* pertrahendam *eam navim miserunt.* ubi tamen Perizon. apud Duker. Add. in Flor. III. 19. 7. volebat *retrahendam.* Orosius III. 23. *Si sibi vinctum Eumenem* pertraherent. Prudentius Peristeph. XII. 27.

*Nec mora* protrahitur, *poenae datur, immolatur ense.*

ubi mallem *pertrahitur.* WOPKENS.

VERUM ET INTERFECERAT. Magl. ed. Ven. Flor. Med. Paris. Ald. Iunt. *verum etiam int.* ut supra h. l. cap. 4. 6. Rom. *sed etiam int.* ABR. GRONOV.

11. EXCRUCIANDUM FRATRI DARII TRADIDIT. Exemplo simili, nobilissimi Poenorum captivi liberis Reguli a Senatu Rom. traditi sunt ad supplicium, Agell. VI. 4. ultioni simul et solatio. De supplicii Bessi genere variant auctores. BERNEC. — Vincentius lib. V. cap. 44. *quem Alexander in ultionem proditionis fratri Darii dedit cruciandum.* ABR. GRONOV.

FRATRI. Quem *Exathrem* Plutarch. Alex. cap. 78. Curtius autem VII. 5. 62. et Diodorus XVII. 77. *Oxatrem* vocant. BERNEC.

12. ALEXANDRIAM. Adde Curtium VII. 6. 46. BERNEC.

TANAIM. Ita primus codex Leid. Freculphi pro vulg. *Danaim:* secundus, *Thanaim.* ABR. GRONOV.

SEX MILLIUM PASSUUM. Sec. Leid. ed. Ald. Iunt. *VI milibus p.* Pr. tert. quint. L. Bodl. Periz. ed. Bechar. Mediol. et Vincentius, *sex milia p.* ABR. GRONOV.

EO TRIUM CIVITATIUM POPULIS. MSS. habent, *earum civitatium*, id quod puto rectius. Arrianus nominat unam Cyropolin a Cyro conditam, caput gentis, ei adiungit alias sex minores, quae fortassis illius alterius coloniae fuerunt, omnes captas ab Alexandro. SCHEFF. — Pr. tert. Leid. Coll. N. ed. Rom. *translatis earum c.* Vincentius, *translatis eo illarum civ.* ABR. GRONOV.

## CAP. VI.

1. Solenni die amicos in convivium vocat. Curtius lib. IX. ait Clitum Sogdianae Bactrianaeque praetorem ab Alexandro creatum, atque ei convivium praeparatum Maracandae, urbe Bactrianae, cuius etiam Ptolemaeus meminit, quamvis Arrianus eam Sogdianae regiam dicat libro IIII. sub finem. Ibi occisus est ab Alexandro Clitus; in Graecis est Κλεῖτος, quanquam quidam per *y* scribunt. Glarean. — MSS. mei, *in convivium convocat:* neque aliter unus Bongarsii: ego tamen nihil muto, qui memini sollemnem esse illam vocem et praecipuam conviviis. Doctissimus Catullus:

*mei sodales*
*Quaerunt in triviis vocationes.*

Cicero Verr. VI. *Deinde ipsum regem ad coenam vocavit.* Unde *vocatores*, κλήτορες dicti sunt, quibus invitandi datum est negotium; sive qui per se vocant ad coenas. Plinius avunculus XXXV. 10. *Non fuerat ei* (Apelli puta) *gratia in comitatu Alexandri cum Ptolemaeo: quo regnante, Alexandriam vi tempestatis expulsus, subornato fraude aemulorum plano regio invitatus, ad regis coenam venit: indignantique Ptolemaeo, et vocatores suos ostendenti, ut diceret a quo eorum invitatus esset, arrepto carbone exstincto e foculo, imaginem in pariete delineavit, agnoscente vultum plani rege ex inchoato protinus.* Mod. — MSS. Modiani, *convocat:* neque aliter unus Bongarsii. Modius tamen nihil mutandum censet, cum solemnis sit illa vox et praecipua conviviis. Cicero Famil. IX. Epist. 20. *ut Verrium vocare saepius audeamus.* hoc est, ad coenam invitare. Catullus Epigr. 48.

*mei sodales*
*Quaerunt in triviis vocationes.*

Ita Plinius Hist. Nat. XXX. 10. m. Ptolemaeus rex Apelli, a plano quodam per ludibrium ad regiam coenam invitato, *vocatores suos ostendit, ut diceret, a quo eorum invitatus esset.* Suetonius Calig. 39. 5. Videnda Guilielmi Verisimilia I. 18. et Plautin. Quaestion. in. Amphitr. cap. 8. Bernec.

2. Praeferre se patri. De Alexandri iactantia Plutarch. cap. 40. Bernec.

3. Clitus. Med. pr. tert. quint. Leid. Thuan. Bodl. *Clitos*, nec aliter iidem infra h. l. cap. 12. 8. Similiter *Lamachos* IV. 4. 3. et 4. *Crateros* h. l. cap. 12. 8. et XIII. 6. 9. atque apud Cornelium Nepotem in Eumene cap. 2. et 4. *Battos* infra XIII. 7. 1. et 6. et *Grypos* XXXIX. 2. 7. et 8. *Coenos* apud Curtium IV. 16. f. dant meliores MSS. In eodem nomine terminationem Graecam retinent editiones eiusdem III. 9. 7. et IV. 13. 28. Abr. Gronov.

Ut telo a satellite rapto. Coll. N. *ut telo satellitis rapto.* Seneca lib. III. de Ira cap. 17. *Dabo tibi ex Aristotelis sinu*

*regem Alexandrum, qui Clitum carissimum sibi et una educatum inter epulas transfodit, et manu quidem sua, parum adulantem et pigre ex Macedone ac libero in Persicam servitutem transeuntem.* ABR. GRONOV.

5. POSTQUAM SATIATUS CAEDE ANIMUS CONQUIEVIT. Sic a Nerone, *perfecto demum scelere* (matris occisae) *magnitudo eius intellecta est.* Tacit. XIII. Annal. 10. 1. *Scelus inter ancipitia probatum, veris mox pretiis aestimatur.* Idem II. 26. 5.

*Cum scelus admittunt, superest constantia: quid fas*
*Atque nefas, tandem incipiunt sentire peractis*
*Criminibus.*

Iuvenal. Sat. XIII. 237. Similia Menander apud Stobaeum Serm. IV. post pr. BERNEC.

ET IN IRAE LOCUM SUCCESSIT AESTIMATIO. Ex veteribus editionibus restituit *existimatio* Gronovius. Vid. eum ad Liv. XXXIV. 2. GRAEV. — *Existimatio* antiquiores typis expressi. Nec mutavit Bongarsius. At Berneccerus, quod a Bongarsio monitum videret, codices quosdam MSS. habere *aestimatio*, ita omnino scribendum putavit. Rursus Gronovius contendit τὸ *existimatio* genuinum esse. Terent. Heaut. Prol. *Arbitrium vostrum, vostra existimatio valebit.* Livius XXXIV. 2. *Utrum e rep. sit, nec ne, id quod ad vos fertur, vestra existimatio est.* Ad quem locum Notas quoque Gronovii vide. VORST. — *Existimatio* veteribus, Gronovio et Graevio volentibus restituit Vorstius. Berneccerus malebat, *aestimatio.* Vide, quae notavi sup. lib. III. cap. ult. in fine. SCHEFF. — Ita Macrobius lib. VI. Saturn. cap. 16. *in locum satietatis succedit horror.* Periz. *in irae loco.* sec. Leid. *extimatio.* ed. Rom. Med. aliaeque, *existimatio*, quam vocem illustrat Avus ad Gellium lib. I. cap. 3. Adde notam Vorstii ad h. l. ABR. GRONOV.

MODO CAUSAM OCCIDENDI CONSIDERANS, PIGERE EUM FACTI COEPIT. Ἀνακόλουθον nominativi *considerans* pro acc. *considerantem.* Hyginus Fab. LXXXIV. *Poenitere eum coepit, regis crudelitatem timens.* Sulp. Severus H. S. I. 38. *Huius eum facti mox piguit poenituitque, veniam a Domino* petens etc. Sed in omnibus his locis forsan delendum pronomen *eum.* Vide ad lib. XIII. 1. 5. WOPKENS.

6. IRACUNDE. Non male Vienn. *iracundum.* BERNEC.

OCCISUM INTER EPULAS ET POCULA. Hegesippus lib. II. cap. 12. *inter mensas et pocula circumventus.* ABR. GRONOV.

7. QUO PRIDEM. MSS. quidam *pridie*, quod praefero. *Pridem* sane nescio, an reperiatur usurpatum de tam brevi temporis intervallo, et paucas intercessisse horas etiam ex Curtio est notum. Vide eum VIII. 2. Arrianus παραυτίκα, id est, *statim*, post confectam caedem, secutam ait poenitentiam. SCHEFF. — Cur cum Scheffero ex MSto *pridie* pro *pridem* reponeremus? quum *pridem* ita saepe pro antea adhibeatur, etiam ubi ad rem paullo ante factam respicitur. Lib. V. 7. *Nunc autem non classem, in quam sicuti* pridem *con-*

*fugiant, superesse.* et lib. XXXI. 3. *Et Italiam notiorem sibi nunc, quam* pridem *fuisse.* Ita voculae *modo* et *nuper* laxiore notione de iam diutius factis rebus usurpantur. ut notant Bernecceru ad lib. XXXVIII. 6. 6. et Dukerus ad Florum I. 11. 8. Dictio autem *velle mori* de vitae pertaesis obvia est. Quinctil. Declam. XVII. *Illud quoque . . peto, ne quis me* mori voluisse *non credat.* Declam. CCCXXXV. *Ne viderer aliqua conscientia* mori velle. Severus de Mort. Boum 76.

*Mugitus iterans ac misere gemens*
*Lapsa est et* voluit mori.

Ovidius Tristium I. 3. 99.

*Et* voluisse mori *et moriendo ponere sensus.*

et Metam. X. 132.

*Et ut saevo morientem vulnere vidit*
Velle mori *statuit.*

ubi, ut hoc obiter dixerim, *ipse mori statuit* rescribi cum Doct. Waddelo necesse non est, cum ibid. vs. 38. similiter dicat poeta, *certum est nolle redire mihi.* Wopkens.

In iram versus. Liv. XXV. 36. *Toti e patiendo exspectandoque eventum in impetum atque iram versi.* et Liv. Epit. L. *Versus in senectam.* et ipse auctor XXVI. 2. *Non in timorem, sed in furorem versi.* et XXVII. 2. *Versi in misericordiam naufragii.* Gronov.

Vulnera tractare. Id enim censebant officium esse erga defunctos et vulneratos. Stat. III. Theb. 154.

*quae vulnera tractem?*
*Quae prius ore premam?*

Idem XI. 624.

*Hei mihi quos nexus fratrum, quae vulnera tracto?*

Gronov.

Confiteri dementiam, arreptum telum in se vertit. Ed. Rom. *confiteri dementiam suam, ereptumque telum in se vertere.* Abr. Gronov.

Peregissetque facinus, nisi amici. Ed. Bechar. Flor. Med. Paris. Ald. Iunt. *ni amici.* Saxo lib. XIV. pag. 348. 46. *peregissetque facinus, ni rex ratem scandere maturavisset.* Abr. Gronov.

10. Accesserat enim ad poenitentiam. Ita antiquiores typis expressi. Bongarsius maluit, *accesserat poenitentiae.* Vorst. — Ed. Rom. *accesserat etiam poenitentiae.* Abr. Gronov.

Nutricis suae et sororis Cliti recordatio. Duae personae videntur esse, nutrix ac soror Cliti, quod falsum est; quare aut delendum istud ET, aut, quod magis probem, ita legendum: *Accesserat poenitentiae et nutricis suae, sororis Cliti recordatio.* Faber. — In nonnullis editionibus abest τὸ *et*, recte. Graev.

11. Tam foedam illi alimentorum suorum mercedem redditam. Saxo lib. XV. pag. 370. 6. *tam foedam educationis suae mercedem exsolvit.* Abr. Gronov.

12. Reputabat deinde. Coll. N. *reputare d.* Abr. Gronov.

Fabularum. Rumoris et sermonum. Ita Sueton. Aug. 70. 1. *Coena eius secretior in fabulis fuit.* hoc est, hominum sermone traducebatur. Tibull. lib. I. Eleg. 4. fin. *Ne turbis fabula fiam.* Propert. I. Eleg. 15. dixit, *historiam fieri.* Iuvenalis X. 167. *declamationem.* Bernec. — Iungit ita cum *invidia fabulas* Iustinus, quia *fabulae* solent rumores mali dici, ut observat Schulting. ad haec Senecae Controv. XIV. extrem. *Quod ad omnem me tutum* fabulam *praestitisti.* Par ratio vocum *sermo* et *fama.* Seneca Herc. Fur. 352.

*Invidia factum ac sermo popularis premet.*

Cicero I. Catilin. cap. 9. *Vix feram* sermones *hominum, si id feceris: vix molem istius* invidiae . . *sustinebo.* Sallustius Catil. cap. 3. *Ac me . . honoris cupidum* (male vulgo *cupido*) *eadem, quae ceteros,* fama *atque* invidia *vexabat.* Wopkens.

14. Tunc Amyntas consobrinus. Filius Perdiccae. Vide Freinshemium ad Curtium VII. 2. 9. Abr. Gronov.

Eurylochus. Ita quoque legendum apud Freculphum pro vulg. *Eutilochus.* Abr. Gronov.

15. Ob haec illi quatriduo perseverata inedia est. *Perseverare* active etiam usurpavit Livius lib. XXII. cap. 38. *quo id constantius perseveraret.* Adde notam Avi. Seneca lib. VI. de Benef. cap. 23. *quia quidquid desinere non possunt, perseverare voluerunt.* Symmachus lib. I. Epist. 37. *qui amicitiam stabili diligentia perseveras.* Abr. Gronov.

Ne ita mortem unius doleat. Codices quidam MSS. teste Bongarsio, *morte unius doleat.* quod aeque recte dicitur. Vorst. — Plerique MSS. Bongarsio visi habent *morte.* Unde ergo illud *mortem?* Suspicor Iustinum scripsisse, *ne ita morte in unius doleat.* Cicero Bruto: *In tam gravi vulnere dolendum est.* Scheff. — Non repudiandum, quod tres Dorv. cum alio MSto habent, *ne ita morte unius doleat,* quippe qua constructione Seneca H. Oetaeo 1209. aliique usi sint. Sed Iustinus accusativum huic verbo iungit, ut eum alibi, tum lib. XXXII. 3. *impatientius in dies* mortem *Demetrii dolebat.* Ita Sulp. Severus H. S. I. 44. *Cum tamen Nabuthaei* mortem doluisse *referatur.* Cicero pro Coelio cap. 10. *Qui ex omnibus maxime Dionis* mortem doluerunt. Frustra autem Schefferus coniicit *ne ita morte in unius d.* quamvis ista syntaxis nec Latinis insueta sit, ut observavit Perizonius ad Dictyn Cret. III. 26. Wopkens. — Tert. Leid. Periz. *morte,* ut apud Livium lib. XXIX. cap. 21. *quamquam parum iniuriis civitatis suae doluerit.* Inscriptio apud Ferretium I. 31.

NEC. DURO. IAM. DOLEAS OBITU.

Prior tamen constructio auctori usitatior est, ut IX. 7. 2. et XXXII. 3. 2. *impatientius in dies mortem Demetrii dolebat.* Quem loquendi modum imitatur Hegesippus lib. I. cap. 44. *patrui mortem impatienter dolebat.* Abr. Gronov.

PERDAT. Forte, *prodat.* ut XIX. 3. *Sed ne hos, quibus nefanda lues pepercerat, inter hostium exercitus relictos, morte sua proderet.* et Musonius apud Stobaeum Serm. CLVIII. Τοῖς μέντοι φίλοις καὶ νῦν συνείημεν ἂν τοῖς γε ἀληθινοῖς καὶ ὧν προσήκει ποιεῖσθαί τινα λόγον· οὐ γὰρ ἂν οὗτοι προδοῖεν ποτὲ ἡμᾶς. GRONOV. — Pro *perdat* AVUS ad h. l. et lib. III. Observ. cap. 20. legit *prodat.* Adde Bernecoerum et Vorstium ad XIX. 3. 10. Cl. Bentleium ad Horatium lib. I. Epist. 16. vs. 7. et Cortium ad Sallustium Iug. cap. 31. 18.

17. CALLISTHENIS. Anaxarchum addit Plutarchus cap. 93. BERN.

CONDISCIPULATU APUD ARISTOTELEM. Plerique MSS. habent, *quondam discipulatu.* Putro utrumque scribendum, *quondam condiscipulatu;* nam vocem *quondam* exigit quod sequitur *et tunc,* tanquam relativum: *condiscipulatu* autem agnoscunt etiam alii codices. Vitium ex eo natum, quia pro *quondam* ratione veteri scriptum fuit *condam* et quia mox sequebatur *cond* in voce *condiscipulatu*, ideo hae litterae perperam videbantur repetitae. SCHEFF. — Pr. Leid. *condisciplinatu.* Periz. *condiscipuli.* ed. Rom. *discipulatu.* ABR. GRONOV.

FAMILIARIS ILLI (Alexandro) ET TUNC AB IPSO REGE AD etc. Dele istud *rege:* est enim glossema, cum dicat Iustinus, in eadem linea, *familiaris illi* (Alexandro.) Quare nihil relinquitur. FABER. — *Rege* delendum esse, non sane liquet. WOPKENS.

AD PRODENDA MEMORIAE ACTA EIUS. *Acta* pro rebus gestis. Sic XII. 7. 13. *Herculis acta superare.* Notat et Grotius ad principium Actorum Apostolicorum, Ciceronem, quidquid quisquam egit, id modo *acta*, modo *actus* vocare; et leges Sempronias dicere esse *acta Gracchorum.* VORST.

ACCITUS. Pro *accitus* acutissimus Faber edidit *acciti*, eamque scripturam firmat Vincentius Bellovacensis. Ita enim ille: *Multum vero illi prof. preces Callisthenis phil. et condiscipuli sui apud Ar. fam. illi, et tunc ab i. r. ad pr. m. a. eius acciti.* Coll. N. *familiaris illi, qui erat tunc ab ipso rege . . . accitus.* ed. Rom. *fam. illi, et qui tunc erat ab i. r. . . accitus.* ABR. GRONOV.

18. REVOCATO IGITUR AD BELLUM ANIMO. Plerique MSS. ed. Rom. *ad bella.* Vincentius lib. V. cap. 46. *in bella.* ABR. GRONOV.

CHORASMIOS ET DRACAS IN DEDITIONE ACCEPIT. Ego hoc loco pro *Dracis*, *Sacas* legerim. Sunt enim *Chorasmii* vicini *Sacis*. *Dracae* si uspiam est populus, quod non memini, Indorum erit longius ab hoc tractu. Unde fortassis *Oxydracae.* Ceterum in corruptis codicibus fere pro *Dacis*, *Dracas* legitur. Item saepe *Datae* quod magis mirum. *Daae* sunt celebres in Margiana populi. *Daci* in Europa ad Danubium, Dracas non memini, ut iam dixi, usquam me legisse. GLAREAN. — *Chorasmos.* Arriano lib. IV. Χωρασμίοι. Straboni XI. Χωρασμουσίοι. Plinio IV. 16. *Chorasmii. Dahae* Graecis sunt Δάαι, pro quo hic quidam *Sacae* reposuerunt.

Curtius VII. 4. 6. *Chorasmios, Dahas*, et *Sacas* coniungit, ut Solinus cap. 51. BONGARS.

DAHAS. Ita quoque legendum apud Freculphum pro *Dachas*. Vincentius, *Duas*. ABR. GRONOV.

## CAP. VII.

1. PRIMO. In MSS. esse notarunt *in primo*, quod scribe iunctim *inprimo*. Vetus adverbium, nec dubium, quin a Trogo usurpatum: e quo *priscae*, ut ipsemet ait Praefat. n. 1., *eloquentiae viro* autor desumta antiquaria verba sparsim epitomae suae inseruit. Eandem vocem in Sallustio et Plauto alicubi Palmerius reposuit. Haec Val. Acidalius ad Vell. II. 68. 4. BERNEC. — Recte MSS. *in primo*. Vid. Not. ad Liv. X. 14. GRONOV. — *In primo* recte legi in MSS. Gronovius contendit, exemplisque affirmat. GRAEV. — Gronovium, hic ex quibusdam codd. legentem *in primo*, nihil iuvant nostri MSS. et *primo* pro antea sic etiam occurrit lib. II. 8. 8. WOPKENS. — Pr. tert. quart. Leid. Coll. C. Ç. et Cantabr. *quod in primo*. *In primo* idem valet quod *in principio*. Seneca Hippolyto vs. 132.

*quisquis in primo obstitit,*
*Pepulitque amorem, tutus ac victor fuit.*

Marcianus Capella lib. IV. pag. 132. *nec interest in propositione quam partem in primo ponas*. Ita MS. Laudianus. Vide Avum ad Livium lib. X. cap. 14. et Senecam Epist. 101. ac lib. V. Nat. Quaest. cap. 14. atque Parentem ad Macrobium lib. I. Comm. in Somn. Scip. cap. 4. Magl. ed. Rom. *primum:* quomodo Virgilius lib. IX. Aen. vs. 85.

*Tempore quo primum Phrygia formabat in Ida*
*Aeneas classem.*

ubi Servius notat: „*Quo primum*, hoc est, initio. Non enim secundo „factae sunt naves apud Idam." ABR. GRONOV.

NE OMNIA PARITER INVIDIOSIORA ESSENT. Aut deest aliquid huic loco, aut scribendum est *invidiosa*, quod, in quodam et Bongarsius reperit. Nam *pariter invidiosiora* nec consuetudini, nec rationi sermonis Latini respondet. SCHEFF. — *Pariter* non pertinet ad *invidiosiora*, sed ad *omnia*. Ne omnia simul sive eodem tempore immutata in moribus patriis, maius erga Alexandrum concitarent odium. GRAEV. — Schefferus cum quodam MS. cui et Dorv. 3. consonat, scribendum putabat *pariter invidiosa*. Sed non opus est, modo *pariter* cum *essent* construas. ut Quinctilian. Declam. V. 3. *Visus sum mihi magis habiturus utrumque* (filium) *meum, si pariter essent*. Seneca Epist. V. *Dices quomodo ista tam diversa pariter sunt? ita est, mi Lucili: cum videantur dissidere, coniuncta sunt. Invidiosiora*, i. e. nimis invidiosa. ut supra cap. III. 9. *invidiosius*. WOPKENS.

2. CALLISTHENES. Cuius adversus adorationem Alexandri verba graviter libereque facta commemorant Arrianus lib. IV. pag. 85. et

Curtius VIII. 5. Non fuit praecepti memor ab Aristotele sibi dati, *ut cum rege aut rarissime aut quam iucundissime loqueretur.* Val. Max. VII. 2. *Contumacia non facit ad aulam.* Seneca de Tranquil. cap. 4. BERNEC.

PRINCIPIBUS MACEDONUM EXITIO FUIT. Quint. Leid. MS. Bongars. *exitium:* quod merito praefert vulgato Cl. Burmannus ad Antholog. I. 70. 22. ABR. GRONOV.

SUB SPECIE INSIDIARUM. Hoc *insidiarum* non concoquo. Quid enim *species insidiarum*, et quae insidiae hic intelligendae? num quas facit aliquis, an quas patitur? Res in se quidem clara, sed oratio admodum ambigua. Itaque vix dubito, quin Iustinus scripserit, *sub specie insidiatorum*, postea vocabulum *insidiatorum* compendiose scriptum exhibuerit lectionem, quae nunc vulgatur. Equidem et lib. I. cap. 5. *sub specie venationis* habent pro *sub specie venatoris*, et lib. V. cap. 8. *sub obtentu liberationis* pro *sub obtentu liberatoris:* sed in illis locis nulla ambiguitas, quae non evitatur hic, si receptam lectionem servamus. SCHEFF. — Nec hic quicquam ambiguitatis et obscuritatis. *Sub specie insidiarum* est, sub falso praetextu insidiarum, quas fingebantur struxisse Alexandro. Hoc crimen ipsis impingebatur. GRAEV.

INTERFECTI. Dissentit autor a se ipso infra XV. 3. 6. et a Plutarcho Alex. cap. 98. De morte Callisthenis adde Diogen. Laërt. in vita Aristotelı. BERNEC.

3. MOS SALUTANDI. Paris. Vincentius, *modus salutandi.* ABR. GRONOV.

EXPLOSA ADORATIONE. Pro *explosa* in quodam veteri est *exfossa*. Mallem legere *expolsa*, vel, ut hodie scribunt, *expulsa.* SCHEFF. — Cur demum maluisse Schefferum dixeris *expulsa adoratione?* Cicero de Divin. II. 41. *Sed hoc quidem genus divinationis vita iam communis* explosit. pro Cluentio cap. 31. *Te . . quod tum* explosum *et eiectum est, nunc retulisse miror.* ubi frustra Graevius reponit *reiectum* pro *eiectum.* de Finib. V. 8. *Iam* explosae eiectaeque *sententiae Pyrrhonis, Aristonis, Herilli . . adhibendae omnino non fuerunt.* Lactantius V. 6. *Nec iam quidquam ex antecedentis seculi pio atque optimo statu mansit, sed* explosa *iustitia et veritatem secum trahens, reliquit hominibus errorem, ignorantiam, caecitatem.* ubi cum uno alteroque MS. reponendum *expulsa*, Bunemanno vix consenserim. WOPKENS.

4. ULTIMO ORIENTE FINIRET IMPERIUM. *Finire* pro terminare. Virgilius I. Aen.

*Imperium Oceano, famam qui terminet astris.*

Ita ille de Caesare. At de Alexandro Seneca VI. Quaest. Nat. 23. *Imperium ex angulo Thraciae usque ad Orientis terminos protulit.* VORST.

5. INDUCIT. Vincentius, *obduxit.* ABR. GRONOV.

AB ARGENTEIS CLYPEIS. Curtius VIII. 5. 4. *Scutis argenteas*

*laminas addidit.* Quod idem paulo ante Noster *argento inducere* dixit: Ammianus vero Marcell. lib. XVI. *auro imbracteare.* VORST.

ARGYRASPIDAS. Hoc est, argenteis parmis insignes, quorum meminere praeter alios Curtius IV. 13. 41. et Livius XXXVII. 40. 7. Imp. Alexander Severus, Alexandrum Magnum imitandi, imo vincendi studio, cum Argyraspidas, tum etiam *Chrysoaspidas* instituit. Lamprid. in vita cap. 50. Quale quid iam priscis reip. Rom. temporibus factum tradit Livius IX. 40. 2. ubi de Samnitibus cum Romanis pugnam instruentibus inquit: *Duo exercitus erant: scuta alterius auro, alterius argento caelaverunt.* BERNEC.

APPELLAVIT. Sebis. *appellat.* BERNEC.

6. CUM AD NYSAM URBEM VENISSET. *Nysa* Indiae urbs est frequens in ore omnium, sed locum eius commonstrat nemo. Ego puto eam *Nagoram* dici Ptolemaeo, quippe qui et *Dionysopolim* appellatam tradit. In Indiae cis Gangem descriptione, in hoc sane tractu, ubi felix hic praedo heluatus est, *sita est Nysa* (inquit Curtius in nono) *sub radicibus montis, quem Meron incolae appellant.* Haec Curtius. Meminit utriusque et Strabo lib. XV. non ita longe ab initio. ubi interpres *femur* traduxit, quod non oportuit, cum sit proprium. Nec Plinius lib. VI. cap. 21. vertit, sed *Merum* appellat, ubi et *Nysae* meminit. GLAREAN. — *Nysam* Stephanus et Strabo lib. XIV. Arrianus *Νύσσαν.* BONGARS. — Sic quoque Arrianus lib. V. cui tamen adversatur Curtius. Statim post puto legendum *Cleophis.* VOSS. — Ita tres MSS. Florentini, ed. Ven. Orosii lib. III. cap. 19. pro vulg. *Nyssam.* Confer notam paternam ad Arrianum lib. V. de Exp. Alexand. cap. 1. Coll. N. Freculphus I. 4. 23. Ado, et Vincentius lib. V. cap. 48. *Nisam.* ed. Rom. *Nyseam.* ABR. GRONOV.

7. SACRI MONTIS. Qui *Meros* dicitur Curtio VIII. 10. 20. ubi Bacchum enutritum fabulatur antiquitas. Plinio VIII. 39. *Nysa* vocatur, exscriptorum forte vitio. Nam Plinius ipse VI. 21. *Merum montem Libero patri sacrum,* a *Nysa* vicina urbe distinguit. BERNEC.

VITE HEDERAQUE NON ALITER VESTITI. Cic. Orat. pro Dom. 38. *Ager vestitus frumento.* et II. de Nat. Deor. 39. *Terra floribus vestita.* Ibid. 53. *Montes vestiti atque sylvestres.* Hinc *vestitus montium densissimi,* ibid. 64. et Sallust. Iugurth. 48. *Collis vestitus oleastro ac myrtetis, aliisque generibus arborum.* et Seneca III. de Benef. 29. *Tolle radicem, nemora non surgent; nec tanti montes vestientur.* GRONOV. — Hunc verbi *vestiri* usum praeter Gronov. ad h. l. illustravit etiam Davisius ad Cicer. N. Deor. II. 9. WOPK.

QUAM SI MANU CULTUS, COLENTIUMQUE INDUSTRIA EXORNATUS ESSET. Coll. N. *ornatus.* Vincentius, *quam si manu cultus esset et ornatus.* Bodl. *q. s. m. cultus, magis mirabilem col.* ABR. GRONOV.

8. REPENTINO IMPETU MENTIS, IN SACROS DEI ULULATUS INSTINCTUS. In MS. legebatur *instinctu,* non *impetu.* Quod facit

subdubitare, latuisse hic aliquod verbum minus ab librariis intellectum, vel quod insolitum quid ipsorum auribus sonaret. Forsitan scriptum fuit, *repentino incitu mentis* etc. *Incitu* pro incitatione dixerit Iustinus. Sic Plinius lib. II. cap. 45. *Qui sive assiduo mundi incitu et contrario siderum occursu nascuntur, sive hic est ille generabilis, rerum naturae spiritus* etc. Voss. — Vossius quod in Cod. quodam MS. pro *impetu* est *instinctu*, coniicit legendum esse *incitu*. Verum ipsum *impetu* satis commodum. Ipse Cicero, *impetu quodam animi potius quam cogitatione facere;* itemque *impetu quodam mentis et voluntate* dicit. Vorst.

Non tam oppidanis se parcendo. Recepi hanc lectionem ex MSS. et Iuntarum editione, in qua tamen desideratur *se*. Liquet ex praecedentibus: *Cum ad Nysam urbem venisset oppidanis non repugnantibus, fiducia religionis Liberi patris, a quo condita urbe erat, parci iussit.* Graev. — *Non tam oppidanis parcendo quam exercitui suo se consuluisse.* Ita antiquiores editiones Becharii, Iuntarum et aliae. Bongarsius maluit, *Non tam oppido se parcendo quam exercitui suo consuluisse.* Paulo ante dixerat, *oppidanis non repugnantibus.* Vorst.

Oppido se. *Oppidanis*, ex veteribus et Iuntina, volente Graevio, Vorstius. Et MSS. et impressi quidam habent *oppidanis*, quod quia convenit superioribus, et rectius opponitur sequenti *exercitus*, idcirco praefero vulgatae lectioni. Scheff. — *Oppidanis* Med. Reg. Bodl. Coll. N. Periz. ed. Rom. idque vulgato recte praeferunt Vorstius, Schefferus, et N. Heinsius in Animadv. ad Tacitum lib. III. Annal. cap. 46. Vol. IX. Miscell. Observ. Tom. III. pag. 392. Vincentius d. l. *ut intelligeret Alexander, se suo exercitui magis, quam oppidanis parendo consuluisse.* Ed. Bechar. Ven. Flor. Med. Paris. Ald. Iunt. *ut i. non tam oppidanis parcendo q. e. suo se cons.* Abr. Gronov.

9. Cleofidis. Magl. Periz. ed. Rom. Bech. Ven. Flor. aliaeque, Orosius, *Cleophidis*. Freculphus, *Cleophilis*, male. Abr. Gronov.

Quae cum se dedisset ei. Ita quidam MSS. sed scribi oportuit, *dedidisset*, ut in quibusdam impressis. Faber. — Vincentius, *dedisset*. Abr. Gronov.

Non potuerat. MSS. plerique Bongarsiani habent *poterat*, quod ut convenientius, fortasse repudiari non debuit. Scheff. — Med. Magl. sec. quint. Leid. Periz. Thuan. Bodl. Coll. N. ed. Iens. Rom. Bechar. aliaeque, *quod armis*. MSS. Bongars. quart. Leid. ed. Rom. *poterat*, probante Scheffero. Vincentius: *quod vi non poterat*. Abr. Gronov.

10. Regnum Indorum potitus est. Legendum cum quatuor nostris aliisque MSS. *regno*, ad lib. VI. 4. diximus. Wopkens. — Med. quint. Leid. *regna*. sec. quart. et Bodl. *regno*. Abr. Gronov.

11. Propter prostratam pudicitiam. Suetonius in Caes. cap. 2. *Non sine rumore prostratae regi* pudicitiae. ubi vid. inter-

pretes. WOPKENS. — Vincentius: *prostrata pudicitia, sc. r. ab Indis deinceps e. a.* ABR. GRONOV.

12. PERAGRATA INDIA, CUM AD SAXUM MIRAE ASPERITATIS etc. Annotationibus nostris in Q. Curtium, quinque aut sex Petras, quas aliquando Rupes vocat, et Curtio descriptas ostendimus. Quapropter hic de iis multum dicere noluimus. GLAREAN. — *Πέτρα Ἄορνος*, seu *Ἄορνις*, ut habet Diodorus XVII. 85. et Curtii MSS. VIII. 11. 2. BONGARS. — Inde dicta, quod prae altitudine ad eam aves evolare non possent. Adde Strabonem lib. XV. Plutarchum de Fort. Alex. lib. I. cap. 2. Lucianum Hermotimo, sub initium. BERNEC. — Antiquiores editiones, *mirae magnitudinis et asperitatis.* Petra illa *Ἄορνος* dicta, quod prae altitudine aves evolare ad eam haud possent. VORST.

13. IN DEDITIONEM ACCIPIT. Magl. Bodl. Coll. N. quart. Leid. ed. Rom. Paris. *accepit.* ABR. GRONOV.

## CAP. VIII.

1. UNUS EX REGIBUS INDORUM FUIT, PORUS NOMINE. Helladius Chrestomathia: *Πῶρος δὲ ὁ βασιλεὺς Ἰνδῶν κουρέως υἱός.* ABR. GRONOV.

VIRIBUS CORPORIS. Erat enim statura quatuor cubitorum et palmi, sic ut corporis eminentiam et molem elephanto, cui insidebat, equitis proportione responderet. Plutarchus Alex. cap. 106. BERNEC.

3. PRIVATUM HOSTEM. Exponunt unum eum separatim. Recte quidem, sed num vox *privatus* alibi occurrat ita usurpata, ego dubitem plurimum. Quare pro *privatum* censeo legendum *privatim.* Plinius XXIV. Nat. Hist. 7. de pice: *Adversatur privatim cerastae morsibus.* SCHEFF. — Schefferus *privatim* non male legendum censet. *Privato nomine* dixit Aur. Victor V. Illustr. cap. 14. *Romani cum adversus Veientes bellarent, eos sibi hostes familia Fabiorum privato nomine deposcit.* WOPKENS. — Vincentius lib. V. cap. 49. *Porus regem Alexandrum privatum sibi hostem deposcit.* Scheffero emendanti *privatim* favet Orosius lib. III. cap. 19. *Alexander cum ipso Poro singulariter congressus, occisoque deiectus equo, concursu satellitum praesentiam mortis evasit.* Matthaeus: *cum Poro ipsius gentis rege fortissimo, equo vectus, singulari certamine dimicavit: sed occiso deiectus equo, concursu satellitum suorum mortem evasit.* Otto Frisingensis d. l. *Ibi Porum regem Indorum singulari congressu vicit.* ABR. GRONOV.

4. CUM PRAECEPS AD TERRAM DECIDISSET, CONCURSU SATELLITUM SERVATUR. Curtius aliter lib. VIII. Inquit enim, equum Alexandri multis vulneribus confossum procubuisse, posito magis rege, quam excusso. Historiam fusius narrat Agellius ex Charete (ita legendum) V. 2. Adi quoque Arrianum, Plutarchum, et alios. Persae historiam hanc de Poro et Alexandro longe aliter narrant. Vide Pe-

trum Teixeram lib. I. cap. 22. Voss. — *In terram cecidisset* antiquiores editiones. At Bongarsius, *ad terram decidisset.* Vorst.

5. Porus multis vulneribus obrutus capitur. Cedrenus pag. 152. ὃς (Πῶρος) καὶ εἰς χεῖρας ἐλθὼν Ἀλεξάνδρου, πολλούς τε τῶν Ἰνδῶν ζημιωθεὶς, καὶ τρωθεὶς τὸν ἀγκῶνα, σὺν τῷ ἐλέφαντι κατέπεσε, πολλῆς τε θεραπείας τυχὼν, σύμμαχος Ἀλεξάνδρου γέγονεν. Abr. Gronov.

6. Cum veniam ab hoste invenisset. Admisi hoc ex Iuntis et editionibus pristinis, pro vulgato *accepisset. Invenire* enim eleganter saepe sic usurpatur. Superius III. 7. *Atque unde periculum quaesitum fuerat, ibi maximam gloriam invenit.* Terent. Andria: *Ita facillime sine invidia laudem invenias.* Heauton. *Labore inventa mea cui dem bona.* Similiter apud Graecos, cum sacros, tum τοὺς ἔξω scriptores εὑρίσκειν. Graev. — Optime et Latinissime, *ab hoste invenisset*, ex editt. pristinis, et Iuntina etiam. Itaque ex Graevii nostri iudicio, eam lectionem, quae germanissima est, in contextum recepi. Faber. — Iuntarum et aliae veteres editiones pro *accepisset* habent *invenisset.* Quod adeo placet Graevio ut id rursus in textum receperit. Assentirer et ipse, si pro *ab hoste* legeretur *apud hostem.* Ita enim *invenire veniam apud aliquem* dictum esset, ut *quaerere gratiam apud aliquem* IV. 11. 7. Vorst. — Non Iuntae tantum, pristinaeque editiones, sed complures etiam MSS. exhibent *invenisset* pro *accepisset:* idque approbanti Graevio adsensum ideo denegare non debuit Vorstius, quod sic *apud hostem*, non *ab hoste* dicendum fuisset. Plautus in prologo Rudentis:

> *Facilius si qui pius est*, a Diis *supplicans*,
> *Quam qui scelestus est*, inveniet veniam *sibi.*

Vetus Interpres II. Timoth. I. 18. *Det illi Dominus* invenire *misericordiam* a Domino *in illa die:* εὑρεῖν ἔλεος παρὰ κυρίου. Confer lib. huius cap. 2. *Cum auxilia* a finitimis *contraxissent.* lib. XLIX. 5. *Quae res illis . . pacem* ab hostibus *praestitit.* Wopkens. — Vincentius lib. V. cap. 49. *recepisset.* Coll. N. ed. Ven. Flor. Med. Paris. Ald. Iunt. Colon. pr. Graev. *invenisset.* Vide notam Cl. Wopkensii. Abr. Gronov.

Aegreque etc. Non ergo semper illud Petronii verum: *Nemo invitus audit, cum cogitur aut cibum sumere aut vivere.* Bernec.

7. Ob honorem virtutis. Erat Alexander *virtutis etiam in hoste mirator.* Curtius IV. 6. 38. et VIII. 14. 75. *Habet hoc virtus, ut viros forteis species eius et pulchritudo etiam in hoste posita delectet.* Cicero in L. Pisonem cap. 32. Bernec. — Mamertinus Paneg. cap. 10. *Nam ille quidem Magnus Alexander iam mihi humilis videtur, Indo regi sua regna reddendo, cum tam multi reges, Imperatores, vestri clientes sint.* Abr. Gronov.

8. Nicaeam. A victoria illic parta sic dictam. Diodorus XVII. 95. Bernec. — Iuntae: *Niceam.* et pro *Bucephalen* iidem, ut Plutarchus, *Bucephaliam.* Graev.

Bucephalen. *Bucephalon* vocat Curtius IX. 3. 37. ut et Agellius V. 2. *Bucephalam* Plinius VI. 20. et Diodorus XVI. 95. *Bucephaliam* Plutarchus Alex. cap. 107. qui addit, Alexandrum et in memoriam canis sui, *Peritae* nomine, cognominem urbem erexisse. Consulatur omnino Phil. Camerar. Hor. Subc. I. 21. et Kirchmann. de Fun. Rom. 707. pr. Graev. — Iuntarum editio teste Graevio *Bucephaliam:* quomodo et Plutarchus in Alexandro appellat. Cui proximum quod Plinius VI. 20. *Bucephalam* vocat. Curtius IX. 8. 23. eandem urbem *Bucephalon* dicit. Vorst. — Ald. Iunt. *Bucephaliam.* *Βουκεφαλίαν* etiam hanc urbem nominat Plutarchus in Alexandro pag. 699. *Bucephalon* Curtius IX. 3. 23. et Gellius lib. V. cap. 3. *τὴν Βουκέφαλον Ἀλεξάνδρειαν* Suidas in v. *Κοππατίας.* Bodl. ed. Rom. Curtius d. l. ex MS. et Orosius, Vincentius, *Bucephalam*, atque *Βουκεφάλαν* Auctor *συναγ. ἱστορ. ΟΛ. ΡΙΓ.* Parens ad Arrianum lib. I. cap. 9. de Exp. Al. suspicabatur Iustinum scripsisse, *alteram ex nomine equi Bucephalae Bucephalam vocavit.* Freculphus *Bucifalem.* verum primus eiusdem codex Leid. et tres Florentini Orosii, *Bucefalen.* sec. *Bucefalem.* Abr. Gron.

9. Inde Adrestas, Strathenos, Passidas, Gangaridas. Haec nomina suspecta sunt omnia. Apud Diodorum *Andrastae* nominantur; Arrianus *Assacenos*, qui hic *Stratheni.* *Pasidas* apud neminem invenio. *Gangaritas* adire voluit, sed militum lacrymae eum detinuerunt, ut est apud Diodorum. *Euphitae* qui sunt, mihi non est notum. Nec puto facile hos locos emendari posse absque vetusto aliquo exemplari. Tanta est non modo nominum, sed temporis in hac historia variatio, ut quid cui praeponendum, quid subiiciendum, nemo satis dispicere queat. Glarean.

Adrestas, Gesteanos, Praesidas etc. MSS. plerique *Arestas.* Arrianus lib. V. *Ἀδραΐστας* vocat: Diodorus XVII. 91. *Ἀνδρέστας,* ut hic quidam ediderunt. *Gesteami* (ita habent MSS. aut *Gestani*) in MS. Orosio sunt *Catheni.* Fabricius ex Arriano edidit *Cathaei*, eos *Καθαροὺς* vocat Diod. XVII. 91. *Praesidae*, seu *Praesidiae*, Curtio IX. 2. 4. sunt *Parrhasii.* Idem ibid. habet *Gangaridas*, ut hic edidi ex MSS. Graecis *Γανδαρῖται,* et *Γανδαρίδαι,* de quibus ad Curtium plenius. Bongars. — Plenissime Salmasius ad Solinum 992. Bernec. — MSS. omnes *Arestas.* Et sic quoque Lucanus III.

*Tunc furor extremos movit Romanus Arestas.*

*Praestos* vocat Curtius; male. Sed variis modis Indicae illae gentes ab auctoribus appellantur. Sic quos Aristobulus *Γλαυκανίκας* vocat, Ptolemaeus *Γλαύσας.* et trecenta eiuscemodi, in quibus verum nomen nullus *εἰ μὴ ὁ θεὸς εἰδείη.* Voss. — In Iuntina editione scribitur: *Andrasteas*, *Assacenos*, *Prasios*, *Gandarias.* *Assaceni* populus Indiae inter Cophem et Indum fluvios, teste Strabone et Arriano: *τὰ ἔξω Ἴνδου ποταμοῦ*, inquit hic, *τὰ πρὸς ἑσπέραν ἐπὶ τὸν ποταμὸν Κωφῆνα Ἀστακηνοὶ καὶ Ἀσσακηνοὶ ἔθνεα Ἰνδικὰ ἐποικέουσιν.* Assacenorum caput erat Massaga. Pro *Prasios* scri-

bendum *Praesios.* Sic a Plutarcho appellantur. Pro *Gandarias* vero *Gandaritas.* Graecis *Γανδαρίται.* Graev.

Adrestas, Gesteanos, Praesidas, Gangaridas. Iuntarum editio sic, *Andrasteas*, *Assacenos*, *Prasios*, *Gandarias.* Et Becharii, *Adrestas*, *Stathenos*, *Passidas*, *Gangaritas.* Et primum quidem horum vocabulorum in editione Iuntarum congruit cum eo quod Diod. XVII. 91. eosdem *Ἀνδρέστας* vocat. Deinde qui in eadem editione *Assaceni* dicuntur, populus sunt Indiae, Straboni et Arriano memoratus. Porro quos eadem editio *Prasios*, Plutarchus *Πραισίους* et *Πραισιαίους* appellat. Postremum denique *Gandaridas*, aut *Gandaritas*, legendum videtur. quippe Diodorus Siculus *Γανδαρίδας*, et Plutarchus *Γανδαρίτας* eos vocat. Vorst. — Iuntina: *Andrastas*, *Assacenos*, *Prasios*, *Gandarias.* Non displicet Vorstio, nisi quod pro *Gandarias*, *Gandaritas* putet scribendum. Forte et pro *Andrasteas*, *Andrestas* rectius, propius certe a vulgato. Scheff.

Gangaridas, caesis eorum exercitibus etc. De Gangaridis sive Gandaridis, negat Diodorus, Olympiad. CXIV. anno II. *Μέγιστον τὸ τῶν Γανδαριδῶν ἔθνος, ἐφ' οὓς διὰ τὸ πλῆθος τῶν παρ' αὐτοῖς ἐλεφάντων οὐκ ἐπεστράτευσεν ὁ Ἀλέξανδρος.* Vide quoque Plutarchum, qui *Γανδαρίτας*, et alibi *Γανδρίδας* perperam vocat. *Praesidas* vero *Πραισίους* et *Πραισιαίους.* Voss. — Periz. ed. Ienson. Rom. Bechar. Med. aliaeque, Orosius et Freculphus, *Adrestas.* Ald. Iunt. *Andrestas.* Adde notam Bernecceri. Abr. Gronov.

Gesteanos. Magl. ed. Rom. *Gestanos.* Bodl. Coll. N. *Satenos.* ed. Bechar. Med. Paris. *Stathenos.* Florent. *Strathenos.* Ald. Iunt. *Assacenos.* MSS. Florent. Orosii, et Leidenses Freculphi, *Cathenos.* Abr. Gronov.

Praesidas. Med. sec. quint. Leid. Bodl. Coll. C. C. et MS. Florent. Orosii, *Praesidias.* Magl. ed. Rom. *Presideas.* Periz. *Presidas.* Ienson. Ven. Flor. Med. ed. Ven. Orosii, *Passidas.* Ald. Iunt. *Prasios.* Freculphus et Vincentius lib. V. cap. 52. *Persidas.* Abr. Gronov.

Gangaridas. Med. Bodl. *Cantaridas.* Coll. N. *Gantaredas.* Magl. *Gargaridas.* ed. Ienson. Ven. Flor. Med. Paris. *Gangaritas.* Ald. Iunt. *Gandarias.* Freculphus, *Candaridas:* verum eiusdem MSS. Leidenses, Orosius atque Vincentius stant a vulgato. Abr. Gronov.

10. 11. 12. etc. Iudicio Nob. Sebisii, desumpsit haec autor ex Lucano V. 274. etc. similia certe quidem, ac prope gemina sunt. Bernec.

Cuphites. Hic, ut ceteris locis omnibus MSS. librorum secutus sum lectionem. Orosius MS. *Cofides*, quo loco Fr. Fabricius arbitratur accipienda haec esse de Sophite, de quo Curtius IX. 1. 39. sed Sophiten Strabo, quem *Σωπείτην* ille vocat, Catheae praefuisse lib. XV. scribit, quam iam ante devictam esse ab Alexandro, patet ex superioribus, si pro *Gesteanos* legamus *Cathenos*, aut *Catheos*,

ut in Orosio Fabricius. Ista ad Curtium pluribus. BONGARS. — Coll. N. *Cositea.* ed. Rom. *Cuffides.* Bechar. *Eufites.* Ald. Iunt. *Euphites.* Orosius et Freculphus ex MSS. *Chofides.* Vincentius lib. V. cap. 51. *Aphites.* Ortelius in Thes. Geogr. malebat *Cophites.* ABR. GRONOV.

UBI EUM HOSTIUM DUCENTA MILLIA EQUITUM. Hoc *equitum* mihi admodum suspectum est. Et vix est verosimile, omnes equites fuisse. Suspicor vel deesse quippiam, vel alterutrum horum, *equitum* aut *hostium*, delendum. SCHEFF. — Odoratus est Schefferus vitium huius loci inveteratum. Id vero Iuntinae subsidio tolles, si cum illa legeris: *ubi eum CC millibus equitum hostes opperiebantur.* Sane *hostium* et *equitum* non possunt hic in eodem loco morari recte. In fine capitis blanditur quidem coniectura Schefferi, *quorum munitionibus* legentis, pro vulgato *quorum molitionibus*, id tamen reseribendum non est, verum exponendum, quorum castrorum structura, vel, ut Latinius dicam, operibus. *Moliri castra*, pro ponere, metari, non insolens veteribus. sicut *moliri urbem* apud Virg. pro condere. GRAEV. — Periz. ed. Rom. *ubi eum hostium CC millia equitum op.* Vincentius: *ubi eum CC milia eq. op. hostium.* ABR. GRONOV.

FINEM TANDEM BELLIS FACERET. Exstat apud Curtium Alexandri ad milites oratio. Et rursus Poeni, qui militum nomine expeditionem, ad quam contra Gangaritas rex eos ante fuerat hortatus, deprecatur. Et haec e Lucano V. 274. desumta. BERNEC. — Codex MS. teste Bongarsio, *finem bellis faceret*, non male. Livius I. 44. *Is censendo finis factus est.* Val. Max. V. 6. Ext. 1. *Ita finem ei fore.* VORST. — Sic etiam cum aliis nostri tres Dorvilliani, non *belli.* WOPKENS. — Med. Magl. pr. sec. quart. quint. Leid. Periz. Bodl. Coll. C. C. *bellis*, quod vulgato praeferebat Vorstius. ABR. GRONOV.

12. OSTENDERE ALIUS CANITIEM etc. Tacit. Annal. I. 18. 1. *Hi verberum notas, illi canitiem, plurimi detrita tegmina et nudum corpus exprobrantes.* BONGARS. — Adde ibid. I. 34. 4. BERNEC. — Non potest dici, alius ostendebat *corpora sua* aetate consumta; nemo enim plus uno corpore habet; ergo legendum *membra*, non *corpora.* Mox, *cicatricibus exhausta;* nescio an dici possit aliquis cicatricibus exhaustus. Puto legendum *distincta cicatricibus*, quod est valde Latinum; *distinctus* enim est interpunctus, ut alicubi in libris oratoriis loquitur Tullius. FABER. — *Alius* hic intelligendum perinde ac si *alii* scriptum esset, ut *miles* pro *militibus*, et mille talia. Alii igitur ostendebant canos, alii vulnera, alii senilia, alii vulneribus, quorum signa cicatrices erant, exhausta corpora. Sic hic locus explicandus, ne ab omnium scriptorum editorumque librorum lectione recedamus. Posset etiam auctoritate firmari aliorum scriptorum, si res exigeret. GRAEV.

14. QUORUM NON TAM STUDIIS DEFICIATUR, QUAM ANNIS. MSS. nostri omisso τῷ *tam*, *quorum non studiis deficiatur, quam annis;* phrasi non solum aliis scriptoribus ut optimus quisque est, solemni, sed etiam ICtis nostris familiari, ut docui et exemplis adductis con-

firmavi in Novantiquis meis. praeter quas videatur et Bongarsius ad hunc locum in Variis Lectionibus. Mod. — Hactenus editi, non *tam studiis*, sed et Modiani MSS. et Bongarsiani praeter unum omnes τὸ *tam* omittunt, phrasi optimis quibusque scriptoribus familiari. Tacit. Annal. I. 58. 3. *Pacem quam bellum probabam.* Curtius VII. 7. 89. *Nec me ars mea, quam benevolentia, perturbat.* Val. Max. I. 1. *Masanissa animo, quam Punico sanguine conveniens.* Liv. XLII. 3. *Non plebis, quam patrum.* Noster iterum infra XXVII. 3. 11. et supra VI. 1. 4. ubi vid. Not. Bernec. — De ista dicendi ratione, *defici studio et amore alicuius*, dixi aliquid ad Phaedrum. Qui autem existimarint deesse *tam*, errant; nam ita alii scriptores. Graeci quoque in suo sermone ita loqui solent. Faber.

Quorum non studiis. Pro *quorum non tam studiis.* Voculam *tam* codices MSS. quos Bongarsius et Modius inspexerunt praeter unum omnes omittunt. Et putant viri docti ellipseos eius exempla et apud alios reperiri. Abest et ab antiquioribus typis expressis Becharii et Maioris; sed in illis sequitur *sed annis:* ut nulla voculae *tam* sit ellipsis. *Defici studiis, annis*, est pro *destitui. Defectus annis* habet et Phaedrus: pro quo male Scioppius *defessis annis* reponendum putat. Vorst. — Particulam seu coniunctionem *quam* et impressi veteres et MSS. omnes omittunt. Editi nonnulli pro ea habent *sed.* Unde colligo, neutrum esse Iustini, sed glossatorum. Iustinus mea sententia sic scripsit: *Quorum non studiis deficiatur, ut annis.* Coniunctionem *ut* absumsit antecedens syllaba *tur:* eam postea alii per *quam*, alii per *sed*, conati sunt explere. Respicit autem *ut*, omissum *ita*, ante *deficiatur*, de qua ellipsi et aliunde notum et docuit Sanctius iam olim in Minerva sua. Scheff. — Angl. *non tam studiis*, supplementum glossatoris. Omittunt enim illud *tam* etiam optimi scriptores. Plaut. Rud. IV. 3. *Non aedepol pisces expeto, quam tui sermonis sum expetens.* Scheff. — Magl. Reg. ed. Rom. *non tam studiis*, male. Symmachus lib. I. epist. 86. ex MS. Regio et Card. Bessarionis: *Ubi non in scribendo negligentia mea, quam tua in describendo diligentia displicebit.* Vulg. *non tam inscribendo.* Coll. N. *quorum non st. deficiatur, sed annis. Commeatibus defici* etiam dixit Saxo lib. XIV. pag. 280. 50. et *pane defecti* lib. XIII. pag. 161. 4. Confer notam Avi ad Senecam Epist. 30. Abr. Gronov.

15. Ac si non militibus. Iuntae, *At si non militibus.* Graev. — Magl. Bodl. ed. Ald. *at si.* Coll. N. *aut si.* Abr. Gronov.

Vel ipsi sibi parcat. Ita malo e MSS. quos Bongarsius vidit, quam *vel ipse sibi*, quia praecedit, *si non militibus*, alius dativus puta. Vorst. — *Vel ipsi sibi* emendavit ex MSS. Bongarsianis Vorstius. Scheff. — Cave hic viros doctissimos audias. *Ipse sibi parcat* minime est interpolandum. Sic enim semper fere Cicero optimique scriptores loquuntur, ut ad ipsum Tullium pluribus ostendi, et ante me alii quoque, pro quo vulgus dicit, *ipsi sibi parcat.* Graev.

Ne fortunam etc. Prudens consilium, quod et Scipioni Hannibal inculcat apud Livium XXX. 30. 25. *Non statuentes tandem felicitati suae modum, nec cohibentes efferentem se fortunam; quanto altius elati erant, eo foedius corruunt.* Adde Curtium III. 8. 34. Velleium II. 70. 2. Sueton. Caes. 60. 2. et maxime Plutarchum Lucullo cap. 80. Adde Flor. IV. 2. 79. et not. 1. Bernec. — Eadem ratione Lactant. ad Stat. II. Theb. 689. *Parce Deis. Nam qui immoderate sua felicitate utitur, faventes sibi Deos fatigat.* M. Seneca Controv. I. 8. *Quid fatigatae felicitati molestus es?* et Quintil. Decl. CCLXI. *Fortuna solet fatigari.* et Curt. V. 3. Ne *victoriae indulgentiam fatigaret.* et Euripid. Rhes. 584. *Ἡμῖν δ' οὐ βιαστέον τύχην.* Gronov. — Exemplis, quibus hoc egregie illustrat Gronovius, addatur Lucanus II. 728.

*Lassata triumphis*
*Descivit* fortuna *tuis.*

Seneca Agamemnone 86.

*Licet arma vacent*
*Cessentque doli,*
*Sidunt ipso pondere magna*
*Ceditque oneri* fortuna *suo.*

Quod hic *fortunam suam nimis non onerare* Iustinus, idem *rebus secundis mollem imponere* dixit Livius XLII. 62. Wopkens.

16. Castra solito magnificentiora. Curtius IX. 3. 30. Plutarch. Alex. cap. 108. Bernec. — Mirum quod Iustinus nihil hic de XII aris addit, quas Alexander tum erexerit; quarum tamen Curtius IX. 3. 19. et Arrianus lib. V. mentionem faciunt: et *παρόραμα* hoc Iustini esse censet Blancardus. Infra tamen XII. 10. 6. separatim *ararum* mentionem facit. Vorst.

Quorum molitionibus. Quaenam hoc loco *molitiones castrorum*, et quomodo eae terrent hostem? Scio *terrenam molitionem* apud Columellam XI. 2. et *moliri terram*, in eiusdem operis praefatione, ubi et *agrorum solique molitionem* usurpat. Verum castra plurimum a terra, solo, agris differunt, nec ulla inter haec similitudo. Quare mihi quidem vix est dubium, quin scribendum sit *munitionibus.* Curtius de re eadem lib. IX. cap. 3. *Munimenta quoque castrorum iussit extendi.* Vitium ex eo natum, quia ratione veteri pro *munitionibus*, *monitionibus* fuit scriptum, quod deinde in *molitionibus* mutarunt. Scheff.

17. Caesis hostibus, cum gratulatione etc. Vix omitto rescribere *caesis hostiis*, quomodo Nobiliss. Sebisius emendandum censet hunc locum, volentibus etiam Curtio IX. 3. 29. Arriano sub finem libri V. et Plutarcho Alex. cap. 109. Verum quia MSS. non addicunt, et vero *hostibus* etiam qualitercumque consistere potest, abstineo manum. Bernec. — Credo ego cum Sebisio et Berneccero legendum esse *caesis hostiis*; quoniam, ut dixi, aras quoque XII tum temporis erectas esse ex aliis sciri potest, et ipsarum hostiarum caesarum alii diserte mentionem faciunt. Ipsa phrasi *hostias caedere*

sup. XI. 5. 6. et 11. utitur. VORST. — Inclinant omnes eo, quod pro *hostibus* legendum sit *hostiis*: at repugnant MSS. omnes. Et videtur aliud voluisse Iustinus, quam quod censent, respexisse nempe gratulationem, de qua sequitur, ac qualis illa fuerit, verbis hisce explicasse, nimirum qualis victorum esse consuevit. Solebant enim caesis hostibus ac profligatis a pugna redire cum gratulatione, id est, faustis clamoribus. Suet. Galba cap. 19. *Oppressos, qui tumultuarentur, advenire frequentes ceteros gratulabundos et in omne obsequium paratos.* Vulgo gratulantes hi sunt ovantes. Festus, *Ovantes, laetantes, ab eo clamore, quem faciunt redeuntes ex pugna victores milites.* Habes ecce consuetudinem solemnem militum victorum ex pugna revertentium clamandi, quem clamorem alii *ovationem*, alii *gratulationem* appellant. Cum eiusmodi ergo gratulatione dicit Iustinus reversos in castra milites Alexandri, tanquam re confecta, profligatis omnibus hostibus, et nunc reversuri domum. Legendum ergo apud eum: *Itaque ut caesis hostibus cum gratulatione in eadem castra revertuntur.* Coniunctio *ut* periit, per similitudinem litterarum duarum in vocabulo proxime praecedente *que*. SCHEFF. — Sebisius malebat, *hostiis:* quomodo etiam Lipsius legendum coniecerat. Vide Blancardum ad Arrianum lib. V. de Exp. Alex. pag. 375. ABR. GRONOV.

IN EADEM REVERTERUNT. Sebis. *via eadem.* recte, aut valde fallor. ita enim et Curtius IX. 2. 31. *Repetens qua emensus erat.* BERNEC. — Vulgata proba, iuvatque caput sequens. FREINSH. — Puto verius, *indidem reverterunt.* VOSS. — Istud *in eadem* nullo modo placere potest. Sebisius legendum putabat, *eadem via reverterunt;* quod nec placet; sed nihil videre hic quidem possum; nisi *in eadem* plane delendum sit, quod puto; est enim et falsum et ineptum. Pro *hostibus* autem idem libenter cum Sebisio sentio legendum *hostiis;* qui enim in illa castrorum molitione hostes erant? nulli. FABER. — In molitione castrorum nulli erant hostes, sed cum iam moliti essent castra, ex illis in hostem prodierunt, et post victoriam hostibus caesis, cum magna gratulatione in illa reverterunt. Qui poterant dici *in castra revertisse*, nisi ex iis in hostem moventes prodiissent? Acuti Sebisii coniectura, quae multos in suspicionem corruptionis adduxit, non est admittenda. GRAEV.

## CAP. IX.

1. ACESINEM. Quart. Leid. Coll. C. C. Orosius ex veterrimo codice Florentino, et Freculphus, *Agesinem.* Eiusdem pr. Leid. *Agesinem.* Sec. quint. Leid. *Acegisinem.* ABR. GRONOV.

2. IBI GESSONAS ASIBOSQUE, QUOS HERCULES CONDIDIT. Et hic locus non minus corruptus est, quem tamen ex Strabone, Curtio ac Diodoro hoc pacto legendum puto: *Ibi Agalassas Sibasque, quos Hercules condidit, in deditionem accepit. Hinc ad Mallos et Oxydracas navigat.* Idque ex varia locorum et temporum con-

ditione in hac historia, diligenti adhibita cura colligi potest, salva semper melius sentientium opinione. Ceterum mox dicit Alexander solum saltu de muro facto, ab hostibus conspectum, cum tamen urbs esset a defensoribus deserta. Mirum unde eum tam cito cognoverint. Et mox Alexander in deserta urbe cum tot millibus unus pugnat. Suspicor mendam in codicibus esse; maxime cum dicit, urbem a defensoribus desertam. GLAREAN.

HIACENSANAS SILEOSQUE. Quidam MS. *Agesinas Syrosque.* Forte, *Acesinas Sibosque*, ut illi sint fluvii Acesinis accolae; hi sint, quos *Sobos* vocat Curtius IX. 4. 1. Strabo XVI. et Stephan. et Arrianus in Indicis, *Sibas*, Diodorus XVII. 96. mendose Ἴβους. BONGARS. — Iuntae cum MS. *Gesonas Sibasque.* GRAEV. — Antiquiores editiones Iuntarum, Becharii, Maioris, *Gesonas Sibasque*, aut *Asybosque.* Et Bongarsius testatur, codicem quendam MS. habere *Agesinas Syrosque.* Coniicit autem idem legendum esse, *Acesinas Sibosque.* Curtius quoque IX. 4. 2. *Sobiorum* mentionem hic facit. VORST. — Vincentius: *ubi Biacensanos et Sileos.* MS. Fabricii, *Iacensanas Sibosque.* Bodl. sec. quint. Leid. *Agesinas Syrosque.* Med. *Agesinas Sirbosque.* Magl. *Argesinas Silleosque.* Coll. N. *Aginos Sibosque.* Periz. *Acensonos Sibosque.* ed. Ienson. Bechar. *Gesonas Asybosque.* MSS. Orosii et Freculphi, *Gessonas* (ed. Frec. *Gressonas*) *Sibosque.* ABR. GRONOV.

3. IN AMBROS ET SUGAMBROS. *Mandros et Subagras* habet Orosius MS. Fabricius emendavit, *Mallos et Oxydracas*, ut hoc loco quidam ediderunt. Plin. XII. 6. *Sydracas* vocat expeditionum Alexandri terminum. Curt. IX. *Sudracas:* quomodo et Iustinus, et Orosius, et Diodorus emendandi. BONGARS. — *Mallos et Oxydracas* in hac historia memorant et Arrianus VI. init. et Curtius IX. 4. 24. Et quidem urbem illam Alexandro paene fatalem *Mallorum* fuisse, praeter eosdem confirmat quoque Plutarchus Alex. cap. 110. BERNEC. — *Ambros.* Diodorus, *Ambritas.* VOSS. — Hi sunt, credo, quos Arrianus lib. VI. et Curtius IX. 4. 15. *Mallos* et *Oxydracas* vocant. Quae nomina Fabricius et apud Orosium, qui Nostrum excerpsit, III. 9. audacter restituit; secutus, ut ipse ait, vestigia depravatae lectionis antiquae in Orosii et Iustini libris. VORST. — Sec. Leid. *Hinc Mandros.* quint. *Hinc in Mandros.* Freculphus, et tertius Florent. Orosii: *Hinc Ambros et Subagras navigat.* ed. Veneta, *Hinc Mardos et S. n.* ABR. GRONOV.

QUAE GENTES EUM. Ed. Rom. aliaeque veteres, *quae gentes cum*, nec aliter Freculphus, cuius tamen uterque MS. Leid. et Orosius dant, *q. g. eum.* Sec. Leid. *et LXX m. e.* ABR. GRONOV.

5. QUAM DESERTAM A DEFENSORIBUS CUM DE MURO . . . ANIMADVERTISSET. Hunc locum illustrat Freinshemius ad Curtium IX. 4. 2. MS. Coll. C. C. *desertam diebus tribus.* ABR. GRONOV.

DESILUIT. Med. sec. quint. Leid. *desilit.* quart. *desilivit.* Periz. *desilluit.* Orosius et Freculphus, *desiluit;* idemque dant pr. quart. Leid. Periz. h. l. cap. 11. 8. Ita XI. 5. 10. *prosiluit.* XXV. 4. 8.

*insiluerit.* et I. 10. 3. ex Periz. *desiluerint.* Saxo lib. XIV. pag. 278. 33. *equo dissiluit.* Lege, *desiluit.* Abr. Gronov.

6. Si possint. MSS. *si possent*, quod magis est ex usu sermonis Latini. Scheff.

In uno capite. Panegyrista Constantino Constantii filio: *Cladem suam, quamvis multi pereant, vulgus ignorat, compendium est devincendorum hostium, duces sustulisse.* Facit huc Iphicratis comparatio exercitus cum humano corpore apud Polyaenum lib. III. et Silium X. vs. 309. Bernec. — Coll. N. *in unius capite.* Abr. Gronov.

7. Nec minus Alexander resistit, et praeliatur. Lege, *resistit*, pro vulgato *restitit.* Faber. — Sic plane, ut Faber coniecit, optima Iuntina. Graev.

8. Incredibile dictu est. Male Dorv. 2. *Incredibile dictum est.* quamvis talia in Sallustio aliisque nimis avide arripiant grammatici, dum insolentiora studiosius captant. Wopkens.

Non tantus lacessentium clamor. *Non tantam* quart. Leid. ed. Bech. Ven. Med. et Freculphus, cuius uterque codex Leid. stat a vulgata tam Iustini quam Orosii scriptura. Ed. Rom. *non tantorum.* Abr. Gronov.

9. Ubi vero obrui multitudine se vidit. Orosius et Freculphus: *ubi se obrui a circumfusa multitudine persensit.* Duo MSS. Flor. Orosii, *obrui circumf.* Abr. Gronov.

Qui propter murum stabat. Expunxi *tum*, quod Bongarsius ante *propter* posuerat, utpote supervacuum et in antiquioribus editionibus non apparens. Pro *propter* antiquiores editiones habent *prope.* Vorst. — Bodl. ed. Rom. aliaeque, *qui prope:* male. Inscriptio Neapolitana: PARIES QUI EST PROPTER VIAM. et: QUAE (fenestrae) IN PARIETE PROPTER EAM AREAM SUNT. Saxo lib. XIV. pag. 268. 26. *armenta propter litus errantia.* pag. 306. f. *propter litus peditem occiderunt.* et lib. XVI. pag. 383. 20. *propter muros equo descendit.* Abr. Gronov.

10. Amici. Peucestes, Timaeus, Leonatus, Aristonus, aliique. Vide Curtium IX. 5. qui haec eleganter et copiose narrat. Bernec.

11. Deiectis. Est qui *deiectus* mallet. Quomodo Liv. quoque V. 21. 10. *deiectis ex muro undique armatis.* Sed illud rectum est. Nam et Curtius IX. 5. 30. *dolabris prefregere murum* etc. Sic etiam Orosius III. 19. Bernec. — Iuntae: *deiectus.* Quod mihi arridet, quamvis alii tradant muros fuisse perfractos dolabris. Graev. — Ut Graevius cum ed. Iuntina mavult *deiectus*, ita quoque refert Dorv. 3. a manu prima. Sed alterum praeferendum videtur, quoniam muros dolabris perfractos fuisse alii tradunt. Et sic *muri brachia deiicere* dixit auctor lib. V. 8. Wopkens.

Praeliumque tam diu anceps fuit etc. Periz. *praelium diu anceps fuit.* Idem cum Med. Magl. ed. Iunt. *deiectus*, probante Graevio. Orosius et Freculphus: *perfractis muris.* Gualterus lib. IX. Alexandr. vs. 444.

*murum fregere dolabris,*
*Molitique aditum, spreto discrimine mortis,*
*Per murum fecere viam.* Abr. Gronov.

12. Sagitta. Duorum cubitorum, Curt. IX. 5. 12. Bernec.

## CAP. X.

1. Polyperchonta. Nuper a me per epistolam quaesitum est, unde isthuc nomen formatum esset, et quae ratio compositionis foret. Id autem quia non ita multis cognitum, hic paucis dicendum arbitror; et res digna est quam audias. Primum, quamquam ex Pausania didici, Aetolum quemdam fuisse qui Polysperchon diceretur, id ego scio nihil ad Polyperchontis originationem pertinere; nam *σπέρχω* suum sigma amitteret, quod non potest. Deinde nec ab *ὑπάρχω* oriri potuit, cum illud Alpha non mutetur in E. At fortasse ab *ὑπερέχω* est. Imo etiam, Graece enim non dicitur *ὑπέρχω*, sed *ὑπέρχομαι*. Ex nullo igitur trium illorum natum est *τὸ Polyperchon*. Sed unde? En tibi. *Polyperchon* nomen est concisum, et quod syncopen passum fuit. Prius enim dicebatur *Πολυπερέχων*, mox dixere *Πολυπέρχων*. Quanquam autem, ex quo Graece coepi legere, isthuc verbum *πεῤῥέχω* in iis scriptoribus non legerim, qui hodie supersunt, fuisse tamen olim usitatum, mihi certissimum est, cum etiamnum in Glossis Hesychii et occurrat et explicetur. *Πεῤῥέχειν*, inquit, est *ὑπερέχειν*. Itaque *πεῤῥέχειν* est *excellere*, *praestare;* quare Polyperchon, *excellens* et *eximius*. Sed nova quaestio exoritur; unde isthuc *πεῤῥέχω*? nam novum quiddam auribus nostris affers. Nihil apertius; *πεῤῥέχω* est *περιέχω*, ut *Πέρφιλα*, nomen mulieris, olim apud Sosibium, pro *περίφιλα*, *amabilis*, ut Pamphila illa Terentiana. Ita et *πεῤῥεθήκατο* dicebant pro *περιεθήκατο*, nam pro *περὶ* illis erat *πεῤῥί;* aliquando autem dimidiam vocis partem exterebant, et pro *περὶ* dicebant *περ*, ut in *πέρ σε*, quod ab Hesychio explicatur *πρός σε;* mendosa tamen scriptura; nam scribi oportet *περί σε*. Sed qua dialecto? Macedonica, ut opinor; quamquam et geminatio *τοῦ* P apud Graecos Aeolici generis frequens erat. Faber.

Polyperchon. Ita sane scribitur hoc nomen, non tantum in hoc opere, sed et in Curtio et Corn. Nepote. Tantum Becharii editio hoc loco habet, *Polysperchon.* Et sic sane scribendum merito esset. Graece enim ab Arriano et aliis scribitur *Πολυσπέρχων*. Et notum est, quae nominis vis sit, et unde sit compositum; nimirum a *πολὺ* et *σπέρχων*. quorum hoc idem est, quod *urgens*, *premens*, *festinans*. Mentio viri et infra XII. 12. 8. et alibi. Vorst.

Navibus conscensis, Oceani litora peragrat. Ed. Ven. Med. Iunt. *naves conscendit, et O. l. p.* Suetonius Calig. cap. 37. *quibus* (liburnicis) *litora Campaniae peragravit.* Adde Cl. Dukerum ad Florum II. 7. 6. Abr. Gronov.

2. Urbem. Cui nomen *Hamatelia.* Diodorus XVII. 109. Bern.

Ambigeri Regis. Forte is est, quem *Sambum* vocat Diodorus XVII. 102. *Samum* Curtius IX. 1. 20. *Ambyram* Orosius III. 19. Bongars. — Vide Reineccium P. III. pag. 192. Bernec. — Forte rescribendum, *Ambisari*. De quo vide Arrianum lib. V. Voss. — Blancardus in Notis ad Arrianum suspicatur legendum esse *Ambi*, vel *Sambi regis*; et τὸ *geri* transpositis literis fabricatum e voce subsequente. quae enim de veneno, de Ptolemaeo vulnerato, et remedio regi per quietem monstrato Iustinus subiungit, ea a Diod. Siculo et Curtio in historia *Sambi* memorari; quamvis prior horum *Sabum* vocet. *Sambum* vocat et Arrianus lib. VI. Ceterum literam S multis nominibus modo praemitti, modo non praemitti, dicique exempli gratia *Androcottus* et *Sandrocottus*, *Indica* et *Sindica*, monet Vossius in Notis ad lib. I. et XV. Iustini. Coniecturam Blancardi, quod τὸ *geri* eliminandum, legendumque sit, *Ambi*, et illud firmat, quod, ut Bongarsius in V. L. monet, unus Cod. MS. habet, *Ambiregis* pro *Ambigeri regis*, et quidam typis expressi, *Ambiani regis*. Vorst. — Coll. N. *Ambiregi regis*. Ald. Iunt. *Ambiani regis*. Vincentius lib. V. cap. 54. *Ambigiri regis*. Blancardus ad Arrianum lib. VI. de Exp. Alex. pag. 409. malebat *Ambi* vel *Sambi regis*. Priorem Cl. viri coniecturam firmant Med. Bodl. sec. quint. Leid. Abr. Gronov.

Gemino mortis vulnere. Val. Acidalius ad Vell. II. 68. 4. locum ita censet emendandum, *geminae mortis vulnere*. Non enim duplex vulnus erat, inquit; sed in vulnere vis geminae mortis, qua ab ipsis sagittis, qua ab superindito veneno. Iuvat Lucanus III. 75. ubi de eo, qui et gladio confossus, et postea in mare praecipitatus periit:

*Festinantem animam morti non tradidit uni.*

sed nimirum *geminae:* quomodo *simplicem mortem* dixerunt etiam Suetonius Caes. 74. 3. Sallust. V. Hist. Curtius VIII. 7. 8. ipseque Noster XLIV. 4. 6. Ego vulgatam lectionem retineo, tueorque tum consensu MSS. tum vero gemino exemplo Claudiani Stil. I. 351.

*Aethiopum geminata venenis*
*Vulnera.*

Ovidius de Ponto I. 2. ita de Getis:

*Qui mortis saevo geminent ut vulnere causas,*
*Omnia vipereo spicula felle linunt.*

Ceterum an veneno grassari liceat in hostem, eam quaestionem Alb. Gentilis de Iure Belli II. 6. copiose H. Grotius in eiusdem argumenti opere III. 4. 15. et 16. breviter ac nervose discutiunt. Bernec. — Acidalius mallet *geminae*. Mihi *gemino*, quod est in MSS. omnibus, ortum primo ex compendio scripturae videtur, quo quis vocem *geminato* expresserat. Et huc facit illud Claudiani, quod a Berneccero laudatur:

*Aethiopum geminata venenis*
*Vulnera.* Scheff.

3. PER QUIETEM MONSTRATA — HERBA. Medicinae per quietem ostensae nobile exemplum est in Vespasiano Xiphilini et Suetonii cap. 7. 5. Quo fine aegrotos olim in templis somnum captasse, patet ex Plaut. Curcul. II. 1. 1. et Cicerone de Divinat. I. 43. Plura Ian. Wowerius ad illud Petronii: *Medicinam somno petii* etc. BERNEC. — Orosius: *ac post herba per somnium sibi ostensa, et in potum sauciis data cum reliquis subveniretur, urbem expugnavit et cepit.* Ita etiam uterque MS. Leidensis. Freculphi, apud quem vulgo legitur, *ac post herbam. . . ostensam. . . datam.* Strato lib. XV. pag. 723. Ἐν δὲ τοῖς Ὠρείταις τὰ τοξεύματα χρίεσθαι θανασίμοις φαρμάκοις ἔφασαν, ξύλινα ὄντα καὶ πεπυρακτωμένα· τρωθέντα δὲ Πτολεμαῖον κινδυνεύειν· ἐν ὕπνῳ δὲ παραστάντα τινὰ τῷ Ἀλεξάνδρῳ δεῖξαι ῥίζαν αὐτόπρεμνον, ἣν κελεῦσαι τρίβοντα ἐπιτιθέναι τῷ τρωθέντι· ἐκ δὲ τοῦ ὕπνου γενόμενον, μεμνημένον τῆς ὄψεως, εὑρεῖν ζητοῦντα τὴν ῥίζαν πολλὴν πεφυκυῖαν, καὶ χρήσασθαι καὶ αὐτὸν καὶ τοὺς ἄλλους. ABR. GRONOV.

4. OCEANO LIBAMENTA DEDIT. Saxo lib. XVI. pag. 377. 10. *armis, non precibus Deo libamenta daturus.* ABR. GRONOV.

5. CURRU CIRCA METAM ACTO. Quod solebant qui ad metam pervenerant; inde Horatius I. Ode 1. *Metaque fervidis evitata rotis.* Vett. plerique, *curru certamine iam acto*, aut *peracto.* Sed et Orosius III. 20. et unus MS. vulgatam lectionem tuentur. BONGARS. — Vide Gebhard. in Catull. pag. 211. m. BERNEC.

QUATENUS. Seu antique, *quatinus*, hoc est, quousque. Ab ingenio Freinshemii est haec, aut omnia me fallunt, omnino certa emendatio: quam proinde non sum veritus in textum admittere. Hactenus omnes editi, *qua sinus*, absurde. BERNEC. — Antiquiores typis expressi pro *quatenus* habent *qua sinus.* Nec indicavit Bongarsius, in Codd. MSS. se quicquam aliud reperisse. Freinshemius demum coniecit legendum esse *quatenus* aut *quatinus*. Idque propter evidentiam primus in contextum recepit Berneccerus. VORST.

SECUNDO AESTU OSTIO FLUMINIS INDI INVEHITUR. Idem lib. XIV. pag. 277. 27. *secundo mari in Iutiam pervenit.* et pag. 252. 21. *ostio militem invehi iubet.* Coll. N. *vehitur.* ABR. GRONOV.

6. IN MONUMENTA. Scribe *monumenta*, omissa praepositione. Plaut. Curcul. III. 69.

*ibi nunc statuam volt dare auream*
*Solidam faciundam ex auro Philippeo, quae siet*
*Septempedalis, factis monumentum suis.*

et Liv. I. 55. *ut Iovis templum in monte Tarpeio, monumentum regni sui nominisque relinqueret.* GRONOV.

6. BARCEN CONDIDIT. Nulla *Barce* ab Alexandro in ostio Indi condita. *Βαράκην* ibi invenio; et sic rescribendum. SALMAS. — Periz. *Barten.* Coll. N. *Bartemostem.* Vincentius lib. V. cap. 62. *Barchem.* ABR. GRONOV.

RELICTO EX NUMERO AMICORUM LITORALIBUS INDIS PRAEFECTO.

Vincentius: *relicto uno ex amicis lit. Indis*, omissa voce postrema. ABR. GRONOV.

7. CUM ARIDA LOCA MEDII ITINERIS DICERENTUR. Vincentius: *cum ar. loca in itinere invenienda dic.* ABR. GRONOV.

PUTEOS OPPORTUNIS LOCIS FIERI PRAECIPIT. Magl. Bodl. *opportunis in l.* et cum pr. quart. Leid. ed. Rom. Bechar. Ven. Flor. Med. Paris. Ald. Iunt. *praecepit.* ABR. GRONOV.

BABYLONIAM REDIT. *Μνημονικὸν* Iustini *ἁμάρτημα.* Inquit enim paulo post cap. 13. 3. *Hac ex causa Babyloniam festinanti.* et quae sequuntur, Susis magnam partem acta esse ex Diodoro, Arriano et ceteris constat. BONGARS.

8. PRAEFECTOS SUOS. Ex his fuere Cleander, Sitalces, Agathon et Eracon. Curtius initio libri X. BERNEC.

9. FILIAM POST HAEC DARII REGIS STATIRAM. Hanc pater Darius adhuc superstes Alexandro collocare voluerat. Imo petierat ab eo ut nuptiis sibi illam adiungeret, uti Curtius III. 5. 1. scribit. Verum tum quidem temporis Alexander recusavit. Arrianus lib. VII. filiam Darii quam Alexander matrimonio sibi iunxit, *Arsinen* aut *Arsinoen* vocat. *Ἀρσίνην* enim vel *Ἀρσινόην* legendum ibi esse, non, ut editum est, *Βαρσίνην*, bene docuit Blancardus. VORST. — *Στάτειραν* eamdem quoque appellant Plutarchus Alex. pag. 703. et Zonaras lib. IV. cap. 14. ABR. GRONOV.

10. OPTIMATIBUS MACEDONUM. *Διανέμων τὰς ἀρίστας τοῖς ἀρίστοις.* Plutarchus Alex. cap. 120. BONGARS. — Aelianus lib. VIII. Var. Hist. cap. 8. *Ἀλέξανδρος ὅτε Δαρεῖον εἷλε, γάμους εἱστία καὶ ἑαυτοῦ καὶ τῶν φίλων.* ABR. GRONOV.

CRIMEN REGIS. *Crimen*, hoc loco, non est quod in lingua nostra significat; sed id simpliciter, quod dicimus, *un reproche, un blame*, opprobrium. FABER.

LEVARETUR. Ut supra XII. 3. 9. Ita de Semiramide Orosius I. 4. de Claudio Suetonius 26. 9. BERNEC.

CRIMEN REGIS LEVARETUR. Idem fere *invidiam levare* alibi dicitur. Velleius II. 31. *Sed interdum persona ut exemplo nocet, ita* invidiam *auget aut* levat. Hegesippus I. 1. *Atque ut facti* invidiam levaret, *fertur ea* etc. ubi *leniret* cum Wasseo (ad Sallust. Catil. XXIII. extr.) reponere necesse non est. WOPKENS. — Symmachus lib. II. Epist. 4. *Putas solemni genere defensionis levare peccatum.* Hegesippus lib. I. cap. 6. *ut facti invidiam levaret.* Saxo lib. XIV. pag. 328. f. *ea res mulieris infamiam levavit.* Pro *levaretur* eruditissimus Trillerus lib. I. Observ. Crit. cap. 18. malebat *velaretur*. ABR. GRONOV. — Postremum verbum *levaretur* non placet doctissimo viro, Dan. Guil. Trillero, qui concinnius elegantiusque legi posse putat, *velaretur*. Nam et Ovidium dicere *culpam nomine* vel *sub falsa imagine velare*; Senecam *scelere scelus velare*; alios alia plane similia. Hic vero non tam quaeritur, an *crimen aliqua re velare* Latine dicatur, quod facile omnes concedent; quam utrum Iustini loco aptius sit *velare*, an *levare*: in quo ab illo

dissentio. Nam *crimen* non est h. l. scelus, flagitium, probrum; sed criminatio, reprehensio, culpae obiectio, mala existimatio, fama sinistra. Vulgatissimae observationis haec significatio est, quam multis exemplis probavit nostrorum eruditissimus Gesnerus in novo thesauro suo, Cortius ad Sallust. Cat. XXXIV. 2. et ipse ad Ciceron. Philipp. II. cap. 4. ad Cornel. Nepot. Milt. cap. 8: pr. Hinc *falsa crimina*, quae a malevolis finguntur. Cic. lib. I. offic. cap. 25. *Nec vero criminibus falsis in odium aut in invidiam quemquam vocabit.* Sueton. Claud. cap. 15. extr. *Obscoenitatis in feminas reum, sed falso et ab impotentibus inimicis conficto crimine.* Si vero crimen est ἔγκλημα, exprobratio, infamia: sequitur, ut illud rectius *levari* dicatur, quam *velari*. Nam quae molesta et acerba sunt, non *velamus*, sed potius *levamus*. Talis vero Alexandro degeneris in peregrina vitia moris exprobratio videbatur: eaque levior et tolerabilior fiebat *communi facto*, sive plurium aliorum Macedonum idem facientium exemplo, qui uxores ex devictis gentibus ducebant. Non dissimile huic illud est Ovidii lib. II. Metamorph. vs. 280.

*Summe Deum, liceat perituræ viribus ignis*
*Igne perire tuo, clademque auctore levare.*

Itemque illud lib. III. Metamorph. vs. 387. de Tiresia:

*pro lumine ademto*
*Scire futura dedit, poenamque levavit honore.*

Nec meae interpretationi refragabitur, quod *crimen regis* dicitur, quo factum regis potius significari putabis, quam facti reprehensionem. Nam genitivus talibus nominibus adiectus non auctorem et actorem tantum notat, sed et eum, qui patitur. Itaque *iniuria patris* modo est iniuria a patre accepta, modo ea, quae patri est illata. Ad eundem modum *crimen regis* est, regis reprehensio et vituperatio publica. Si vero vel maxime *crimen* ita interpretari malueris, ut vulgo solent: tamen et illud *levari* potest, quando minuitur, et, ut sit excusatius, efficitur. Nam apud Ovidium quoque Epist. XVII. vs. 49. ubi vulgo legitur

*Illa bene erravit, vitiumque auctore redemit.*

in quibusdam exemplaribus, Latine certe, scriptum est, *vitiumque auctore levavit:* et Cicero *levationem vitiorum fieri* dixit lib. IV. de fin. cap. 24. Cum itaque vulgata lectio proba et satis commoda sit, eamque omnes libri adserant: non est sollicitanda, et in eam, quae paullo deterior est, mutanda. HEUSINGER.

## CAP. XI.

1. SE AES ALIENUM OMNIUM PROPRIA IMPENSA SOLUTURUM. Vincentius: *se aes alienum ad omnia imp. pr. sol.* ABR. GRONOV.

UT PRAEMIA INTEGRA DOMUM FERANT. Ita antiquiores typis expressi. Bongarsius maluit *domos.* NORST.

DOMOS FERANT. Cum Bongarsii aliisque MSS. sic etiam recte

omnes nostri, pro *domum ferant*, quod habent quidam editi. Livius XXI. 23. *Supra septem millia hominum* domos *remisit*. Orosius II. 10. domos *dilabuntur*. WOPKENS.

2. NON SUMMA TANTUM. Angli una voce auctius: *non summe tantum commendata*. SCHEFF.

NEC A DEBITORIBUS MAGIS, QUAM A CREDITORIBUS GRATIUS EXCEPTA. *Magis* comparativo iunctum. Priscian. lib. III. Plautus *magis maiores nugas* dixit. BONGARS. — Adde Notam supra III. 2. 27. BERNEC. — *Magis gratius*, pro *gratius*. Abundat enim *magis* ad comparativum. Nec est res sine exemplo. Noster sup. III. 2. 7. *magis clarior*. Multa item id genus Vechnerus in Hellenolexia congessit. *Grate munus accipere* dixit sup. XI. 10. 10. VORST.

DIFFICILIS ERAT. Bodl. *difficiles erant*. ABR. GRONOV.

3. VIGINTI MILLIA TALENTUM. Alii: *tria et viginti millia talentorum*. Curtius IX. 2. de decem millibus talentum tradit, quae quidem ipsa non tota expensa fuerint. MOD. — Curtio consentit omnino Plutarch. Alex. cap. 120. BERNEC.

4. EXERCITUM IUNIORIBUS SUPPLET. Med. Magl. Bodl. Coll. N. Periz. ed. Boch. Ven. Flor. Mediol. Paris. Ald. Iunt. *exercitum ex iunioribus*. Livius lib. XXVII. cap. 7. *M. Valerio cum L. Cincio Cannensis exercitus datus: eumque supplere ex militibus, qui ex legionibus Cn. Fulvii superessent, iussi*. Vincentius: *exerc. de iunioribus supplet*. ABR. GRONOV.

5. NEC ANNOS, SED STIPENDIA SUA NUMERARI. Id est, non annos aetatis, sed annos stipendiorum factorum. *Vicena stipendia meriti* dicuntur, qui viginti annorum stipendia meriti sunt. VORST.

IN MILITAM LECTOS. Pessime Wasseus ad Sallust. Catil. cap. 47. hic ex impressis veteribus legebat *in militia lectos*, ut est apud Sallustium l. d. *in aede Concordiae venire*. Apage barbarismos istiusmodi, quales et ad lib. XVIII. 7. 10. et alibi explodere necesse habuimus. WOPKENS.

6. NEC IAM PRECIBUS, SED CONVICIO AGEBANT, IUBENTES. Saxo lib. XIV. pag. 262. 16. *non iam redargutione, sed convicio agebat*. Vincentius: *nec hoc iam prec. sed. c. agebant, dicentes*. ABR. GRONOV.

CUM PATRE INIRE BELLA. Dixit ut Arrianus lib. VII. *μετὰ τοῦ πατρὸς στρατεύεσθαι*. Vulgo *finire* minus recte. BONGARS.

IUBENTES EUM SOLUM CUM PATRE SUO HAMMONE INIRE BELLA. Ita locum iam olim emendavi ad illa Curtii mei IV. 16. 39. Quippe non universae acies, quam hae tumultuariae manus *vehementius iniere certamen*. MOD.

QUATINUS. Ita Vett. Est autem *quatinus*, *quoniam* Festo et Frontino. BONGARS. — Sic et elegantissimo Floro II. 15. 28. III. 8. 1. IV. 11. 1. et. IV. 12. 29. BONGARS. — Ita in Codd. MSS. extare testatur Bongarsius. Antiquiores typis expressi nullo sensu, *ut milites suos fastidiat*. *Quatinus* est pro *quia*, *quando*. Festus:

*Quatenus significat, qua fine, ut hactenus, hac fine; quatinus vero quoniam.* Vorst.

Inire bella, quatenus. Ita edidit Bongarsius ex suis MSS. quibus consentiunt Thuan. Magl. Leidenses, quorum primus et quartus dant *quatinus.* Periz. ed. Rom. *inire bella, ne.* Bodl. *inire bellum, ut.* Bechar. Ven. Flor. Med. Paris. *finire bella, ut.* Ald. Iunt. *finire bella, quatenus.* Adde notam Modii. Abr. Gronov.

Ad postremum cum verbis nihil proficeret. Iunge Curtium X. 2. et 3. Lucanus de Caesare militarem seditionem cohibente lib. V. 316.

*stetit aggere fulti*
*Cespitis intrepidus vultu, meruitque timeri*
*Non metuens.*

quem locum adspicit in referendo simili Avidii Cassii facto Vulcatius Gallicanus cap. 4. Bernec.

E tribunali in concionem armatam inermis ipse desiliit. *ad concionem* edidit Faber. In cod. MS. Franequerano *in armis ipse desiluit* legi monuit Cl. Burmannus ad Anthologiam III. 15. 16. Abr. Gronov.

Ad supplicia duxit. MSS. quos vidit Bongarsius, habuerunt *in supplicium*, quod rectius videtur. Puto enim ista plurimum differre, quoniam qui ducitur *ad supplicium*, is ita ducitur, ut eat illuc, ubi de eo sumendum est supplicium, quod statim cogitur subire. At vero *duci in supplicium* est duci eo fine, hoc proposito, ut de eo aliquando supplicium sumatur, licet fiat post temporis aliquod intervallum. Id quod magis convenit historiae. Nec enim Alexander ipse manu sua eos adducebat ad carnificem, qui tum statim capitali eos afficeret poena, sed tantum adduxit, ut servarentur. Curtius manifeste lib. X. cap. 2. *Notatos quoque, qui ferocissime oblocuti erant, singulos manu corripuit, nec ausos repugnare, tredecim adservandos custodibus corporis tradidit.* Scheff. — In Franeq. *ipse supplicia duxit*, sed ab altera manu *ipse supplicio dat.* In aliis vero *ipse in supplicia duxit*, quod placuit Scheffero, explicanti, duxit ut de eis aliquando supplicium sumeretur, quemadmodum Curtius X. 2. dixit, *correptos hos custodibus corporis adservandos ab Alexandro traditos.* Sed ut discrimen illud, quod in dictionibus *ducere ad supplicia* et *in supplicia* statuit vir ille doctus, non discutiam, tum statim supplicio affectos hos homines fuisse, tradit Arrianus lib. VII. pag. 455. Nec obscure agnoscit Iustinus in his, quae sequuntur: *Tantam vel illis* moriendi patientiam *metus regis, vel huic* exigendi supplicii *constantiam disciplina militaris dabat. Duxit* igitur hos Alexander *ad supplicia*, id est, ad locum supplicii, vel ut morte supplicia luerent. Wopkens. — Periz. *ad supplicium.* Magl. pr. quart. Leid. Thuan. Bodl. Coll. C. C. *in supplicium*, probante Scheffero. Vincentius: *manu sua percussit.* Abr. Gronov.

9. Moriendi patientiam. Vox *patientia* ita adsciscere solet

gerundium in *di*, pro praepositione *in* cum gerundio in *do*. ut *patientiam tacendi* dixit Sidonius VII. Epist. 9. *Patientiam silendi* Ambrosius Offic. I. 7. *Patientiam exspectandi* S. Severus Epist. II. 13. *Impatientiam ferendi vulneris* Hegesippus II. 9. *Patientiam tolerandi* idem lib. III. 24. Wopkens.

## CAP. XII.

4. Formatam in disciplinam Macedonum. MSS. Bongarsiani habebant *disciplina*. Ita legendum fuerit, *formatam disciplina Macedonum*, quod convenientius videtur. Disciplina etiam est, quae format, non ob quam quis formatur, vel informatur. Schepf. — Non erat, cur Schefferus convenientius putaret *formatam disciplina Macedonum*, quasi disciplina non passim ita pro arte moribusve sumatur, qui disciplina adsciscuntur: ut Iphicrates *disciplina militari nobilitatus* fuisse dicitur Nepoti. Livius XLIV. 1. *Castra .. in Thessalia .. habebat; sicut nulla re bellica memorabili gesta, ita* ad *cunctam militarem* disciplinam *ab effusa licentia* formato *milite* etc. Addatur idem lib. I. 21. et lib. III. 36. *Sic iam inde ingenio vivere coepit, novosque collegas iam priusquam inirent magistratum*, in *suos* mores formare. Silius Italicus X. 188.

*Tyrius quos fallere doctos*
*Hanc ipsam pugnae rector* formarat ad artem. Wopkens.

5. Iactantes, hostes suos in officium suum subiectos. *Iactare* non modo idem quod gloriari, sed et idem quod dicere. Virgilius:

*ibi haec incondita solus*
*Montibus et silvis studio iactabat inani.*

Ipsum quoque primitivum *iacere* idem est quod dicere. Pro *subiectos* alius *sublectos*, alius *subactos*, alius *suffectos* mavult. Verum *subiectos* ipsum satis commodum. Supra I. 9. 9. *Prostrato Mergide fratrem suum subiecit Oropusten.* Vorst. — *Subiectos.* Hoc est, suppositos. Freinshemius mallet *sublectos*, quae vox comparet et supra III. 3. 2. Praetulerim quod est in editione Viennensi *subactos*, quod et Hispanicus interpres expressit. *suffectos* aut *subfectos* legit Gronovius. Bernec.

6. Orant suppliciis suis potius saturet se, quam contumeliis. MSS. quidam mei, *orant suppliciis suis saturet se, quam contumeliis*, ut dixit Plautus: *Tacita mulier bona est, quam loquens.* Vide et hic Novantiquas meas. Mod. — Modius *potius* a MSS. quibusdam suis abesse scribit; nec requiram. Vide Notam ad XII. 8. 14. Bernec.

7. Undecim millia militum veteranorum. Arrianus lib. VII. ἐγένοντο ἐς τοὺς μυρίους. *decem circiter millia fuere.* Cui consentit Diodorus: Ἀπέλυσε τῆς στρατείας ὄντας ὡς μυρίους. Vorst. — Penultima vox desideratur in MS. Col. N. Abr. Gronov.

8. Gorgias, Polydamas, Amadas. Omnino *Amyntas* legendum, non *Amadas*. Voss. — Isacus ille Vossius legit, *Amyntas*, optime; quanquam saepe in nominibus Macedonicis Thracia saepe barbaries est, quia utraque regio confinis. Faber. — Ab antiquioribus editionibus nomen hoc *Amadas* abest. Vossius pro eo legendum putat *Amyntas*. Blancardus autem ex praecedenti *Polydamas* incepisse credit, vitio librariis familiarissimo. Vide Notas huius ad VII. Arriani. Vorst. — Vossius pro *Amadas* malebat *Amyntas*, idque ipsum exhibent Magl. Thuan. a manu sec. verum Blancardus ad Arrianum lib. VII. de Exp. Alex. pag. 466. suspicabatur hoc nomen ex praecedenti ortum fuisse; idemque desideratur in MS. Coll. N. atque ed. Bechar. Ven. Flor. Med. Paris. Ald. Iunt. Abr. Gronov.

10. Revertentibus. Scilicet in patriam. Bernec.

11. Ephaestion decedit. Ecbatanis. Praeter saepe citatos auctores, vide Aelian. Var. Hist. VII. 8. Eum ut heroem coluit Alexander. Arrianus lib. VII. Bongars. — Et Curt. X. 4. 24. et Plutarchus Alex. cap. 123. Bernec. — Quart. Leid. ed. Rom. *Hephaestion.* Abr. Gronov.

Mox obsequiis. Si Viennensem Camert. editionem secuti distinguamus, ita, *dotibus primo formae, pueritiaeque mox obsequiis*, ad obsequia impudica pertinuerit oratio. Sed haec potius de obsequiosis aulae ministeriis accipienda videntur. Vide Curtium III. 12. 23. *Bassus Silvanum specie obsequii regebat.* apud Tacit. III. Hist. 50. Bernec. — Med. *demum obsequiis.* Vincentius, *mox obsequio.* Abr. Gronov.

12. Contra decus regium. Sallustius Iugurth. cap. 33. *Igitur Iugurtha* contra decus regium *cultu quam maxime miserabili cum Cassio Romam venit.* Wopkens.

Tumulumque ei duodecim millium talentorum. Sic et Curtius X. 4. 25. sed Plutarchus Alex. cap. 124. *decem millia* habet, usus scilicet rotunditate numeri *myriadis*, parum excedentia reiiciens. Bernec. — Med. Bodl. Paris. ed. Rom. *talentum.* Abr. Gronov.

Eumque post mortem coli ut Deum iussit. Arrianus lib. VII. scribit, a plerisque proditum esse, Alexandrum Hephaestioni *ὡς ἥρωϊ, ut heroi*, parentari iussisse: item, venisse ab Iove Ammone, qui ad eum missi essent, dicentes, Ammonem dixisse, *ὡς ἥρωϊ ὅτι θύειν θέμις, quod ut heroi sacrificare ipsi fas esset.* Tantundem et Plutarchus prodidit. Heroës autem ut *ἡμίθεοι*, *semidei*, habiti, ita et cultus illorum a divinis nonnihil discrepavit. Vide et notas Blancardi ad lib. VII. Arriani. Vorst. — Lucianus in tractatu, Calumn. non temere cred. tom. II. pag. 419. *ἐπεὶ γὰρ ἀπέθανεν Ἡφαιστίων, ὑπὸ τοῦ ἔρωτος Ἀλέξανδρος ἐβουλήθη προσθεῖναι καὶ τοῦτο τῇ λοιπῇ μεγαλουργίᾳ, καὶ θεὸν χειροτονῆσαι τὸν τετελευτηκότα. εὐθὺς οὖν νεώς τε ἀνέστησαν αἱ πόλεις, καὶ τεμένη καθιδρύετο, καὶ βωμοὶ, καὶ θυσίαι, καὶ ἑορταὶ τῷ καινῷ τούτῳ θεῷ ἐπετελοῦντο.* Zonaras lib. IV. Annal. cap. 14. *Ἐν Ἐκβατάνοις δὲ γενομένου αὐτοῦ, ὁ Ἡφαιστίων ἐπύρεττε, καὶ ἐξ ἀκολάστου διαίτης τῆς νόσου*

κρατυνθείσης ἐξέλιπεν. οὐκ ἤνεγκεν οὖν λογισμῷ τὸ πάθος Ἀλέξανδρος, ἀλλὰ τὸν μὲν ἰατρὸν ἀνεσταύρωσεν· ἵππους δὲ κεῖραι καὶ ἡμιόνους προσέταξε, καὶ τὰς ἐπάλξεις περιεῖλε τῶν πόλεων, καὶ μουσικὴν καὶ αὐλοὺς ἐν τῷ στρατοπέδῳ πολὺν χρόνον κατέπαυσεν. Confer Plutarchum in Pelopida pag. 296. Abr. Gronov.

## CAP. XIII.

1. Babyloniam revertenti. Sec. Leid. Ald. Iunt. *Babylonem*. Abr. Gronov.

Hispaniarum. Notat in variantibus Bongarsius, esse in uno MS. *Spaniarum*, atque ita in optimis exemplaribus Curtii, forte X. 1. 22., scriptum se repperisse. Certe D. Hieronymus ad Esaiae caput LXIV. *Spaniam* vocat: et vetus in Iuvenalem Glossographus Tagum *Spaniae* facit fluvium, et Galenus VI. Simplic. cap. 4. *Spanum* vocat oleum ex *Iberia* (sic Hispaniam nuncupat) advectum. Consonat denique hodierna appellatio nostratium Italorumque: nec abeunt Hispani Gallique. Nam *Espqna* et *Spania* scriptione tantum differunt; cum illi vocibus Latinis, quibus ab S litera initium, E praeponere, suasque facere consueverint. Vide Gruterum in Capitolini Antoninum cap. 1. et Merulae Cosmogr. pag. 275. A. Ita *Spaniensis* XLII. 5. 11. in Variantibus. Bernec.

Siciliae, Galliae, Sardiniae. Coll. N. *Siciliae*, *Sardiniae*. Abr. Gronov.

Ex Italia. Erant in his Bruttii, Lucani, Tusci. Num et Romani? Asserunt hoc aliqui: diserte negat Arrianus lib. VII. Imo dicit Liv. IX. 18. 5. *Alexandrum Magnum ne fama quidem populo Rom. cognitum fuisse.* quod vix credi queat. Legationis a Romanis ad Alexandrum missae meminit Plin. III. 5. 30. Bernec.

Eius adventum Babyloniae opperiri. Med. Magl. Leidenses, Periz. *adventum eius*. pr. sec. tert. Leid. ed. Ald. Iunt. *Babylona*. Vincentius lib. V. cap. 63. *eius adv. Babylone experiri.* et paullo post idem cum sec. Leid. Ald. Iunt. *Babylonem festinanti.* pr. Leid. *Babilona f.* Dein §. 4. et 6. sec. Leid. eaedemque editiones quoque dant, *Babylone*, et *Babylonem*. Abr. Gronov.

3. Quidam ex Magis. Vide Senecae Suasoriam IV. in ea censeo legendum, *Babylone excluditur*, *cui patuit Oceanus.* Vulgo, *Babylone cluditur*. nisi mavis, *Babylon ei cluditur.* Bongars.

Hunc locum ei fatalem fore. Vincentius: *hoc ei fatale fore.* Abr. Gronov.

4. Ob hoc omissa Babylonia in Byrsiam urbem. Birthae meminit Ptolemaeus ad Tigrim supra Babyloniam. Byrsiam haud scio an idem locus. Arrianus Alexandrum ait egressum Babylone, per Euphratem venisse ad Pallacopam fluvium DCCC stadiis a Babylonia distantem, inde Babylonem regressum. Glarean. — Huius loci nemo praeter hunc meminit. Bongars. — Non puto locum hunc esse sanum. MSS. aliqui praeferebant, *Burbesiam.* Arbitror, scri-

legendum esse *Borsippam*. Locus ille non videtur usque adeo celebris fuisse aevo Alexandri. Persae hoc oppidum vocant *Kermes*. Sed errant, cum dicunt, in eo Alexandrum mortuum esse. Voss. — Is. Vossius ὁ πάνυ coniecit εὐστόχως corrigendum, *Borsippam*. Sic sane legitur apud Iuntas. Graev. — Praeclare Vossius, *Borsippam*. Neque enim, eo quidem in loco, ulla *Bursia* erat. Faber. — MSS. quidam pro *Bursiam* habent *Burbesiam*. Vossius legendum coniecit *Borsippam*. Ipsumque illud in editione Iuntina reperit deinde Graevius. Vorst.

In Borsippam . . . concessit. Ita ex Iuntina, cui Aldina adstipulatur, edidit Cl. Graevius. Plerique MSS. ed. Bongars. *Bursiam*. Periz. *Brixiam*. Coll. N. *Blesiam*. ed. Ienson. Rom. *Byrsam*. Bechar. *Byrsiam*. Vincentius, *Bursiam conscendit*. Paullo ante sec. Leid. ed. Rom. *Ob haec omissa Babylone*. Abr. Gronov.

5. Magorum praedicta contemnere, ut falsa et incerta. Coll. N. *ut falsa*, *ut incerta*. Vincentius: *Magorum dicta c. tanquam f. et inc.* Abr. Gronov.

Immutabilia. Tacit. Histor. I. 18. 2. *Quae fato manent, quamvis significata, non vitantur*. Val. Max. I. 6. 10. *Dirum omen quemadmodum timemus, ita vitare non possumus*. Liv. XXV. 16. 3. *Nulla providentia fatum imminens movere potest*. Bernec.

7. 8. 9. In his et seqq. dissentit aliquantum a Nostro Plutarchus Alex. cap. 127. et deinceps. Bernec.

Totusque in laetitiam effusus, cum diei noctem pervigilem iunxisset. Ed. Rom. *in laetitia effusus*. Med. sec. quint. Leid. *vervigilando*. Bodl. *vigilando*. Magl. *privigil*. Coll. N. *totusque laetitiam fusus, c. d. noctem coniunxisset pervigilem*. Tert. Leid. a pr. m. et Vincentius, *duxisset*. Abr. Gronov. — Quod pro *pervigilem* in uno codice *vigilando*, in altero *pervigilando* legitur, haud dubie de glossa est. Seneca Herc. Octaeo 646.

*Aurea rumpunt tecta quietem,*
*Vigilesque trahit purpura* noctes.

Ruffinus H. Eccles. X. 12. *Tum ille nocte . . sub altari iacens, atque in oratione et lacrimis totam* pervigilem *ducens*, *ecclesiae causam Domino commendabat*. Talia sunt *tempus sobrium*, Aur. Victor. Epit. cap. XL. 19. *Occupata tempora*, Cicer. pro Plancio cap. 27. *Peccans immortalitas*, Tusc. V. 2. et plura eiusmodi. Wopkens.

Medicus Thessalus. In omnibus libris etiam scriptis mendum est: legendum enim *Medius*, Μήδιος ὁ Θετταλός. Arrianus lib. VII. Diodorus extr. lib. VII. Plutarchus Alex. cap. 127. Bongars. — Haec Bongars. et pridem Paulus Leopardus Emendation. XVII. 10. m. Bernec. — *Medius*. Ita Athenaeus X. pag. 434. Ὅτι παρὰ Μηδείῳ τῷ Θεσσαλῷ δειπνῶν Ἀλέξανδρος, εἴκοσιν οὖσιν ἐν τῷ συμποσίῳ, πᾶσιν προὔπιεν. etc. et Plutarch. Demet. pag. 896. Μήδιος Ἀντιγόνου φίλος. Idem de Discr. Adul. et Amici, pag. 65. ὁ Μήδιος τοῦ περὶ τὸν Ἀλέξανδρον χοροῦ τῶν κολάκων ὥσπερ ἔξαρχος.

Vide eundem de Animi Tranq. pag. 472. Gronov. — Pridem Leopardus et Bongarsius hunc locum emendarunt, approbantibus Iuntis, qui scribunt, *Medius*. Sic enim Arriano, Plutarcho, et Diodoro dicitur. Graev. — Bongarsius, ut erat homo doctus, facile vidit legendum esse, *Medius*, non, *medicus*. Hic autem *Medius* ille ipse est, quocum, paucis ante mortem diebus, alea lusitabat Alexander; eratque ille Medius genere Thessalus, et inter principes cohortis regiae. Plutarch. Hic vero facile est probare Iustinum errasse, et exemplar Trogi Pompeii perperam legisse. Nam Thessalus, quod gentis nomen est, putavit esse hominis proprium cap. 14. *Praemonito filio, ne alii, quam Thessalo crederet.* et mox: *Hoc igitur ex causa apud Thessalum paratum repetitumque convivium est.* Sed et alibi saepius erravit Iustinus; id quod hactenus satis patuit, et inferius patebit. Faber. — Perperam vulgo editur *medicus Thessalus*. Legendum enim *Medius*. Et manifeste hoc rursus Graevius in editione Iuntina reperit. Graece est Μήδιος. Et scribit Arrianus lib. VII. eum τῶν ἑταίρων τοῦ Ἀλεξάνδρου πιθανώτατον fuisse. *Thessalus* vocatur a gente, ex qua oriundus fuit: atque infra XII. 14. 7. simpliciter dicitur *Thessalus*. Fuit et *Medius* Larissae in Thessalia princeps, qui cum Lycophrone Pheraeorum tyranno bellum gessit, ut ex Diodoro Sic. XIV. 83. constat. Vorst. — Ald. Iunt. *Midius Th.* Abr. Gronov.

Invitat. Firmat hoc notam nostram ad I. 6. 5. Bernec. — Saxo lib. XIII. pag. 246. 37. *instaurata comissatione, crebris custodes poculis attentabat.* Abr. Gronov.

8. Veluti telo. Ὥσπερ λόγχῃ πεπληγώς. Plutarchus Alex. cap. 127. qui haec conficta scribit, neque Alexandrum veneno interiisse: quod et Arrianus lib. VII. Bongars.

9. Elatusque e convivio. Praepositionem omittunt Med. Magl. quart. Leid. Coll. N. ed. Rom. Abr. Gronov.

Tactumque hominum velut vulnera indolesceret. Ut *dolere* utroque casu construi vidimus, sic cum ablativo Celsus dixit lib. VIII. 9. tactu *tamen is locus leviter* indolescit. Elegantius autem apud Iustinum legeretur *tactuque hominum velut vulnere indolesceret*, vel *tactusque hominum velut vulnera indolesceret.* Wopkens.

10. Amici caussam morbi. Dorv. 1. et 3. cum Francq. et ed. vetere *Amici caussas morbi* etc. quod non minus congruit, quia sequitur in plurali *insidiae fuerunt;* eoque magis videtur esse Iustini, quo saepius plurali pro singulari usus est. Lib. XIII. 5. Caussae *belli erant, quod . . epistolas in G. scripserat, quibus* etc. Lib. XXIV. 1. Caussas *belli praetendentes, quod . . C. campum per vim occupassent.* Lib. XXX. 3. Caussas *belli adversus P. quaerentibus, quod* etc. Sic enim tres nostri aliique MSS. lib. XXXVIII. 1. *Sperans, si obsisteret adolescens,* caussas *belli futuras, aut* etc. Wopkens. — Med. Leidenses, Perizon. Vincentius, *causas.* Abr. Gronov.

Re autem vera insidiae fuerunt. Saxo lib. XIV. pag. 267.

*init. re autem vera Canuto Suenonis filiae postulandae negotium fuit.* ABR. GRONOV.

OPPRESSIT. Forte, *suppressit.* GRONOV. — Hic rursum, quamvis inviti, dissentire necesse habemus a Gronovio, pro *oppressit*, *suppressit* legendum coniiciente. Livius XXIII. 22. *Q. F. Maximus . . id omnium maxime legendum, occulendum, obliviscendum, pro non dicto habendum esse. Ita eius rei oppressa mentio est.* Vide et Dukerum ad Flor. IV. 7. 4. WOPKENS.

## CAP. XIV.

1. AUCTOR INSIDIARUM. Vincentius, *actor insid.* ABR. GRON.

QUI CUM CARISSIMOS AMICOS EIUS. Illud *qui* hic plane supervacuum est: vel certe non est plena oratio. VORST. — Ald. Iunt. *qui carissimos*, et *Lyncisten.* ABR. GRONOV.

ANTIPATER FUIT, QUI CUM etc. Delent illud *qui*, ut otiosum. Mihi Iustinus sic scripsisse videtur: *Antipater fuit, idque cum.* In vocabulo *idque* duae primae litterae perierunt propter similitudinem proxime praecedentium, post *que* mutatum est in *qui.* SCHEFF. — In edit. Iuntina desideratur *cum.* Sed praestat *qui* delere cum Vorstio. Pendet alioqui oratio. GRAEV. — Membra orationis, interiectis his, *cum carissimos arbitrabatur*, dissipata, sequentibus *igitur etc.* quodammodo rursus connectuntur; quod ita male habere non debuit Vorstium, Schefferum ac Graevium, ut invitis libris, *qui* ante *cum carissimos* etc. tollendum, aut in *idque* migrandum coniicerent. Par ratio est lib. III. 4. *Itaque cum . . revocarentur, veriti ne . . nocerent; quippe . . sibi belli damna assidua . . esse:* itaque *legunt iuvenes* etc. Orosius V. 3. *Nam cum Metellus praeter Achaeos . . devicisset, quorum priore bello occisa esse viginti millia . . Claudius historicus refert; Valerius Antias in Achaia etc. Sed de varietate discordantium* etc. *Igitur post exstincta totius Achaiae praesidia* etc. Cicero de Fin. I. 6. *Deinde ibidem homo acutus, cum illud occurreret, si omnia deorsum e regione ferrentur . . nunquam fore ut atomus altera alteram posset attingere: itaque attulit rem commentitiam* etc. ubi consule Davisium, nec non quae ad Livii II. 12. et XLIV. 40. et alibi notavit Gronovius. WOPKENS. — Hunc locum, ut nunc legitur, apodosi destitutum, viri docti alius alio modo sanari posse speraverunt. Quos miror non vidisse, certam medendi rationem illam esse, quam editio Iuntina offerebat, quae coniunctionem *cum* haud agnoscit. Ea quotiens a librariis post pronomen *qui* temere intrusa fuerit, longum est dicere: et dixi ad Cic. de Divinat. II. 28. Locis, quae ibi laudavi, adde de Fato 19. *Quibus in rebus cum causae antecesserint* etc. ubi coniunctionem a Lambino dudum damnatam, novissimus tandem eius libelli editor merito exturbavit. HOTTINGER.

ALEXANDRUM LYNCISTARUM. Rescripsi ex Iuntis: *Alexandrum Lyncistam.* apud quos tamen *Lyncisten* hic conspicitur, formatione

Graeca. GRAEV. — Scripsi rursus, ut in editione Iuntina esse testatur Graevius. Vulgo inepte *Alexandrum Lyncistarum:* de quo quid habendum, dixi sup. ad XI. 2. VORST.

2. NON TAM GRATUM APUD REGEM, QUAM INVIDIOSUM. Ita supra V. 2. 4. Eodem animo fuisse patrem Alexandri patet ex hisce Demosth. in Orat. contra Epist. Phil. *Eum ita gloriae cupiditate inflammatum dicunt, ut omnia praeclara facinora, sua esse videri velit: et magis indignetur ducibus atque praefectis, qui aliquid laude dignum gesserunt, quam illis, qui prorsus infeciliter rem administrant.* Et in universum Sallust. Catil. 7. *Regibus boni quam mali suspectiores sunt: semperque his aliena virtus formidolosa est.* Quod dictum pluribus explicatur a Grutero Dissert. 34. ad Tacitum. BERNEC.

3. VARIIS SE CRIMINATIONIBUS. Illud *se* factum ex littera finali praecedentis et initiali sequentis vocabuli, ac delendum. Praecedit enim: *se magnis rebus* etc. SCHEFF.

4. SUPPLICIA. De quibus XII. 10. 8. BERNEC.

5. AD POENAM. Vide supra XI. 5. 3. et ibi notam. BERNEC.

EX QUIBUS SE . . EVOCATUM. MSS. et vetustae editiones, *ex quibus* (tert. Leid. *ex his*) *rebus se;* nec aliter prima et secunda Graeviana. Med. Magl. Leidenses, Thuan. Bodl. *vocatum.* ABR. GRONOV.

6. AD OCCUPANDUM REGEM. Ita quoque legendum apud Vincentium, pro *ad occ. regnum.* ABR. GRONOV.

7. CUIUS VENENI. Mallet Bongarsius, *eius veneni.* Mihi propius vulgatae videtur, si legamus, *huius veneni.* SCHEFF.

UT NON AERE, NON TESTA CONTINERETUR. Vincentius: *nec ferro, nec testa.* ABR. GRONOV.

UNGULA EQUI. Sic et Pausanias in Arcadicis. Plutarchus autem Alex. cap. 129. et Aelianus Hist. An. X. 4. *ungulam asininam.* Arrianus VII. Plin. XXX. fin. et Vitruvius VIII. 3. *mulinam* habent. Curtius X. 10. 25. *iumenti ungulam* dicens, rem in medio reliquit. De veneno illo (*Stygos hydor* appellant) indicatis modo locis adde Herodotum VI. 74. Senecam lib. III. Nat. Quaest. cap. 25. Plutarchum de prim. frig. cap. 25. et Strabonem sub finem lib. VIII. adde Philandr. in Vitr. pag. 332. pr. BERNEC. — Alii in ungula mulae venenum illud servatum scribunt. Arrianus lib. VII. ἐν ἡμιόνου ὁπλῇ. Plinius XXX. 16. *Ungulas tantum mularum repertas, neque aliam ullam materiam quae non perroderetur a veneno stygis aquae, cum id dandum Alexandro M. Antipater mitteret, memoria dignum est, magna Aristotelis infamia excogitatum.* Vitruvius VIII. 3. *Est in Arcadia Nonacris nominata terrae regio, quae habet in montibus e saxo stillantes frigidissimos humores. Haec autem aqua στυγὸς ὕδωρ nominatur, quam neque argenteum, neque aeneum, neque ferreum vas potest sustinere, sed dissilit et dissipatur. Conservare autem eam et continere nihil aliud potest, nisi mulina ungula. Quae etiam memoratur ab Antipatro in provin-*

*ciam, ubi erat Alexander, per Iollam filium perlata esse, et ab eo ea aqua regem esse necatum.* VORST.

NE ALII QUAM THESSALO ET FRATRIBUS CREDERET. Magl. Perix. Bodl. *aliis.* Med. *decrederet;* nec aliter quintus Leid. cui adscriptum est: „al. *detegeret.*" ed. Rom. *ne alii quam Thessalo crederet et fratribus.* ABR. GRONOV.

9. PRAEGUSTARE AC TEMPERARE POTUM REGIS SOLITI. Plutarchus Alex. cap. 125. vocat *ἀρχιοινοχόον.* Hieronymo *οἰνοχόος* dicitur *minister vinarius.* BONGARS. — Qui mos a Persis est; Xenophon lib. I. *Παιδείας· Οἱ τῶν βασιλέων οἰνοχόοι, ἐπειδὰν ἐνδιδῶσι τὴν φιάλην, ἀρύσαντες ἀπ' αὐτῆς τῷ κυάθῳ, εἰς τὴν ἀριστερὰν χεῖρα ἐγχεάμενοι, καταῤῥοφοῦσι, τοῦ δὴ, εἰ φάρμακα ἐγχέοιεν, μὴ λυσιτελεῖν αὐτοῖς.* transiitque mox ad Romanos, simul unus omnia apud illos posse coepit. Tacitus lib. XIII. Annal. *Quia cibos potusque eius dilectus ex ministris explorabat.* Plinius lib. XXI. cap. 3. *Antonio timente nec nisi praegustatos cibos sumente. Praegustatos* dixit, ut Noster *praegustare*, proprie plane: qui enim hoc faciebant, *praegustatores* dicebantur. Lapis Romae, teste Lipsio ad Tacitum:

GENIO
CAELI. HERODIAN
PRAEGUSTATOR
DIVI. AUGUSTI
IDEM. POSTEA. VILLICUS. IN
HORTIS. SALLUSTIANIS
DECESSIT. NONIS. AUGUSTIS
M. COCCEIO NERVA
C. VIBIO RUFINO COSS.

et alia item Inscriptio: TI. CLAUDIUS. FLAMMA. CLAUSUS. TI. AUG. PRAEGUSTATOR. MOD. — De praegustatoribus veterum Lipsius ad Tacit. Annal. XII. Not. 162. et plura Meursius Exercit. Critic. Part. II. cap. 3. BERNEC. — Pr. Leid. *regis potum.* sec. quint. *potum regi.* Periz. *regi potum.* Ald. Iunt. *temperare et praeg. p. r.* ABR. GRONOV.

IN AQUA FRIGIDA. Ita factum et Britannico, ab eadem causa et cautione. Tacit. XIII. Annal. 16. BERNEC. — Imo aqua frigida, et frigidissima, venenum ipsum fuit, ut ex Vitruvii modo allatis apparet. Pari modo scribit Plutarchus, *τὸ φάρμακον ὕδωρ εἶναι ψυχρόν. venenum aquam esse frigidam.* VORST. — Nil mutandum hic. Nam licet venenum ipsum aqua esset frigida, tamen addenda fuit alia frigida, saltem ut serviretur speciei externae. Nam veneni quidem per se copia non potuit esse tanta, quanta poculis vulgo admisceri de aqua frigida solebat. SCHEFF.

## CAP. XV.

1. Quarto die. Quia *impletae cibis vinoque venae minus efficacem in maturanda morte vim veneni fecerunt.* ut Livius XXVI. 14. 5. de Campanis loquitur. Exemplo est et Claudius apud Tacitum Annal. XII. 67. At vitalia citius petit, quicquid vacuis venis immittitur. Bernec.

Indubitatam mortem sentiens. Saxo lib. III. pag. 43. 38. *qui cum indubitatum fatum sibi imminere sentiret.* Abr. Gronov.

Agnoscere se fatum domus maiorum suorum ait: nam plerosque etc. Hic quoque vitium est, quod ostendisse sit satis. Lego, *Agnoscere se fatum domus suae; nam plerosque Aeacidarum* etc. Illud autem *maiorum suorum* nihil aliud est quam glossema, ut vocant, superadditum huic voci, *Aeacidarum*, qui revera Alexandri Magni maiores fuerant. Faber. — Confer Florum II. 6. *Certe Annibal . . quum proiectum fratris caput ad sua castra vidisset, agnosco, inquit, infelicitatem Carthaginis.* Audacius autem, et citra quam necesse est, Faber legendum statuit, *agnoscere se fatum domus suae ait*, quasi *maiorum suorum* manaverit de glossa τοῦ *Aeacidarum.* Wopkens. — Vincentius lib. V. cap. 65. *agnoscere se f. domus suae, ait, et maiorum suorum.* Abr. Gronov.

Aeacidarum. Fuit Alexandri mater Olympias, filia Neoptolemi regis Molossorum; qui genus a Pyrrho Neoptolemo, Achillis filio, duxit. Achilles *Aeaci* ex Pelope nepos. Bernec.

2. Perisse. Sic in uno MS. haberi scribit in Var. Lect. Bongarsius, rectius opinor, quam quod idem edidit, *perire.* Facit Curtius lib. X. fine cap. 4. Bernec. — Med. sec. tert. Leid. Periz. Bodl. Thuan. *insidiisque perisse.* nec aliter Ald. Iunt. verum Magl. pr. tert. quart. Leid. ed. Rom. Med. Bongars. et Vincentius, *insidiisque perire.* Bechar. *insidiis perire.* Abr. Gronov.

3. Quibusdam . . . dederit. Ita Camertis editio: rectius quam alii, *quibus* et *dedit.* Bernec.

4. Invictus animus. Vix dubito scribendum, *invictus animi.* Tacitus ita saepicule: ut Annal. I. 32. 6. *ferox animi.* et I. 69. 3. *ingens animi* etc. Virg. Aeneid. IV. 529. *infelix animi.* Statius, *eximius animi.* Bernec. — Vix dubitabat Berneccerus rescribendum *invictus animi fuit.* Mihi secus sentire liceat; facile enim voci *animus* subauditur *eius*, ut lib. XVIII. 1. *in quam rem inclinatum semel* animum *praecipitem agere coeperant exempla maiorum, ne aut inferior patruo suo Alexandro videretur* etc. Livius XLV. 19. *Is ad occupatas iam aures, solicitatumque iam* animum *quum venisset, aggressus* etc. Adde Sallust. Iug. cap. 43. *Quod adversum divitias* animum invictum *gerebat.* et quae ibi Cortius. Wopkens.

5. Videanturne etc. Curtius X. 5. 3. Haec interrogatio non extat in Graecis scriptoribus: ex iis desumtam apparet, quorum scripta cum tempore interierunt. Bernec.

6. Tum ipse. Magl. ed. Rom. Ven. Flor. Paris. Ald. Iunt. *tunc ipse.* Abr. Gronov.

Quantis caedibus. *Quantis* hic pro quot accipiendum esse, uti videbatur Broukhusio ad Propert. I. 5. hoc mihi quidem non liquet; vixque verisimile fit, quum voces *quanti* pro quot et *tanti* pro tot, licet aliis praesertim lapsae Latinitatis scriptoribus satis frequentes, non ita tamen amatae Iustino fuerint. ut igitur multorum caedes *magna caedes* vel *magnae caedes* dici solet, sic *quantis* hic pro quam magnis sumi nihil vetat. Wopkens.

Sibi parentatura. Diodorus XVII. 117. et XVIII. 1. *ἀγῶνα ἐπιτάφιον* vocat. Bongars. — Sicut et Arrianus lib. VII. Allusio metaphorica. Defunctis enim gladiatorum sanguine parentare mos erat, ludosque funebres ex antiquissimo ritu fieri: sicut ex Virgilio de Anchisae parentalibus, et ex Statio de Archemori exsequiis, tum etiam ex Homero Patrocli inferias prosequente etc. notum est. Observat Iac. Nicol. Loënsis Miscellan. Epiphyll. lib. V. cap. 18. Eunapiam in lib. de Vitis Sophistarum, dictum hoc ridicule satis ad Iulianum Sophistam transtulisse, de cuius exitu sic scribit: *Vitam finiit Athenis magnum certamen funebre* (*μέγαν ἐπιτάφιον ἀγῶνα*) *sodalibus suis relinquens.* praeclara mehercule imitatione maximi regis, et loquacis rhetorculi, eum paribus nugatoribus. Intelligit autem per *ἀγῶνα*, *commissiones*, quas ita vocat Plinius Panegyr. cap. 54. et Sueton. Aug. 89. 8. *ἀγῶνα τῶν ῥητόρων* Thucydides III. 6. 35. Bernec. — *Parentare* est in honorem parentum, aut aliorum, iusta celebrare. Fiebatque illud variis rebus; et inter cetera ludis quoque funebribus et munere gladiatorio. Nam, ut Tertullianus lib. de spectaculis scribit, *olim quoniam animas defunctorum humano sanguine propitiari creditum erat, captivos vel malo ingenio servos mercati in exequiis immolabant: postea placuit impietatem voluptate adumbrare. Itaque quos paraverant armis, quibus tunc et qualiter poterant eruditos tantum ut occidi discerent, mox edicto die inferiarum apud tumulos erogabant.* Dio Cassius lib. XXXIX. *ἀγῶνας ἐπιταφίους*, *certamina sepulcralia*, appellat. et quomodo Noster, ubi caedes, quae mortem Alexandri consecuturae essent, ipsum hunc praedicentem inducit, verbo *parentare* usus est; ita Diodorus ibi eadem de re agit, id est XVII. 117. et XVIII. 1. *ἀγῶνα ἐπιτάφιον* eam vocat. Vorst.

7. In Hammonis templo. MSS. omnes, quos vidit Bongarsius, habent *templum.* Nec repudio, quia pluribus in locis similia occurrunt, quae alibi notata. Scheff. — Med. pr. sec. quint. Leid. Peris. Bodl. Coll. C. C. *in templum.* Abr. Gronov.

8. Dignissimum. Diodorus XVII. 17. *τὸν κράτιστον.* Bongars. — Et XVIII. 1. *τὸν ἄριστον.* Iac. Nicolaus Loënsis eo quem modo dixi loco non perfunctorie perstringit Trogum, vel nostrum potius Epitomatorem, quod non bene sententiam Alexandri hic expresserit. Non enim illud volebat dicere, se heredem constituere, qui maxime dignus imperio foret: sed regnum suum fore in potestate occupantis,

*fortioris* scilicet, quod et eventus docuit. Neutra enim vox, seu κράτιστος, seu ἄριστος, *dignissimo* convenit. Nam κράτιστος *potentiam* significat, seu *violentiam*, ut ex Aeschyli Vincto Prometheo liquet. ἄριστος autem, ut nominis etymon ostendit, proprie *Marte praestantissimus* est: unde ἀριστεύειν, *omnium fortissime se gerere*; ἀριστεύς, *omnium fortissimus*; ἀριστεία, *forte facinus*; ἀριστεῖον, *fortitudinis praemium*. Idem ergo dixerit Alexander, quod Pyrrhus, alioqui etiam Alexandro comparatus a Plutarcho, vitae capite 14. a filiis interrogatus, *cuinam relicturus esset regnum?* respondit, *ei qui vestrum acutissimum habuerit gladium*. ibid. cap. 17. Eo pertinet, quod praevidere se dixit Alexander, grave de regno certamen inter illos oriturum, ut proinde sit necesse, rem ad eum inclinare, qui plus possit. Aliquanto melius hoc expressit Curtius X. 5. 7. *Ei relinquere se regnum, qui esset optimus.* quam vocem ad fortitudinem quoque refert Sallustius Iug. 92. 10. *Optumus quisque cadere aut sauciari.* Iunge huic Notam ad IX. 2. 4. ἀγαθὰς τὰ πολέμια Thucyd. IV. 25. 84. *bonus militia* Tacit. I. BERNEC. — Eodem quoque modo apud Stobaeum Serm. CXLIX. Κότυς ὁ τῶν Θρᾳκῶν βασιλεὺς ἐρωτηθεὶς, Τίνι καταλιμπάνεις τὸ βασίλειον; ἔφη, τῷ δυναμένῳ. GRONOV. — Non placet Iacobo Nicolao Loënsi, quod sententiam Alexandri Iustinus sic expressit. non enim hoc voluisse Alexandrum, heredem regni se constituere qui maxime dignus eo esset; sed qui esset fortissimus ac potentissimus: idque sibi velle vocabula κράτιστος et ἄριστος, quibus auctores Graeci, Diodorus XVII. 117. et XVIII. 1. et Arrianus lib. VII. in hac historia usi sint. Consentit quoque Blancardus Notis in Arrian. lib. VII. Sciendum tamen, Iustinum, etsi non *fortissimum*, aut *potentissimum*, sed *dignissimum* scripserit, ad fortitudinem tamen et potentiam, quam Alexander designatum iverit, et ipsum respexisse. Subdit enim: *Prorsus quasi nefas esset viro forti alium quam virum fortem succedere.* VORST.

9. ROXANEN. Filiam Cohortani Satrapae. Curt. VIII. 4. 31. Sed Arriano lib. VII. Oxyartis Bactrii, quem Diodorus XVIII. 3. regem appellat. Quin ipse Curtius alibi, scil. X. 3. 13. *Oxatris Persae* filiam eam appellat. BERNEC. — Ald. Iunt. *Rhoxanen.* Strabo lib. XI. pag. 517. ἐν ᾗ (Σισιμίθρου πέτρᾳ) καὶ ξενίας τυχεῖν πολυτελοῦς, καὶ γάμους ἀγαγεῖν Ῥωξάνης τῆς Ὀξυάρτου θυγατρὸς τὸν Ἀλέξανδρον. ABR. GRONOV.

NUNCUPARET. Med. Magl. Leidenses, Bodl. Coll. C. C. *nuncuparit*. ABR. GRONOV.

11. MALUM DISCORDIAE. Pomum Eridis. BERNEC. — Alluditur ad fabulam τοῦ μήλου τῆς Ἔριδος, *mali a Discordia missi.* et *malum* hic est per metaphoram. At XVI. 3. 1. *Discordiae malum* dicitur, ut *pervigilii malum* XXIV. 8. VORST.

ITA OMNES IN AEMULATIONEM CONSURGUNT. Pro *ita* aliquando *ira* legendum arbitrabar. Iudicent alii, an recte. Paullo post, pro *ambitione vulgi*, quod sine dubio aut transpositum aut corruptum,

vide an non legendum, *ambitione multi.* Boxhorn. — Perperam Boxhornius coniiciebat *ira omnes in aemulationem c.* pro *ita o. i. ae. c. Ita* hic respondet praecedenti *velut.* quemadmodum lib. XIII. 4. *Haec divisio* veluti *fatale munus singulis contigisset*, ita *magna incrementorum materia plurimis fuit.* Livius XXI. 8. *Qua* (ruina) veluti *si pariter utrosque muros texisset*, ita *utrimque in pugnam procursum est.* vide et lib. XXIX. 28. Florus II. 6. *Nam* quasi *has inferias sibi Saguntinorum ultimae dirae . . . mandassent*, ita *manibus eorum vastatione Asiae . . parentatum est.* Respice etiam ad ea quae in lib. I. 8. Iustini notavimus. Porro legendum hariolabar, *et ambitiose vulgi militum favorem quaerunt.* Wopkens.

Et ambitione vulgi tacitum favorem militum quaerunt. Sebis. ita: *et ambitione tacita vulgi militum favorem quaerunt.* Bernec. — Quid si legamus, *Ambitione vulgi militum tacitum favorem quaerunt?* sane *vulgus* et *milites* hic uni iidemque. et XIII. 1. 8. duo ista coniunguntur, legiturque, *vulgus militum thesauros spectabant.* Vorst. — Emendant, *ambitione tacita vulgi militum favorem*, vel *ambitione vulgi militum tacitum favorem.* In MS. quodam pro *tacitum* legitur *tanti cum.* unde videbatur scribendum, *et ambitione vulgari tanti tum favorem militum quaerunt.* Possis quoque retinere *vulgi*, et *ambitionem vulgi* explicare eam, qualis est in vulgo, qualem vulgus adhibet. Hanc ambitionem tanquam rem indecentissimam notat in *tantis*, id est tantae dignitatis viris. sententia, nisi fallor, eleganti. Scheff. — Non capiunt, quid sit *ambitio vulgi.* In libro sequente cap. 3. vocatur *adulatio vulgi*, qua scilicet vulgi favorem, seu popularem auram captant proceres, qui prensant et ambiunt dignitates. cuius et meminit lib. I. cap. 1. cum ait antiquissimis temporibus bonos ad regiam dignitatem non evexisse popularem ambitionem, sed spectatam moderationem. Quid autem hic sit *tacitus favor*, non intelligo. Forte scripsit Iustinus *tacite.* Adulabantur vulgo principes, nec tamen prae se ferebant verbis, regiam dignitatem ac successionem se ambire, sed blandis verbis ac donis quoque tacite vel taciti favorem militum quaerebant, qui desiderabatur ad id consequendum, quod postea palam essent ostensuri. Idem est, ac si scripsisset Iustinus, omni studio nituntur militum favorem sibi comparare clam et tacite, hoc est, sine professione illius caussae, cur tantopere illorum animos sibi velint conciliari. Graev.

12. Sexto die. Pr. Leid. et Vincentius: *Sexta die.* Abr. Gronov.

Exemtum digito anulum. Vincentius: *exceptum d. a.* Abr. Gronov.

Anulum. Quem una traditi imperii vel heredis instituti tesseram esse, non tamen nimis certam, hoc ipso et aliis exemplis confirmat eruditiss. Kirchmannus in lib. de Annulis cap. 22. Bernec.

13. Nuncupatus. Nuncupativum testamentum quid sit, explicant ICti. Eo utebantur, cum urgente vi valetudinis non sufficerent

ad obsignandas testamenti tabulas. Sueton. in vita Horatii, in qua nomen Consulis emendandum est, ut pro *C. Mario Censorino* legamus *C. Marcio Censorino*, ex Cassiodoro et Dione. Bongars.

Iudicio. Vide supra Not. ad V. 11. 8. Sebis. *indicio* mallet, quod id *voci* opponatur. Bernec. — Mihi pro *iudicio*, *indicio*, quod malebat Sebisius et exhibent impressi quidam, legendum certo videtur. Scheff. — Sebisii coniecturam hic minime possum laudare. Nam *iudicium* hic est extremum iudicium, extrema voluntas. Sententia haec est: etsi voce non esset heres declaratus, videbatur tamen haec esse voluntas extrema Alexandri, Perdiccam suum debere heredem esse, cui annulum regium tradiderat. Sic sup. V. 3. *Cyro iudicium patris iniuria videbatur.* hoc est extrema patris voluntas, sive tabulis scriptis, sive voce, sive signo data. Hunc locum iam dudum attulit Bernecerus, et alia ad eum notavit, ut mirer postea quoque Viros doctos hic haesitasse. Graev.

## CAP. XVI.

1. Mensem unum annos tres et triginta natus. M. Cicero Philipp. V. cap. 17. Ceteri, annos XXXII, menses VIII. Bongars. — Rectius scripsisset, *annos duos et triginta*, uti Blancardus Notis in lib. VII. Arriani demonstrat. Ipse Arrianus scribit, vixisse Alexandrum annos XXXII, menses VIII. ut auctor fit Aristobulus. Cicero Philipp. V. *tertio et trigesimo anno mortem obiisse* ait. Vorst. — Non totos illum tres et triginta explevisse annos, constans omnium est sententia. In MSS. legitur non *mensem unum*, sed *mense uno*. Cogitandum igitur an non scripserit Iustinus: *Decessit Alexander demto mense uno annos.* et sane per syllabam *der* in *Alexander* facile perdi potuit syllaba *dem* in *demto*, post illud *to* ut nullius sensus ac precii deleri. Scheff. — Quoniam Alexandrum annum aetatis XXX. non complevisse tradunt alii, et in quibusdam MSS. (ut in tribus Dorv.) *mense uno*, non *mensem unum* habetur; hine Schefferus tentabat *demto mense uno*, *annos* etc. Non minus autem placeret, quod Fr. Oudendorpius ad Obseq. cap. 104. coniicit, *mense minus annos* etc. Wopkens. — Pr. tert. Leid. *mense uno* (pr. *uno et*) *annis tribus et tr. n.* quart. quint. Periz. Bodl. Coll. N. ed. Ienson. Rom. Vincentius: *mense uno*, *et* (*et* abest quart. L.) *annos tres et triginta* (Coll. N. *triginta tres*) *natus.* Quae scriptura iuvat coniecturam Cl. Oudendorpii ad Iulium Obsequentem cap. 104. legentis, *mense minus annos tres et triginta natus.* Ado in Chron. *ibique* (Babylone) *tricesimo secundo vitae, regni autem sui duodecimo anno, ministri insidiis, veneni haustu periit.* Matthaeus: *Verum cum Darium regem annis tantum V supervixisset, et Babyloniam reversus fuisset, suorum insidiis in eadem urbe, in ipso aetatis et victoriarum suarum flore, vitam veneno finivit, vitae videlicet suae anno* 32. *regni vero sui duodecimo.* Arrianus lib. VIII. de Exped. Al. cap. 28. Ἐτελεύτα μὲν δὴ Ἀλέξανδρος τῇ τετάρτῃ καὶ δεκάτῃ καὶ ἑκατοστῇ Ὀλυμπιάδι, ἐπὶ Ἡγησίου ἄρχοντος Ἀθη-

νησιν· ἐβίω δὲ δύο καὶ τριάκοντα ἔτη, καὶ τοῦ τρίτου μῆνας ἐπέλαβεν ὀκτὼ, ὡς λέγει Ἀριστόβουλος· ἐβασίλευσε δὲ δώδεκα ἔτη καὶ τοὺς ὀκτὼ μῆνας τούτους. Ioannes Canabutzes Comment. in Dionysium Halicarn. lib. I. cap. 63. καὶ ζήσας (ὁ Ἀλέξανδρος) τριάκοντα καὶ δύο χρόνους καὶ μῆνας ὀκτὼ, βασιλεύσας δὲ μόνα τὰ δώδεκα καὶ τοὺς ὀκτὼ μῆνας· εἶτα ἀποθανὼν (ἄνθρωπος γὰρ ἦν) ζῇ, διὰ τῶν ἔργων αὐτοῦ καὶ τῶν λόγων, τὴν ἀθάνατον τῆς δόξης ζωὴν εἰς τὸν κόσμον τοῦτον. Vita Alexandri MS. Ἔζησε δὲ Ἀλέξανδρος ἔτη λβ. ἐβίωσε δὲ οὕτως· ἀπὸ κ ἐτῶν ἐβασίλευσεν. ἐπολέμησε δὲ ἔτι ιβ. ἐγεννήθη δὲ ὁ Ἀλέξανδρος μηνὶ Ἰανουαρίῳ, νεομηνίᾳ ἀνατολῆς οὔσης ἡλίου· καὶ ἐκάλεσαν τὴν ἡμέραν τῆς τελευτῆς αὐτοῦ νεόμηνα, διὰ τὸ τὸν Ἀλέξανδρον νέον τετελευκέναι. Eadem Latine MS. *Vixit autem annis XXXII. imperio potitus est annis XII.* Abr. Gronov.

2. Cum ingenti serpente. Qua causa Sidon. Apollinar. Carm. II. 80. Alexandrum *draconigenam* appellat. Adde supra XI. 11. 3. Bern.

Volutari. MSS. *voluptari*, unde Freinsh. *voluptuari*. Berneg. — MSS. aeque ut Iuntae, *voluptari*. Sic et Quintil. Decl. III. quae inscribitur Miles Marianus: *Tribunus inter scorta voluptabitur.* Sic MS. Lipsii, vulgo *volutabitur.* et Apul. IX. Metamoph. *Cum suis adulteris voluptatur.* Sic MSS. et primae editiones, ut notarunt viri eruditi, ubi quoque in vulgatis, *volutabitur.* Probo tamen ubique lectionem editorum librorum. Nam *volutari* saepe de rebus Venereis dicitur, ut exempla docent apud Ampl. Cuperum lib. IV. Observ. cap. 10. Graev. — MSS. habent *voluptari*, quod idem est ac oblectare se, et amori operam dare: vox est invidiosa et in probri loco posita. Sed *volutari* longe mihi arridet magis, cum agatur de serpente, quo se bona illa et frugi mulier Olympias implicitam praedicabat, per imaginariam Venerem, cum abesset Philippus. Hoc autem non abs re fuerit meminisse, (nam ex nihilo, ut aiunt, nihil) reperiri in Macedonia serpentes, qui tam facile mansuefieri possint, ut ex iis olim et puellae et matronae sibi armillas, sibi monilia facerent, vel ut animulas suas oblectarent, vel ad corpusculum frigerandum. Huius rei auctorem ciere possum Lucianum in Alexandro seu Pseudomanti. Faber. — MS. *voluptari*, quod est rectum, nec in *voluptuari*, quod Freinshemius volebat, mutandum. Docent Fabius et Apuleius, quos pro lectione ista vir Cl. G. Graevius laudavit. Scheff. — Etiam nostri tres Dorvilliani, ut alii, *voluptari.* Sed alterum haud postferendum, recte iam iudicarunt docti. Vide et Pricaeum ad Apulei. Metam. IX. pag. 180. Wopkens. — Plutarchus in vita Alexandri init. Ὤφθη δέ ποτε καὶ δράκων κοιμωμένης τῆς Ὀλυμπιάδος παρεκτεταμένος τῷ στόματι. Lucianus Dial. mort. pag. 290. ubi Diogenes ait Alexandro: καὶ μὴν καὶ περὶ τῆς Ὀλυμπιάδος ὅμοια ἐλέγοντο, δράκοντα ὁμιλεῖν αὐτῇ, καὶ βλέπεσθαι ἐν τῇ εὐνῇ, εἶτα οὕτω σε τεχθῆναι. et in Pseudomanti pag. 751. ὅθεν καὶ τὸν περὶ τῆς Ὀλυμπιάδος μῦθον διαφοιτῆσαι πάλαι εἰκὸς, ὁπότε ἐκύει τὸν

*Ἀλέξανδρον*, *δράκοντος τινὸς, οἶμαι, τοιούτου συγκαθεύδοντος αὐτῇ*. Marcianus Capella lib. VI. pag. 211. *Macedonia postea centum quinquaginta populorum maximis regibus inclyta, praesertim Alexandro (qui Philippo cum natus crederetur, eius mater Olympias dracone eum conceptum esse memorabat) victore orbis*. Ita MS. Vulg. *victor orbis*. Sec. tert. Leid. Periz. *voluptari*. Ald. Iunt. *voluptuari*. Vulgatum merito tuetur Nobilissimus Heinsius in Adversariis pag. 706. Abr. Gronov.

Maius humana mortalitate opus etc. Scribe: *maius humana mortalitate onus utero tulit. Onus* enim dicitur saepissime onus uteri, foetus. Ovidius: *Tendit onus matrem*. Exempla sunt obvia, et vel sexcenta apud solum Ovidium reperias. Graev. — Praeclare vero apud Graevium nostrum, *onus utero tulit*. Nil melius poterat. *Onus uteri* est foetus. Ita apud Phaedrum:

*Onus naturae melius quo deponeret.*

Faber. — Graevius emendat, *onus utero*, quod probo. Scheff. — Pro *opus* Graevius malebat *onus:* quomodo etiam legendum coniecerat Pricaeus Annot. in Euang. sec. Matthaeum I. 18. sed vulgatum recte tuetur Cl. Burmannus in notis ad Carmina P. Lotichii pag. 313. et ad Anthologiam II. 120. 6. Abr. Gronov.

3. Regna patris etc. Talis Archedice regina, cuius monumentum Thucydides VII. 9. 36. tale refert:

*Extulit haec animum nunquam, patremque virumque*
*Fratresque et gnatos imperitare videns.*

Minus ergo caute Tacitus XII. Annal. 42. Agrippinam *Imperatore genitam, et sororem eius, qui rerum potitus sit, et coniugem et matrem fuisse, unicum ad hunc diem exemplum esse* scribit. Nec vero Plinius VII. 41. *Una feminarum in omni aevo Lampido Lacedaemonia reperitur, quae regis filia, regis uxor, regis mater fuit*. Bernec.

4. Prodigia. De quibus Plutarchus in eius Vita cap. 4. Bongars.

Prodigia magnitudinis eius in ipso ortu nonnulla apparuere. Praepositio *in* abest sec. quart. Leid. Periz. ed. Rom. Dianae Ephesiae templum, nascente Alexandro, conflagrasse, referunt Cicero lib. I. de Divin. cap. 25. et Plutarchus Alex. pag. 665. ubi ait: *Ἐγεννήθη δ' οὖν Ἀλέξανδρος ἱσταμένου μηνὸς Ἑκατομβαιῶνος, ὃν Μακεδόνες Λῷον καλοῦσιν, ἑκτῇ, καθ' ἣν ἡμέραν ὁ τῆς Ἐφεσίας Ἀρτέμιδος ἐνεπρήσθη νεώς*. et paullo post: *Φιλίππῳ δὲ ἄρτι Ποτίδαιαν ᾑρηκότι τρεῖς ἧκον ἀγγελίαι κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον· ἡ μὲν, Ἰλλυριοὺς ἡττᾶσθαι μάχῃ μεγάλῃ διὰ Παρμενίωνος· ἡ δὲ, Ὀλυμπίασιν ἵππῳ κέλητι νενικηκέναι· τρίτη δὲ, περὶ τῆς Ἀλεξάνδρου γενέσεως. ἐφ' οἷς ἡδόμενον, ὡς εἰκὸς, ἔτι μᾶλλον οἱ μάντεις ἐπῆραν, ἀποφαινόμενοι τὸν παῖδα τρισὶ νίκαις συγγεγενημένον, ἀνίκητον ἔσεσθαι*. Abr. Gronov.

5. Nam ea die, qua natus est, duae aquilae tota die. Solennis satis istiusmodi voci *dies* repetitio est. Lampridius in Al. Severo: *Fertur* die *prima natalis eius, tota* die . . *stella primae magnitudinis visa*. Livius VIII. 38. *At hercle illo* die *ab hora* diei

*tertia ad octavam ita anceps dicitur* certamen stetisse etc. et lib. XLV. 2. *Supplicatio pro concione populi indicta est, ex ante* diem *quintum Idus Octob. cum eo* die *in quinque* dies. Vide lib. XXVII. 34. extr. et alibi. WOPKENS.

PRAEPETES. Scio tradere Hyginum, *praepetes* eas aves dici ab auguribus, quae opportune praevolant, aut idoneas sedes capiunt: non possum tamen, maxime cum Bongarsius in uno suo MS. repererit, *perpedes* pro *praepetes* contemnere plane, et extra numerum habere scripturam Fuldensium membranarum, in quibus disertim est *perpetes*, ut dictum est a Plauto Amphitr. I. 1. 124. *Quievi in navi noctem perpetem.* MOD. — Optime membranae Fuldenses, *perpetes.* Sup. lib. V. *perpeti nocte.* Cum tamen viri docti tuentur vulgatam, velim mihi explicent, quid sibi velint hic *praepetes.* Sed *tota die perpetes* est tota die perpetuo sederunt in illo culmine, ut nusquam se hinc moverent. Plaut. Amph. I. 1.

*Neque ego hac nocte longiorem me vidisse censeo,*
*Nisi item unam, verberatus quam pependi perpetem.*

GRAEV. — Bongarsius in uno Cod. MS. observavit *perpedes;* et Modius in MSS. Fuldensibus manifeste *perpetes:* quod idem hic non plane contemnendum iudicat. Sed et Graevio mirifice illud placet; cum ipse Noster lib. V. dixerit *perpeti nocte.* Nobis tamen non liquet; ideo quidem quod praecedit *tota die:* quod idem est quod *perpeti die.* VORST.

6. ALTERIUS, BELLI ILLYRICI. Forte legendum, *eadem quoque die nuntios pater eius d. vict. accepit; alterum belli Illyrici, alterum* etc. GRONOV. — MSS. quidam habent *alterae*, quam lectionem firmant alii multi, in quibus est *alterae.* Porro *alterae* pro *alterius* non est repudiandum in Nostro, qui secutus est Trogum, priscae eloquentiae virum, ut ipse eum nominat, vestigiaque plurima in Nostro testantur. Sane veteres *altera*, *alterae*, *alterae* inflexisse, argumento Plauti locus est in Rud. III. Sc. 4. ubi ait: *Nam huic alterae patria quae sit, perfecto nescio.* Atque sic et apud Terentium legitur. ut autem *alterae* in tertio, ita et in secundo casu dixisse per naturam inflexionum necesse est. ut adeo id hic sit notandum. SCHEFF. — Manifestum est, nimis hic festinasse Gronovium, dum coniicit, *E. q. d. nuntios pater eius duarum victoriarum accepit, alterum belli Illyrici, alterum* etc. Sic enim potius *nuntios . . duos* scripsisset Iustinus. Vult ille, Philippo nuntiatas fuisse duas victorias, alteram belli Illyrici, alteram c. O. Nec offendere virum summum debuit, quod *alterius belli* obscuriuscule sic dicitur pro *alterius nuntii belli* vel *de bello:* quemadmodum concursum eiusmodi similium casuum sollicitabat lib. XVI. 4. *Cum plebs et novas tabulas et divisionem* agrorum divitum (sc. hominum) *impotenter flagitaret.* ubi tentabat *divites.* Talia sunt lib. XVI. 2. *Alexandro . . necis ipsius* (sc. Alexandri) . . *poenas dedit.* lib. II. 2. *Quibus* (plaustris) *coriis i. h. c. tectis.* lib. IX. 2. *His* (verbis) *utrimque irritatis animis.* lib. XXIII. 1. *et pacem cum his* (hominibus) *aequis legibus fecerunt.* et cap. 2. *quo* (morbo) *toto corpore comprehensus.* Inani quoque diligentia perspicuitati consuluisse videntur librarii, qui contra morem Iustini pro *alterius*,

*alterae* in duobus Dorv. aliisque MSS. exhibuerunt. Adde quae ad lib. XXXIX. 5. WOPKENS. — Pr. quart. Leid. Periz. Thuan. *altera . . . altera.* Med. sec. quint. Leid. Bodl. Periz. ed. Rom. *alterae . . alterae:* quod placebat Scheffero. Ita *alterae* pro *alteri* usurpavit Columella lib. V. cap. 11. *ut alterae parti conveniat:* et *aliae* in secundo et tertio casu Gellius lib. IV. cap. 10. et IX. 4. Infra etiam XXIII. 2. 6. *alteri* pro vulg. *alterius* dat ed. Rom. *cum morbo cura et aegritudo graviores essent, et alterum alteri malo cresceret.* Porro Magl. Coll. N. ed. Bechar. Ven. Flor. Med. Paris. Ald. Iunt. *Olympiaci*, ut infra XII. 5. 3. *mercatu Olympiaco.* ubi Mediceus et tres alii dant *Olympico.* ABR. GRONOV.


7. PUER ACERRIMIS. Iuntae: *Puer acerrimus.* optime. Florus IV. 4. *Antonius praelatum sibi Octavium furens, inexpiabile contra adoptionem acerrimi iuvenis susceperat bellum.* hoc est solertissimi. GRAEV. — Iuntae: *acerrimus.* nec displicet. vulgatum sane vix Latinum est. SCHEFF. — Lege cum Iuntina ed. ut et duobus Dorv. MSS. *acerrimus*, quod iam Graevio ac Scheffero merito placuit. WOPKENS. — Praeter Iuntinam Rom. Bechar. Ven. Flor. Mediol. Ald. et MS. Coll. N. *acerrimus.* Cornelius Nepos Alcib. cap. 5. init. *acerrimi viri praestans prudentia.* ABR. GRONOV.

8. SUB ARISTOTELE. Plutarchus Alex. cap. 2. qui et cap. 8. praeceptores Alexandro tribuit Leonidam et Lysimachum Acarnana. De doctrina et studiis Alexandri locus insignis est orat. I. de Fort. Alex. cap. 4. et 5. eiusdem Plutarchi. BERNEC.

DOCTORE INCLYTO OMNIUM PHILOSOPH. Ridicule, neque isthuc a Iustino est, quod legis *doctore inclyto omnium philosophorum.* An Aristoteles doctor fuit omnium philosophorum? sit satis, suae familiae; aliarum, minime. An docuit Anaximenem, Anaximandrum, Thaletem, Democritum, Pythagoram, Parmenidem, Archelaum, Socratem, Platonem etc. qui ante ipsum fuerunt? An etiam eos docuit qui postea vixere, Epicurum et totam illius domum? etc. Unde igitur isthaec intrusa? ab inepto aliquo discipulo Alberti Magni, qui ad oram Iustini sui hoc adscripserat, admirans scilicet angelum Naturae, sed hoc parum est, Deum ipsum Naturae, volueram dicere. FABER. — Hoc *omnium philosophorum* quomodo cum *inclyto* cohaereat, non video. Puto glossatoris esse, non Iustini. SCHEFF.

10. UT ILLO PRAESENTE NULLIUS HOSTIS ARMA, NEC INERMES, TIMUERINT. Vincentius lib. V. cap. 65. *ut i. pr. nullos hostes nec arma etiam inermes timerent.* ABR. GRONOV.

12. VICTUS DENIQUE AD POSTREMUM EST, NON VIRTUTE HOSTILI, SED INSIDIIS SUORUM. Tacitus lib. II. Annal. cap. 73. de Germanico: *Et erant qui formam, aetatem, genus mortis, ob propinquitatem etiam locorum, in quibus interiit, Magni Alexandri fatis adaequarent. Nam utrumque corpore decoro, genere insigni, haud multum triginta annos egressum, suorum insidiis externas inter gentes occidisse.* Vincentius: *Victus tamen ad extremum est.* ABR. GRONOV.




D57
J8
1827
v.2
Justinia
170794


Digitized by Google

